3 . 1 . 1

Digitized by Google

ORIGINES HEBRAEAE

SIVE

HEBRAEAE LINGUAE

ANTIQUISSIMA NATURA ET INDOLES,

EX

ARABIAE PENETRALIBUS

Revocata

AB

ALBERTO SCHULTENS

EDITIO ALTERA,

Cui adjectum opuſculum

DE

DEFECTIBUS HODIERNIS LING. HEBR.

LUGDUNI BATAVORUM,

Apud { SAMUELEM ET JOANNEM LUCHTMANS, ET JOANNEM LE MAIR. } 1761.

3/1/1

57

19

Digitized by Google

3. 1. 1.

Digitized by Google

CELSISSIMO.

E T.

SERENISSIMO.

P R I N C I P I.

GUILIELMO. CAROLO. HENRICO. FRISONI.

DEI. GRATIA. ARAUSIONENSI. ET. NASSAVIO. PRINCIPI. COMITI. CATTIMELIBOCORUM. VIANDÆ. DIETZIÆ. SPIEGELBERGÆ. LINGÆ. MEURSÆ. BURÆ. LEERDAMI. MARCHIGNI. VERÆ. VLISSINGÆQUE. DOMINO. ET. BARONI. BREDÆ. GRAVÆ. BIELSTENII. LIESVELDIÆ. DIOECESEOS. CUKIANÆ. DIESTÆ. GRIMBERGÆ. HERISTALLI. CRANENDONCKI. VARNESTONI. ARLÆI. NOSEROCI. S. VITI. DASBORCHI. POLANI. GUILIELMOPOLEOS. NIVARTII. ISELSTENII. STEENBERGÆ. S. MARTINODICI. MONTIS. GERTRUDIS. CASTELLORENARDI. SEVENBERGÆ. SUPERIORIS. AC. INFERIORIS. SUALVÆ. NALTVICI. BURGGRAVIO. HE-

Digitized by Google

REDITARIO. ANTVERPIÆ. ET. BESANÇONII. DOMINO. AMELANDIÆ. GELRIÆ. GUBERNATORI. ET. ARMORUM. PRÆFECTO. SUPREMO. FRISIÆ. ITEM. GUBERNATORI. HEREDITARIO. ET. MILITIÆ. SUMMO. DUCTORI. GRONINGÆ. ETIAM. AGRORUMQUE. CIRCUMJECTORUM. NEC. NON. DRENTIÆ. GUBERNATORI. MILITIÆQUE. RECTORI. ALMÆ. FRISIORUM. ACADEMIÆ. CURATORI. HONORARIO. MAGNIFICENTISSIMO.

ALBERTUS SCHULTENS.

Digitized by Google

DEDICATIO.

Non ſemel admiſſus ad Purpuram Tuam privatim venerandam, publice etiam votivam veluti tabulam hanc ad pulvinar Tuum, Princeps Sereniſſime, deferre ac conſecrare ſuſtineo. Hoc ſummæ meæ perpetuæque in Te obſervantiæ pignus multis Tibi nominibus ac titulis devincis, idque ut ad pedes Tuos deponam, non uno me ſtimulo commoneri atque evocari perſentiſco.

Haud tamen fert animus, rationes illas, quæ mihi hanc religionem incuſſerunt, tralatitia & ſolenni dedicantium formula evolvere, longaque ſerie pertextas dare: tum quod Faſtigii Tui jam capax, Ipſe optime perſpectum habeas, quid Tibi a cive Reipublicæ & Academiæ Friſiacæ, in publicum ſe committenti, debeatur; tum quod ſacro ſilentio multa officia verecundius & ſubmiſſius colantur, quam quæſito verborum honore, & vel Eloquentiæ ipſius aureo flumine.

 Tibi

3a

Digitized by Google

Tibi proinde volenti erit, & comprobanti ſi eum campum ingredi religioſe detrectem ac reformidem, in quem nulla ſatis oratio condigne queat adſpirare, ſique impetum meum curſumque non admittam ad altiſſimi Tui & vetuſtiſſimi ſtemmatis gloriam, ad imaginum Tuarum ſpecioſiſſimam ſeriem, Caeſareis etiam & Regiis Diadematibus ſacratam, ad Fulgentiſſimæ Domus inde ab ultima usque memoria recolenda decora, ad innumerabilium Heroum, quorum in Te ſanguis virtusque confluxit, Immortalitatis in tholo ſuſpenſos clypeos, ad pulcherrimum illud & florentiſſimum Principalis Fortunæ culmen, cujus hereditatem creviſti, ad Celſitudinis denique ſublimem illum gradum, quo jam ſpem Patrum Tuorum ſupergreſſus, eo eſcendiſti, unde ingens Fœderatis Belgicæ Civitatibus præſidium, & communis Libertatis ac Religionis columen partim præſtas, partim promittis.

In hac dignitatis & eminentiæ arce tutius mihi duxi, & reverentius, Te, Princeps Celſiſſime, manu ad os oppoſita, tacite conſalutare, atque hoc devoti mei in Te animi monumento adficere, quam cur hæc operis mei libamenta Tibi inſcribenda eſſe cenſuerim, ambitioſe enarrare.

Haud tempero interim, quin Tibi ingenue declarem ac ſignificem, non tam magnis hiſce, & ſane ſacroſanctis, vinculis Principatus Tui, me commotum eſſe, ad hanc Tibi mentis addictiſſimæ teſtificationem exhibendam, quam interiore quodam ſenſu adfectuque, quo Te ipſum magis, quam Tuos natales, ſuſpicio, Virtutesque Tuas præ Fortunis Tuis mihi exoſculandas eſſe exiſtimo.

Pro-

Digitized by Google

DEDICATIO.

Profecto iis Corporis & Animi ornamentis Te Divinitus cumulatum, & Vox publica concelebrat, & hiſce oculis noſtris, plus vice ſimplici, ſumma cum admiratione perſpeximus, ut, quamvis Regius ſanguis in venis Tuis non flueret, Te tamen diademate & ſceptro digniſſimum eſſe, nemo non adverteret, omniumque oculos tanquam Cœlo demiſſum ſalutare ſidus ferires.

Modeſtiam Tuam onerarem, Princeps, ſi Celſi Oris dignitatem, ſi corporis Gratiarum manibus ficti habitum, ſi venuſtiſſimi hoſpitii grande depoſitum, animum dico ad omnem magnitudinem exaggeratum, ſi ingenii admirabilem indolem & ſcintillas ex perenni fomite lucentes, ſi jam Muſarum nectare largiter tinctum imbutumque Pectus, ſi ætatem antegreſſos animosque curasque Viriles, ſi quem in Comitatum denique Tuum, perpetuumque contubernium adſciviſti, omnigenæ Virtutis Chorum, vel tenui penicillo adumbrare aggrederer.

Hæc Tui imago, plena majeſtatis, plena quoque ſuavitatis, & mirifica quadam temperatura ſimul venerabilis, ſimul amabilis, ex qua Gentilitium decus ſplendide emicat, & longe lateque Magnum Principem oſtentat, ſic ſeſe medullis meis adfixit, tamque potenter viſceribus inſinuavit, ut ea me potiſſimum inflammatum eſſe profitear, ad Te tanquam præſens aliquod Numen complectendum, atque hiſce quaſi ſacris primitiis colendum.

Sed pecco qui meam obſcuritatem hic inſero. Hæc Tua, Magne Princeps, imago in totius Belgicæ pectoribus veluti totidem ſacrariis dedicata eſt. Hæc Tibi aditum emunivit ad

Digitized by Google

ad tot potentium Civitatum gubernacula. Hæc Tibi ſociatarum provinciarum ſummam, domi foriſque, qua rogatam, qua ſagatam Præfecturam deſtinat, & publico favore ac voto deſponſatam addicit. Ut in hac ſublimi ſpecula pro Salute, Libertate, Religione, & Muſarum etiam Sacris excubans, Domuſque Tuæ immortalia munera ac merita complens, atque adeo ſuperſcandens, quæ nunc retro relapſa fluxere, revincias; quæque non una tempeſtate concuſſa ſunt & afflicta, recrees, ad priſtinumque vigorem ſimul & ſplendorem reſuſcites. Franekeræ Friſiorum ipſis Idibus Septembribus Anno poſt partam Salutem MDCCXXIII.

PRAE-

Digitized by Google

PRAEFATIO.

Qui ſcientiæ alicui excolendæ perpoliendæque ſe totos addixerunt, huc curam ſuam in primis convertant oportet, ut quibus ea radicibus enata, quibus incrementis propagata, & illuſtrata, quibusque adhuc defectibus & tenebris obſeſſa ſit, cum ipſi promptum habeant, & exploratum, tum aliis quoque ingenue profiteantur, atque generoſa cum ſimplicitate præbeant introſpiciendum.

Radices rerum exponendæ ſunt, fontesque recludendi, ut judicari poſſit ac decerni num initia ſatis fida ſint & ſolida, ne fundamento temere aut incurioſe poſito, ædificium eo fœdiorem trahat ruinam, quo altius audaciusque fuerat eductum.

Incrementorum diverſos gradus adſpexiſſe, ut alias adfert opportunitates, ſic hanc per ſane quam inſignem & multo uberrimam, quod unde lux obſcuris adfulſerit, dubiis ac vacillantibus firmamentum acceſſerit, atque in totum laboranti veritati fuerit ſuccurſum, pateſcat, anſaque porrigatur aliis, eadem in palæſtra vires ſuas experturis, ut quod præclare adfectum atque profligatum erat, iisdem opibus & adminiculis feliciter exſequantur, & ad perfectionis culmen provehant.

Defectus poſtremo, & dextre veſtigandi ſunt, & ſimpliciter omnibus nudandi, tum ne ſpecioſo tectorio in exulceratas partes illito, altius inſidat error, quam ut convelli poſtmodum poſſit, tum vel maxime, ut vulnere pertentato, medicina circumſpiciatur, atque ad affecta hæc & ſuppurata membra perſananda, concurrat publica induſtria ac conſpiret.

Hac via & ratione ſi diſciplinæ artesque colerentur, nulla non lætiſſima efflorèſceret, & ſplendidis identidem auctibus ſuccreſceret: quum, e diverſo, nihil magis proſperum ſtudiorum curſum ſufflaminet, quam quod a plurimis ſcientiam aliquam promittentibus, tria hæc capita ferme negligantur, & præſertim defectus ambitioſe occultentur atque incruſtentur.

Hoc Literatura Hebraica, ne falcem alienæ meſſi admoveam, magno cum veritatis detrimento per aliquot jam ſecula experitur; pauciſſimis enim eorum, qui ad hæc ſacra animum appulerunt, in promtu fuit, & forte etiamnum eſt, unde ſignificationes in Lexica & Verſiones noſtras receptæ originem duxerint, quid ex fluxo & vago ad certam ſtabilemque ſedem profecerit, quid denique inopia idonei luminis adhuc in obſcuro jaceat, & veri indagandi aditu omni præcluſo, bona fide definiri non queat. Neque id mirum adeo, quum longinquæ demum palæſtræ, & laboris haud perfunctorii hocce præmium ſit & honeſtamentum: atque huc culminis adſpirari non poſſit niſi ab iis, qui nullis dictatis decretisque Magiſtrorum obnoxii; tum otio affluunt, tum ingenio, ad arduam & negotioſam hanc Provinciam ſuſtentandam.

Magno equidem redemtum vellem, ut qui Literis Hebræis inſtaurandis manum admoliti ſunt, tres haſce conditiones & re-

regulas tum ſibi ipſis injunxiſſent, tum poſteris quoque præſtituiſſent; haud dubie felicius, quod bene cœptum erat, proceſſiſſet, neque ſtudia hac in parte tanto opere refrixiſſent, quorum impetus non aliunde magis elanguit, & extinctus jacet, quam quod ignoretur ferme, quantus adhuc campus hic reſtet emetiendus, & quam copioſa verborum ac ſententiarum ſylva curam culturamque ſeveriorem deſideret.

Nunquam etiam tot malignis ſuſpicionibus & cavillis Criticorum patuiſſet lingua Hebræa, neque ejus ab interitu revocandæ conſilium illuſum & traductum fuiſſet, niſi incerta certis cæco acervo commiſta, & falſa, inducto fuco, pro veris jactata, occaſionem præbuiſſent cuncta ſimul explodendi, atque etiam ſignificationum fontes plerumque ſilentio ſuppreſſi, cogitationem moviſſent, omnia ex Rabbinorum cerebro temere procuſa eſſe, atque ex nationis in reprobam mentem divinitus traditæ officina emerſiſſe.

Rem proinde Hebræam magnifice promoveret, qui hodiernam Linguæ Biblicæ faciem ſumma cum religione, nec minori cum judicio delineandam ſuſciperet, fontibusque, unde verborum notiones fere emanarunt, patefactis, quæ nunc confuſa jacent digereret, veriſque & ſolidis profectibus a conjectura & opinatione diſcretis, vitia, & a longo inveterata ulcera non velaret, ut quid jam confectum & ſatis in illuſtri poſitum cenſeri debeat, quid porro perficiendum, & viris, equis, perveſtigandum ſuperſit, omnium oculis ſubjiciatur.

Ad hoc munus ſuſcipiendum & exantlandum ut humeros noſtros longe impares eſſe probe perſentiſcimus, ſic eo nos jam aliquot ab annis conniti, & comportatis undique præſidiis conſurgere profitemur: quo ut viam communiamus, lentoque tandem ac certo gradu adſpirare detur, Origines hasce

Digitized by Google

ORIGINES HEBRAEAE

SIVE

HEBRAEAE LINGUAE

Antiqua ratio & natura ex Arabum monumentis eruta & illuſtrata.

LIBER PRIMUS.

I.

Hebrææ linguæ infelicior ſors.

Quando animum adjicio ad linguæ Hebrææ conditionem, ſortemque quam inter eruditos, & tam veritatum Divinarum, quam veterum monumentorum amantes & cupidos, nacta eſt, haud mediocris inceſſit admiratio, & quidnam ſit, tacitæ mentem volutant cogitationes, quod divina hæc cœleſtium vocum & oraculorum cuſtos, hæc linguarum omnium princeps facile & regina, quæ cum antiquitate, tum diguitate præſertim & rerum pondere ac ſplendore, mirabiles ſui excitare deberet amores, omniumque corda cœleſti quadam vi ſibi devincire: contra ea, per omnem ſeculorum memoriam, paucorum admodum in ſe ardorem inflammarit, neque tantum valuerit apud eos, in quibus præclara ingenii induſtriæque indoles enituit, quique omnis eruditionis laudibus affluxere, ut ad eam amplectendam, colendam, atque ab calamitate temporum recreandam, tempus, vires, vitamque ſuam deferre ac transmittere ſuſtinuerint.

Ceterarum artium ſplendida conditio.

II, Etenim poſtquam præcipitato in ignorantiam orbi, ſalutare ſidus affulſit, fluctibusque barbariæ obruta eruditio, ſe emerſit atque extulit, ad colligenda reficiendaque ceterarum litterarum & artium naufragia certatim viri

prin

principes accurrerunt, omneſque undique naturæ bonis, ornamentis & præſidiis inſtructiſſimi, operam ſuam non minus magnifice profeſſi ſunt, quam ſplendide & cum proventu ediderunt; neque a renatis literis ullum fluxit tempus, quod non in omnibus terrarum oris, qua late litteratus patet orbis, & artium optimarum lumen pervaſit, ingentem extulerit copiam eorum, qui poſteritati imminentes, incredibili quodam ſtudio in hanc laudem exarſerunt, atque ex labore hoc immortalem nomini ſuo gloriam ad nepotes propagarunt.

III. Hæc ego quum altius introſpicio, cogitationique huic paulo ubi penitius inhæreo, haud ſcio an jure prædicem, felices litteras! beatas artes! quæ non alium in finem occidiſſe videntur, in quas non alia de cauſa ſæva temporum incubuit vis, quam ut lætius exſurgerent, atque ab ſtirpe acciſa revireſcerent. Sentio quid dicam, & vere mihi dicere videor; non patitur tamen inſtituti noſtri ratio, ut latius hæc perſequar, & contentione rerum in aperto collocem: abſorberet me æſtus illius diſputationis, atque in vaſtiorem altitudinem, terram tantum quod ſolventem, eveheret, quam ut curſum commode capeſſere aut tenere poſſem; ſuſtinebo itaque ipſe me, neque calorem, qui in initio operis menti incidit, qua me cunque ducere poſſet, ſequar.

Praeclare in primis cum Graecis & Latinis litteris actum.

IV. Illud tamen quod brevi expedire poſſe videor, quodque portum egredi & vela dare conanti, auram oſtendit aliquam flatumque ſecundum, Lector eruditus & humanitate tinctus in mentem ſibi revocari patiatur, quantum ad faſtigium, quam ad nobile culmen, incredibili ſummorum virorum labore, res literaria Græcorum ac Romanorum, quæ fœda ſub ſtrage gemebat, excitata atque evecta ſit, quanta in luce, quam in pleno die collocata ſint ea, quæ denſis antiquitus tenebris oppreſſa jacebant, nihil ut ſit tam in ultima antiquitate retruſum, nihil tam in ſinu elegantiarum utriusque linguæ reconditum, ac a communi conſpectu & uſu ſejunctum, nihil tam temporum ruderibus obrutum atque ſepultum, quod non immortalis excellentium ingeniorum induſtria, eruerit, protraxerit, exhauſerit, atque ab interitu revocarit, ut parum ſit quod Latinis ipſis aut Græcis hoc in genere concedere neceſſe habeant.

Immortalis temporum noſtrorum hac in parte gloria.

V. Nihil dico nimis, ne nimis parum dixiſſe videar, ſubit animum vereri, neve eam laudem imminuerim, quæ augeri atque ornari ſatis non poteſt; etenim tantum eſſe noſtrorum hominum hac in parte decus, ſemper exiſtimavi atque etiamnum exiſtimo, ut cum Veteribus ipſis de palma contendere poſſe videantur; ſæpeque accidit ut homo Batavus, vel qui alius alia ex terra hac laude floret, plus viderit, vel in vocabuli notatione, vel in locutionis vi & elegantia, vel in ritu aliquo aut conſuetudine priſca, quam ipſi illi quibus hæc domeſtica erant, & cum matris lacte indebantur: neque id fidem excedere videbitur, ſi in memoriam redire velimus, atque ad animum referre, quot quantique viri, quibus vis & vigor mentis incrat, huic uni ſe rei dederint, in hoc incubuerint, in hoc ſe continuerint, in hoc otium, quo abundabant, & vitam, qua longiſſima uſi ſunt, contriverint, quorum ut nominis ſplendorem nulla unquam obſcurabit oblivio, ita propriam & nunquam inter-

Digitized by Google

intermorituram gloriam ſuo exemplo iis oſtentant, qui in eadem incurrere veſtigia impigre ſuſtinebunt.

VI. Conſimili ardore animorum atque impetu, ſi ad veterum Hebræorum monumenta excolenda conſurrexiſſet, quicquid Chriſtianus orbis ad ſtudia nutrienda celſi tulit atque erecti, quanta inde cum ornamenta, tum quod antiquius eſt, adjumenta Veritati redundaſſent; quanta ſplenderent luce, Divina illa Oracula, quæ horridis adhuc circumſepta tenebris, ſummos etiam Theologos fatigant, atque ab interiori aditu prohibent; quæque tantis commentationum divortiis, nunc hanc, nunc illam in partem, abducuntur, ut quid ſequare, aut ubi conſiſtas, mentemque ac ſententiam figas, vix invenias. Rei Hebraicæ aliquanto inferior conditio.

VII. Sed preſſit olim, hodieque premit hujuſce laudis curſum, importuna quædam clades, quæ longinquas adhuc Hebrææ matri minitatur ruinas, quæque obſcuratam diu nimis veritatem enitere, & ad antiquum ſplendorem reviviſcere nondum pati velle videtur; cujus quidem non una eademque origo eſt, ſed diverſis ex fontibus, diverſæ cauſæ confluunt, inque unam rei Hebraicæ calamitatem conſpirant; de quibus ut brevi explicem, ſenſuſque meos aperiam, ſumma res, cauſaque communis poſtulant. Cujus rei variæ promuntur cauſæ.

VIII. Atque hic neſcio an primo loco caſtiganda veniat miſera illa & jejuna, quæ ad omnes fere obtinet, hujus linguæ colendæ ratio; eorum enim qui ſe hanc in partem, vel tradunt, vel diſciplina Eccleſiarum & examinum legibus compelluntur, labor omnis omniſque induſtria, teritur & abſumitur in exſangui ac enecta vocabulorum analyſi, a perpaucis tantum ſi diſceſſeris, quos altior animus, erectæque indolis vis, ſupera capeſſere, & ad illuſtriora aſſurgere jubet: in hoc piſtrinum, ut ita dicam, detruditur nobile illud ac præclarum ſtudium, quo tanquam palladio aliquo Divinitus allapſo, munitam eſſe Eccleſiam Deus voluit contra omnes Acherontis nefarios impetus, & ejus ſatellitum conſceleratum furorem, quoque, Cœleſti velut pignore, confirmata eſſe poteſt, nunquam in eosdem ſe ſcopulos illatum iri, nunquam fidei naufragium eſſe facturum, quoad hujus Prophetici verbi ſplendore, ac læto ſidere illuſtretur: In haſce compingitur anguſtias Regina illa Orientis, & priſcæ antiquitatis Domina, quam ex pulvere hoc ſcholaſtico educi, atque in regno majorum ſuorum collocari oportebat, ut quicquid ex abundantiſſimo opum ſuarum ſinu in vicinas olim gentes transfudiſſet, id ex harum viciſſim ubertate & copia, ad fontis ſui inopiam ſublevandam derivaretur. Prima ratio.

IX. Hoc quum optimæ cauſæ grave imponit vulnus, prolapſaſque Veteris Hebraiſmi res, caput attollere non ſinit, (quod omnes ſentiant neceſſe eſt, qui quot quantæque demum res, linguæ alicujus interiorem cognitionem abſolvunt, animo & cogitatione comprehendere valent) tum videre mihi videor, nihil eſſe aliud, quo juventutis ad hæc ſe ſacra dantis, æque ardor extinguatur, debilitetur induſtria, & vis ac vigor mentis infringatur; atque hinc fieri vehementer perſuaſum habeo, ingenii indole florentiſſimos quosque, partim ab hoc ſtudio plane refugere, atque haud ſecus, quam ab aliquo ſcopulo, ſic ab hoc litterarum genere reſilire, tanquam quod nulla alia re præter quam ſpinis & crucibus cultorem ſuum mactet; partim ante primo in ſpatio Ejus momentum.

Digitized by Google

tio tædio & deſperatione frangi & corruere, quam curſum petere potuerint; partim ita ad humilia hæc, quaſi humi depreſſos adhæreſcere, ita pondere punctorum degravari, ut ſe erigere & altiora ſuſpicere non queant.

Ratio ſecunda. X. Ex fonte hoc alterum, quod rem Hebræam ſternit, manat malum, ingens ejus cultorum penuria & paucitas, talium dico cultorum, qui fidem alterius arbitrio obnoxiam gerere non ſolent, quique ex aliorum auctoritate pendere & ſententiam moderari neceſſe non habent; ſed qui ſuis nixi viribus, & robore animi pollentes, ipſi magni aliquid præſtare & in commune conferre poſſunt; qui ita ab natura inſtructi & ſubornati ad Rempublicam literariam adeunt, quibusque tam divinos benigna illa mater judicii inſevit igniculos, ut quamcunque in partem ſe tulerint, quocunque operam ſuam converterint, lux aliqua pervaſiſſe videatur, ſplendidaque ingenii & induſtriæ ſuæ monumenta relinquant. Non quod eorum gloriam minuere animo habeam, quorum in hac parte laus vivit vigetque, ſed de perquam exiguo eorum, ſi cum ceterarum litterarum antiſtitibus contendantur, numero conqueror, atque etiam ſuperius veram vocem miſi; unde ſummum in rem Hebraicam detrimentum redundare debere eos non fugiet, qui compertum habent, quantæ molis ſit, & quam non paucorum ſuſtineant nervi, res perditas & profligatas alicujus ſtudii aut artis erigere, & ad antiquam pulcritudinem dignitatemque renovare.

Tertia ratio. XI. Multo etiam graviſſimam Hebraici ſtudii calamitatem, quæ triſtes edidit ruinas, nuper admodum, quum ad Academiam accederem, inaugurali Oratione peregi; quam ſicuti pignus publicum eſſe juſſi, quo fidem meam, ad divinas haſce litteras propagandas, Eccleſiæ Veritatique communi alligarem, ita quodammodo ipſe mihi perſuadeo, quamquam fieri poteſt ut fallar, nimiaque qua fœtus noſtros complectimur indulgentia cæcer, haud contemnendis rerum ac rationum momentis planum me in ea feciſſe, atque in omnium fixiſſe oculis, non eam fuiſſe felicitatem primorum linguæ reſtauratorum, ut neceſſariis copiis ac præſidiis ſubnixi, magnum munus ſuſcipere, ejusque oneri ſubſiſtere potuerint; caruiſſe eos fere omni iſtoc inſtrumento, quod ad intima rerum facem præluceret; maximeque arere eos fontes, unde haurire adhuc uſus venerit præſtantiſſimis quibusque interpretum, qui ut ipſi ſuam ſitim explere non potuerunt, ac propalam de inopia ſubſidiorum deplorant, ita non eſt, quod poſterorum eos deſideria reſtinguere & exſatiare non potuiſſe, miremur.

Quarta & maxima ratio. XII. Vehementem denique optimæ cauſæ inflixit plagam, reique Hebraicæ ſanandæ curſum vel maxime tardavit, quod haud ferme quisquam ejus velut vulnera tractare, defectusque noſtræ in ea lingua ſcientiæ, aperire & nudare vel potuerit vel voluerit, quodque omnes fere neſcio quo pacto, explorata penitusque perſpecta ſibi ea profeſſi fuerint, de quibus ſi eos pertentes & excutias, non adeo compertum habuiſſe, nec aliter quam quaſi per tranſennam aliquid vidiſſe deprehendentur. A Rabbinis fluxit malum hoc, atque inde ad noſtros etiam homines permanavit, qui quum hiſce magiſtris uti neceſſe habuerint, non potuerunt non eorum etiam vitia tanquam contagione

gione aliqua ad eos pertinere, quos tamen Rabbinos ſi in iis, quibus interior ſtudiorum elegantia & nitor continetur, haud ſatis politos & callidos eſſe dixerim, eosque in rebus maximi momenti plane oculis & judicio carere affirmarim, non eſt quod verear, ne viris Eruditis judicium meum approbare non poſſim.

Cujus momentum expenditur.

XIII. Ingenti hoc veritatis Hebrææ diſpendio accidiſſe, nemo homo eſt, qui inficias ire poſſit, ſi cogitare velit, non tantum umbram & fallacem ſpeciem, pro eminenti & ſolida rei effigie, ſæpe aliis tradidiſſe magiſtros, hosque iterum ad alios transmiſiſſe, ſed vel hac potiſſimum ex cauſa, tam ſtudia noſtrorum hæc in genere langueſcere & jacere, quod quantus & quam amplus hic pateat campus non cernant, in quo induſtria eorum excurrere, & præclaram operam edere poſſit. Quid enim? ad pauca ut redeam, ſi ſexcentorum & ultra radicum, ex qua omnis interpretandi ratio ducitur, veram indolem & ſignificandi vim, ſe plane fugere ſenſiſſent magni & graves Theologi, nonne incredibile eos ſtudium inflammaſſet, ad veritatem latitantem quovis ſudore perſequendam, atque e tenebris eruendam: nunc veri ſpecie ducti, ſe ab neceſſario hoc labore avocari, aciemque ſuam alio converti, atque hac in laude hebeſcere paſſi ſunt.

Ad eam levandam auctoris conſilium.

XIV. Hoc ego munus num ſuſtinere & exequi poſſim neſcio, voluntas certe & animi ardor adeſt, qui mihi faces admovet, ſummaque ope auctor eſt, ut quæ multorum annorum labore hanc in rem congeſſi, ea in commune conferam, atque in Eccleſiæ gremium deponam; quæ ut litteris mandem eo etiam facio libentius, quod ſpe aliqua tenear, fore ut gravitate dignitateque rei, quæ nunc ſtudia ſtrata & ſopita jacent, ſomno excutiantur, quæque dilapſa fluxere, vinciantur, atque ad priſtinum vigorem, vel eo etiam ſi fieri poteſt majorem, excitentur; quo omnibus undique ad decus hoc connitentibus, intercluſa tandem aliquando veritas reſpirare poſſit, omnique pulſa caligine ad antiquam ſpeciem & nitorem efflореſcere.

Quod ulterius aperitur.

XV. Hanc autem operam non eo animo ſuſcipio & ingredior, ut rei Hebraicæ, nimium ſane quantum afflictæ, graviorem injiciam ſecurim, ſed ita me adhibebo, ita me hoc in negotio tractabo, ut non tantum cicatrices & vulnera Hebrææ linguæ, quem ad modum a Rabbinis nobis prodita eſt, atque in Lexicis hodie habet, protraham ac denudem; verum etiam ſimul medicam admovebo manum, & quæ diu nimis affecta jacuere, felici, ni vana eſt fiducia noſtri, curatione ſanabo: qua tamen ſpe & cogitatione ſi excidero, neque cauſam meam curamque viris gravibus & eruditis, quibus judicii & prudentiæ primas deferre mihi convenit, probaro; vel hunc operis tuliſſe fructum juvabit, aliorum ſtudia commoviſſe, atque in præclarum hoc munus accendiſſe; quo ægræ ac pœne depoſitæ huic divinarum litterarum parti, opem & medelam ferre elaborent.

Primum quo res Hebræa laborat vitium.

XVI. Eadem vero, qua hoc præſto, inſtituti mei rationem informabo, receptique officii partes deſcribam; ubi principem attribuam locum neceſſe eſt, verborum non ſane exiguæ multitudini, quæ temporum ſævitia adjuvante, injuſta oppreſſit ditio, atque alienæ ſignificationes occuparunt; quæ

res quantas veritati nebulas offuderit, facile exiſtimare eſt. Has ego, alienas quas dico & injuſtas ſignificationes, ex variis capitibus erupiſſe deprehendi, malumque pedem in Hebræas ſedes promoviſſe: bona quippe earum pars ex conjecturis & ariolationibus ſerpſit interpretum, neque quo ſe alio præſidio tuetur, habet; haud minor alia, ex ſitientibus Chaldæorum, Syrorum, Æthiopum, Samaritanorumque fontibus hauſta eſt, & lucis defectu melioris recepta; maxima denique harum copia ex pravo illo Rabbinorum ſeſe intulit inſtituto, quo de publice etiam verba feci, & in oratione mea expoſui, qui tenebris preſſi, & in veri ignoratione verſantes, ex paraphraſium Chaldaicarum turbidis & fæculentis fontibus, arripere neſcio quid maluerunt, quam ingenue quod res erat dicere, & ignorantiæ ſuæ apertam edere confeſſionem; aliæ poſtremo aliunde ortum traxere, quæ ſuis quæque locis, prout ſe res dederit, a me proferentur atque illuſtrabuntur.

XVII. Has omnes ſi falſo titulo ſe moviſſe, pedemque in Hebræas radices poſuiſſe patefactum erit, quis tam a recta ratione erit alienus, qui non amandandas eas unde venerint cenſeat, quique non magna ope id agendum arbitretur, ut quæ perlongo memoriæ intervallo, ut hereditaria ac juſta velut poſſeſſione hæſere, communi inde conſenſione detrahantur ac emoveantur; quo nativis ac domeſticis verborum notionibus in patritas avitasque ſedes, quaſi poſtliminio remigrare & veſtigium facere liceat.

Alter ejusdem defectus.

XVIII. Converto me ad alium longe maximum Hebrææ linguæ; quemadmodum ea ab Rabbinis defluxit, defectum, in quo mirificas turbas dedere magiſtri, ſummaque imis miſcuere. Hæc eſt intoleranda prorſus, & ab ſenſu communi abhorrens ſignificationum una ſub radice, non multitudo tantum, ſed diſcrepantia etiam, & ingens varietas; quibus nulla uti videtur, neceſſitudinis intercedit cauſa, nulla affinitatis ne umbra quidem. Eſt hoc vitium quod interpreti non tantum permoleſte cadit, anxio quid potiſſimum in tam temerario notionum motu, æſtuque vago ſequatur; ſed quod etiam ſplendorem linguæ haud leviter deformat, & fœdis quaſi maculis infuſcat: quis enim talem ſuſpiciat linguam, eamque tanquam prudentiæ gravitatis & dignitatis pleniſſimam, ſummis ferat laudibus, quæ toto inter ſe Cœlo diſſidentes uno vocabulo amplectitur notiones, *perforandi*, *ſaltandi*, *incipiendi*, *profanandi* aliasque, quas radici חלל omnes attribuunt Lexicographi: cui non ſtomachus commoveatur, & Hebrææ linguæ creetur faſtidium, cum perdiſcendi deſperatione conjunctum, quum videat, *peregrinari*, *reformidare*, *convenire*, alia, unam tenere ſedem, unius ſtirpis propagines ab omnibus edi: cui denique aures usque eo impolitas & pingues natura affinxit, ut non incommodum ei accidat, quo vocabulo *exſpoliatio* & *dereptio hoſtilis* modo indicata erat, eodem ut mox *liberatio amica* enuntietur, niſi cauſa ſubſit, qua tanquam copula, diverſiſſima hæc apte colligantur, unique capiti innectantur.

XIX. Hic niſi defectus levetur, nunquam ego interiora Hebraismi viſcera inſpexiſſe nos in animum induxerim; hæ niſi pellantur tenebræ, nunquam ea nos luce munitos exiſtimarim, quæ lapſus a nobis & errores prohibeat; contraque

Digitized by Google

traque penitus mihi perſuadeo, hoc ſi lumen ſacris litteris infundi poteſt, nihil eſſe, quod ſe ad difficultates tollendas, ſolvendos nodos, ſcrupuloſque eximendos benignius porrigere atque explicare poſſit.

Tertium in litteris hiſce incommodum.

XX. Eſt aliud huic affine malum, quo res Hebræa exulcerata diu jacuit; quod quamquam in tantos interpretem non abducat errores, atque illud quod proxime executus ſum, inſignes tamen perſæpe parit offenſiones: aut ſi hoc etiam abſuerit, eam ſine controverſia habet vim, ut hanc veritatis Divinæ ſtudioſo invideat laudem, hanc animi neget voluptatem, qua omnem ejus cogitationem exhauſiſſe, & mente comprehendiſſe, nimio opere juvaret. Prolixam ſatis hac ſuper re inſtitui diſputationem, in oratione quam propter materiæ cognationem, aliquoties mihi nominare neceſſe eſt, ejuſque longe maximam partem in hac demonſtratione conſumſi. cum ita agerem, atque ex intima linguarum natura & ingenio probatum darem, fieri non potuiſſe, ut hæ nobis reliquiæ, hæ naufragii, quo res Hebræa peſſum abiit, tabulæ, tam arctis circumdatæ cancellis, tantis unius libri haud ſane maximi anguſtiis incluſæ, antiquiſſimam ac primævam radicum offerrent vim, eamque exhiberent indolem, qua prima eas incunabula imbuiſſent: cumque extra omnem dubitationis aleam poſitum eſſe diſputarem, quin in ingenti verborum tritiſſimorum copia, id quod in omnibus linguis fieri amaret, tranſſumti longiusque a prima ſtirpe ſejuncti uſus dominarentur, inque linguæ & ſtyli poſſeſſione verſarentur; ad quorum itaque verborum nativum ac domeſticum ingenium adſpirari non poſſe, niſi aliunde opes miniſtrarentur.

Cujus illuſtre exemplum in ישע.

XXI. Hoc quam non temere & cupide, ſed pedetentim & explorato, id quod rei gravitas jubebat, confirmarim, uno alterove exemplo palam facere fert animus; ubi quod illuſtrius ac luculentius in medium proferam vix habeo, quam ea radix, ex qua ſibi Dominus, *Jeſu* nomen ſumſit. Hoc verbum, ſi in propria ſua vi ac dignitate, ſenſum interpretum adhuc refugiſſe, atque a nemine in ea amplitudine inſpectum eſſe aſſeverarim, in qua veteres illud Hebræi collocarunt; haudquaquam fines modeſtiæ migraſſe, aut doctrinam alicujus vel auctoritatem violaſſe, quam procul a me peſtem verruncet Deus, videri potero: & tamen hac ipſa radice ejuſque propaginibus nihil uſitatius eſt, nihil protritius, nihil quod ſe uberius in conſuetudine ſermonis ingerat aut diffundat.

Judæos hic luce defici.

XXII. Ad Judæorum profecto magiſtros adeas, & quid verbum הושיע contineat, exquiras, nihil aliud niſi לשון ישועה reſponſi loco auferes, ac ſi idem declaratum dediſſe non penitus nihil eſſet: quod ſi tendas, &, quid ergo ישועה valeat, urgeas, cum ענינו ידוע *ſignificatio ejus nota eſt*, te dimittent, atque ulteriore cura abſolvent: nihil attinebat ſcilicet, propriam primævam atque ab ultima ſtirpe inſitam radicum indolem veſtigaſſe; tanti non erat, fontes verborum adiiſſe, & quem odorem, quam vim, quam ſignificandi naturam, intimam, prima ab origine ducant, perſenſiſſe.

Neque in vera ejus natura noſtros plus vidiſſe.

XXIII. A magiſtris ad noſtros te homines confer, & nihilo eos hac in parte feliciores deprehendes. Valde quidem liberales vulgo ſunt lexicographi, & ſex ſeptem plura vocabula Latina, pro uno Hebraico largiuntur:

ſalva-

Digitized by Google

ſalvavit nempe, & *ſervavit*, & *auxilio fuit*, *opem tulit* etiam, vel ut *Forſterus*, *applicuit opem*, porro *tutum*, *incolumem*, *ſoſpitem præſtavit*, adde *eripuit*, *liberavit*, *in integrum reſtituit* aliaque quæ eodem redeunt: at vereor ut hæc ipſa copia nimiam prodat inopiam, & veri ignorationis manifeſtos faciat auctores ſuos. Quid enim cauſæ quis dicet, quo minus adjungam multa ejuſdem indolis & uſus, quæ jugis & beata latini ſermonis ſcaturigo, ad rem hanc exprimendam, variis ex venis evergit effunditque; quæ ſi omni ex parte colligerem, atque ad radicem Hebraicam cumularem, tanto majoribus eam tenebris implicuiſſe videri deberem, quanto ampliorem lucem, ex verborum ubertate, præ me tuliſſem.

Quod urgetur.

XXIV. Profecto ita res habet: etenim id nunc non agitur, quem uſum noſtra radix in conſuetudine loquendi ſuſcipiat, & quo potiſſimum in argumento, tanquam in commoda ſibi ſede, poni & celebrari amet; cujus ſi cognitionem interpretibus detrahere vellem, cachinnos in me omnium moverem: ſed id laboratur, & in eo omnis noſtra oratio conſumitur, quidnam illud ſit, quod a primo ſui ortu הושיע complectatur, & cui maxime cogitationi, tanquam propriæ ſuæ formæ, Hebræi verbum hoc alligarint, unde velut ex capite alter ille uſus decurrerit. Hic fixi nihil & explorati tenere interpretes, ingens illa expoſitionum fluctuatio declarat, qua nunc hanc nunc illam in vocem deferuntur, quæ quamvis in eundem omnes ſenſum exeant, diverſiſſimæ tamen originis & etymi ſunt, neque a quoquam, niſi plane ſtipite, ſub unam unquam radicem compingantur.

Salva tamen eorum laude id fieri potuiſſe.

XXV. Sed demirari fortaſſe aliquem ſubibit, qui fieri potuerit, ut tot tantiſque viris Doctis aqua hic hæſerit, & quid cauſæ ſit, tacite agitabit, quod verbi tam pervulgati naturam expedire non promtum habuerint. Is ita habeat, nihil cujusquam laudi hanc ob rem decedere, propterea quod ea eſt hujus verbi in ſacris ratio, ut primitiva ejus ſignificatio, cujus genuinam virtutem & vim perveſtigamus, ne unico quidem in loco compareat; cum alter ille tranſſumtus & a prima ſtirpe deflexus uſus, loca trecenta & quadraginta admodum obtineat: ex quo efficitur, a nemine unquam veram ejus indolem vel indagari, vel ſaltem finiri & certa ratione ac via conſtabiliri poſſe, niſi uberiori abundet ope & luce, atque ea eſt, quam una ſola ſacri textus lectio & meditatio ſuppeditare valet.

Ejus vis inſita proponitur.

XXVI. Quis enim, ut re ipſa, verborum velitatione omiſſa, in aciem prodeam, unquam aſſequi ſe potuiſſe, ſibi ſumere auſit, verbi noſtri naturam ſitam antiquitus fuiſſe, in *amplitudine*, *laxitate*, & *ſpatio*; primamque radicis ישע ut conjugationem, ſic ſignificationem dixiſſe, *amplus ſpatioſus & late patens fuit*, unde cum הושיע facili & perquam proclivi via, gradus factus ſit in *ſervare* & *ſalutem ferre*, quod eſt, *aliquem qui anguſtiis preſſus erat & circumſeptus*, *in ſpatium & libertatem*, *cum amplitudine & abundantia conjunctam*, *traducere*. Hæc vera Hebrææ radicis vis eſt, hæc dignitas, hæc majeſtas, ad quam amplificandam ſi vel unum faciam verbum, putidus ſim: quemadmodum nec animus eſt, in locum communem excurrere, qui omnibus hic patet, ad divinam nominis *Jeſu* gravitatem ex fonte hoc deducendam,

Digitized by Google

dam, atque ſupra aſtra evehendam. Illud tantum monuiſſe, fortaſſe non plane de nihilo fuerit, frequentari a Spiritu Sancto oppoſitionem inter צרה *anguſtiam*, & ישע ſive ישועה / quod proinde *laxitatem & amplitudinem* propriè, dein *omnis felicitatis, omniumque copiarum magnam quandam abundantiam* ſonare, nemo eſt qui ultra dubitare poſſit, niſi qui, quum ſolis ſplendore perfrui poſſit, tenebras tamen & noctem ſequi præoptet: quam vibrare in eandem hanc vim, quam fortiter intorquere eſſet, has conſimileſque phraſes. מכל צרותיו הושיעו *ex omnibus ejus anguſtiis* הושיעו *ad ſpatium, lucem, liberum ſpiritum eum revocavit, & in uberrima omnium rerum copia, in ampliſſimo beatitatis gradu collocavit.* Pſ. 34. 7. & Pſ. 45. 8. הושעתנו מצרינו & Jer. 14. 8. מושיעו בעת צרה / quorum locorum radii ut neminem prætervolare poſſunt, ita non eſt quod pluribus notionem a me poſitam adurgeam.

Propria ejus notio apud Arabes.

XXVII. Eant nunc viri Docti, & ſacrum textum ſolis inſtar, ſuo ſe ſplendore aperire, pugnacius contendant: eant, & ad omne foris illatum lumen oculos claudant. Mihi, niſi ex Arabum lingua, lætiſſima illa Hebrææ matris propagine; igniculus alluxiſſet, in iiſdem, cum ceteris, tenebris oberrandum fuiſſet. Huic ego quod modo in medium detuli, lubens meritoque acceptum refero, & niſi hæc fuiſſet, nunquam quicquam certi hac de radice me habiturum fuiſſe profiteor. Hic primum vidi ישע ſua in origine dicere, *ſpatioſus, & late patens fuit*, & الوسع ſive *actionem* verbi ישע ſeu وسع eſſe خلاف الضيق *contrarium anguſtiæ:* & in *pibel* ſive *ſecunda conjugatione dageſſata*, ישע *contrarium eſſe premendi & arctandi*, ut docet *Gjeubari* æterni nominis lexicographus, quum ait التوسيع خلاف التضييق qui hæc eodem pertinentia ſubjungit تقول وسع الشي فاتسع واستوسع اي صار واسعا وتوسعو في المجالس اي تفسحوا ورجل وساع اي واسع الخطى وقد وسع وساعة Hoc eſt. *Dicis in ſecunda* ישעתי *ſpatium & amplitudinem feci, & in octava* אתשע *ſpatioſus factus eſt, ſimiliter in decima, factus eſt amplus: & in quinta, in conſeſſibus* תישעו *ſpatium & locum habuere: & vir* ושאע *qui amplo incedit paſſu; de quo etiam in prima dicitur* ושע *plenum gradum fecit.*

Ejusdem ampliſſimus uſus.

XXVIII. Hæc de prima radicis indole nemini dubium relinquunt; inde immenſum ſibi ſumit campum, in quo decurrat & linguam permittat. Præſertim ſedem fixit in *beatiſſima rerum omnium copia*, inque *eo fortunarum ſtatu, qui omnibus undique bonis tam corporis quam animi circumfluit.* Ita السعة / שעה nomen ſubſtantivum formæ עצה a יעץ / a *Gjeubario* declaratur per الجدة الطاقة *divitiæ, opulentia, potentia.* Et وسع ſive ישע eodem gaudet uſu. participium واسع *amplus, omni eo, quicquid copiarum unquam aut opum fuit: amplus dignitate & honore; amplus pecuniis; amplus ſapientia* etiam quandoque. Et verbum in *prima conjugatione, omnibus iis rebus affluxit:* in *ſecunda & quarta, in hoc ampliſſimum fortunarum domicilium aliquem extulit:* quæ omnia exemplis hic firmare longa eſſet mora.

Aliud ſpecimen in כנע

XXIX. Non felicioribus eſſe licuit linguæ cultoribus in radicis כנע virtute & indole evolvenda, quam in *Niphal* & *Hiphil* frequentatam, nemo eſt qui ſe non penitus penitusque perſpexiſſe exiſtimet, quod tamen ſecus ſe habere, ſi rem recte putare velimus, deprehendetur. Nihil hic acutulos illos ex Judæorum ſchola moror, qui כנע declaraturi, ei ineſſe narrant לשון כניעה: quaſi tu *deprimere* expoſiturus, continere illud dicas *depreſſionem*. Valeant illi homines, & ſibi ſuam illam præclaram linguæ habeant cognitionem; nos quo usque noſtrorum hac in voce acies pertinuerit, ſub examen vocemus. Luce eos, ſi te ſpecie duci ſinas, abundare dixeris; ita enim *Buxtorfius* aliique melioris notæ, *depreſſit*, *proſtravit*, *abjectum*, *humilem reddidit* verbo הכניע addunt: at trepidare iſtuc eſt per ſententias, non certo aliquid judicio conſtituere & definire. Quid enim? an non alia longe vis eſt *deprimendi*, quam *proſternendi*, ſi originem ſpectes? quid *abjici*? quid *humilem reddi*? hæccine ut ad unum ſe uſum porrigere poſſe certum eſt, ita una etiam ab ſtirpe propagari ſanus quis dixerit? quid ſi nulla harum vocum, vocis Hebraicæ naturam contingat? hoc certe *Coccejo* videbatur, qui נכנע ſonare docet, *flecti*, *cedere*: ſed & hujus placita alius reſcindit, cui *incurvare* potius ridet; quibus ego, ſi ita luxuriare libet, & quod in ſolum venerit ſecure ſequi, facile palmam præripiam: non enim puto, *affligere* vel *profligare*, & *conquaſſare*, & *percellere*, & *evertere* & *peſſundare* & quæ non? neceſſe habere, ut ulli ſuperiorum vocum ſignificandi poteſtate & nervo cedant, aut minus eſſe accommodata, ad uſum radicis Hebraicæ adumbrandum.

Ejus indoles & prima vis omnes fugit.

XXX. Miretur denuo quis, quæ hæc ſit trepidatio, quæ tanta doctiſſimorum hominum varietas & inconſtantia. at aliter rem habere non potuiſſe omnes intelligent, qui cum animo reputabunt, quanta obſcuritate verbum aliquod circumſideri neceſſe ſit, cujus nusquam locorum propria & primitiva ſignificatio compareat, ſed temporum vetuſtate ſepulta & oblivioni tradita eſt. Hæc certe radicis כנע in textu Hebræo conditio eſt; quæ nullum plane locum ſortita eſt, ubi nativam gerat faciem, eamque exſerat vim, qua de interiori ejus natura certiores fieri poſſimus: unde qui diæ Critices ſacris initiati ſunt facile ſentient, aut conclamatum jam eſſe, neque unquam certa & ſtabili ſede errorem hic finiri poſſe, aut lumen aliunde eſſe affundendum, cujus beneficio tutam ſtationem teneamus.

Quam Arabes conſervarunt.

XXXI. Diffiteri nolim, fieri potuiſſe ut divinando verum dixerint, quotquot in ſuperioribus conjecturis ſuis indulgere vidimus; ſed & ſecus id cadere potuit, & re vera, ni me mea lux fallit, cecidit: nulli quippe earum ſignificationum, quas in acervum conſtruximus tam ego quam alii, cum radice Hebræa quicquam eſt, quod jam nunc pervictum darem, atque fide & auctoritate Arabum affirmarem, niſi aurem locus quem tracto velleret, admoneretque, in eo me eſſe adhuc, non ut vulneribus medear, quibus Hebræa res oppreſſa jacet, ſed ut ea cuivis adſpicienda, & digito tangenda tradam; ſuo itaque loco curam hanc reſervari, nemo ægre patietur.

Incredibilis hujus inveſtiga-

XXXII. Hujus vero indagationis levius eſſe momentum cave credas, talemque eſſe hanc operam, qua tuto ſuperſederi poſſit: non jam dicam, nihil quic-

quicquam, ubi Divina veritas agitur, parvi eſſe pendendum, illud confirmaſſe ſatis habebo, vix credi poſſe, quot locorum male habitorum mihi hinc ſurrexerit explicatio, & quanto opere nova hæc lux per omnes ſcripturarum partes ſe diffundat, cujus ſpecimen aliquod repræſentaſſe non alienum fuiſſet, niſi jam in tertio hoc loco ſatis multus fuiſſe videri poſſem. tionis utilitas.

XXXIII. Ad quartum itaque accedo rei noſtræ Hebraicæ vulnus, quod ut alligetur, & quoad ejus fieri poterit, coaleſcat, equis quod dicitur viriſque annitendum eſt. hoc non tantum radices & vocabula, velut exteriora linguæ membra læſit, ſed ipſa quoque ejus viſcera appetiit, & in integras locutiones, in ipſum Hebraiſmi genium & omne illud quod reconditiore linguæ alicujus ſinu concluditur, penetravit. Poſtquam enim lingua Hebræa horribilem illam cladem eſt experta, quam ſupremus miſeræ gentis dies ei impoſuit; tantum non inter Judæos, eadem ſæviente procella, expiravit, & penitus deleta eſt: primitivæ vero eccleſiæ patres quantus ejus tenuerit neglectus, quis adeo in hiſtoria peregrinatur, ut ignoret? revixit quidem quodammodo poſt aliquot ſecula, & ex cineribus ſuis reſurgere cœpit; cum eo tamen, ut illi provinciæ huic præſederint, & hoc adminiſtrarint munus, quorum longe ab Hebraiſmo veteri genius abhorruit, quibusque Europæo ſtylo & ſermoni innutritis, nihil præter nomen, cum priſca gente interceſſit. Hinc uſu evenit, id quod fieri aliter non potuit, ut moribus externis oblita, atque ab Occidentis barbarie infuſcata fuerit; dum pro ſe quisque ad recentiores loquendi modos, antiquiſſimæ linguæ rationem & elegantiam revocat, atque ſuum cothurnum, quicum in lucem editus erat, priſci orbis dominæ aptat. Quartum quo res Hebræa laborat.

XXXIV. Hujus rei momentum quale ſit, & quanto cum veritatis intertrimento vires ſuas exercere debuerit, illos non fallet, qui quam immane ſenſus moresque noſtri cum Orientis moribus ſenſuque diſſideant, tenent: & ſane hanc potiſſimam cauſam duco, quare non feliciori cum ſucceſſu in prophetis in primis & poëtis ſacris, verſari detur, quam quod genium Orientis vix deguſtaverimus, iique nobis obſtructi fontes ſint; ex quibus illi phraſin ſuam hauſere; unde ſi ad ſatietatem bibere, & pleno aliquando ore ducere concedetur, quam largo ſcientiæ flumine pectora noſtra inundabuntur! Quod ſcripturæ interpretationi vehementer officit.

XXXV. Hæc rerum Hebraïcarum triſtis adhuc & calamitoſa ſors eſt, hæc literarum ſacrarum ſtudium circumſtant fata; dum neſcio qui veternus manus animosque congelat, eumque reſtinguit ardorem quo ferri verum erat, & nihil reliqui facere, ad haſce ruinas excitandas, atque ab temporum atrocitate vindicandas; eorum ad exemplum, quos non pœnituit, in humani ingenii monumentis reficiendis, ac profanis auctoribus ſanandis curam, laborem, vitam denique viresque ſuas collocare & abſumere. Gravis rerum hanum neglectus.

XXXVI. Hanc graviſſimam religionis & veritatis cauſam dum me ſuſcipere profiteor, perſtringi me ſacro quodam horrore ſentio, quem mihi quum verbi Divini reverentia, tum eruditi orbis verecundia, tum pudor etiam, quem mihi natura attribuit, admovet. Etenim non tantum ipſe mihi placeo, ut quantum vel ab ingenii deficiar bonis, vel ab doctrinæ cultu, non videam: non tamen animum contraham, neque me tanquam fluctu, ſic Quid nobis animi hic ſit.

Digitized by Google

magnitudine negotii conturbari atque a propoſito dimoveri ſinam, contraque erigam, atque impiger ac alacris illud ſuccurram munus; eaque quæ mihi hanc in rem per aliquot annos meditata coctaque ſunt, emittere atque evulgare non verecundabor.

Quidve fiduciæ & voluntatis.

XXXVII. Hoc autem eo fidentiori animo facio, & quoad vires atque hæc quotidiani muneris acies, patiuntur, recipio; quod præclara ſuſtenter conſcientia, non me audacia quadam critica, per haud explorata ferri, aut novarum rerum ſtudio in hanc provinciam involare: ſed ſponte eam ſua ſub manus mihi ſuccreviſſe; defugienti fere, ultro ſeſe ingeſſiſſe, tantaque ſui ſpecie commendaſſe; ut officium quo Deo, Eccleſiæ, Academiæ, bonis omnibus devinctus ſum, prodere mihi viderer, ſi illud quod mihi affulſit lumen, intra privatos conderem parietes, atque in commune conferre non ſuſtinerem.

Operis noſtri prima pars.

XXXVIII. Quo vero in curriculo deſudandum nobis ſumſerimus, & quidnam illud ſit quo labor noſter adſpirat, quatuor illæ, quas poſui, partes exhibent; quibus totidem reſpondebunt libri, quos opus noſtrum continebit. Horum primus iis ſe radicibus totum addicet, in quas alienæ ſignificationes, iis ex capitibus quæ ſuperius attigi, irrepſere, quas dum eo unde emerſerint faceſſere jubebo, ſedibusque non ſuis excedere, a viris gravibus, & ſcripturarum cupidis petitum & impetratum velim, ut me hac in parte auctoritate ſua armare non nolint, utque fugitivas haſce ſub magni nominis umbra deliteſcere ne patiantur.

Quid ſecundo loco laborandum veniat.

XXXIX. Ex hiſce vadis & ſcrupuloſis cotibus quum enavigavero, atque haud contemnendæ Hebrææ linguæ parti, dereptis erroris integumentis, nativam faciem ac pulcritudinem revocaro, diſputationis noſtræ curſum eo flectemus, ubi minus forte infeſtis fluctibus, & aura ſecundiori, uti licebit: ita enim ratio ſecundi quem partitio noſtra deſcribebat, loci comparata eſt, ut omnes qui non penitus in hiſce nihil vident, animum adverterint, incredibili hic defectu rem Hebræam premi. Cujus me eo etiam major ſpes tenet, quod non ingenio me tradam aut conjectandi morem geram artificio, id quod *Forſterus*, *Boblius*, *Coccejus*, *Guſſetius*, aliique hujus ſcenæ Roſcii ſibi ſumſere, ſed quod in iis nitar fundamentis, quæ nemo unquam labefactare aut attingere ſuſtinuit, niſi qui ea plane ignorando, auctoritatem ipſe ſuam ante convellerat.

Quid libro tertio deſtinatum ſit.

XL. Hæc ſpatia emenſum eæ radices accipient, quibus tertium ordinem attribui; longe quidem longeque plurimas illas, & majori numero, quam temere cuiquam in mentem veniat ſuſpicari. Hic ea quæ communia litterarum tempora, ea præſertim quæ rem Hebræam proſtraverunt, obruerant, quæque ex omni funditus Judæorum memoria eraſerat vetuſtas, operam dabimus, ut incredibili cum ſacri ſtudii emolumento in lucem evocemus. Ubi tanta cauſæ eſt fiducia, quam non levitas facit ſed judicium, ut fructum fere officii mei præcipere auſim, ac bonorum omnium mihi aſſenſionem deſtinare: inque vicem fidem meam iis adſtringo recipioque, ea me prudentia curſum hunc eſſe moderaturum, ut nihil novis conſiliis dediſſe, nihil ſtudio

eſſe

eſſe velificatum (ſi quidem mortale hoc eſt) nihil nimiæ ſaltem cupiditate obſecundaſſe videri poſſim: omnibusque planum fiat, nusquam me a Divini verbi majeſtate oculos dejeciſſe, aut auctoritatem cujusquam vel dignitatem abjeciſſe.

Quid quarto.

XLI. Hæc quum ſuperavero, iis me totum tradere in animo habeo, quæ in ſupremam operis noſtri partem conjeci: ubi vaſtum veluti æquor pateſcet, quod vix oculis aut cogitatione terminare eſt. Hic ea perſequenda venient, quæ ſingularis antiqui orbis genius ab recentiorum interpretum cognitione retraxit, quæque eum in modum in Orientis penetralibus abſtruſa atque a noſtro conſpectu ſeducta ſunt, ut niſi Orientales ipſi viam muniant, fidosque ſe duces præbeant, vix eſt quod unquam ea erui ac illuſtrari poſſe fidamus.

Quo maxime fundamento noſtra nitantur.

XLII. Quibus vero præſidiis & copiis ſuccinctus, tanto me oneri ſubjungere non reformidem, tantasque ſpes conceperim, paucis faciendum exiſtimo ut declarem. Hæ in lingua potiſſimum Arabica ſita ſunt, cujus linguæ ſi arctiſſimam cum matre Hebræa cognationem; ſi inexhauſtas divitias, & incredibilem opum vim; ſi originem & antiquitatem ultimam; ſi utilitates denique & commoda, prædicare aut enarrare ingrederer, in quam immenſum mare ea nos diſputatio abriperet? hæc ut juſti voluminis argumentum implent, ita alias ea pertractare decretum eſt, qui eum eximamus ſcrupulum, penitusque levemus, qui animis multorum contra præclariſſimæ hujus linguæ uſum & neceſſitatem inſedit; ubi tamen bene habet, quod illi tantum ab hiſce partibus ſe conſpici patiantur, qui in ſumma ejus ignoratione, vel ipſis teſtibus, verſantur: quos humani quid deſignare, atque linguæ ſibi negatæ faſtidioſa contemtione, inſcientiam ſuam ultum ire velle, non eſt cur minus placate feramus.

Quod tamen invitis obtrudere animus non eſt.

XLIII. Hac autem opera eo majori jure in præſentia ſuperſedere poſſum, quod ipſa res cauſam pro me ſit dictura; quodque tantam exemplorum noſtrorum confidimus fore vim & gravitatem, ut æquos rerum arbitros permovere, iniquos etiam perfringere poterint, quod ſi tamen frugibus inventis, ſint, qui glande veſci malint, eoque ſint palato, ut noſtrarum rerum ſenſum percipere vel non velint vel non poſſint, his ego ut ingenio ſuo perfruantur non negabo, quemadmodum & meo me abundare verum æquumque eſt.

Intemerata linguæ Arabicæ puritas.

XLIV. Unum tamen non tempero, quin verbo tangam, & levis inſtar excurſionis præmittam, antequam aciem ipſam ac cornua diſputationis commoveam: quod ejusmodi eſt ut me in ſtuporem ſæpe dederit, ac miraculo vix eximi poſſit. Hæc eſt illibata illa linguæ Arabicæ, ſuis in radicibus, puritas, quam tot tantaque ſecula non temerarunt; eaque ejus ſalubritas, & quaſi ſanitas, quam quatuor annorum millia violare non potuerunt: ut adeo non poſſis non majorem in modum mirari, eandem adhuc linguam Meccæ florere, quæ Hieroſolymis olim viguit, haud majori diſcrimine, quam quod nos a Germanis ſejungit; vel quod Arabes ſæpe prædicare conſueverunt, quam inter eos linguam princeps condidit *Iſmaël*, eandem ad hæc usque tempora perdurare.

Digitized by Google

Gravis quorundam circa antiquitatem ejus error.

XLV. Hoc quam verum ſit illi viderint: ego confirmaſſe ſatis habebo, ex vetuſtiſſimis Arabum monumentis fidem me facere poſſe, atque in omnium oculis defigere, ludibrium doctis debere, qui neſcio qua cupiditate, *Muhammedem* auctorem & principem linguæ Arabicæ finxerunt, & vel eo maxime nomine ejus in ſacris auctoritatem infirmare conati ſunt. Quid talibus hominibus facias? & an non operam luſiſſe videri poſſes, ſi ſerio iiscum in certamen deſcenderes atque tam male ſanam iis opinionem detrahere pugnares? cum umbris citius manus conſeruerim, quam ut hæc mihi ſomnia confutanda ſuſcipiam.

Libris multo antiquiſſimis uſuros nos eſſe.

XLVI. Haud tamen pœnitet ampliſſimo me inſtrumento & ſupellectile ſubornatum, prodire poſſe, eorum apud Arabes auctorum, qui longe ultra Muhammedis tempora adſcendunt; neque mihi neceſſe fore, ſi cuiquam hac de re offundi poſſit religio, quicquam ex poſteriorum Arabum ſcriptis affirmare. De quibus codicibus, manuſcriptis omnibus, quos auctores agnoſcant; quidve gerant antiquitatis; tum quod homini non ingrato primum eſt, quorum munificentiæ debeantur, alias, ſpero, uberior dicendi naſcetur occaſio.

CAPUT PRIMUM.

De radice בלג. *&* LXX. *& Vulg. fluctuatio. Non minor* Chaldæi, Syri, & Arabis. *Rabbinorum ſententia. Ex* Chaldæo *hauſta. Forſteri alia mens. alia Cocceji. Vera ſignificatio.* Aquila *illuſtratur.*

I.

Votum concipitur.

Quod facili ac propitio fiat Numine, aggredimur primam operis noſtri partem, atque ad Elyſios ſcripturarum campos, acceſſum interiorem meditamur; perennem itaque veritatis fontem ſupplici prece veneror, ut in tenebris inſcientiæ & erroris clariſſimum pedi lumen præferre velit; atque ad caſtigatos puroſque ſenſus mentem noſtram evocare: ut quæ ipſi glorioſa, Eccleſiæ ſalutaria, & bonis omnibus accepta ſint, in lucem edamus. Ita creſcat Divini honor nominis, ita verbi ſacratiſſimi majeſtas effulgeat, & ad nobile ejus ſtudium Deo devotæ juventuti calcar ſubdatur.

Inquiritur de notione rad. בלג.

II. Primordia nobis ducentur a radice בלג quinque in locis obvia, idque in *Hiphil* tantum, extra ea nullo ſui veſtigio invenienda. ſunt ea Job. 9: 27. & 10: 20. & Pſ. 39: 14. & Jer. 8: 18. poſtremo Amos 5: 9. Hic quid Veteres quid Recentiores viderint interpretes, ita omnium ſubjiciam oculis & judicio, ut nihil eos vidiſſe, quod veram verbi vim ſpectat, clariſſime conſtet.

LXX. & Vulg. examinantur.

III. Hujus radicis ſignificationem ſi ex veteribus quæras, non tantum ſpem

ſpem ludent, verum etiam haud paullo incertiorem dimittent quam acceſſeris. Primus in *Jobo* locus ſic habet. אעזבה פני ואבליגה. Hic LXX. vel quicunque demum fuerint, qui monſtroſam illam verſionem Jobi architectati ſunt, vertunt: Συγκύψας τῷ προσώπῳ στενάξω. Vulgatus autem dat. *Commuto faciem meam & dolore torqueor.* Huic proinde הבליג eſt *dolore torqueri*, illis στενάζειν, etiam vocabulum doloris plenum, mollius tamen quam interpretis Latini ſententia ferebat. At vide hominum inconſtantiam & mirare; iidem Græci penitus ipſi ſibi elapſi, contrariam plane verbo aſſignant notionem in Cap. 10: 20. *Jobi.* ישית ממני ואבליגה מעט quæ illi. Ἔασόν με ἀναπαύσασθαι μικρόν. eſt ergo nunc *quietem capere*, quod modo *ſuſpiria ducere*; ubi quantum ad veritatem propius accedunt, tantum iis decedit auctoritatis, quod una verborum complexione, uno tenore orationis, uno quaſi oris halitu, unum idemque vocabulum in diverſiſſima traxerint. Conſtantior hic *Vulgatus*, ſed eo infelicior, quippe quem ſententia loci facile erroris condemnet; *dimitte ergo me, ut plangam paululum dolorem meum.* Retinet ergo adhuc *dolorem*, eumque invito imponit Jobo: ſed ne judicio id factum crederemus, ſtrenue cavet, quum Pſ. 39: 13: Hebræa השע ממני ואבליגה fui diſſimilis reddit. *remitte mihi ut refrigerer.* Fregit virum τῶν LXX. auctoritas, eumque a ſuperiori ſententia dimovit; qui hic habebant ἄνες μοι ἵνα ἀναψύξω. ſed lætam hujus radicis faciem iterum obſcurant uterque, atque in *dolorem* ſuum recidunt Jer. 8: 18. מבליגיתי עלי יגון quod LXX. edidere. ἀνίατα μεθ' ὀδύνης. Vulg. *dolor meus ſuper dolorem.* Denique ut ſe fluxa ſequi conjecturarum penitus perſuaderent, *Amoſi* verba המבליג שד על עז tranſtulere LXX. ὁ διαιρῶν συντριμμὸν ἐπὶ ἰσχύν. Vulg. *Qui ſubridet vaſtitatem ſuper robuſtum*, poſt *Aquilam* qui hic μειδιῶν dederat, qua de verſione, & fonte unde manarit, poſtea dicetur.

IV. Hic ergo pedem cum figere non liceat, quumque nunc hanc nunc illam in partem, tanquam fluctuum, ſic ſententiarum jactatione feramur; age ceteros circumſpiciamus memoriæ priſcæ interpretes, & num tranquilla in ſtatione nos collocare poſſint, experiamur: ubi quidem eadem nos tempeſtas manet, neque ab errore conſiſtere patitur. quinque enim in locis, haud ſecus atque Euripo aliquo deprenſos, triplici, *Chaldæus* quadruplici, eaque maxime diſſona, nos circumagunt vertendi ratione dicam an libidine? quæ ſententiæ moderandæ arbitrium adimat. Jobi nempe 9: 27. אבליגה *Syro* eſt ܡܬܐܠܨ ܐܢܐ *Arabi* ضاقت علي quod *anguſtia premor* utrumque dicit. *Chaldæo* autem אתגבר *confirmabor.* Cap. 10: 20. contra *Syro* eſt ܐܢܐ ܐܬܒܝܐܣ *ſolabor me & quieſcam.* Et *Arabi* استريح *reſpirabo; Chaldæo* autem אנוח *quieſcam.* Pſalmo vero 39: 14. *Syrus* & *Arabs* in eadem mente iisdemque etiam vocabulis perſtant, quæ repetere nihil attinet. *Æthiops* אערפא *quieſcam, refociller* ex LXX. At *Chaldæus*, cujus in primis hallucinationem haud fugitivo adverti velim oculo אזיל *abeam:* ſi ἁπλῶς, perquam frigide, ne dicam inſulſe; ſin de *abitu ad plures;* ne ſic quidem elabetur, ac male verſi loci

Reliqui etiam ex Veteribus.

loci crimen effugiet. In quarto autem Jer. 8: 18. loco, *Arabs* τῶν LXX. ſcopulis illatus, وليس لكم شفا *& nulla vobis eſt ſanatio:* quod qua via ex מבליגיתי extundi poſſit non aſſequor; niſi quod neſcio quomodo vexaverint forte rad. גהה *ſanare*, dum מבלי ab ſequentibus litteris divellunt. Non magis pronum eſt dicere, quid *Syrus* viderit, qui ܚܠܕ ſubſtituit; *attritus ſum.* An legit ܐܬܠܕ ܡܚܠܕ? nihil affirmo; nec tanti eſt errorum cauſas pernoſſe: aut in illo muſtaceo laureolam quærere. *Chaldæi* vero ſuaviludia vereor ne ſtomachum faciant: devoremus tamen quod jam dudum circumroditur moleſtiæ; ecce ergo tibi hominis verba על דהוו מלעיגין לקבל נבייא דמתנבן להון דונא ותנחתא איתי עליהון *propterea quod prophetis illudebant, qui prædicebant iis; dolorem & gemitum iis immittam.* Ex quibus hoc tantum obſerva הבליג hic novam plane induere faciem, & jam per העליג *irridere* verti, ſi modo id vertere dici poſſit; ut adeo jam quartum ſui diſſimilis ſit *Chaldæus*. Noviſſime ad priorem idem revolvitur ſententiam & כבליג Amos 5: 9. reddit מגבר *confirmans*, niſi quod hic *pahel* ſive activam adhibeat conjug. quum in priori loco *ithpahal* & paſſivam vim tenuiſſet. *Syro* autem hic placuit vertere ܡܫܠܛ *dominium dans.* *Arabi* ne transverſum quidem digitum a LXX. diſcedere tutum viſum fuit, & in المقسم ſive διαιρῶν acquievit.

Brevis excurſus. V. Hanc vagam, fluxam, atque intemperantiſſimam veterum interpretum, non hoc tantum in verbo, ſed in aliis etiam ſexcentis, vertendi rationem, quum ad animum revoco, ſerioque expendo; haud leviter eorum auctoritatem, quod fieri aliter nequit, levari atque imminui ſentio: ſimul magnam apud me admirationem occupat, quæ tam acerba Hebræam linguam poſt ejus occaſum urſerint fata, ut ſedibus ſuis extorris, avitisque pulſa domiciliis, per incerta & avia conjectationum raptata a poſteris, ſplendoreque ſuo, dignitate & certitudine in magna ſui parte exuta ac ſpoliata fuerit: dum interim, ſenta, inculta, horrida, ab præſtantiſſimis fere poſt habita ingeniis, emendicatis quibusdam & male conſutis pannis obſita jacet, quæ excuti nequeant, quin lapſa defluant: niſi ſi forte auctoritate illuſtris alicujus nominis ſe defendant, tenaciusque hæreant. Sed hoc habet; abiit jam tempus querelarum: non labar longius. eo ergo unde huc declinavit oratio revocetur, & quo intendimus proficiſcamur.

Ex Chaldæo aliquid arripuere Rabbini. VI. In eo eramus, ut verbum hoc jam inde ab antiquiſſima memoria occidiſſe, noctemque ſibi induiſſe palam facerem, atque ejus vix umbram Veteres tenuiſſe: hoc eo feci, ut graviore vulnere Rabbinorum recentiorum cauſam jugularem qui ex tam Λοξίου Apollinis, paraphraſtæ dico Chaldæi oraculis obſcuris & flexiloquis, temere aliquid excipientes, hoc ſumma deinde cum confidentia propagarunt, tanquam Divinitus editum, atque omni dubio vacuum; idque ad noſtros etiam interpretes transmiſere omnes, ab uno tantum alterove ſi diſceſſeris. Hos ſi audias הבליג eſt *confirmari* vel *confirmare ſe:* quod

quod paſſim per Lexica & Commentaria magiſtrorum volitare videas. *Kimchias* qui principatum tenet inter Judæorum lexicographos, inque cujus verba ſacramento fere omnes dicunt, hæc prodit in Lib. Rad. אבלינה אתחזק והוא פועל עומד אע״פ שהוא מבנין הפעיל או פי׳ אחזק נפשי Hoc eſt אבלינה *notat confirmabor eſtque verbum intranſitivum licet ex Hiphil ſit, aut ſonat confirmabo me ipſe.* Hæc in libris ſuis commentariis ubivis locorum integrat. R. etiam *Levi* iidem ſententiæ atque iisdem fere verbis adhæreſcit. אבלינה אתחזק ויהיה בודד או יהיה יוצא ויהיה. פי׳ אחזק לבי *Confirmabor dicit, eſtque intranſitivum; aut tranſitivum eſt & ita accipiendum: confirmabo cor meum.* ſic *Aben Eſr.* ſic *Raſchi.* ſic tota *Rabbinorum* natio, adhibentes vocabula הגביר vel התגבר vel התאפק vel התחזק quæ eodem omnia redeunt.

VII. Horum ex fontibus illa fluxere, quæ maximam Lexicorum partem hodie obſident, quæque per omnes verſiones & commentarios pervaſerunt, *Confirmari, corroborari, confortare ſe, refici, recreari:* quæ ſi cuncta ſuis auctoribus aſſignare vellem, in immenſam paragraphus hicce excreſceret molem, meque Lectoremque meum fatigaret.

Quod ab iis ad noſtros etiam tranſiit.

VIII. Huic opinioni, vires licet eundo ſumſerit, maximoque inveteraverit opere, obviam tamen ire non reformido: certus omnes, qui nullis auctoritatum, quas ratio deficit, vinculis illigari ſe patiuntur, eam animis ſuis lubentibus eſſe remiſſuros ſententiam, quam res ipſa labefactabit, meaque a ſtirpe convellet oratio. Ubi quidem haud magno opus erit molimine, neque ad opinionem hanc diſcutiendam arietem admovere neceſſe habebo; ſed vel digitulo injecto concidet atque in ruinas ibit. Quod enim hujus tam receptiſſimæ, tam ad omnes pervagatæ notionis fundamentum eſt? Chaldæi fides; qua nihil magis infidum ac fluxum eſſe, planum fecimus; cujusque præ ceteris mobilitatem & inconſtantiam in medio deſtituimus. Ille nempe *Job.* 9. dederat אתגבר paſſive, *confirmabor.* At in *Amoſi* laudato loco, activam vim ſequens, מגבר *confirmans* reddiderat; ex quo ſuſpenſus Rabbinorum noſtrorumque animus, nec quo ſe acclinet ſatis certus, tranſitivæne, quam *Hiphil* poſtulat, poteſtati, an vero intranſitivæ, quam plurima loca velle videntur.

Cujus opinionis levitas detegitur.

IX. Eadem qua opinionis originem adſpiciendam do, ei omne firmamentum me ſubduxiſſe reor, neque quemquam adeo auctoritatum laqueis irretitum fore exiſtimo, ut quem ſuam ipſum fidem prodidiſſe conſtat, ejus fidem ſequi in animum inducat. Nego etiam, ſi vel æquabilius conſtantiusque ſe Chaldæus haberet, & ubique ὀρθὰν τὰν ναῦν teneret, veram genitivamque verborum indolem ab eo unquam repeti vel poſſe vel debere, quippe qui totus in eo eſt, ut ſenſum laxiſſime & ſolutiſſime adumbret, non ut vocum Hebraicarum expreſſa quaſi imagine referat vim & ingenium.

Chaldæi fides infida.

X. Ad hoc quum animum adjicere Judæorum magiſtri neglexerint, ſummæ iis fraudi, vel veritati potius Hebrææ, fuit; quam multis ex perverſo hoc principio, incertis plane & rejiculis notionibus onerarunt: quod eo incommodius accidit, quanto ſe minus commode homines avocari patiuntur

Quæ fraudi fuit.

ab iis rebus, quas res a teneris adamarunt, atque pro veris animo imbiberunt.

Duos viros doctos ante me ab communi ſententia abiiſſe.

XI. Verum enim vero quantumvis moleſtus ſit labor ille, ſæpe etiam ab iniquiorum voculis non intactus, eum tamen capere non gravabor: atque hic quidem eo felicius decurrere licebit, quod viam quodammodo minus infeſtam reddiderint, duo præclare de re Hebraica promerita nomina, *Forſterum* dico & *Coccejum*: qui circumſcripta Rabbinorum de hoc verbo noſtro ſententia, aliam plane, utervis modo ſibi peculiari, ei ſubjecere ſignificationem.

Quæ Forſteri fuerit ſententia.

XII. Quod ad *Forſterum* attinet, *refrigeſcendi* ille amplexatur notionem; à Græcis, quod facile apparet, tractam interpretibus, quos *ἀναψύχειν* alicubi dediſſe ſupra viſum eſt, quos æmulatus etiam fuerat Vulg. *refrigerari* vertens. Ita ille in Lex. „ בלג *refrigeratus eſt tanquam e rivulo, nam non mul-* „ *tum differt a verbo* פלג, *& legitur tantum in 3 conjug. ac neutraliter.* Deinde loca quinque percenſens, quatuor prioribus paſſivam attribuit vim, Job. 9. *Deſeram faciem meam & refrigerabor.* & ſic in reliquis. Noviſſimum autem Amoſi locum active accipit. *Qui refrigerat vaſtatorem contra regnum.*

Ad quam non acceditur.

XIII. Huic ſententiæ ejiciendæ multum operæ inſumere animus non eſt: omnia tenui pendent filo. Illud in primis argutulum eſt, & vehementer dilutum quod de פלג *rivulo* tricatur. Aliquid diceret ſi verbum פלג hanc indueret naturam. Ita tamen decrevi mecum ipſe, *Forſtero* ſi veterum auctoritatibus contendere velis, rationem præ ceteris adeſſe, atque ſecundum eum, ſi in cauſa judex ſederem, pronuntiare non dubitarem.

Coccejî de hoc verbo ſenſus.

XIV. Ad *Coccejum* me converto, cui plane aliud hic ſedet, quod ex ingenio promſit. Ita ille in Lex. tradit. „ בלג in Hiphil הבליג videtur ha- „ bere ſignificationem *εὐκολίας καὶ εὐμαρείας*, ut ſit oppoſitum τῦ קשה χαλε- „ πῦ. Tranſitivum eſt Amos 5:9. *facilitare*, *facile efficere*. *εὐμαρίζειν*. *Qui* „ *facilitat vaſtitatem in robuſtum. Quo facili negotio robuſtum profligat.* Intranſitive tamen reliqua quatuor loca capere cogitur, quæ dicere exiſtimat. *Levius habere*. *εὐκόλως ἄγειν.* Incommodum non parum conjecturæ iſti detrahens momenti; ne nunc dicam aliam plane vim uni loco, quam ceteris, alligari.

Quî penditur.

XV. In hanc τῦ πάνυ ſententiam cur pedibus ire non ſuſtineam, præter illud quod jam attigi, & hoc maxime facit, quod verear ut errori vehementer obnoxia ſit tota hæc divinandi ratio, eoque interpretem ſæpe perducat, quo minime vellet: ubi enim pedem *Coccejus* ponit? anne in veteri aliqua verſione? nullam earum tale quid præferre videmus. In finitima forte dialecto, *Chaldæa* aliave roboris & firmamenti aliquid habet; at nulla earum tale quicquam ſub radicalibus hiſce continet. Quid ergo? acies viri Docti hanc nobis confecit notionem: quæ ſi cuiquam veri inveniendi blanditur via, non intercedo; mihi ea ad præcipitium ferre videtur.

Ingenio non eſſe frena laxanda.

XVI. Quorſum ſane non efferemur, hic ſi ingenio frena laxare velimus? eadem ego ratione tendam הבליג eſſe *ſpirare*: eadem alius alias, velocitas modo mentis adſit, & fontes teneat rerum, formabit notiones, eaſque haud

ita

Digitized by Google

ita difficiliter ſacro textui aptabit. Vide enim obſecro te, quam in proclivi ſit *Amoſi* verbis hanc ſubjicere vim. *qui ſpirat vaſtationem ſuper potentem.* quod vel ex Latinorum uſu valeret, *qui minitatur:* vel quod magis ſe probat, *qui ſpirando immittit & leni oris flatu injicit.* quam Deo dignam eſſe ſententiam nemo homo negaverit. Cape cetera loca, & quod in ſubitaria mea notione requiras, vix habebis, ſumma enim ſponte *reſpirandi* amplectuntur ſignificationem, quam cur præ *Cocceji* illa jure abjicias, non dabis. Quod ſi tamen, fatebor enim, filiolam hanc meam exoſculari vellem, aliisque eam conciliare, ne ſubimpudenter facerem vererer, meque ei culpæ affinem ipſe judicarem, a qua ut quam remotiſſimus ſim ſemper me paravi.

XVII. Sed eſt mihi quo omnes haſce hariolationes diſpellem, veramque verbi vim in tuto locem. Diu ergo jactata tandem conſiſtat veritas, atque ex fluctibus hiſce læta portum adſpiciat: exiſtat caputque exſerat ſpiſſiſſimis merſa tenebris, antiquiſſima verbi hujus ſignificatio; quæ tanto, auroræ inſtar, ſurget cum ſplendore, ut vel invitis nativæ ſuæ faciei admirationem exprimere poſſe confidat. Ab oriente nobis illa atque ex Arabum effulgebit monumentis, qui nunquam radicis hujus memoriam obſcurari aut evaneſcere paſſi ſunt: qui quod matri Hebrææ acceptum olim retulere, id ſe ei longinqua poſt tempora rependere poſſe ſerio triumphant. Ad fidos magis duces acceditur.

XVIII. Hic vero *Gjeubarium* in primis & *Phiruzabadium* proferemus, duo illa linguæ columina, qui fugientes gentis litteras ſtiterunt, quæque vetuſtate fere extabuerant, immortali opera, æternæ memoriæ commendarunt binis Lexicis, quæ Arabibus vicem omnium facile explent: quorum alteri قاموس *Camuſo* id eſt *Oceano* nomen eſt, alterum صحاح اللغة ſive *linguæ abſolutiſſimum opus* audit. Hos ego, antequam magnum opus, quod nunc capeſſo, ingrederer, inſpiciendos mihi exiſtimavi, ne in graviſſima cauſa turpiter me darem, eique fraudi latus præberem, cui viros in hiſce litteris pervolutatos patuiſſe deprehenderam. Hanc mihi curam & hoc etiam intendit & adauxit, quod *Giggejum*, qui *Phiruzabadium* Latio donavit, teſtem haud locupletiſſimum cernerem, ob magnos multosque quos in ſe admiſit errores: quodque *Golium* noſtrum, qui *Gjeubarium* toga induit, non parum ſæpe etiam offendiſſe adverterem: cujus religionis, & laboris inde mihi ſubnati, ut me nunquam pœnitebit, ita non leve hoc quum ornamentum, tum robur maxime & adjumentum operi noſtro adjuncturum eſſe perſuaſum habeo. Et Arabes conſuluntur.

XIX. Videamus ergo quid Arabes in deplorata cauſa remedii portent: illud præſentiſſimum eſſe nemo dubitabit, qui in hæc *Gjeubarii* oculos conjiciet. Ex quibus vera notio protrahitur.
البلوج الاشراق يقال بلج الصبح اذا اضاء وتبلج فلان اذا ضحك وهش
وفي الحديث في صفة النبي صلي الله عليه وسلم ابلج الوجه اي مشرقه
Hoc eſt. *Verbum* בלג *notat fulgere inſtar orientis ſolis; & dicitur de aurora quum illuceſcit: ponitur etiam in 5. conj. in eo qui ridet aut lætus eſt. Et in traditione de propheta b. m. eſt, eum fuiſſe,* אבלג *frontem, id eſt nitidum, ſe-*

C 2 re-

renum Habeas & ea quæ in *Camuſo* produntur. بلج اضاء واشرق وكل منضح اباج والابلبلاج الايضاح والوضوح واباجه اوضحه وفرجه ورجل باج طلق الوجه *Dicitur aurora* בלג *quum ſplendet & ſurgit: & omne quod nitet* אבלג *audit; undec. autem conj. de omni re adbibetur clara, manifeſta, & candore quaſi ſplendente: quarta vero conj.* אבלג *eſt, clarum reddidit; nec non mærore levavit: & vir* בלג *dicitur, quum exporrecta eſt fronte.* Hoſce verbi hujus uſus neſcio an in rem fuerit, ex antiquiſſimis Arabum Scriptoribus uno alterove exemplo firmaſſe: Philarabes certe hoc gratiæ mihi appoſituros facile animum induco ut credam. Cape ergo hæc ex *Diwan Hudeil*, ſive *ſyntagmate poëmatum*, quæ Muſa Arabica principibus *Hudeilitis* dictavit; quorum plerique *Muhammede* longe vetuſtiores ſunt. In hoc ita canit صخر الغي *Tzachr' ol'gai*

فباتا يسيران الليل حتي
لضاء الصبح متبلجا وقاما ۞

Et omnem noctem ire perrexerunt, usque dum ſurgens affulſerit aurora: tunc reſtitere. Alter ex eadem gente cui *Muleicho* nomen مليح ita amicæ ſuæ faciem in cœlum effert.

كالشمس برزها طلق وتبلبج ۞

Solis inſtar quem læta præſert dies, vel auroræ ortus.

Unde Jobo ſuum reſtituitur decus.

XX. Hoc lumen ſacro textui inferre quid ego verear, quum nihil illuſtrius aut magnificentius ne cogitatione quidem fingi poſſit, quam quod hæc nobis ſuppeditat ſignificatio. Quid ſplendidius quam *Jobo* hæc dare verba? *Faciem meam* triſtem & nubilam *omittam*, ואבליגה *eamque ſerenam dabo & nitidam:* quid aptius etiam & verbis ipſis magis convęniens? פנים abſolute *Hebræis*, *triſtem* ſonat *faciem*, quod ex 1 Sam. 1: 18. diſces: hanc הבליג ex uſu Arabum dicit, ille, qui *pulſis triſtitiæ nebulis, ſolis inſtar lætam nitentemque eam effert.* Atque hic præſertim adverti poſtulo בלג apud Arabas nimium ſæpe in *fronte* poni *nitida & ſerena* uti ſupra ex *Camuſo* habebamus رجل باج *vir læta & porrecta fronte.* Et ſic אבלג ابلج Comparativus formæ אכזב *nitidus, ſerenus vultu:* cujus plurale בלג باج in eo *Abu Tzachr Hudeilitæ*, ex *Diwan* laudato.

يهاليل بسامون بلج لدي القري
ملاويث حلالون بالافيح الرحب ۞

Ridentes, renidentes, frontem nitentes in convivio.
Inclyti, confidentes ampliſſima & laxiſſima in domo.

Sic

Sic بلج בליג etiam, quod induſtriam utriusque lexicographi fugiſſe videtur, eodem in uſu celebratur. Ita *Al Dachil Hudeilita.*

مضحكها بالبج ۞

Ore renidenti eſt. nam مضحك quod in Lexicis fruſtra quæras, eſt *locus dentium* proprie, dein *os* notante ſcholiaſte, a *ridendi* officio.

XXI. Hac autem *metaphora*, quam *Jobo* nova hæc attribuit verſio, ut nihil elegantius cogitari poteſt, ita nihil eſt quod per omnes linguas latius dimanarit: quod neminem paulo humaniorem fallere poteſt. Notiſſimum eſt hoc *Fabii*. *Triſtitia quoddam nubilum ducere oculos vultumque dicitur, & contra hilaritate eniteſcere.* Et quid magis in communi etiam *Latinorum* ſermone protritum, quam *nubila frons* & *ſerena? imbre* etiam *lacrymarum* apud poëtas quid celebratius? Cat. — *Quod porro illuſtratur.*

Triſtique imbre maduere genæ

Arbit.

——— *Oculis nec defuit imber.*

Et mox.

Gurgite ſic pleno facies manavit

aliaque infinita, apud *Græcos* non tantum *& Latinos*, ſed *Arabas* potiſſimum, & *Perſas*, quæ ſi huc extruerem, ingloriam mihi & inanem operam ponere viderer: unicum tantum *Ovidii*, quo minus calamo excidat non teneo; quod eſt Met. 5. de *Cerere* ex longinquo ſqualore tandem emergente

Jam modo quæ poterat Diti quoque mæſta videri
Læta Deæ frons eſt: Ut ſol qui tectus aquoſis
Nubibus ante fuit; victis ubi nubibus exit.

quæ *metaphoræ* dignitatem & ſplendorem multis modis illuſtrare mihi videntur.

XXII. Hac igitur figura cum nihil illuſtrius ſit, res ſuas ſibi habere jubemus *Græcos & Vulgatum.* plurimam etiam ſalutem mittimus *Chaldæo* ejusque אתנגבר: nihil magis utimur *Forſteri* placito: *Coccejo* libenter ſubſcriberemus, niſi ipſa jam ratio intercederet. At præterierat fere de *Hottingero* dicere, neque tamen lubenti id animo facio: is enim in *Smegm. Orient.* ad rad. בלג quædam minus bene digeſta ex Arabica rad. بلغ tradidit; quæ cur exagitare velim cauſa non eſt, cum liberalis ingenii non ſit ex aliorum contumelia ſplendere velle; doleo potius tanto viro tam multa in opere illo excidiſſe, quæ non hoc egiſſe eum ſatis arguant; quum tanto ille majorem curam & circumſpectionem afferre debuiſſet, quanto illuſtrius ejus ad omnes nomen acceſſerat: nam profecto quam quisque maximo in pretio eſt, tam — *Hottingeri de verbo noſtro ſententia.*

 maxi-

maximo periculo peccat. Quamquam ergo de *Hottingero* nihil a me, niſi ut de viro egregie docto, dictum velim; non poſſum tamen non pluſculum in eo diligentiæ & accurationis requirere: nam quale tandem illud eſt quod בלג noſtrum ut *Arabum* بلغ cum *gain* velit eſſe, *pervenire ad ſcopum?* unde Amoſ. 5: 9. vertendum veniat. *Qui intendit, deſtinat vaſtationem forti:* cum mox relicto eo, aliud ſequatur, & *in Jobo* per *ſatis habere*, *contentum eſſe* verbum exponat.

Cetero-rum loco-rum expli-catio bre-vis.

XXIII. Nos quod ſemel amplexi ſumus, ita tenebimus, ut nusquam divertere neceſſe habeamus: quam facilis enim & prona ceterorum locorum ſe offert explicatio ex notione quam fiximus? Job. 10: 20. *Recedat a me*, ואבליגה מעט/ quod videtur elliptice eſſe dictum pro אבליגה פנים prout in hiſce fieri amat: *& pauliſper faciem ex ſqualore relevabo:* niſi mavis הבליג abſolute eſſe *eniteſcere*, ſenſu intranſitivo, quem omnes interpretes hic agnoſcebant, quod tamen ſi me audis, poſt habere non dubitabis. Eadem ratio eſt in Pſ. 39. *Abſcede a me* ואבליגה ſupple פנים *& ſerenare liceat frontem* luctu & mœrore perditam: etenim *frontem* hic ſæpe exulare ob frequentiſſimum longe uſum, ex *Arabibus* etiam ſupra viſum eſt. Jer. 8: 18. מבליגיתי עלי יגון non aliud poſtulat; niſi quod anceps ſit nec ſatis conſtet *ſubſtantivumne* ſit an *adjectivum:* ego ad poſterius illud accedo & ſic ſenſum effero. *O Tu quæ me* lacrymis & ſqualore miſere perditum, *vultu jubes eſſe ſereno*, luctumque ponere. Tandem *Amoſi* verba, ſi recepta interpretatione decedere religio eſt, ſenſu manente, at forma mutata hoc convertes modo: *qui frontem hilarat, quum cladem potenti infligit;* triumphosque eo oppreſſo agit.

Nova Amoſi Interpretatio.

XXIV. Verum alia mihi de illuſtri hoc loco ſtat ſententia; communem enim illam verſionem, ad cujus exemplum me modo componebam, ſubduram eſſe & contortulam certum eſt: minus etiam ſe approbat, quod *Grotio*, *Druſio*, *Vatablo* aliisque placet; *qui confirmat vaſtatorem contra fortem.* neque enim vel הבליג id notat, vel שד quod *vaſtationem* ſonat, ſumma absque neceſſitate pro *vaſtatore* capere fas eſt: magis ſe commendat quod *Coccejo* in mentem venit; *qui facile infert vaſtationem in robuſtum.* Magni interpretis veſtigia ſervanti hæc dudum prodiit interpretatio. *Qui effulgere facit, & de ſubito, auroræ inſtar, oriri vaſtationem ſuper potentem:* cujus ſententiæ quanta vis ſit & majeſtas quid me dicere attinet? gaudent magnifica hac figura prophetæ, inque ea eorum oratio exultat. Eſai. 47: 11. *Veniet ſuper te malum, cujus auroram neſcis* &c. Joel. 2: 2. *Dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & obſcuritatis: auroræ inſtar ſupra montes panditur.* Ὅσσον τ' ἐπικίδναται Ἠὼς uti poëtarum canit princeps & proauctor. ubi nodum in ſcirpo quærunt, qui aliud quam nec opinatum adventum cum incredibili celeritate conjunctum hic volunt. Non tamen huc traxerim quod multi faciunt Hoſ. 10: 15. בשחר נדמה נדמה cujus diverſam paulo eſſe rationem exiſtimo, de quo alias: quemadmodum nec Eſech. 7: 7. huc pertinere putem. באה הצפירה אליך *venit aurora ad te.* Saltem צפירה *auroram* eſſe, non ſatis exploratum eſt. Sed alia quædam

Digitized by Google

dam ex hoc uſu ſuppeditant loca, in quibus fere interpretes in alia omnia abeunt. Jer. 1: 14. מצפון תפתח הרעה *ab Aquilone aperiet ſe*, auroræ inſtar, *malum*. Et ſic verto Eſech. 16: 57. בטרם תגלה רעתך *Ante quam malum tuum revelaretur*. Id eſt *prodiret* & *emicaret:* nam Arabice انجلي perquam uſitate de *ſole* dicitur *remoto quaſi noctis*, *vel nubium velo caput exſertante:* quod ſi *Hebræis* quis minus uſitatum eſſe cauſſari vellet, næ is quibus in anguſtiis rerum Hebraicarum conſtituti ſimus non attendit.

XXV. Sunt & alia præterea loca, ubi eadem hæc figura inſignitam orationi vim & dignitatem addit: ſed quando jam nimii hoc in capite fuimus, non omnia ſemel effudiſſe melius erit, nosque illi reſervaſſe operæ, quam verbum גלה efflagitat, qui nubeculam, qua obvolutum quodammodo eſt disjiciamus. Atque nunc in portum pervehi liceret, finemque hujus curſus, ſic ſatis moleſti & longinqui, facere: niſi *Aquila* latus foderet ſubmoneretque, ut ne ſe jocum riſumque eſſe patiar, eo quod *ridendi* poteſtatem הבליג ſubjunxerit. Hoc facile ab eo propulſabit quod diſputatum modo eſt, & e tenebris protractum: neminique mirum accidere poterit, *nitendi* vocabulum, ad *riſum* tralatum eſſe, nihil enim proclivius, nihil in mundo magis; quod vel unum Latinorum *renidere* abunde docuerit. quin ipſum تبلج per ضحك *riſit* & هشّ *exporrecta fuit fronte* declaratum vidimus. Sæpe autem numero uſu veniſſe reperio, ut veteres, ſignificationes verborum exhibeant ex uſu Arabum promtas; quæ unde ad eos pervenerint, ut anquiſitu dignum eſt, ita difficiles habet explicatus, & in tanta vetuſtæ memoriæ obſcuritate haud temere quisquam declaraverit.

> Cur *Aquila* verterit *ridere* explanatur.

CAPUT SECUNDUM.

Quo ex fonte potiſſimum linguæ Hebrææ cognitio manarit. Illius defectus. Radix קרח *ſub examen vocatur. Nova ei ſignificatio attribuitur. Splendidæ Hebræorum figuræ nitor redditur. Antiquiſſimus Orientis ritus in igni eliciendo. Locus unus & item alter in* Eſaja *inſigni lumine perfunditur. verbum* בעה *enucleatur, & quatuor quinque loci aliam faciem induunt.*

I.

Ex viis, in quas ſe dedere, qui linguæ Hebrææ ſalutarem opem detulerunt, tenebrasque ejus pellere ingreſſi ſunt; haud ulla æque trita eſt ac concelebrata, quam quæ in acri contentaque ſacri textus conſideratione ver-

> Princeps methodus qua Hebræa lin-

Digitized by Google

guæ notitiam ſecuti ſunt.

verſatur: qua intra illius ſe continentes fines, domi verborum hauriunt & eruunt ſignificationes; neque ad externa delabuntur ſubſidia, ad indolem eorum veſtigandum. Hic arcem rebus ſuis collocarunt, qui ab ultima inde memoria, ad literas haſce colendas expoliendasque animum appulerunt: inque hac ratione tantam ineſſe vim nonnulli contendere ſuſtinuerunt, ut vel ea ſola in intimam linguæ naturam intrari poſſit, obliterataque radicum poteſtas reduci, atque in ſedes ſuas reponi. Curſum moderante ſcilicet ipſa oratione, lumenque illud ſpargente ex univerſa complexione, ſiloque & momentis rerum omnium, quod, defæcatum modo adhibeatur judicium, aberrare veritatis indagatorem, ac per devia auferri non patiatur.

Vix aliam fuiſſe relictam, cui ſe traderent.

II. Vix aliam tenuiſſe viam Veteres videntur interpretes, quorum verſiones ad hæc tempora defluxerunt; eandem etiam Rabbini impenſius & improbo labore triverunt: maximeque noſtrorum hoc in campo emicuit virtus, qui ſe totos in hanc meditationem effuderunt. Et ſane in tantis parietinis rerum Hebraicarum, tam gravique labe, qua antiquiſſima Orientis monumenta oppreſſa ſunt atque extincta, vix aliud ſe benignius ac majori opportunitate porrigebat, quo decurrerent qui ex ruderibus hiſce linguam intermortuam recreare, dilapſasque ejus partes colligere in animo habebant.

Eam tamen præcipitem eſſe & perquam implicitam.

III. Horum omnium labor & induſtria, ut in grata poſterorum memoria, tanquam æterna in luce collocari meretur, ita & ipſe meam illis obligationem publico teſtimonio adſtringere non defugiam; nunquamque committam, ut inſignes, quas ex palæſtra hac deportarunt, palmæ, mea voce aut manu violentur: quin virides ſecum habeant opto, ſerventque ſepulcro. Illud tamen confirmare non reverebor, non minus ancipitem ac lubricam fuiſſe rationem hanc, quam ſpecioſam & ſummis dignam ingeniis: multisque, ut ſic dixerim, frondibus ac virgultis interſeptam, atque inexplicabilibus ſalebris præcluſam; ubi ſe induere neceſſe fuit vel ſagaciſſimos quosque, unde ſe evolvere nequiverint, & quarum ludibrio in quam alieniſſima perſæpe fuerint delati. Quid enim? tamne dextra natura in lucem mortales extulit, ut ubi nox tenet, tenebræque diem extinxerunt; ab errore tuti eſſe queant, atque haud ſecus quam medio ſole, explorato pedem ferre? Tamne lætis Orientis Muſis editi ſunt, qui cœlum hauriunt Europæum, ut quod in lingua domeſtica ac patria, nemo homo præſtiterit; id in lingua Orientali, toto cœlo a ſenſibus noſtris ſejuncti, tanquam virgula quadam divina ducti, efficere poſſint? Hoc qui ſibi perſuaderi patitur, næ hoſpes ille in ratione linguarum verſatur, earumque profunda ne perfunctorie quidem introſpexit: quippe in quibus omnibus innumera ſeſe objiciunt, craſſis occultata & circumfuſa tenebris; quas nulla acies humani ingenii perrumpere poſſit, niſi lumen veterum monumenta præpandant.

Quo de alias commodius agetur.

IV. Sed huic me curſui & diſputationi nunc non permittam; neque ea hic præſumam, quæ procedente opere exhaurienda venient: nullius tantam eſſe poſſe judicii vim & tam ſingulare acumen, ut ſine antiquitatis inſtrumento, verborum naturas, quas in alto retruſit vetuſtas, & quaſi in puteo demerſit, valeat extrahere & perſecare; inſpicereque quibus radicibus hæreant, quibus radi-

quibus profecta initiis creverint, atque ad hunc vel hunc uſum exteriorem, qui expoſitus omnibus eſt & in promptu, effloruerint. quod talia ea ſint, quæ non natura inſcribit, ſed uſus imprimere ſolet. Hæc, inquam, jam non præcipiam; neque extra illos limites, quibus me ipſe circumſcripſi, efferar: illud tantum quod cum prima laboris noſtri parte conjunctum eſt, ex iis quæ dixi deducam, atque in medium dabo.

V. Hoc illud eſt, quod methodus illa, quam tantopere ab interpretibus celebratam dixi; quæque ferme una ſola patuit, cui ſe cum Veteres tum Recentiores committerent, non tantum ad ultimam verborum ſtirpem, primævamque originem eos manu ducere non potuerit: verum etiam ſæpiuſcule, ſpecie quadam blanda, induxiſſe in fraudem videatur; umbramque pro ſolida effigie offudiſſe, in ſignificatione aliqua finienda. Hic vero gravius alias offenſum deprehendo; alias levius, taleque quid admiſſum, quod nullas judicii vis providere ac præcavere potuerit: immo ubi ipſa ratio auctor erat, huc mentem ſententiamque inclinare ac convertere. quod jam nunc inſigni aliquo exemplo demonſtratum ibo. *Ad illuſtre tranſfertur exemplum.*

VI. Eſt inter reliquias linguæ deperditæ radix קדח/ ex minus frequentioribus, quæque in quinque tantum locis ſedem occupat, in ſola conjugatione prima. Hi ſunt. Deut. 32: 22. אש קדחה באפי ותוקד Jer. 14: 44. אש קדחה באפי עליכם תוקד & Jer. 17: 4. אש קדחתם באפי עד עולם תוקד Eſaj. 50: 11. כלכם קדחי אש & tandem Eſaj. 64: 1. כקדח אש המסים Hoſce ſi quis inter ſe commiſſos excutiat locos, hujusque verbi poteſtatem ex orationis vi exprimere aggrediatur; ei ſe protinus *incendendi* ſubjiciet notio, ſummaque ſponte ingeret: eaque eum ſignificatio tam acriter feriet & occupabit, ut alterius circumſpiciendæ cogitationem prorſum abjiciat, inque hac acquieſcendum eſſe decernat Conſtantiſſime enim אש *igni* adhæreſcere קדח/ eique extemplo *ardorem* & *conflagrationem* ſubjungi, deprehendet. *Radicis* קדח *poteſtas anquiritur.*

VII. Mirum proinde non eſt, opinionem hanc qua antiquos, qua noſtri ævi interpretes inceſſiſſe, atque in Lexicis & verſionibus radices egiſſe. LXX. quidem interim καίειν reddidiſſe video, interim ἐκκαίεσθαι, niſi quod uno in loco turbellas dant, & pro כקדח Eſaj. 64: 1. ὡς κηρὸς ſubſtituunt. *Vulgat.* etiam nunc *ſuccendere*, nunc *ſuccendi* extulit. & in noviſſimo illo Eſajæ loco *Symmachus* habet, ὡς ἔκκαυσις; ex quo conjicere pronum eſt, eum in ceteris etiam locis, quæ vetuſtas delevit, ſui ſimilem fuiſſe, & ad eandem ſe rationem compoſuiſſe. Rabbini ad unum omnes idem tenent; & tum per בער/ tum per שרף declarant. Noſtrique etiam ſummo conſenſu in hanc ſignificationem conſpirant: illi quoque qui eorum auctoritatem uncis alias naribus ſuſpendunt, & veſtigia eorum premere recuſant. *Quam ei vim addiderint.*

VIII. Quod ſi tamen veram rationem exequi quis velit, neque tot tantisque auctoritatibus frangi ſe patiatur; ſed remoto paullulum illuſtrium nominum ſplendore, qui oculos præſtinguebat, loca illa contentiore acie inſpicere ſuſtineat: in proclivi erit judicare, aptiſſimam quidem *incendendi* eſſe illam notionem; verum tamen non omnino neceſſariam, talemque cujus munus nulla *Cum ratione tamen aliam ei ſubjici poſſe.*

Digitized by Google

nulla alia ſignificatio inire poſſet. Ecce enim tibi *exiliendi*, vel *emicandi* verbum quam fortiſſimum, cujus per ego exiguam parvi temporis uſuram mihi concedi velim; ut ſi ſe approbare poſſit, ſtatumque tueri, perpetuo retineatur: ſin aliter, de gradu dejiciatur, hoc ipſoque in loco depoſitum relinquatur.

Quod in Conſilium mittitur.

IX. Age vero pertentemus loca. Deut. 31: 22. אש קדחה באפי Reddunt vulgo. *Ignis accenſus eſt in ira mea.* Tolle illud *accenſus eſt* & inſere *emicuit*, *proſiluit*, *cum impetu & vehementia*; & vide num ſententia hæc palma excedere neceſſe habeat. quin imo, aut fallor, aut qui eloquentiæ guſtatum perceperunt, ſentient, neſcio quid ſplendidioris eniteſcere ex ſupremo hoc, quod in primo illo minus emicabat. Conſimilis eſt ratio Jer. 14: 15. Vibratius enim fertur *ignis emicuit*, *& fulminis inſtar erupit ſe*, quam ſi dicas *accenſus eſt*. Tandem ubi ἐπεξηγητικῶς venit, vulgoque obtinet *accendere*, tu velim inculces puncto tempore, *excudere*, *tundendo elicere* & *provocare ignem*, & periculum non erit, ut a potentiori ad infirmius decreſcat oratio; quin majores ſumere vires, grandiuſque aliquid ſpirare, apparebit.

Propter viam elegans Hebræorum locutio illuſtratur.

X. Hoc vero clarius adhuc perlucebit, ſi quando nubeculam diſpulero, qua Hebraiſmi nitorem obſcurarunt interpretes, quum אף hiſce in locis *iram* dederunt. Inveteravit hoc neſcio quo pacto, & plurimam elegantiam extinxit. Nonne ſuavitas periret & lux figuræ, ſi quis illud *Ciceronis*, *ſtomachus occalluit*, in patrium ſermonem transfundens ederet, *ira* vel *indignatio mea callum duxit?* aut ſi *Perſii* hoc, *rugoſa ſanna naſo cadat*, ita deformaret, *faſtidio tuo excidant rugæ*; quum dandum eſſet; *aufer mihi iſtum naſum tuum rugas trahentem*, *& faſtidii ac inſolentiæ plenum?* Atqui hoc in ſe admittunt, quicunque אף *iram* vertunt. Eximamus itaque opinionem, quæ a Rabbinis per Lexica noſtra dimanavit. Ita tradunt. אנף *iraſci.* אף *ira.* dein *facies.* tandem *naſus*. Haud vidi magis. Tu hæc præpoſtera ita refinge. אף *naſus*, quæ princeps eſt & genuina notio: tranſlate *ira*. plane uti *ſtomachus* Latinis *indignationem* ſonat perſæpe; & ipſum hoc *naſus*, *iram* vel *faſtidium*, quia ſedes iræ *naſus*: unde illa, *naſo adunco ſuſpendere*, quod *Horatius* dixit: & *bilem in naſum concire*, quod *Plautinum* eſt; & *fumans naſus urſi* apud *Martialem*: & *Perſii* hocce, *ira cadat naſo*. & Theocr. Idyll. 1.

Βαρεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται.

Et *Lucilii*

Eduxique animam in primoribus naribus.

ſed ne omnia cum pulviſculo, quod ajunt, corradamus. אנף autem non eſt *iraſci* proprie, ſed *in naſo affici*, *commoveri*, *lædi*. deinde improprie *in iram conjici*, *cujus ſigna per naſum prorumpant. inde toties* חרה אף. *Exarſit naſus ejus.* עשן אף *fumavit naſus ejus.* קצר אפים *Brevis nares.* Id eſt, *qui facile ſe inflat*, *ſpiritumque in primoribus*, quod ajebat ſatyricus, *naribus educit.* ארך אפים *Longus nares. cujus non ita leviter in nares provolat ardor*, *ſed qui* *frena*

frena iræ ponere poteſt. מיץ אפים Prov. 30: 34. *preſſio narium* eſt *ſanna rugoſa, nariumve* quod ait Hor. *corrugatio.* Vulgare illud *preſſio iræ* vel *irarum* non concoquo. Qui hanc elegantiam non cum lacte matris ſuxerant, eam miris modis infuſcarunt אפים *iras* efferendo. Hi dicant mihi quid *duplices iræ* ſint, nam eſt duale: ſedit hic ſcrupulus veteribus etiam magiſtris, & belle eum ſe evellere putant, quum ajunt, non erga pios tantum ſed & impios Deum iram ſuam reprimere. Ita Thalmudici *in Sanhedrin.* Sed auferant cavillam; non novi logos. אפים dixere Hebræi, quia *binas nares* nobis natura affinxit, per quas irarum incendia ſe produnt, foraſque prorumpunt, præſertim in leonibus & generoſiſſimis quibusque animalium.

Unde lux infertur locis male habitis.

XI. Internitere jam, credo, pulcra figuræ facies incipit, & non leve momentum opinioni noſtræ accedere: nam אש קדחה באפי effeci vertendum non eſſe. *Ignis accenſus eſt in ira mea;* ſed *in naſum meum ignis* —— Supple lacunam hanc, & vide num aptius aut ſonantius inveniri poſſit, quam quod poſui, *emicabit. erumpet. proſiliet.* Item illud אש קדחתם באפי Jer. 17: 4. non eſſe, *ignem accendiſtis in ira mea;* verum *in naſum meum ignem* —— iterum ſarciatur litura, & etiam atque etiam fateare neceſſe erit, *concitaſtis, irritaſtis, ad evolandum laceſſiviſtis*, potentius eſſe, & accommodatius, quam illud quod volgo circumfertur.

Quid Chaldæus aliique Veteres in verbo קדח viderint.

XII. Hoc verbi ingenium inſpexiſſe videntur Chaldæi Paraphraſtæ. Targum quippe Hieroſolymitanum Deut. 32: 22. exhibet אשא נפקת בשעת קדום תקיף רוגזי *ignis exiit in tempore iræ meæ.* Et *Onkelos* ac *Jonathan* כאשא נפק מן קדמי ברגז *ventus vehemens ut ignis exiit ex me in ira.* Eadem ſententia retinetur Jer. 15: 14. & 17: 4. At Eſaj. 64: 1. Utitur Chaldæus verbo שלח *emiſit.* כד שלחתא רוגזך כאשתא *iram tuam ut ignem emiſiſti.* Etiam *Syri* aliquantulum juvat auctoritas; conſtanter enim radicem קדח, quam in ſua quoque lingua deprehendebat, tenuit: ea autem *Syriace* nihil aliud ſonat, quam *elicere ignem*, quamvis hoc in vulgaribus Lexicis minus accurate tradatur. Denique *Arabem* prætermittere nolui, qui Jer. 17: 4. reddit لان نارا تقدحت بغضبي *Quoniam ignis emicuit in ira mea.* Scilicet hic fraudi ipſi non fuit τῶν LXX. verſio, quod ea heic loci deficiat. Alias eos ſequi amat, & καλὰ πολλὰ exprimere.

Sine antiquorum auctoritate certam verbi vim ſtabiliri non poſſe.

XIII. Videor jam mihi novam hanc notionem iis copiis ornaſſe contra veterem illam, ut in aciem prodire & gradum contra tollere poſſit. Nondum tamen quo me acclinare debeam, exploratum habeo: paria me utrimque trahunt retrahuntque momenta: nato & pendulus fluito. Quis nunc mihi ex ſola locorum commiſſione eam expromet lucem, quæ errorem a me defendat? aut quis non videt veterum Hebræorum hic deſiderari monumenta, quæ litem componant. Sane hic ſpecimen ſpecitur, hic certamen cernitur: omnesque fateantur neceſſe eſt, nullis opibus veram vim ex ipſo textu extundi poſſe. Quod ſi Veterum, qui florente lingua vixerunt, liber aliquis ſubito ex tenebris emergeret, quo in libro de genuina ſignificandi indole ageretur radicum, atque is affirmaret, קדח cum *igne* junctum, dicere *lacere ignem*, tun-

tundendo vel terebrando elicere ; nonne omnes ociſſime notionem hanc immigrare in ſuas ſedes, eliminata altera, juberemus?

Eam auctoritatem ope Arabum reviviſcere poſſe.

XIV. Talem auctoritatem non ita penitus præciſam deletamque duco, ut nullis artibus excitari poſſit: quin magis vivere eam & vigere exiſtimo in ea gente, in cujus ditionem univerſa Hebræorum lingua transfuſa eſt: vel potius, quæ ab eadem atque Abrahami minores ſtirpe propagata, iisdemque nixa radicibus, ex eodem fonte linguam ſuam traxit. Arabes inquam nobis hic in re præſenti aderunt, quamque labem & ruinam Vetuſtiſſimis Hebræorum auctoribus tempus importavit, exſarcient, modo ne ab officio hoc repudientur.

Quorum teſtimonium profertur.

XV. *Phiruzabadius* itaque nobis edat, quid antiquitus in Oriente valueris קדח. Is ita in *Camus.* قدح بالزند رام الايراء به كاقتدح والقداح والمقداح حديدته والقداح والقداحة حجره *Verbum* קדח *in fomite eſt ignem ex eo extundere, ut &* אקתדח. קדאח *Kidahh autem, & Mikdâhh, vocatur ferrum quo id fit. Keddâhh vero, & keddâba ſilex appellatur.* Is ſcilicet, in cujus venis ſemina abſtruſa ſunt ignis, & unde conflictu vel tritu elicitur, qui Græcis πυρίτης audit. Videamus & *Gjeubarium.* المقدحة ما يقدح به النار والقدح الحجر الذي يوري النار وقدحت في نسبة اذا طعنت وقدح الدود في الاسنان والشجر قدحا وهو تاكل يقع فيه والقادحة الدودة والقادح الصدع في العود والسواد الذي يظهر في الاسنان قال جميل ۞

رمى الله في عيني بثينة بالقذى
وفي الغر من انيابها بالقوادح ۞

Hoc eſt. מקדחה *inſtrumentum igni excudendo. Et* קדאח *ſilex qui ignem gignit.* Et קדחת אל נאר *ignem extrivi. Dicis etiam* קדחת *in familia ejus, quum maledictis eam inceſſis: vermis etiam vel eroſio dentes arboresve infeſtans vocatur* קדח. *Et* קאדחה *illa peſtis. Ut &* קאדח *quum rimas agit lignum, aut dens pereſus nigrorem trahit. Hamîl* poëta vetus

Deus Butſeinæ oculos feſtucis appetat:
Et candidulos ejus dentes nigrore fœdet tetro.

Et exemplis firmatur.

XVI. Lubet hiſce exempla quædam, ex ipſis fontibus libata, ſubtexere; quando id operam damus ut obſcurata verbi indoles, quam clariſſima in luce locetur. *Muhammedes* in *Alcorani* ſur. 100. in hoc jusjurandum erumpit. والعاديات ضبحا. فالموريات قدحا ۞ *per ego cum fremitu latos, ignemque pedum pulſu cientes juro equos.* ſcilicet duellica illa proles in prælium ruens, Martisque accenſa facibus, *tonat & fulgurat :* quæ ſplendida, quamvis auda-

daciuſcula Arabum figura eſt, in *Jobo* etiam uſurpata Cap. 39: 24. hoc eſt. & terram ſonitu concutit, & ſilices jactando ſemina prolicit ignium, ſcintillasque ſpargit. quod extremum verbo קדח expreſſit. Inſignes etiam ſunt hi in *Hiſt. Tamerl.* verſiculi, pag. 127.

الشر كالنار تبدو حين تقدحه
شرارة فاذا بادرته خمدا ۞
وان توانيت عن اطفايه كسلا
اورت قبايلا تشوي القلب والكبدا ۞

Malum ut ignis eſt: exilit cum extriveris,
Scintillæ modo: quod ſi occupaveris, exſtinguitur.
Sin relangueris ab eo opprimendo torpidus;
Inflammat gentes: uritque & cor & jecur.

In *Diwan Hudeil* elegans admodum eſt illud *Abi tzachr poëtæ veteris.* قدح لا يوري *ignem extundens: quem non ſequitur ignis:* in hominem cujus arida eſt & difficilis ingenii vena: qui multa movet ſed nihil promovet.

XVII. Dignus autem eſt vetuſtiſſimus Orientis ritus in igni eliciendo, quem eruamus: eoque magis quod inde igniculi quidam evolabunt, ad lucem *Eſajæ* loco infundendam. *Scholiaſtes Arabs* in *Hariri.* ad verba differt. 5. قدح زناد *igniariis ſcintillas exterere* hæc prodidit. اكثر ما زناد العرب تكون من خشب المرخ والعفار وانما يوخذ منها عود قدر شبر ويثقب في وسطه ثقب لا ينفذ ويوخذ عود اخر قدر ذراع ويحدد طرفه ويجعل ذلك المحدود في ذلك الثقب وقد وضعه الرجل بين رجليه ويفتله فيبدي النار فالاعلي زند والاسفل زندة. *Igniaria Arabum maximam partem ex lignis ſumuntur arborum March & Aphâr. Capitur ex iis fomes ſpithamæ amplitudine, cujus medium foratu cavatur non pervio: capitur item & alter brachii longitudine, cujus extremitas exacuitur, iſtique foramini inſeritur: atque tunc inter pedes appoſitum circumagunt, quoad ignis emicet. Superius autem Zend, inferius Zendah audit.* Sic *Maulavi* مرخ وعفار دو درخت در ديار عرب جون بهم سايند اتش بيرون ايد *March & Afâr duæ arbores ſunt in terris Arabum, quarum mutuo tritu ignis exilit.* Poëta Vetus apud *Gjeuharium*

اذا المرخ لم يوري تحت العفار

Quum March ignem non concipit ſub Aphar. id eſt. *in atrociſſima omnium rerum calamitate.* Idem ad *Syros* quoque *Armenos*, *Indos* aliosque uſitatum eſt, uti videre eſt apud Cl. *Hyde* de *Rel. Vet. Perſ.* qui etiam tradit, *Chinenſes* de-

Moris obſoleti memoria renovatur, quo ignem extundebant antiqui.

Principe *Sui* dicto, prodidiſſe, eum cives ſuos hac via & arte igne locupletaſſe, eamque ad noſtram quoque memoriam perdurare. Nil mirum adeo, quippe

Emicat interdum flammai fervidus ardor.
Mutua dum inter ſe rami ſtirpesque teruntur.

uti pulcre Lucr. L. 5. indeque ignem mortales arripuiſſe, haud ſine ratione colligit.

Eundem inter Græcos viguiſſe, ad Romanosque etiam permanaſſe.

XVIII. At non intra Orientis fines ſe hic ritus continuit, ſed in Græciam etiam permanavit; ubi fomites illos πυρεῖα dixere. Apoll. Rhod.

Τοὶ δ' ἀμφὶ πυρήϊα δινεύεσκον.

Ubi Schol. Τὰ γὰρ ξύλα παρέτριβον, καὶ ἀπ' αὐτῶν πῦρ ἔβαλλον. Πυρεῖα γὰρ ταῦτά φησι τὰ παρατριβόμενα ἀλλήλοις ἄλληλα τὸ πῦρ ἐκγεννᾶν. ὧν τὸ μὲν ἔσω ὕπτιον, ὃ καλεῖται στορεύς, θάτερον δὲ παραπλήσιον τρυπάνῳ, ὅπερ ἐπιτρίβοντες τῷ στορεῖ στρέφουσι. Similiter ad Theocr. Idyll. 20. πυρεῖα definiuntur τὰ ξύλα ἃ παρατριβόμενα ἑτέρῳ ξύλῳ πῦρ γεννᾷ. Lignum ſuperius quod terit τρύπανον vocarunt, ab *terebrandi* munere; & τρίβανον. inferius στορεύς dictum eſt, quod *ſubſterneretur* ad ſcintillas excipiendas, flammamque rapiendam: a quo eodem officio etiam ἐσχάρας nomen indeptum eſt. Elegantiſſime autem *Sophocles* ab *Heſychio* laudatus fomites ſuperiores ἀχαλκεύτα τρύπανα appellavit. Ad Latium etiam defluxit hic mos; & *Feſto* auctore diſcimus, Veſtæ ignem illum æternum, ſi quando extinctus fuiſſet iterum ſuſcitari ſolitum ex *tabula felicis materiæ, quam tamdiu terebrabant Veſtales, quousque exceptus foret ignis.* Meminit etiam *Plinius* Lib. 16. 40. ubi plura. *Teritur lignum ligno, ignemque concipit attritu.* Quod poſterius mihi memoriam refricat ſplendidæ, qua in hoc negotio *Nonnus* uſus eſt, figuræ; 2 Dion.

Ἄλλος ἀμφὶ λίθῳ φλογερὴν ὠδῖνα λοχεύων.

Unde inſignis Eſajæ locus explicatur.

quamvis de *ſilicibus* non de *lucubro & ramuſculis* loquatur.

XIX. Medicinam nunc ex dictis faciamus illuſtri apud *Eſajam* ſimilitudini, cujus ſingularem plane nitorem hujus rei ignoratio maculavit. Eſt ea Eſaj. 61: 1. כקדח אש המסים מים תבעה אש. *LXX.* vix umbram textus Hebraici exprimunt. ὡς κηρὸς ἀπὸ προσώπου πυρὸς τήκεται, καὶ κατακαύσει πῦρ τοὺς ὑπεναντίους. Nihil hic ſani: quicquid tetigeris ulcus eſt כקדח dant ὡς κηρὸς. Τήκεται videtur natum ex המסים. Denique תבעה κατακαύσει malo exemplo vertunt. Quædam etiam extra textum inculcata. Horum tamen auctoritati ſe conſtrictum tradidit *Syrus*, & ne latum quidem unguem ab iis diſceſſit. *Hieron.* etiam, ab hiſce abreptus ducibus, revocare ſe ab lapſu non potuit. *Sicut exuſtio ignis tabeſcerent, aquæ arderent igne.* Ita exhibet. apparet hinc *tabeſcere* reſpondere τῷ המסים. quod autem תבעה ſimiliter *ardere* reddat, ſuſpicionem injicit, Veteres תבער legiſſe. In eodem vado adhæreſcit *Symmachus.*

Digitized by Google

ctus. ὡς ἐκκαύσεις πυρὸς ἐτήκη θάλασσα, ὕδατα ἐπινήθησαν. legit primo המס ים ἐτήκη τάλασσα. deinde תבעת pro הבעה. Nec felicius ſcopulum hunc ſuperavit *Chaldæus.* כד שלחתא רוגזך כאשתא ביומי אליהו אתמסיא ימא מא מלחכא אשתא. *Miſiſti iram tuam ut ignem, tempeſtate Eliæ, contabuit mare, aquas lambebat ignis.* Ut adeo ſtrenue hic antiqui turbaverint, ſententiamque loci graviter afflixerint.

Divergia ſententiarum circa nocem המסים.

XX. Tædium ne parerem vererer, ſi ſententias, quas noſtra ætas tulit, omnes excutere & ad vivum ſecare ingrederer. Verba in pauca conferam, & levi brachio rem expediam. Scindunt ſe ſtudia circa המסים ἅπαξ λεγόμενον, quod quatuor quinque diverſas patitur interpretationes. Invaluit fere ſignificatio, quæ *Kimchium* agnoſcit auctorem. Hic ita in *Libro radicum*, e quo, ceu fonte perenni, rigari amarunt noſtri. פי׳ ר׳ יונה הקש היבש והקרוב שירצה לומר אש חזק והוא יוסף ויהיה משרש מסס׳ ר״ל האש החזק הממים כל דבר *R. Jona interpretatus eſt ſtipulam aridam. At veriſimile eſt dicere velle* prophetam *ignem validum; & He ſervile eſſe, & radicem* מסס. *Unde ſit, ignis validus omnia liquefaciens.* Hoc poſterius ut propius veritatem eſſe decrevit *Kimchius*, ita calculo ſuo longe plurimi comprobarunt. Fraudi fuit vicinitas cum radice מסס *liquefieri.* At ſi demus *ignem liquefactionum* pro *igne vehementiore*, nihil habere duri; quid tandem coloris afferent, quare Dagesh forte non ſit inſcriptum, quod ex conſtanti uſu linguæ inſeri debebat. Idem hoc *R. Salomoni* reſponſum eſto, qui המסים a rad. מסס. exponebat הדבר הנימס *Omnem rem, quæ ad ignem tabeſcit & diffluit.* Atque hæc adhuc erant, quæ ſe non penitus nulla ſpecie commendabant: ecce autem tibi e transverſo *Arn. Bootium*, qui hæc omnia abjicere jubet, ſibique credi poſtulat אש המסים eſſe *ignem vehementem* ſeu *luculentum*, & vocem המסים ſonare proprie *vehementiam* vel ſimile quid: a quo non nimium abiret, quod τῷ המסא *audaciæ* notionem aſſignet *Forerius* in Lex. Syriaco. Digerat qui poteſt: ego illum *ignem audaciarum* non fero, atque munuſculum hoc viro docto lubens redono. Cl. *Hotting.* in *Smegm. Orient.* etiam cura aliqua locum noſtrum impertiit, atque non male, beneficio linguæ Arabicæ, ſic explicari poſſe. *Quemadmodum accenſo igne fit lenis ſubmiſſusque ſtrepitus.* & intelligit, *ſtridorem ferventis ollæ.* Scilicet המס همس apud Arabes notat, *ſibilum edidit, ſubmiſſiorem miſit ſonum.*

Vera poteſtas editur & firmatur.

XXI. Omnes hoſce fluctus ſedabit facile & componet, tum quod in ſuperioribus a nobis de genuina vi radicis קדח ratione & auctoritate finitum eſt: tum quod de ritu ignem e materia arida evocandi protuli. neque ultra dubitari par erit, quin המסים illi ſint *fomites*, unde ſemina ignis terendo & terebrando proliciebant Veteres. Veriſſime proinde prodiderat *R. Jona*, *ſtipulas aridas* indicari: quod eum, quamvis ſileat Kimchi, ex Arabica lingua affirmatum dediſſe, nullus ambigo: creberrime enim eum in hac niti dialecto, & matri inde Hebrææ multum deferre præſidii, deprehendere eſt. Quam autem probationem *Kimchius* intervertit, eam nos ex Arabum penetralibus expromamus, ut dulcis Eſajæ ſimilitudo a longinquo tandem ſqualore re-

Digitized by Google

recreëtur, & in omne reliquum tempus ſtabiliatur. Radix همش quæ הַ המם reſpondet, quod conſtanter *ſamech* in *ſchin* abeat, inter Arabes ſonat *ſtrepitare*, & ponitur in *rebus aridis*; ut *foliis, ramuſculis ſimilibusve inter ſe commixtis & ſtrepitum cientibus*. inde eſt metaphorica illa acceptio cui *Golius* principem locum aſſignavit. *garrire. nugas blaterare.* ut quum interſtrepit anſer olores. Sexta Conj. تهامش & octava اهتمش locum habet *in rebus ſiccis quæ inter ſe glomeratæ crepitant*. Inde tralate in *Hiſt. Tamerl.* 171. ولما اهتمش امر الناس وهاش *Quumque res hominum confuſæ inter ſe forent & cum ſtrepitu commixtæ*. Habent & Arabes affinem radicem هشم *fregit res aridas cavasque:* unde هشيم *caduca ex arbore folia; aridi fragilesque rami*. Alcor. Sur. 18. 43. نبات الارض اصبح هشيما تذروه الرياح *plantæ terræ in ſtipulas cremiaque converſæ, quæ venti differunt.*

Graviſſima verbi ingeminatio a ſordibus vindicatur.

XXII. En tibi jam comparationem quemadmodum ab *Eſajæ* manu eſt profecta. *Ut quum ignis fomitum emicat, proſilitque, aquæ effervescant igne.* Gravitatis pleniſſima eſt illa *ignis* repetitio, & nervum addit ſententiæ. Ex floſculis hoc cenſetur eloquentiæ inter Arabas, quorum paucos decerpamus, ut ne in poſterum languidum hoc & venere caſſum cenſeatur, ut quoſdam exiſtimaſſe video. *Alphend Zimmani* poëta vetus in *Hamaſa* meo, ſive *Anthologia*.

شددنا شدة الليث عدا والليث غضبان ۞

Intulimus nos ritu leonis impete vaſto ruentis, & leo ira percitus. pro, *qui ira percitus erat*. ad hunc locum *Tebrizius*, præclari nominis literator. كرر الليث في البيت ولم يات بضميره تفخيما وتهويلا *ingeminavit in verſu leonem, neque pronomen ſuggeſſit, amplificandi & horrificandi ergo.* Idem affert hocce *Addi Ibn Zeid*.

لا اري الموت تسبق الموت شي
نغص الموت ذا الغني والفقيرا ۞

Non video mortem prævertere mortem quicquam,
Conturbat mors qua opulentum qua inopem.

Iterum tertiumque *mortis* velut amentatum intorquet nomen, ut quam diriſſimis numeris verſum evinciat: quomodo etiam *Silius Ital.* ter *ferrum* intexuit binis verſibus, quibus horrenda Martis templa deſcribit. In placidiori etiam negotio Maro. Æn. 7.

Aurea pectoribus demiſſa monilia pendent
Tecti auro, fulvum mandunt ſub dentibus aurum.

In

Digitized by Google

In eadem tergemina *auri* repetitione placuit etiam ſibi L. 4. Æneid. Et *Ovidius* in Metam. aliique. Tale porro illud eſt *Aaragj*.

نحن بنو الموت اذا الموت نزل ۞

Nos filii mortis ſumus quandoque mors incubuerit.

Id eſt. *Inter ferrum ignemque intrepidi verſamur.* Et *Mouſa Ibn Giabir.*

باشرت حد الموت والموت دونها ۞

Obtuli me mortis aciei ſub qua mors habitabat.

Et *Amr Ibn Michlât elbimar.*

ضاق عليه المرج المرج واسع ۞

Anguſtum ei factum eſt pratum, & pratum erat ampliſſimum. Sed ohe jam ſatis eſt, neque committendum ut nimia largitate faſtidium creëmus. haud pœnitet tamen inſignem figuram ex penitiſſimo eloquentiæ Orientalis ſinu protraxiſſe, & aliquanto pluribus conſtabiliviſſe.

XXIII. Aliud me manet jam, & brevi expediendum eſt, quid תבעה *effervescunt* dederim, quando interpretes ceteri maluere, *effervescere faciet*, poſt *Kimchium* qui ירתיח valere tradiderat: propter viam autem lucrentur faciam linguæ ſacræ ſtudioſi cognitionem verbi, ut rari in ſcripturis, ita haud ſatis, ut puto, perſpecti. בעה intranſitivum eſt; & ſonat *efferbuit*, *fervore erupit.* Ita Arabes de ſuo بغا ultima *je* pro *He*, ex more ſolenni, docent. per multa autem hoc transferunt: ut quum de *vulnere quod effervescit quaſi ſanie & pure* dicunt בעה. ponunt & *in nubibus quum vim profundunt aquarum:* quaſi dicas. *efferbuit* cœlum, exuberavitque haud ſecus atque *undantis abeni latices*, ut ait poëta, *exultant*, & effunduntur. De *equo* etiam dicunt בעה *quum fervido ſe rapit curſu, & ſuperfundenti ſe alacritate fertur.* De homine etiam concelebratur, atque declarat *importunitatem intumeſcentis animi.* De *fluvio* ſonat *extra ripas furere;* habetque denique multas alias tralationes grandes & magnificas. Hiſce etiam dicendi opibus circumfluxiſſe quondam matrem Hebræam credere equidem par eſt; idque tenuiſſimæ illæ reliquiæ, quæ huc illuc ſparſæ comparent, affirmare videntur; quamvis interpretes in alia omnia diſcedant, Nos flores quosdam loquendi a Rabbinis obtritos, operam dabimus, ut bona cum gratia eruditorum priſtino honore induamus. Prima illa, quam apud Arabes frequentari dixi, metaphora *in ulcere tabido* ſeſe offert Exod. 9: 9. Ubi inter plagas Ægypt. שחין פרח *ulcus ſerpens & late contagia agens*, cui attribuuntur אבעבעות *purulentiſſimæ eruptiones*, geminatione radicalium convaleſcente etiam ſignificatione: φλυκτίδες ἀναζέουσαι LXX.

Verbi בעה nativa vis revocatur; & inſignis Metaph. apud *Eſajam.*

E

Hanc

Hanc eandem translationem adhibuiſſe duco *Eſajam* Cap. 30: 13. פרץ נבל נבעה *parietina lapſa lunda & ulceribus* quaſi *hians & fatiſcens*. Cujus figuræ decus & gravitatem inſignem vehementer imminuit *Kimchius*, quum ad *Chaldæum* בעא *quærere* hic decurrit, quod vel tenuem admodum & dilutum, vel quæſitum longiusque arceſſitum gignit ſenſum.

Conatus ad *Obadiæ* locum abſtruſiorem bini.

XXIV. Affine etiam orationis lumen infuſcaſſe *Kimchium* ſubvereor, ſuaque auctoritate omnes a vero avocaſſe Obad. verſ. 6. איך נחפשו עשו נבעו מצפניו *ut perveſtigati ſunt Eſavidæ! perquiſita occulta eorum.* aſſumere hic iterum jubet notionem verbi Chaldaicam. Huic univerſus interpretum chorus accedit. ſed etiam atque etiam viri docti expendant velim, num quid detrimenti ſenſui ſim importaturus ſi indubiæ ſignificationi inhæreſcens ediderim. *Ut excuſſi ſunt Eſavidæ! Ut* in apertum *efferbuerunt ſeque eruperunt occulta eorum quæ coquunt!* Illa *occulta* vulgo habentur *theſauri defoſſi reconditique:* mihi ſunt *conſilia & peſtiferæ machinationes in profundo animorum ſtructæ*. Has tumore ſe ſuo prodidiſſe, penitusque diſcuſſas vel dilapſas potius eſſe, & in fumum abiiſſe, mirifice expingit propheta & quaſi in oculis defigit, quum verbo בעה *ebullire* cogitationes noſtras evocat ad *ollam* mente fingendam, qua in olla atrocia multa & pernicioſa etiam coxerint: quæ tamen omnia emanarint, ſeque palam diffuderint. Dominatur illa *ollæ* figura in cothurnato Arabum ſtilo; & ſtrenue ingenio ſuo in ea exornanda indulgent, ſi quando ſe odia bellaque obtulerint. In domeſtica noſtra lingua ſimile quid radices cepit. Non alio etiam initio profectum eſt Latinorum *coquere bella. conſilia. cœpta*: & Græcorum πέσσειν ὀργὴν, illudque uberrimi eloquentiæ Græcæ fontis.

Χόλον θυμαλγέα πέσσων.

aliaque quæ larga manu profundere in mundo foret. Nec abludit multum quod *tumeſcere bella* dixerit *Virg.* & *tumere* teratur in iis qui ſeditionem bellaque moliuntur. Quod autem *occulta*, *conſilia* interpreter potius quam *theſauros*, efficiunt ea quæ verſ. 7. 8. ſubjunguntur. Quod ſi tamen aliquis de *theſauris* agi magis exiſtimet, ei hanc offerimus ſententiam, quam ad priorem illam æſtimet ponderetque. *Quomodo Eſavi minores excuſſi ſunt & pertentati*, איך נחפשו? *quomodo ex imis terræ viſceribus effervеſcere coacti ſunt infoſſi illi theſauri, quibus, tanquam gazam circumplexus draco, intactis usque adbuc illibatisqu incubabant?* Metaphora inter Arabes etiam pervagata.

Eſajæ iterum ſplendida figura augetur.

XXV. Quando autem bene de radice בעה promerendi ardor nos huc evexit, age & labeculam eluamus, qua idem *Kimchius* eam aſperſit in ultimo, ubi comparet, loco, ut ita beneficium abſolvamus. Eſaj. 21: 12. ubi abrupte admodum prophetæ oratio fertur, legimus. אם תבעיון בעיו שבו אתיו Hic denuo Chaldaicam illam *quærendi* ſubjicit notionem. *Si quæritis, quærite, redite ite.* Hoc omnes omnium verſiones occupaſſe video. Sed pace mihi principum virorum dicere liceat, nunquam eos in hanc ſententiam diſceſſuros fuiſſe, ſi late fuſam hanc & patentem, quam erui, ſignificandi pote-

Digitized by Google

poteſtatem in hocce verbo adſpexiſſent: & fraudi mihi non fore ſpero, ſi ſignificationem, nullo idoneo exemplo firmatam dimittam, ea ſervata quam *Eſajas* binis in locis adhibuit. Verto. *Si efferveſcitis* animo, *ſi* ſuccenſi ira & indignatione *tumetis; tumete* quantum poteſt. *redite. venite.* feſtinate. trepidate. ultroque citroque diſcurſate pro arbitratu. nihil agitis. Stant velut adamante perenni inciſa, quæ Dei plenus edidi, fata, nullo veſtro tumultu movenda aut refigenda. Horrendum intonuerat Propheta in *Idumæos*, & dirum משא onus ipſis injecerat. *Extulit ſe aurora & adhuc nox eſt* vobis. *Vos atra premit premetque nox, quum genti noſtræ, quam eadem procella ſtraverat, lætum ſalutis orietur ſidus & libertatis aurora illuceſcet.* Veſtigia preſſi Graviſſimi Theologi & Collegæ Venerandi D. *Campegii Vitringa*, cujus mihi ſplendida in Eſajam & immortalis opera, facem præluxit ad tenebras involutæ hujus complexionis ſuperandas. Non poterat non gravem æſtum ciere ex alto animi eorum dirus hicce nuncius, & ingentes indignationis fluctus commovere: at ſe nullum hoc morari oſtendit Propheta, quo minus ſæva hæc oracula ipſis intorqueat, juſſaque Supremi Numinis faceſſat.

XXVI. At eo unde huc defluxi, tandem aliquando me referam, quodque exorſus eram, pertexam. planum feci מים תבעה אש eſſe; *aquæ efferveſcunt igne.* Ubi nemo religionem ſibi objicere patiatur numeri diſcrepantiam: nihil enim familiarius eſt, & agmine exemplorum, ſi quis eam oppugnare vellet, conſtructio hæc ſeſe tutaretur. Ante autem quam locum hunc e manibus dimittam, muneris ſuſcepti ratio flagitat, ut ſimilitudinis hujus vim, ſatis implicitam, evolvamus: neſcio enim an minime eam interpretes exhauſerint. Fertur inter Arabes comparatio elegans & venuſta. *Excuſſi ſunt fomites ejus.* id eſt. *animi ejus irritati fuere, & provocata ira.* Hiſt. Tamerl. p. 55. فقدحت زناده وجرحت فواده وتاججت نيران غضبه واحرق راس تدبيره شواظ لهبه *Et fomites ejus excuſſi ſunt, & vulneratum cor, accenſique ſunt igniculi iræ ejus; flammeaque animi vis caput conſilii ipſius exuſſit.* Ita ex MSS. edidi. Impreſſis libris turpis macula inſedit. Veteres Hebræos eandem ſimilitudinem triviſſe dubium eſſe nequit, ex locis quos ſupra illuſtravimus אש קדחה באפי *ignis excuſſus eſt in naſum meum*, atque ex vulnerato corde in faciem emicuit: nec ante deflagravit, quam cuncta corripuit, & pervaſtavit. Idem hoc in animo habuit *Eſajas*, quum ait, כקדח אש המסים. *Quin Cœlos*, inquit, o Deus *rumpis, quin deſcendis, ut ante te montes diffluant. Ut quum emicat ignis fomitum; igne aquæ efferveſcant: ut notum facias nomen tuum hoſtibus. Ab ira tua gentes contremiſcant.* Magnificum conſtruit Propheta theatrum, in quo majeſtas brevitati certat orationis. primum, omne ut cœlum tonitru cieat Deus, & magno murmure miſceat optat; quo ruptæ diſploſæque nubes effuſis imbribus ruant. Hoc eſt לוא קרעת שמים וירדת. At non cœleſtia tantum loca horrendo ſonitu quati vult, ſed tremorem illum montes etiam corripere, ſedibusque ſuis excutere. Id declarat per מפניך הרים נזלו. Fas haud erat ut tanto in terrore *fulmina*, illa Dei irati tela,

Abruptum filum reſumitur. & ſimilitudo Eſajæ plena in luce collocatur.

Digitized by Google

jacerent. Hæc ergo ut crebra emicent, precatur; hoſtesque orco demittant. Hoc pulcherrime exprimit כקדח אש המסים *ut quum ignis fomitum proſilit:* ita conferta ferantur tela tua coruſca. Hac ſimilitudine nihil aptius. præter ea quæ ſupra dedimus, affirmet hoc etiam Lucr. L. 5. & illuſtret.

Fulgit item; nubes ignis cum ſemina multa
Excuſſere ſuo concurſu, ceu lapidem ſi
Percutiat lapis aut ferrum: nam tum quoque lumen,
Exilit, & claras ſcintillas diſſupat ignis.

Sequitur מים תבעה אש. Ut ſuſcepto ex fomitibus igne, arida circum nutrimenta dantur, & flamma vires acquirit, adeo ut *aquæ* fervore penetrentur & exæſtuent: ſic cœleſtibus tuis ignibus in ingentem æſtum conjiciantur *aquæ gentium*, fluctibusque agitentur

Magna veluti quum flamma ſonore
Virgea ſuggeritur coſtis undantis aheni,
Exultantque æſtu latices: furit intus aquai
Fumidus, atque alte ſpumis exuberat, amnis.
Nec jam ſe capit unda. Volat vapor ater ad auras.

quos verſus ex beata & nobili *Maronis* vena natos, in rem noſtram traduxiſſe liceat.

Elegans Arabum figura profertur.

XXVII. Hic vero regrediatur in memoriam Lector velim illius *ollæ bullientis*, quam in ſublimiore Arabum ſtilo regnare dixi, quum odia, iras, ſeditiones, bella & ingentem rerum motum tumoremque expingere volunt. Quando autem vocat trahitque occaſio, illud exequar, a quo me ſupra, ne longius delaberer, reflexi; & exempla nonnulla figuræ hujus in commune dabo, ut lumine hoc *Eſajæ* locus in perpetuum perfruatur. in *Diwan Hudeil Abu tzacbr.*

والحرب ان عرست بالحرب والتهبت
وجاش مرجلهم من بعد ايقاد ۞

Et bellum bello quum incubuit, arſitque;
Et olla efferbuit eorum, poſteaquam accenſus eſt ignis.

Sic *Beſſchama* poëta vetus in *Hamaſa.*

تغلي مراجلنا

Bullimt ollæ noſtræ. Ubi *Tebrizi* المراجل كناية

عن

من الحروب كقول الاخر

يفور علينا قدرهم فنديمها
ونغثاها عنا اذا حميها غلي ❀

Ollæ figuram ſuſtinent bellorum, ut ait ille.
Æſtuat contra nos olla eorum; at eam ſedamus.
Atque a nobis refutamus, poſtquam efferverit.

Ab Hebræis *abenum* hoc traxerant Arabes, idque jam non ſine fœnore & fructu domum remittunt ſuam; nam *Jeremiæ* etiam viſo lux affunditur, quod eſt Cap. 1: 13. Ubi סיר נפוח *olla ſufflata* bella oſtentat ſurgentia, & magis magisque tumeſcentia, ſimulque præmonſtrat, haud moram fore, quin tota in Judæam efferveſcat Babylonia, ſeque armis viris equis effundat.

XXVIII. Non impero mihi, quo minus vela ventis permittam, & paulo ulterius auferri me hujus *ollæ* æſtu ſinam: cumque erudito orbe communicem alia quædam, quæ Arabes in emblemate hoc ludunt. Dicunt etiam *bullit olla ejus* de eo qui *ira inflammatur*, & *quaſi ſubditis facibus efferveſcit*. Ita *Omeija* in *Diw. Hud.* Ejusdem amplitudo, quamque late fuſa pateat.

اقرر عنه غالي الغيظ كله
ولو غير سهم سبني جاش مرجلي

Confuto ab eo exæſtuantem iram omnem:
Quod ſi alius Sahmo mihi nec recte dixerit, bullit abenum meum

Talia pleno modio vel trimodio accumulare eſſet: ſed ſatius fuerit abſtruſiora quædam produxiſſe. Illius eſt indolis, etiam locum invenire phraſin hanc in eo, *qui metu agitatur, & perturbatione animi ſui compos non eſt. Amr Ibn Maadi Cheriba* in *Hamaſa.*

فجاشت الي النفس

Et ollæ inſtar ebullivit contra me anima mea.

Ubi *Tebrizi.* اي حميت من الفزع وارتفعت مثل القدر تجيش *Hoc eſt. Ferbuit præ metu, atque exuberavit, prout olla exuberat.* Quod *Virgilii* verbis eſſet.

—— —— —— Exultantiaque haurit
Corda pavor pulſans —— —— ——

Vicinum eſt quod in *curarum fluctibus* idem hoc frequentetur, quum aliquem *coquunt* & *ſub pectore fixæ verſant* ut ait *Ennius.* At retruſioris eſt ingenii quod exſtat in *Diw. Hud.* ab *Omeija* profectum, qui vehementiſſimum aſinarum ſylveſtrium curſum deſcribens, ait

 تجيش

تجيش بهن القدور الغوالي

Æſtuant intra eas bullientes ollæ.

præiverat ipſi *Amro'l'kis*, ex numero ſeptem vatum, quorum monumenta in templo Meccano defixa ſunt, & immortalitati conſecrata. Is in generoſi equi deſcriptione, hoc habet.

علي الذبل جياش كان اهتزامه
اذا جاش فيه حميه غلي المرجل ❁

Super gracilitatem æſtuabundus, tanquam ſi ejus fremitus;
Quum efferbuit in eo ardor ejus, ollæ bullitum referat.

Ad quem locum *ſcholiaſtes.* الجياش الذي يجيش في عدوه كما يجيش القدر في غليانه *Æſtuabundus, qui æſtuat in curſu fervetque, quemadmodum olla quum bullas agit.* Atque ita בעה abſolute apud Arabes venire, de *equo, qui incitatiſſime fertur* monui: nunc addo idem hoc verbum ſedem invenire in homine quum *trepidat & ultro citroque diſcurſat*, teſte *Camuſi auctore*: quem uſum libenter conjunxerim cum illo quem ſupra ad *Eſajæ* Cap. 21. amplexus ſum.

Eo unde deflexum erat reditur & Eſaj. 50: 11. explanatur.

XXIX. Atque hæc quidem hactenus: miſſa nunc ea faciam, meque ad inſtitutum revocabo. Hujus me ratio poſcit, ut quod loco motum erat in radice קרח/ reponam, medicinamque faciam iis locis, quorum vel acumen leporemque, vel verum ſenſum ignoratio verbi hujus delerat. Atque hic noviſſime opem noſtram efflagitat, Eſaj. Cap. 50: 11. Verba, quod compluſcula in iis nec recte habita putem, omnia exhibebo. הן כלכם קדחי אש מאזרי זיקות לכו באור אשכם ובזיקות בערתם Verto. *Ecce omnes vos ignem extundentes, & malleolis cingentes: diſpereatis ignis veſtri vapore, malleolisque, quos ſuccendiſtis.* Hanc verſionem, quod cum vulgaribus non parum diſſideat, ſingulis ſuis membris firmatam dabo, atque ita eruditorum judicio ſubjiciam: ut quantum ei deferendum ſit, ſtatuant.

Quid *extundere ignem* valeat in communi voce apud Arabes.

XXX. Ac principio quidem, quod קדחי אש *extundentes ignem* reddam, ejus rei illa jeci fundamenta, quæ non temere quis ſollicitaverit. Ut autem ad verbi intellectum nos Arabes duxere, ita iidem phraſeos indolem feliciſſime expedient. Familiaris & omnium uſu contrita eſt locutio. قدح الزند *Excuſſit igniarium.* pro *conſilia agitavit, animumque verſavit volutavitque, ut inde artes, tam bonas, quam malas, eliceret.* Facetiſſimæ illius tralationis exemplum ſuperius jam præbui, præciſum tamen mancumque, nunc integrum illud proferam. *Abu Tzachr. in Diw. Hud.*

مرين

Digitized by Google

زين المنابر يستشفي بخطبته
والخيل ان ركبوا والدار والنادي
ما ذا ابا خالد لما فرعتهم
من قادح لك لا يوري وزناد

Decus ſuggeſtuum, cujus oratione ſanitas redit;
Equitum item, quum vectantur; & domus, & concilii.
Non tibi O Abu Chalid, quum biſce præſides
Ignem quis extundit, fomiteſque verſat, abſque ut eliciat.

Celebrat laudes viri principis, eumque larga luce ingenii ſui omnes ſuos complere ait, iisque tanquam igniculos inſerere & ſemina prudentiæ ac conſilii, quæ nunquam mentiantur aut deficiant; ſed domi bellique, in ſago atque in toga, ubertim ſeſe proripiant exerantque. Princeps eloquentiæ Arabicæ *Hariri*, pluſcula hujus figuræ exempla præſtabit, de quo viro, quod eum ſæpiſſime producam, dicere habeo; eum diſſipatos lateque ſparſos, orationis flores collegiſſe, in unumque corpus redegiſſe; atque

Floriferis ut apes in ſaltibus omnia libant.

omnia itidem aureola dicta undique carpſiſſe, diſſertationibusque quinquaginta incredibili arte intexuiſſe. Is *Diſſ.* 3. ita orditur. نظمني واخدانا لي ناد لم يخب فيه مناد و لا كبا قدح زناد و لا ذكت نار عناد *Me meosque quosdam amicos recepit concilium aliquod, in quo nullus fruſtra erat orator; nullique fomites excuſſi fallebant; atque in quo nulli diſſenſionis igniculi micabant.* Ubi *ſcholiaſtes. Nunquam mentientes fomites declarant* ان ليس فيهم جاهل يكون كلامه فاسدا خاليا عن الاصابة *neminem interfuiſſe illis inficetum, cujus ſermo putidus foret aut rectæ rationis expers.* Iterum in diſſ. 16. *Hariri.* ويقتدحون زناد المباحثة *Et extundebant fomites diſceptationis.* Hæc ſere in bono erant: ſæpe quoque in malo eſt. In *Hiſt. Tumerlanis. pag.* 398.

فكم قدحت امراوه زند فتنة
حميت لذي الباساء واورت قبايلا ☼

Quot extuderunt fomites ærumnæ purpurati ejus:
Arſeruntque illi calamitatum auctori; genteſque inflammarunt?

Fidem MSS. ſecutus ſum: editionem Cl. *Golii* plurima menda maculavit. Neſcio tamen, an rectius اراوه *conſilia ejus* dederit *Golius* pro امراوه *purpurati ejus:* quod margini MSS. ſui adſcripſerat, atque edi deinceps curavit. In

In eadem Hiſt. pag. 56. فلم تنزل زناد الحرب توري ان تنقدح وشرار السهام تتطاير *Et non ceſſarunt fomites belli ignem mittere, quum extunderentur; neque tela, ut ſcintillæ volitare.* Adde quod ſupra ex eodem hoc libro citatum eſt.

Malum ut ignis eſt, exilit cum extriveris.

noſti jam cetera.

Quid alii Interpretes ſecuti fuerunt.

XXXI. Non dubito quin *Eſajæ* mens ſumma ſe ſponte jam prodat: neque ampliore aliqua circumſcriptione odio ero, aut in ſedulitatis notam incurram. Verbulum tantum faciam, de iis quæ vulgo feruntur, ſententiis. *Kimchi*, *Raſchi* aliique Rabbinorum, & ſecundum eos ex noſtris bene multi, etiam Ill. *Grotius*, ad *irritationem iræ divinæ* verba pertinere autumant. Hanc poteſtatem figuræ huic ineſſe, ipſe ſupra lucide aperui. hic tamen alieniorem eam duco. Majori me probabilitatis ſpecie percutit, quod *Belgæ* noſtri, juxta cum aliis, eliciunt: quibus קדחי אש illi ſunt, *qui ſua nituntur ſapientia.* Longiuſcule arceſſitum id videbatur ante, quam veram phraſis indolem adſpexeram: ubi penitiorem ejus excuſſi ſinum, alia oriebatur facies: maxime quum animum adverterem, Arabes tale quid ſub locutionem hanc adoptaſſe: quod ea quæ proxime peregimus, ſatis ſuperque declarant. Vide mihi etiam, quæſo te, quam concinna hæc & ſenſui apta videatur ſententia: ſuperior enim verſ. jubet in Deo ſpes opesque ſuas omnes collocare, quos tenebræ involverent temporum, & calamitoſa nox urgueret. *At vero vos*, ſequitur jam verſ. ult., *qui ignem vobis extunditis* &c. ecquid apparet, quam pulcre hic homines compellentur ſua freti virtute; qui ipſi ſe magnifice circumſpiciunt, igniculisque & lumine prudentiæ ſuæ ſibi placent; cujus præſidio ex duris afflictisque rebus per ſe connixi, facile ſe emergant, ejiciantque? Venit etiam in mentem conjectare, id quod prophetiæ ſeries nemini non ſubjicit, in miſeram cœcamque illam gentem, fulmen hoc intentari, quæ refutata & cum ſupercilio abjecta Meſſiæ juſtitia, ſuis nixa ſeminibus & miſerrimis ſcintillulis virtutis, ſanctitatis & amoris Dei, elatos inflatosque ſpiritus gerebat, & ad æternam Numinis communionem animos facere ſuſtinebat. Hæc quamvis ſeſe mirifice mihi commendant; propius tamen veritatem eſſe exiſtimo, qui *bellorum incendia* hic vident, & *ſeditionum flammas*; quas furialibus ſtimulis perciti iidem homines in Meſſiam, quique ejus ſectam ſequebantur, ſuſcitabant. Horum malorum *peſtifera ſemina*, *nefariasque molitiones*, verbum קדח exprimit, & ſingulari cum elegantia ante oculos proponit.

Quid זקות *malleolos* vertim.

XXXII. Hæ machinationes, malorumque emicantes ſcintillulæ, evaneſcerent & per auras dilaberentur, niſi præſto foret, quod eas exciperet foveretque, ut ad flammam conſurgere poſſent. Hanc materiam e veſtigio miniſtrat propheta, in מאזרי זיקות / *cingentes malleolis*, aridaque & flammas rapientia nutrimenta circum dantes. Ita cognatum זקים *piceos laqueolos* ſonare videtur in *Proverbiis*, *funeſtasque ſeditionum & incendiorum faces.* Alii

flam-

flammas dicere vocem tenent: alii *ſcintillas*, conjecturis ſe tradentes. ſed ne quid aſtute. Omnes locupleti ſatis luce hic deficimur. Ad prius illud vis orationis me traxit, & poteſtas verbi אזר *circumdare*, quod cupide nimis in עזר mutatum ire vult Cl. *Capell.* ex LXX.

XXXIII. Tertium quod novavi, eſt. *Diſpereatis, inque maximam malam rem eatis.* in Hebræo eſt לכו *ite.* Hoc verbi qui in communi illa notione retinent, frangere ſententiæ vim videntur. Minus quidem ſæpe exſtat uſus, quem in medium dedi, ſed exſtat. Job. 27: 22. *Tollet eum turbo & ibit.* וילך. Item Job. 7: 9. *Conſumitur nubes & it.* וילך. *Abire* hoc uſu apud *Latinos* protritum eſt. *Ire* minus in vulgum emanavit. Lucr. L. 6. Inſolentior verbi ילך uſus firmatur.

Quod niſi reſpirent venti, non ulla refrenet
Res, neque ab exitio poſſit reprehendere euntem.

Sic binis in locis idem auctor. ſed quid alienam provinciam ornare fumo? Spartam noſtram ſuſtentaſſe fuerit melius. הלך eandem vim ſuſcipit, & Arabes in ſuo هلك tam effuſe ſe in hanc partem permiſerunt; ut princeps illa & ſimplex *eundi* notio, penitus oblitterata atque deleta ſit: quod in utriusque linguæ ſtudioſorum gratiam dictum eſto, ne diſſidere putent radices, quæ arcto neceſſitudinis vinclo continentur.

XXXIV. Perpurgatus jam eſt locus de rad. קרח/ extulitque ſe, credo, & refulſit ea ejus vis, quæ ſe facile ad poſteritatem tutabitur. Verum illius ſortis non mihi aſſumo judicium: omnia me ſapientioribus trado deferoque. Mirifice autem quæ poſuimus confirmant, duo derivata אקרח & קרחת/ quibus pauxillulum operæ demus. אקרח exſtat Eſaj. 54: 12. אבני אקרח. Sine controverſia *lapides* dicit *pretioſos.* At quos? *Chryſtallum* dicunt alii, alii *carbunculum*, alii alium. Flagitioſe autem labitur *Forer.* quum a קרח *gelu* deducit, & אקרח legit. At quid anxie definiunt, quod linguæ poteſtas nullis terminis circumdedit? אבני אקרח ſunt *lapides igniculati*, ut vocat *Plin.* qui *igniculos fundunt*, *ſcintillasque ſpargunt.* Cave πυρίτην cogitare nos putes; non usque adeo obtuſa pectora geſtamus: intelligo *gemmas ignibus radiantes.* pulcre Claud. Verb קרח bina derivata illuſtrantur.

——— ——— ——— *Quis miſcuit ignes*
Sidonii Rubrique maris ——— ——— ———

Et ſic Plin. *igniculum amethyſti* laudat. Non hic laude ſua fraudandus Ill. *Grot. Et Hebraica & Chaldaica, & Arabica,* inquit, *lingua oſtendunt intelligi hic lapides flammantes.* Quod ad vocabulum קרחת attinet, *febrim ardentem* interpretantur Lev. 26: 16. & Deut. 28: 22. Genuina nos indoles ducit, ad peſtem aliquam in viſceribus hærentem, hominemque exedentem, erodentem,

Digitized by Google

dentem, ſuoque æſtu abſumentem. In quam rem veſtigia relegiſſe utile fuerit, & quæ ſupra exhibui *Gjeubarii* verba, conſuluiſſe.

Syrorum & Chaldæorum conſenſus advocatur.

XXXV. Qui vero facilius gradum tueatur notio a me extracta, neve invidia quadam, quæ adverſus Arabicam linguam in multorum animis perſedit, opprimatur; e re fuerit *Syrorum* etiam & *Chaldæorum* conſpirationem conſenſionemque oſtendiſſe: quorum ſacroſancti habetur fides. Inveteravit quidem in Syriacis quæ circumferuntur, Lexicis ܟܪܚ *inflammare accendere.* Verum fraudi fuit illud quod revicimus: quum enim Hebr. קדח hanc habere poteſtatem imbibiſſent, non potuerunt non in verſione Syriaca, ubi eadem ſervatur radix, idem illud ſubjicere. At aliud docere potuiſſet ܡܩܕܚܐ *igniarium.* Aliud item ܡܩܕܚܢܘܬܐ *emicatio fulguris:* quomodo קדח in *fulgure* poſitum etiam ſupra vidimus. Talia autem multa iis qui Syriaca tractarunt obrepſere; latiusque opinione diſſeminatum eſt malum. Apud *Thalmudicos* celebratiſſimus eſt uſus verbi in *cibo nimio ſale condito*; ex quo quaſi igniculi quidam acrioresque partes inter edendum emicant, faucesque lædunt. Hoc palam a primo, quem aperui, fonte manavit. Eſt alia etiam ſignificatio in *Thalmude* contrita; *germinare pullulare*, cujus exempla miniſtrabit Celeb. Buxt. ſenſum verbi aſſequuti ſunt interpretes; figuram minus. Hæc venuſtatis non parum nitorisque ſecum adportat. אספסתא דקדיח *Medica quæ germinavit* Bab. Batr. f. 28. eſt, *quæ emicuit, nitens prodiit & erupit.* Sic cetera. Denique *perforare terebrare* notat in *Thalmude.* Hanc principem duco & multo antiquiſſimam notionem; ex qua & illa *extundendi ignem* exiit, hoc enim *terebrando* & *terendo* fieri ſolitum fuiſſe, luculenter demonſtratum eſt. Et ſic *Gjeubari* قدح per طعن *perfodit, perterebravit* exponebat.

CAPUT TERTIUM.

Verbum נפץ *excutitur, & poteſtatem ejus adhuc incognitam fuiſſe oſtenditur. Vera ejus vis eruitur ex Arabum libris, & conſenſu totius Orientis firmatur. Loci deinde aliquot nova luce perfunduntur. Radicis etiam* זכר *obſcurata diu indoles extrahitur.*

I.

Opiniones penitus inſitæ non facile evelluntur.

Non me animi fallit, quam arduum ſit, & aleæ plenum, inveteratas opiniones ſollicitare: quamque ægre ſibi imperent homines; ut quæ teneræ mentes combiberunt, & primo quaſi colore traxerunt, ubi ſe corrobora-

Digitized by Google

borarint, exuant & deponant. Per tamen paucos tam irata natura editos eſſe lubens crediderim, ut locum melioribus facere neſciant: nihilque gratius gravi viro accidere poſſe ſemper decrevi, quam ut ab iis quibus ſpecie ductus ſe tradiderat, revocetur atque ad veritatem traducatur.

II. Superioribus illis, ſi qui, quod nolim, ſint, ἐῤῥῶσθαι λέγω. Cum poſterioris optimæ illius notæ hominibus ut res mihi ſit, in hoc meo curſu vehementer exoptandum eſt, quo ſecundiore aura optatum finem detur contingere. Horum vero non tam gratiam favoremque mihi redimere velim, aut ambitioſa oratione venari, quam fidem religionemque devincire, ut de me meisque circa Divinas Scripturas conſiliis, fortiter & ſevere in judicium eant. Vel centies enim cauſa cadere abjectusque diſcedere malim, potius quam ut minimus a me Legis apiculus violetur, aut unica verbi genuina ſignificatio contemeretur.

Radici נפץ manus admovetur.

III. Hiſce legibus illigatus, operam meam dedo radici נפץ / qui veritas ejus nonnihil debilitata locoque mota, in integrum reſtituatur: eademque loci complures, tum ſingulari, qua adhuc caruerunt, gratia veſtiantur, tum novo ſenſu mactentur. principio autem veterum fontes accedemus, & quid illi nobis ſubminiſtrent opis videbimus: deinceps recentiorum examinabo opinionem, atque unde emanarit, quam parumque roboris habeat & auctoritatis, patefaciam: poſtremo nativam indolem edam, ſuisque finibus circumſcriptam firmabo.

Græcarum interpretum varietas & inconſtantia in hoc verbo reddendo.

IV. Magna ſatis fluctuatio τοὺς LXX. tenet, quique eorum veſtigia ferme perſequitur, *Vulgatum*. συντρίβειν dederunt Pſalm 2: 9. *conterere* uti *Hieron.* at Vulgat. *confringere*. Aliter paulo verterunt Pſ. 137: 9. ἐδαφίζειν *allidere*. & Jer. 48: 12. συγκόπτειν *collidere*. Sed Jerem. 51: 20. 21. 22. 23. ſexies διασκορπίζειν reddiderunt, ubi Vulg. *collidere* retinuit. Idem hoc διασκορπίζειν habent, Jerem. 13: 14. & *Vulg. diſpergere*, ut & Dan. 12: 7. διασκορπισμός eſt, & *diſperſio* apud *Vulg*. Huic affine διασπείρειν exhibent Eſai. 33: 3. & 11: 12. & 1 Sam. 13: 11. & Gen. 9: 19. At Eſai. 27: 9. אבנים מנפצות efferunt λίθους κατακεκομμένους. *Aquila* προσεῤῥαγμένους. *Symmachus* λελεπτυσμένους. *Theodotion* vero ἐκτετιναγμένους *excuſſos*. quo exemplo etiam *Aquila* Jer. 22: 28. ἐκτινάσσειν habet, ſecundum LXX. qui idem hoc verbi 1 Reg. 5: 9. & Jud. 7: 19. pro נפץ ſubſtituerunt.

Non multum opis ferre veteres in notionibus finiendis.

V. Ex ſpinis hiſce & dumetis emerſiſſe me lætor, ex quibus hunc velim fructum percipiat Lector, nihil admodum præſidii expectari poſſe ab veteribus interpretibus in poteſtate radicis alicujus figenda. Non quod dignitati eorum quicquam detractum ire velim, aut laudes eorum conterere: magno eos ſemper in pretio & numero poſui. at præſtringi me ſplendore nominis eorum non patior, neque mentis luminibus officere ſino altitudinem famæ & antiquitatis. Multo uberrimum ex iis fructum redundare poſſe, præ me fero, domique adeo edoctus teneo: at in genuinam principemque radicum indolem, vix ac ne vix quidem eorum ope intrari poſſe videtur; magnamque fruſtrationem injici neceſſe eſt illis, qui in hiſce ducibus omnes ſpes opesque

ſuas

Digitized by Google

ſuas reponunt. Sexcentis id exemplis vincere in proclivi foret: ſed non longe abiero: ſuffecerit, quod ſub manibus eſt. Edat mihi qui Veteribus omnia defert, quid in ſtirpe ſua dicat נפץ/ Eſtne συντρίβειν? eſt inquies. Ego vero negabo, & ἐκτινάσσειν prima in origine contineri contendam. Eodemque jure alius nobis ἐδαφίζειν, alius διασκορπίζειν, alius aliud oggerere poterit. Ut adeo fluctuandum ſemper ſit, in viciniaque hærendum, ſi horum ſe auctoritati dedere animum quis induxerit: non enim quemquam tam ἄνουν fore crediderim, ut omnes hos ſignificatus tanquam primitivos, unam ſub radicem conglomerare ſuſtineat.

Similis Chaldæorum interpretum fluctuatio.

VI. Non felicius veritatem in tranquillo locare datur ex Chaldæorum paraphraſibus; ſimilique inconſtantia fluctuant ac per diverſa feruntur. Modo enim illis נפץ valet תרע *confringere;* modo רכיש *allidere:* nunc גרי *inſtigare:* iterum רמי & טלטל *projicere, in longum porrigere:* denique בדר *diſpergere.* Quarum omnium notionum fieri poteſt ut nulla, non poteſt ut plus una genuina ſit & primo ab ortu inſita: quam tanta in obſcuritate nemo facile inveſtigaverit; præſertim quum periculum ſit, ne opera penitus ludatur.

Quorum tamen auctoritati ſeſe omnes tradiderunt.

VII. Ex hiſce tamen fontibus dimanavit ea, quæ nunc vulgo circumfertur, ſignificatio: atque auctore *Kimchio* נפץ habet ענין פזור *notionem diſpergendi* proprie & primario. At quum ſignificationem hanc citra multorum locorum vim & efficaciam ſtare videret, adjunxit & aliam itidem ex Chaldæo hauſtam: ויש מהם פזור עם השבר והרצוץ *ſunt ex iis loca ubi diſperſionem valet, fractioni & contritioni conjunctam.* Sic R. *Nathan* radici noſtræ attribuit geminam poteſtatem פזור או רצוץ *diſperſionis aut contritionis.* Quam utramque deinceps omnes calculo ſuo firmarunt, atque in Lexica & verſiones receperunt.

Verum verbi vim omnes Orientis dialectos præferre.

VIII. Hic vero a veritate aberratum eſſe, eo magis mirum accidit, quod non in *Arabiam* ſe abſtruſerat, ſed in *Chaldæorum* & *Syrorum* reliquiis ultro ſeſe ingerebat. Verum impoſuit paraphraſium Chaldaicarum auctoritas, nebulamque Rabbinis offudit; quam tempus eſt ut pellamus, quo ſuo tandem ingenio prodeat vocabulum noſtrum.

Arabum uſus producitur.

IX. Arabum primo uſum inſpiciamus: hunc ita tradit *Gjeubari* نفض. الشي اذا حركته لينتفض Hoc eſt. נפץ *ponitur in re quæ commovetur & excutitur.* Ut نفضت الثوب *Excuſſi veſtem.* نفضت الشجر *excuſſi arborem* & infinita talia. Inde النفض ſubſt. נפץ *omne quod excuſſum in terram decidit:* præſertim *arborum folia,* & *rerum quaſſarum fragmina.* Ab hac primaria ſignificatione longe lateque ſeſe explicat & diffundit. Infinitum eſſet omnia perſequi: præcipua libabo. Elegans in primis eſt illud, quod dicunt نفضت المراة كرشها *Excuſſit fæmina uterum ſuum:* quum *ſarcinam ſuam effundit;* & امراة نفوض eſt *mulier fæcunda,* quæ *dulci partu diteſcit.* كثيرة الولد. Alius uſus eſt in illo نفض القران *excuſſit Coranum.* Id eſt *diligenter*

legit

legit evolvitque; quomodo etiam Latinis *excutere* venit. Notanda eſt & hæc phraſis نفضت يدي *excuſſi manum meam*, quum ſocietatem initam dirimo & diſcindo. Dicitur etiam نفض المكان *excuſſit locum*, qui ſcrutatur & pertentat, num quæ metus cauſa lateat. Et نفضة *exploratores*, unde decima conjug. ſonat *equitem explorandi cauſa præmittere.* Nec omittenda locutio انفض القوم *excuſſit populus* vaſa ſua, *quum commeatus abſumtus eſt:* quod idem etiam de iis dicitur *quorum res opesque funditus interierunt.* Valet etiam *quaſſare, concutere*, unde نافض exponitur حمي ذات الرعدة *febris concutiens*, & نفضته الحمي *conquaſſavit eum febris*, & نفضاء *frigidus* ille *horror*, *qui membra febricitantis quatit.*

X. Arabibus pulcre ſuccinunt ceteræ Orientis dialecti, quæ ab Hebræa propaginem ducunt. Syrorum quidem ܢܦܨ per ſe cum *diſperſione* aut *diffractione* nihil commune habet, ſed *excutiendi* vim ubique præfert. Pſalm. 78: 65. *Inſtar viri* ܕܢܦܨܗ ܚܡܪܗ *quem vinum ſuum excuſſit.* Job. 17: 8. quod in Hebr. erat יתערר *excitat ſe*, Syrus extulit ܡܬܢܦܨ *excutit ſe.* Gen. 24: 20. reſpondet Hebræo ערה *exinanire* vas, quaſi dicas *excutere.* notat etiam aliquando *vomere*, quod ab *excutiendo* tranſſumtum eſſe palam eſt. non aliter Chaldæos verbo hoc uſos eſſe, tenues quædam reliquiæ declarant. Gen. 24: 20. *Targum* quoque habet נפץ *excuſſit* vas, pro ערה Jud. 6: 38. *expreſſit rorem e vellere.* Chaldæus dedit נפץ *excuſſit.* Clarius Jeſ. 53: 2. אתנפצי מעפרא *Excute te ex pulvere* pro Hebr. התנערי. Nec minus luculenter Eſt. 1: 11. מנפצן עמר *excutiunt lanam.* Thalmudicis hac eadem poteſtate frequentatur. Schabb. fol. 147. חזה רבנן דקא מנפצן גלימיהו *vidit Rabbinos pallia ſua excutientes.* Plura Buxtorfii Lex. ſuppeditabit. Denique apud Æthiopes ſimili uſu conteritur. Gen. 31: 40. *Aufugit ſomnus ab oculis.* Æthiopica verſio ነፍጸ *excuſſus eſt:* de *palea* etiam dicunt נפץ quum *ventilando excutitur*, habentque multa alia quæ indolem a nobis poſitam planiſſime referant.

Ceteræ etiam Orientis linguæ in partes advocantur.

XI. Hanc ſignificationem, in quam tanto conſenſu omnes Orientis linguæ conſpirant, revocandam ſuisque in ſedibus poſtliminio reponendam eſſe contendere auſim. Quod ſi veterum interpretum quis requirat auctoritatem, neque ea deficimur; LXX. enim aliquot in locis *ἐκτινάσσειν* vertiſſe, ſupra oſtendi: *Theodotionem* etiam & *Aquilam* ejusdem notionis auctores laudavi. Sed quod maxime movere debet, aſſenſionemque omnium conciliare, eſt plana dilucida & ſponte fluens omnium explicatio, talium præſertim, quæ ex recepta opinione commodam interpretationem ſortiri nequeunt. Etenim minimis momentis maximæ inclinationes ſenſuum fiunt, & ſi vel tantillum a veritate radicis declinaveris, tota ſæpe ſententia pereat, vel obſcuretur neceſſe eſt.

Sua radici reſtituitur vis & indoles.

Digitized by Google

Unde inſignis in Daniële locus nova verſione augetur.

XII. Illuſtri documento erit Dan. 12: 7. ככלות נפץ יד עם קדש תכלינה כל אלה. Locus eſt variis obnoxius hallucinationibus. Receptiſſima verſio eſt. *Et quum conſummatum fuerit, diſpergere manum populi ſancti, complebuntur omnia hæc.* In quo *manum* capiunt pro *multitudine* & *copia*. Alii נפץ יד valere exiſtimant *confringere vires*, *robur*, quaſi dicas *frangere manum*. Eſt qui *manum* accipit pro *plaga* & *calamitate vehementius incumbente*, quæ populum ſanctum *collidat*, miſerisque exemplis *diſſipet* ac *disjiciat*; quam vim hic נפץ exerere autumat. Mirum non eſt locutionem nusquam alibi exſtantem exercitos habere viros doctos. Ego eleganti admodum metaphora eam inter Arabes ferri jam ſupra monere præcepi, atque ex floſculis eorum eſſe dixi نفضت اليد *manum excutio*, quum me *a ſocietate & amicitia alicujus divello.* Poëta vetus in *Hamaſa*.

وكتيبة لبستها بكتيبة حتي اذا
التبست نفضت لها يدي

Sæpe turmam turmæ commiſi, usque dum
Permiſta pugna, excuſſi illi meam manum

Ubi *Tebrizi.* نفض اليد استعارة عن الاعراض *excuſſio manus* נפץ יד *figura eſt repudiati conſortii.* Splendidam hinc reddamus Daniëli ſententiam. *Quumque finem habebit excuſſio manus populi Sancti, omnia illa conſummabuntur. Excuſſio manus populi*, eſt dirum illud & acerbum repudium, quod genti olim adamatæ renunciavit Deus, tandem aliquando tamen finiendum & felici omnium converſione abolendum: quam ſpem fidemque ut alia faciunt vaticinia, ita hoc etiam oraculum fovere deinceps poterit, ſi ratio verſioni noſtræ conſtare judicabitur.

Locus ex 1 Reg. elucidatur.

XIII. Expediamus etiam quod hactenus impeditos habuit interpretes 1 *Reg.* 5: 9. *Servi mei comportabunt* cedros *ex Libano ad mare; easque ego ratibus junctas devehebam mari. ad eum quem mihi mittes locum:* ונפצתים שם ואתה תשא. Hinc nunquam ſe explicabunt, quibus *diſperſionem* cum *diffractione* valet נפץ. Aperte reclamat ſenſus, nec ſimile quicquam patitur. At verte. *Et ibi locorum eas excutiam; tuque tolles.* & omnia erunt in vado. Nempe ſuo periculo cedrorum rates ad certum aliquem locum mari ſubvehendas ſuſcipit Hiramus, quem ubi tetigerint, eas e manu ſua emittere, Salomonique transdere poſtulat, ut ipſe deinceps eas quo velit deportari curet. Hoc eleganter admodum & nervoſe verbo *excutiendi* exprimit. & ſic LXX. hic loci etiam dederunt ἐκτινάξω. *Chaldæus* ארמינון *projiciam eas.*

Moſi inſigne lumen orationis inditur.

XIV. Singulari etiam venuſtate & gratia ſeſe commendat figura, qua ſtylum ſuum expolivit Moſes Gen. 9: 19. *Tres hi filii Noachi ſunt* ומאלה נפצה כל הארץ *atque ex his univerſa terra excuſſit ſe.* Hoc eſt. *Ex his novi mundi* pro-

Digitized by Google

profeminatoribus quaſi gravidata terra, innumeram illam, quam ſuſtinet, prolem fudit. Locutio eſt in Oriente celebrata, *excuſſit uterum ſuum*, & præciſe *excuſſit*, de femina quæ *enititur partumque edit.* Hoc ſuperius curſim perſtrictum, uberius nunc exequamur. *Gjeubari.* نفضت الامراة كرشها فهي نفوض كثيرة الولد ونفضت الابل ايضا وانفضت تنحت قال ذو الرمة

كلا كفاتيها تنفضان ولم تجد
لها ثيل سقب في النتاجين لامس ✡

Excuſſit femina uterum ſuum נפצת / & נפוץ abſolute *largæ prolis mater. De Camelis etiam in prima & quarta Conjug. ſuppreſſo uteri vocabulo, eſt fœtum effundere. dixit Dſulrumma.*

Utraque Camelorum ſuboles excutit, neque invenis
Si anquiſiveris, gemina in fœtura veretillum maris.

Scilicet femellarum in veterino hoc ſemine, ut major eſt utilitas opportunitasque, ita majus etiam conſtituunt pretium. Metaphoram hanc, quam Moſi reſtituo, haud difficulter ſeſe hominibus eruditis approbaturam confidimus, quum nihil familiarius ſit quam terram *matrem* appellitari. Non ſatis autem perſpicio, quomodo commode hic verſari poſſint, quibus radix noſtra *violentam diſſipationem*, cum *diffractione* conjunctam, continere videbatur. Proinde vel vim hanc minuunt molliuntque, vel plane aliam aſſumunt poteſtatem, ut Noſtri, qui *conſtrata eſt terra* dederunt; non optimo ſane exemplo. Sed nec *diſpergere*, ſi jam omnis violentia eximatur, ſatis convenit, quando non in eo eſt Moſes, ut gentium per terrarum orbem diſſipationem enarret, ſed id ſolum intendat, quicquid hominum terra continet, id omne ex Noachi filiis ſeminatum procreatumque eſſe. Sed nulla ratio eſt, cum ſe veritas extulit, in erroribus fugandis operam conſumere.

XV. Simillimus huic & maxime geminus eſt uſus, quem Arabes ſub verbo مخض adſcivere. Hoc quum in origine ſua dicat, *agitare utrem & concutere butyri cogendi ergo;* haud invenuſta tralatione migrarunt ad feminam, *quæ doloribus correpta & concuſſa parturit.* Sic in illo *Burſi el Taji* in *Hamaſa.* Par Arabum alio etiam in verbo uſus.

ويترك ذا الباو الشديد كانه
من الذل والبغضاء شهباء ماخض

Et relinquit ſtrenuum glorias flantem, velut ſi
Præ ignominia & acerbitate Camelus eſſet parturiens.

Et apud *Zamachſharium* ad verba *Alcorani* Sur. 81: 8. واذا الموودة سيلت *Quumque quæ viva infoſſa eſt interrogabitur.* Ubi immanem hunc priſcorum Ara-

Arabum ritum prodit. قيل كانت الحامل اذا قربت حفرت حفرة فتمخضت علي راس الحفرة فاذا ولدت بنتا رمت بها في الحفرة وان ولدت ابنا حبسته *Fama tenet moris fuiſſe, ut quum partui vicina eſſet gravida, foſſam effoderet, atque ſupra eam foſſam eniteretur. quod ſi filiam ederet, in foſſam projici, ſin filium, tolli ſolitum fuiſſe.* In Arabico pro *eniti*, eſt *utrem lactis agitare.* Actio autem verbi مخاض *agitatio utris* multo aſſiduoque uſu huc tandem evaſit, ut ſimpliciorem indolem quaſi exuerit, inque ſola metaphora uſurpari amet; etiam in vulgari plebis ſermone; unice enim per وجع الولادة *dolor partus* a Lexicographis declaratur.

Unde alius etiam apud Moſen locus nativo ſplendori reſtituitur.

XVI. Hæc non tantum ingens addunt præſidium iis, quæ proxime in medium detulimus: verum etiam ſplendidiſſimum lumen infundunt & acumen alteri Moſis loco, quem merum hactenus frigus occupavit. Gen. 30: 20. *Et dixit Lea*, זבדני אלהים אתי זבד טוב הפעם יזבלני אישי כי ילדתי לו ששה בנים Lætæ voces ſunt, quas gaudio elata rumpit fœcunda illa Jacobi matrona, ſextum jam enixa, & ſtirpe virili maritum ditans. Radix autem זבד cui tota innititur ſententia, hoc ſolo in loco, tanquam in tabula, commune Hebrææ linguæ naufragium enatavit, neque uſquam alibi ſeſe offert. Hoc ut magnam parere debuit obſcuritatem, ita auxit tenebras, quod lingua Chaldaica & Syriaca eadem, hac in parte, clade involuta ſit, & ne minimum quidem verbi hujus veſtigium reliquerit. Ergo ſeque conjecturasque ſuas indulgere interpretes; &, ut fit, primum quidque arripere atque amplexari. LXX. δεδώρηται ὁ Θεός μοι δῶρον καλόν. Nec abit *Vulg. Dotavit me Deus dote bona.* Idem hoc placuit *Onkeloſo.* At *Jonathan* ipſa ſacri textus verba retinere ſatius duxit. Poſterioris memoriæ videamus *Kimchium.* ענינו לפי מקומו נתן לי מתן טוב *Radicis vis ex loci ſenſu haurienda eſt: eſtque, dedit mihi donum bonum.* Firmat etiam, ſi Muſis placet, ex Arabica lingua, in qua זבד veniret בלשון מתנה/ auctore *R. Jona.* Hinc vires ſumſit ea opinio, perque omnes fere propagata eſt. At veſtram fidem Interpretes! quid leporis, quid venuſtatis dignitatisque huic ineſt ſententiæ, *Dedit mihi Deus donum bonum?* Quis tam exſurdato eſt palato, quis aure tam jacente, ut hoc jacere, atque adeo frigere torpereque hic loci non ſentiat? At hæc te, ni falſus ſum, feriet, hæc implebit oratio, & in aurem animumque mira jucunditate influet. *Utrem mihi meum optima agitavit Deus agitatione: nunc utique conſueſcet & habitabit mecum vir meus, quod jam ſex ei partu edidi filios: & appellavit eum Zebulon.* Ubi cave prætervolet alliteratio verborum זבד & זבל/ in quibus haud ſine ſale & venere delicias hic facit Lea. Dedita opera *utrem* poſui, quum *uterum* verecunde deſignet. ſed corrumpendus non erat nativus ſententiæ color.

Quæ verſio auctoritate Arabum firmatur.

XVII. Hanc fugitivam notionem ex Arabia retrahens, bonis avibus ad ſedes ſuas remigrare jubeo, perennemque Moſi lucem adfundere. *Gjeubario* quippe auctore, زبد זבד ejuſdem eſt poteſtatis & indolis cum verbo مخض,

Digitized by Google

مخض, cujus tum propriam ſignificationem *utrem movendi*, cum transſumtam, quæ in *parturiendo fætumque enitendo* frequentatur, ſuperius cauſæ noſtræ præmunivimus. Sed ipſius verba *Gjeubarii* apponam. زبدت المراة سقاها اي مخضته حتي يخرج زبده *Fœmina* זבדת *utrem ſuum, quum concutit eum donec butyrum exeat, quod* זבד *appellatur.* Verum ſatius fuerit, verbi inter Arabes uſum exhauſiſſe, intimosque ejus ſenſus & uſus recluſiſſe.

Univerſa radicis poteſtas panditur.

XVIII. Hic iterum *Gjeubarium* ducem ſequemur. Ita ille. الزبد زبد الماء والبعير والفضة وغيرها والزبدة اخص منه تقول منه ازبد الشراب وبحر مزبد اي مايج يقذف بالزبد وازبد السدر اي نور والزبد زبد اللبن والزبدة اخص منه وزبدت الرجل اي رضخت له من مال وفي الحديث انا لا نقبل زبد المشركين اي رفدهم وزبدت المراة سقاها اي مخضته حتي يخرج زبده وزبدته اي اطعمته زبدا وتزبيد القطن تنفيشه وزبد شدق فلان وتزبد بمعني ويقال تزبد اليمين اذا اسرع اليها *Zebed* זבד *aquæ, cameli, argenti aliarumque rerum ſpuma eſt, &* זבדה *idem, ſed reſtrictiore & peculiari magis uſu. Hinc de vino dicis in 4. conjugatione* אזבד *ſpumavit, & mare* מזבד *fluctuans ſpumasque agens. Loti etiam arbor, quum flores fundit,* אזבד *dicitur, quaſi ſpumas egit. Zubd* זבד *vero lactis, eſt butyrum; idemque* זבדה *ſed anguſtiore ſenſu. In prima conjug.* זבדת אלרגל *eſt, pauxillulo aliquo aliquem donavi. Uti in Traditione. Nos idololatrarum* זבד *donum non accipimus. De fœmina etiam* זבדת סקאהא *utrem ſuum concuſſit ad butyrum eliciendum* זבדתה *etiam eſt, dedi ipſi butyrum edendum. In ſecunda conjugatione uſurpatur in goſſypio carpendo carminandove; ut etiam de rictu ſpumas agente, nec non in quinta conj. in qua eadem, phraſis fertur* תזבד אלימין *temere juramentum effutiit.* quaſi dicas *deſpumavit.*

Uſus unus & item alter elegantior ſubjicitur.

XIX. Teſtimonium tam locuples, quum principem verbi poteſtatem, tum divitias dicendi, & opulentiam qua circumfluit, in omnium oculis defigit. Proinde in exemplis auctorum aggerandis odioſi multique notam vitabo. Florem tamen unum alterumve ſermonis ab *Gjeubario* neglectum, ex Poëtarum Oratorumque pratis decerpſiſſe, linguæ ſtudioſos juvabit. Ridens eſt & nitidum hoc *Harirœi* in differt. 19. ثم اقبلنا علي الحديث نمخض زبده ونلغي زبده *ingreſſi deinceps ſermonem ſumus, butyrum ejus agitato quaſi utre exprimentes, ſpumamque rejicientes.* Feſtive ludit in voce זבד/ quam ſi *Zubed* legas, *butyrum* dicit; ſin *Zebed*, *ſpumam* ſonat. Eſt etiam phraſis haud invenuſta تمخرم زبده *diſcuſſa eſt ſpuma ejus*, in eo cujus *ira ſedata eſt:* qua de uberibus agendum erit, quum obſcuratam verbi זעם faciem renovabimus. Sed nec hoc venere caret quod *Omeija* reliquit in Diw. Hud.

Digitized by Google

ذو زبد يعلو الضريرين من عل

Spumeus ac ripis deſuper imminens.

in hoſtili exercitu cladem vaſtitatemque terris minitante, haud ſecus ac fluvius, qui ſæviens ſpumoſusque cultis diluviem meditatur. In Arabico eſt דו זכר quod Veteres Hebræi בעל זכר extuliſſent.

R. Jonæ error detegitur.

XX. Ante autem quam ad inſtitutum revertar, *R. Jonæ* ab Kimchio laudati hallucinatio denudanda venit, ne cui error ex auctoritate ejus objiciatur. Hic *donandi* ſignificationem inter Arabes obtinere verbum זכר tradebat: at monuiſſe oportuerat, *in abjecto* tantum *vilique dono* poni: quam vim ſi Leæ ſententiæ ſubjunxeris, qui antea frigebat ſenſus, penitus conglaciabit. Quam bellum enim eſt. *Vili me Deus dono donavit bono?* aut cujus tam concaluit ſtomachus, ut hoc ferat? *vilitatem* autem ineſſe, quum hunc uſum ſumit, declarat verbum رضخ quod a *Gjeubario* adhibetur: valet enim hoc اعطا له قليلا *parum quid ipſi donavit* teſte eodem *Gjeubari*. Et apud Scholiaſten *Hariræi* الرضخ exponitur العطا اليسير *leviculum & nullius donum*. Origo etiam phraſeos hujus hoc palam faciet. זכרת לה eſt *ſpumam feci illi*. Hoc improprie dicit *pauxillulum aliquid ipſi condonavi*; quod *R. Jonam* niſi fugiſſet, nunquam ſe ad tam adverſum ſibi uſum contuliſſet.

Eſajæ locus refingitur.

XXI. Redeo illuc, unde defluxi. Atque hic operam noſtram ſibi vindicat Eſai. Cap. 30: 30. *Et exaudiri fecit Deus tonitru ſuum magnificum; & deſcenſum brachii ſui oſtentavit; cum æſtu venenato naſi* (ita vertendum eſt ועף אף) *& flamma ignis conſumente;* נפץ וזרם ואבן ברד *Tremor* adfuit *conquaſſans*, *& imber*, *& lapis grandinis*. Hoc pacto longe commodius ſententia & ſeries orationis habere videtur, quam ſi נפץ cum plurimis interpretibus *fulgetra* demus. Ex conjectura manavit hoc; ſed nec omnium reſponſat palato. *diſſipationem diffuſionemque* alii præferunt *aquarum cœleſtium*: alii alio ſe convertunt. At radicis nudata a nobis indoles, omnem levat ſcrupulum: & ad *cœli terrarumque tremorem*, quo *quaſſentur* & ſedibus ſuis *excutiantur* quaſi, nos ducit; quo accommodatius nihil, nihilque ſonantius heic loci reperiri poteſt. Nullus tamen negaverim, rationem linguæ Hebrææ tuliſſe, ut נפץ dicerent, pro *vibrare magnaque vi jaculari* fulmina, aliaque id genus: & numero in mentem eſt, quod *Lucan.* habet *L.* 3. *Pharſ.*

—— —— —— Excuſſaque nubibus atris
Fulmina —— —— —— —— ——

verum *fulgetra*, quæ contorta ferri oportet, hic nimiopere jacerent, odioſaque repetitione vim ſuam deperderent, quod להב אש אוכלה jam præceſſerit.

XXII.

Digitized by Google

Per ſaturam multi alii loci illuſtrantur.

XXII. Omnes hi loci, per quos hactenus progreſſi ſumus, ope noſtra nova renideſcunt facie: compluribus aliis elegantiæ nonnihil & ſuavitatis, quæ deperierat, aſpergemus. 1 *Sam.* 13: 11. נפץ העם מעלי. Vulgo *diſperſit ſe a me populus.* Tu ede. *Excuſſit ſe a me populus;* & virtutis non parum ac roboris ſententiæ accedere ſenties. Redi etiam in memoriam illius quod ad *Danielem* oſtendi, *excutere manum* poni in eo, qui *vincula rumpit conjunctionis, ſocietatemque* non *diſſuit* ſed *diſcindit.* Jeſ. 11: 12. נדחי ישראל ונפצות יהודה *Expulſi Iſraëlis, & diſperſi Judæ.* ſed fallor aut *excuſſi* plenius conſignantiusque ad aurem accedit, quam *diſperſi.* Sic Cic. in Philipp. *Conſules ex Italia excuſſos; & juventutem omnem ex Italia excuſſimus* dicit. Terent. etiam *Ut me excutiat —— id reſtat.* Et *Homo quatietur cum dono foras.* quæque alia id genus apud Latinos obvia ſunt. Parilis eſt ratio Eſai. 33: 3. נדדו־נפצו *Fugerunt–excuſſi ſunt.* Nec abludit Eſai. 27: 9. *Lapides excuſſi; quatiendo diſcuſſi & diſpulſi.* Videamus etiam Jer. 13: 14. ונפצתים איש אל אחיו *Et excutiam eos, virum ad fratrem;* ſcilicet ut alii aliis colliſi confringantur. Peſſime Vulg. & LXX. *Virum a fratre ſuo diſpergam.* conſonat Pſalm. 137: 9. *Beatus qui prehendet parvulos tuos* ונפץ אל הסלע *excutietque ad petram.* Simile eſt Jud. 7: 19. & Jer. 22: 28. Nec abit Pſalm. 2: 9. cum quo contuliſſe juvabit Jer. 51: 20. *Aries tu mihi; inſtrumentum bellicum. Et arietabo excutiamve per te populos; regnaque disjiciam* &c. &c.

Jeremiæ illuſtris locus larga luce completur.

XXIII. Superat, quem ſingulari impertiemus cura, *Jeremiæ* locus Cap. 48: 12. per ſane elegans & incredibili quadam venuſtate. *Ecce dies, fatur Dominus, veniunt* ושלחתי למואב צעים וצעהו וכליו יריקו ונבליהם ינפצו *quibus immitto in Moabum transfuſores, qui transfundent eum, & vaſa ejus inanient, & lagenas ejus excutient.* Gentem integram illibatamque a belli cladibus, quamque nulla unquam hoſtilis vis ſedibus ſuis excuſſerat atque exturbarat, æquiparaverat verſ. 11. *vino nunquam defuſo*, cujusque *odorem* juxta ac *ſaporem nulla unquam injuria temerarat.* Hanc ſimilitudinem perſequens propheta, principio צעים immittit Moabitis. *Peragratores* vertunt partim, alii *hoſpites* ut Belgæ: partim *transportatores* proxime verum: *Coccejus* autem *graſſatores* vel *grandientes gradum.* Extincta diu indoles ex Arabia exoriatur. Hic صغا צעה *inclinare* eſt. Præſertim *inclinare vas ad effundendum liquorem.* Quod quanto opere hic conveniat, quantumque nitorem addat, orationi, quid me dicere attinet? Neque huc ſe conferre dubitabit, qui noverit inter Arabes eandem, qua hic uſus eſt propheta, metaphoram hac in phraſi concelebrari: *transfudit vas ejus*, quum aliquem *ſedibus ſuis ejectum* aliquo *deportatum* dicere volunt. Sed hæc alias loco commodiore: nunc quod inſtat. Hi defundendi hauriendique vini Moabitici ſiti flagrantes, poſtquam ſe pacatiſſimis gentis in opibus probe invitaſſent, ingurgitaſſentque, deſcribuntur porro, tanquam dulci fortuna ebrii; qui haud ſecus atque illi quos vinum vicit, vaſa capite ſiſterent, lagenasque ſiccatas manibus excuterent, ſoloque affligerent. Per *vaſa* haud incommode *urbes* intellexeris, quæ direptæ dirutæque

& ſolo æquatæ ſint. *Lagenæ* forte *oppidula*, *vicoſque* & *pagos* exprimunt: quibus eadem incubuerit clades. Haud alienum etiam fuerit, *lagenas* pro ipſis *incolis* accipere, qui exhauſti excuſſique & opibus evoluti, vita ad extremum ab inſolentibus victoribus expulſi ſint. Utrumque ſpecie non vacat, & ex Arabum libris lucem aliquam fœnerari poterit.

Quo ſenſu phraſis *excutere lagenas* ſumi poſſit.

XXIV. Pro priori ſenſu militat ſolennis in Arabia locutio. *Excuſſit vaſa ſua* populus: quum *res opesque* eorum *abſumtæ* ſunt & *exhauſtæ*, vel *clade aliqua* & *calamitate deletæ*. *Gjeuharius.* انفض القوم اي هلكت اموالهم وانفضوا ايضا مثل ارملوا اذا فني زادهم والاسم النفاض ومنه قولهم النفاض يقطر الجلب هو الجدب اي اذا جاء الجدب جلبت الابل قطارا قطارا للبيع *Excuſſit populus* vaſa ſua, *quum res opesque eorum periere. ponitur etiam in iis, quorum ad arenam res rediit.* Quorum vaſa arena & inaniis oppleta ſunt. *Nomen inde declinatum* נפאץ *penuria victus*, *ſterilitas*, *omnium rerum inopia. Ita in illo, vaſorum excuſſio facit ut greges agantur, hoc eſt. Ingraveſcente annonæ penuria, Cameli per longas ſeries venum aſportantur.* Exempla paucula non faſtidient Philarabes. *Hariri* principio primæ diſſertationis طوحت بي طوايح الزمن الي صنعاء اليمن فدخلتها خاوي الوفاض بادي الانفاض لا املك بلغة ولا اجد في جرابي مضغة *Ejecerunt me adverſæ fortunæ fluctus in Tſanaam felicis Arabiæ: eamque ingreſſus ſum vacuus vaſis, & manifeſtus excuſſionis, ne minimum quidem tolerandæ poſſidens fami neque vel bucceam reperiens in pera.* Ubi Scholiaſtes. الانفاض الفقر والانفاض في الحقيقة نفاد الزاد وقد انفض الرجل اي فني زاده وهو من النفض ان ينفض الرجل الوعاء الذي فيه زاده قال الشاعر

له ظبية وله عكة اذا انفض القوم لم ينفض

والمعني انه كثير الخير لا يحتاج الي نفض المزاود *Excuſſio, inopia eſt & egeſtas: proprie autem excuſſio, locum habet in abſumpto commeatu; eſtque ab excutiendo, quum quis vaſa in quibus repoſitus eſt commeatus excutit. Dixit poëtarum aliquis.*

Sacculus ipſi & pera eſt. quæ ceteris excutientibus non excutit.

Hoc eſt *Divitiis affluit, neque neceſſe unquam habet loculos excutere.* Secundum hunc uſum, *Lagenas excutere* erit *univerſam regionem depopulari ac pervaſtare*; ac tandem *ſævis ruinis affligere atque obterere*, prout ut *vas excuſſum projicitur atque conteritur.*

Altera ejusdem locutionis facies.

XXV. Sed aliam etiam multo pulcherrimam figuram Arabum divitiæ ſuppeditant. Horum non infrequens verbum eſt. صفر وطبه *Evacuatus eſt uter ejus:*

ejus: de eo qui *mortem occumbit*, ſive *naturæ debitam*, ſive potiſſimum *violentam*, & *hoſtili manu oblatam.* Doceat hoc *Phiruzabadius* in *Camus.* صفرت وطابه مات او قتل *Evacuati ſunt utres ejus. Mortuus eſt. Aut occiſus eſt.* Lucem addat Scholiaſtes *Harirei* ad diſſ. 2. قال ابو البقا يكني بالوطب عن الجسم لانه وعاء الروح *Auctor eſt Abulbeka, utrem figuram ſuſtinere corporis, quod animæ ſit vas & receptaculum.* Exemplum habe ex *Hamaſa*, ubi *Taabbeta Sherran* inclytus ille Arabum Heros, extremum quod ſubierat diſcrimen ita tradit

قد صفر لهم وطابي ويومي ضيق الجحر معور ۞

Inibi erat ut uter ipſis meus evacuaretur; fuitque
Mihi dies peranguſtus & cladi patens.

Ubi *Tebrizi*, يريد بالوطاب جسمه اي كاد تفارقه الروح *per utrem corpus intelligit, dicitque ſe pæne animam exhalaſſe.* Laudat etiam hoc veteris Poëtæ

ولو ادركته صفر الوطاب ۞

Quod ſi eum aſſecutus fuero, exinanietur uter.

Id eſt, *obtruncabitur, animamque per vulnera efflabit.* Mirifice hoc arridet. Tantam fore victorum importunitatem immanitatemque oſtendit Propheta, ut omnibus exemplis vexatos expilatosque, atque ad medullam usque exſuctos Moabitas, per ludum tandem jocumque dira nece mactaturi ſint, non aliter quam epotas lagunculas, qui vino permaduere, manibus excuſſas affligunt, proculcant, obteruntque. Conferas velim Pſ. 2:9. Jer. 13: 12. 13. 14. & Thren. 4: 2.

CAPUT QUARTUM.

Oblitterata radix פצץ *revocatur. Huic propriam fuiſſe notionem, quam verbo* נפץ *dederant: Arabum auctoritas profertur. Radicis etiam* פוץ *vera indoles panditur. Multa inde loca illuſtrantur.*

I.

Res Hebræa de perdita radice augetur.

Verbo נפץ/ addicentibus auſpiciis, male additam detraxi ſignificationem. Eam fert animus ſuas in ſedes, unde diu exulavit, reducere; reliquiasque Linguæ Hebrææ levicula acceſſione augere; ut ita quæ de נפץ diſputavi, confirmatiora reddantur, gradumque facilius obtinere poſſint.

Ea פצץ eſt: veraque ejus natura.

II. De radice mihi ſermo eſt פצץ. Hanc Rabbini ex Hebrææ linguæ finibus ejectam, ſub פוץ in ordinem coëgerunt; eaque re non leves turbas in binis hiſce radicibus edidere. Nos ductu auſpicioque Arabum, quæ illi miſcuerunt, ſecernemus, & plurima confuſione rem Hebræam liberabimus. His ſi qua fides, ſi qua cum Hebræa lingua ſocietas, non dubitabimus verbum antiquitus floruiſſe פצץ/ cujus indolem *Gjeubarius* ita pandit. الفض الكسر بالتفرقة وفضضت ختم الكتاب وفي الحديث لا يفضض الله فاك والمفضة ما يفض به المدر وفضاض الشي ما تفرق منه عند كسرك اياه والنفض الشي انكسر وفضضت القوم فانفضوا اي فرقتهم فتفرقوا وكل شي تفرق فهو فضض وفي الحديث انت فضض من لعنة الله يعني ما انفض من نطفة الرجل وتردد في صلبه والفاضة الداهية وتفضض الشي تفرق Hoc eſt. פצץ *fractionem dicit cum diſſipatione.* פצצת חתם אל כתאב *tabularum ſigillum diffregi: & in Traditione.* לא יפצץ אלה פיך *ne frangat Deus os tuum.* מפצה *inſtrumentum glebis diffringendis disjiciendisque: &* פצאץ *quicquid diſſipatur quum rem perfringis: in ſept. conjug. diffringi; & de populo, disjici ac diſſipari, ut in prima, active eodem uſu. Iterum* פצץ *eſt particula omnis diffracta alicunde. Quod vero in Traditione fertur dictum, Tu particula es ex Dei maledictione: eo intelligitur quod ex ſpermate quaſi diffractum, intra viri lumbos verſatur.* פאצה *autem infortunium eſt*, quaſi *calamitas frangens omnia diſſipansque. In 4. etiam conjug. ſeparari, divelli.* Uſum primo loco laudatum percipias etiam in hoc *Hariræi* diſſ. 26. وتاقت نفسي الي ان افض ختم سره وابطن داعية يسره *Et cupido inceſſebat, ſigillum ſecreti*

creti ejus diffringere, *cauſamque facilitatis ejus ac munificentiæ introſpicere.* Ex Traditione autem quod laudat verbum *Gjeuhari*, id vero tale eſſe videtur, ut ſolennis formulæ inſtar habeat, qua dicunt, *Frangat Deus os tuum*, quum aliquem fractum abjectumque ac omnibus modis perditum optant. *Dentes confringere* hoc ſenſu in ſacris cognitum eſt, eoſdem etiam in locutione hac intendunt Arabes, auctores *Tebrizi* ad *Hamaſa*, & Scholiaſte *Harirœl*; & *os confringere* tantundem eſt atque *dentes comminuere.* Verum ea nunc diverticula ſequi non lubet.

Loca ubi radix hæc comparet.

III. Hoc primo oculorum conjectu agnoſcet verbum, qui tria hæc loca introſpiciet. Jer. 23: 29. כפטיש יפצץ סלע Habac. 3: 6. ויתפצצו הררי עד. & Job. 16: 12. אחז בערפי ויפצפצני Hæc exempla propaginem ducere a radice פצץ/ non vero ut Rabbinis viſum eſt a פוץ/ præter ea quæ jam produximus, adfirmabit etiam *Camuſi* auctor, docens vocabulum فضاض ſpeciali uſu frequentari in *petris disjectis*, *diffractisque montium ſaxis.*

Verbi פוץ indoles ex Arabibus declaratur.

IV. Age vero verbi etiam פוץ interiores ſenſus aperiamus, quodque a Rabbinis hic turbatum eſt, ſanemus. Illi *diſſipandi* ſignificationem verbo addixere: ſed ſi ad Arabum nos auctoritatem conferamus, alia dilucescet indoles. *Gjeubari* فاض الماء اي كثر حتي سال علي ضفة الوادي وارض ذات فيوض اذا كانت فيها مياه تفيض وفاض صدره بالسر اي باح به ونهر فياض اي كثير الماء ورجل فياض اي وهاب جواد ويقال افاض اناه اي املاه حتي فاض وافاض دموعه وافاض الماء وغيره اي افرغه Hoc eſt. פוץ *ponitur in aqua, quæ extra ripas exundat. & terra prædita* פיוץ / *ea vocatur, ex qua uberes latices dimanant. Dicitur etiam, abundavit pectus ejus ſecreto, quum illud effert: & vir* פיאץ / *eſt liberalis, largus, munificus. In 4. conj. vaſi conjunctum, eſt implevit illud adeo ut exuberet. & cum lacrymis, eſt ubertim flere: & cum aqua aliisve rebus eſt effundere.* Largus ex uberi hoc fonte redundabit fructus, perque multa Scripturæ loca ingenti cum utilitate ſe diffundet.

Unde Zachariæ lux accedit.

V. Et primo quidem luce hac perfruetur *Zacharias* Cap. 1: 17. עוד תפוצנה ערי מטוב *Exuberabunt adhuc civitates meæ bonis.* Haud paulo, puto, concinnius hoc, quam aliorum *diſſipari*, vel *huc illuc ſpargi*, vel quod Noſtri adoptarunt *conſpergi*, ſine tamen idonea probatione. protritus hic verbi ad Arabes uſus. فيض *Magna quædam & abundans bonorum copia.* فاض *Bonis diffluit & redundavit.* ذو فيوض *opibus ac divitiis circumfluens atque abundans.* quæque alia id genus ex ſcaturigine hac, prono curſu, in elegantiorem hunc ſenſum dimanarunt.

Et in libr. Sam. metaphora illuſtratur.

VI. Hoc etiam lumen ad 2 Sam. 18: 8. inſinuabit, pulcherrimamque ibi deteget tralationem, ותהי המלחמה נפוצת על פני כל הארץ *prælium per univerſam terram efferbuerat.* Ducta eſt figura a fluvio, qui extra alveum

erum-

erumpit, atque æſtuabundus omnia ruit ſternitque. *præliorum gurgites vorticeſque* percelebrantur in Oriente. Et *copias* etiam *hoſtiles*, *cum ingruente aquarum mole* comparant. Omnes denique *anguſtias* & *calamitates* ſymbolo exprimunt *aquarum:* quod quanto opere Sacris quoque Scriptoribus frequentatum ſit, neminem fallere poteſt.

Jobi etiam locus lumine hoc perfunditur.

VII. Ad *Jobum* quoque ſe notionis hujus porriget opportunitas, nubeculamque abſtergebit, qua ſententiæ decus inſigne delerunt Interpretes. Cap. 40: 6. הפץ עברות אפך Hic primo ſolemnem illum errorem errant, quem ſuperius jugulavi, qua אף *iram*, *furorem* edunt. Deinde הפץ *ſparge*, *diſſipa* efferunt. *Sparge excandeſcentias furoris tui.* Si ſenſum tantum quæris, hic acquieſcas licet: ſin te Hebraiſmus delectat, & nativum linguæ colorem adſpexiſſe volupe eſt, ita vertas. *Exundare fac æſtus naſi tui.* Irarum fluctus, qui ex corde in naſum conſurrexere, fac erumpant efferveſcantque. עברה *tumorem* dicit *æſtumque iræ*, a עבר quod in fluvio teritur quum *intumeſcit*, *altiusque ſe effert.* unde הפץ ſignificationem, quam revoco, continuiſſe, ſumma ſe claritate prodit.

In Geneſi translatio elegantior.

VIII. Ni idiorem etiam faciem ſumet Gen. 10: 18. נפצו משפחות הכנעני *Exundarunt familiæ Canaänis.* Ut aquæ ſcilicet, quarum magnitudo non alveos jam, non ripas ultra audit; ſic familiæ illæ ſuis ſe ſedibus extulerunt, novasque regiones inundarunt & opplerunt. Gemino plane in uſu verbum hoc poſuit Salom. Prov. 5: 16. יפוצו מעינתיך חוצה *foras fontes tui exuberabunt.* hoc eſt. proles tua largo ſe flumine diffundet. Ubi פוץ *fonti* attributum, vel maxime fidem Arabum adfirmat, argumentoque eſt fortem fidelemque eos rei Hebraicæ operam navare, in verborum ſignificationibus finiendis, ac propria in ſede locandis.

Alius adhuc verbi uſus.

IX. Defuncti nondum ſumus, aliaque illuſtranda ſuperant. פוצו בעם locutio eſt ſubobſcurior 1 Sam. 14: 34. hujus rationem recludat Scholiaſtes *Hariræi* ad diſſ. 13. افضنا اي اندفعنا وافاض الناس من عرفات اي دفعوا وجروا كجري السيل وافاضوا في الحديث اندفعوا فيه كذا في الصحاح. *Verbum* פוץ *in 4. conj. valet*, *cum impetu latus eſt*, *& effudit ſe in curſum. Ut in Alcor*, *effundunt ſe homines ex Arafat; hoc eſt ruunt curruntque fluminis inſtar & ſic. effundunt ſe in ſermonem. Ita in Gjeubario Lexico.* Quod ex Alcor. citatur, in *ſurat.* extat 2. *verſ.* 193. فاذا افضتم من عرفات فاذكروا الله عند المشعر الحرام *Quumque ex Arafat magno impetu vos effundetis*, *celebrate Deum ad Sacrum templum.* Sic verſ. 194. ثم افيضوا من حيث افاض الناس *Tum citato curſu effundite vos*, *unde ceteri ſe effundunt.* Apparet hinc פצו בעם eſſe poſſe, *citato curſu permittite vos*, *effunditeque:* quam in mentem ceterorum etiam interpretum verſio exibat. Sed tenet me ſuſpicio, aliud quid in ſinu ſuo gerere locum hunc. Scilicet פוץ etiam Arabibus dicitur, qui aliquid *vulgat & effert:* & quod *in vulgus emanavit* atque

ad

Digitized by Google

ad aures pervenit omnium vocant مستغاض به. Hoc ſi ſequamur, ſenſus ſe ſuggeret haud pœnitendus. *Exeat a vobis hoc, atque ad univerſum populum dimanet.* At ne dolo dicam, haud æque ridet poſterius hoc; & vix ſpongiam ut evaderet, impetrare potuit. melioribus donent Eruditi. Notentur interim ex priori, quem laudavi, uſu 1 Sam. 13: 8. & 1 Reg. 22: 17. aliaque nonnulla.

X. At non intra hos tantum fines, innoxio fere modo, fluit verbum hoc, ſed vehementiorem etiam ſibi contraxit poteſtatem, in maloque frequentari cœptum eſt. ita fluvii, quamvis clementi ab ortu decurrant, ſenſim tamen ſeſe incitant, celeresque vortices volvunt. valet quippe פוץ non parum ſæpe *dilabi*, *divagari* extra ſedes ſuas habetque noxam, errorem, interitum denique aliquando conjunctum. Num. 10: 35. יפוצו איביך *dilabantur inimici tui, & fugiant a facie tua.* metaphora tracta eſt ab *aquis diffluentibus*; quo ex fonte etiam manaſſe puto Latinorum *dilabi*, quod plane eodem uſu venire ſolet. Alia ad hanc rationem bene multa paſſim ſe offerunt. Zach. 13: 7. Eſech. 34: 6. ſimiliaque quæ non exſcribo. Unum non teneo, quo minus in medium dem, Jeſai. 24: 1. *Ecce Dominus evacuat terram* (*lagenæ* inſtar, uti alias ad בקק docebo.) *alliſamque capite ſiſtit*, והפיץ ישביה. En tibi *aquas dilabentes.* Non me fugiunt Prov. 25: 18. & Nah. 2: 2. ubi מפיץ aliud continent. Sed illud vel ad פצץ pertinet, vel ſaltem ſignificationem inde mutuo ſumſit, quod in vicinis radicibus nonnunquam uſu venit.

Latius etiam manaſſe radicis vim.

CAPUT QUINTUM.

Explicitis duobus e Pſalmis locis, & reſtituta radici פוץ *poteſtate; acceditur ad verbum* המם*, cujus indoles in alto vetuſtatis ſepulta, miris hallucinationibus infuſcata eſt. Vera ejus natura eruitur,* in tabe *ſita. Variæ tralationes hinc ductæ, quibus Arabum lingua circumfluit,* Tabes nimborum *apud Lucr. quid. Reſiduæ in Sacris Metaphoræ aperiuntur, & aliquot locis gravis & illuſtris figura ac lumen additur orationis.*

I.

Detexta ſuperioris capitis tela, obtulit ſe locus unus & item alter in Pſalmis, qui filum redordiri jubent, erroremque diſcutere, quem objicere ſolet verbi alicujus minus dextre inſpecta editaque poteſtas. Primus eſt Pſalm. 18: 15. וישלח חציו ויפיצם וברקים רב ויהמם. Hæc efferri video. *Et emi-*

Nova explicatio Pſalm. 18: 15.

miſit tela ſua, ac diſſipavit eos: fulminaque jaculatus eſt, & conquaſſavit eos. Intelligunt autem omnes ſub pronomine *hoſtes*, quorum conſtipatos globos fœda ſtrage edita diſcuſſerit Deus, & telis triſulcis fulminibusque ambuſſerit.

II. Verum nulla *hoſtium* in præcedenti oratione vox, nullum veſtigium. In ſcenam obiter prodierant verſ. 4. at verum non eſt, per decem retro ſaltum dare verſus, tamque immanem admittere hiatum. Hunc tamen ſilicem multorum concoquere potuit ſtomachus. Molliit rem, & aliquanto plauſibiliora prodidit *Clarius*, qui ita commentatur. *Hoſtes relativo deſignat, cum tamen nomen eorum non præmiſerit, quod circa quæ animi magno affectu occupantur, putant ea neminem latere, in quibus ipſi ſunt toti.* Audio; nec plane nihil eſt. Colorem tamen facile ipſa veritas diluet, anguſtiisque his nos explicabit.

III. Scilicet affixa illa pronomina reſpiciunt *Cœlos*, qui proxime anteceſſerunt; exhibentque ſenſum luculentum, gravem, altoque, quem induit Pſalmographus, cothurno reſpondentem. Terroris enim pleniſſimum excitavit theatrum, induxitque atram tempeſtatem, ſine modo & modeſtia furentem deſævientemque, ita ut terra, mare, Cœlum miſceantur, imbribusque effuſis Cœleſtis machina ruere videatur. Hanc ſcenam ita tragice magnificeque perſequitur. *Intonuit in Cœlis Deus, Altiſſimusque murmur edidit; grandine commixta, & crebro igne micante. Et contorſit tela ſua*, coruſca illa & triſulca, *& fecit exundare atque efferviſcere eos*, Cœlos; *fulmina vibravit, eosque colliquefecit.* Sic reddo יהמם/ quod ſtatim idoneis præſidiis firmabo. Nunc propoſitum urgendum eſt. Ad quod tamen vincendum verbis haud opus eſt: nihil enim cum tonitribus fulminibusque conjunctius, quam cœleſtium vis aquarum, quæ hic tanto æſtu præcipites ſeſe effundunt, ut Cœlum ipſum quaſi colliqueſcere & tabe nimborum dilabi videatur. Hæc niſi teneatur interpretatio nusquam in ampliſſima hac irati Cœli, ſpurciſſimæque tempeſtatis deſcriptione, imbres apparebunt, quod quam longe a recta ratione ſejunctum ſit, omnibus palam eſt. פוץ autem in *nubibus*, *Cœloque* poni *largis imbribus deſcendente*, multo eſt celebratiſſimum apud Arabas; quod probare nihil attinet, quum id ex verbi natura ſponte fluat.

Propter viam ejusdem Pſalmi verſ. 13. lux additur.

IV. Conſtituta ſententia loci hujus, lubet, data anſa, figuram illuſtrare, quæ in verſ. 13. ſedem tenet, cujus rationem minus feliciter vulgo expediunt. מנגה נגדו עברו עביו *A fulgure coram ipſo transeunt nubes ejus.* At quo ſenſu *transire* dicuntur *nubes*? ſententiarum fluctus ſunt & divergia. Sunt qui eſſe putent, *Celeriter ferri, verrique* per cœli faciem. Eſt qui παραφράζει. *præ fulgore micantium fulgurum disruptæ nubes, huc illuc diſtrahuntur.* Alii exponunt *extenuari*, *diſcuti* atque *ita transire*. *Coccejus* ſequentibus adnectit ſenſu haud pœnitendo. *Nubes ejus perrumpebant grando & prunæ ignis.* Vi grandinis & ignium micantium nubes diſplodebantur. Obſtat tamen verſ. ſequens, ex quo ברד וגחלי אש ſejunctim capienda eſſe liquet: eaque verba ſemel iterumque abruptius interſeri & velut intorqueri ad oculos animosque horrore per-

Digitized by Google

perfundendos. Ego in verbo עבר metaphoram relucere video ſplendidiſſimam, ductam *a fluvio intumeſcente, altiusque ſe efferente*, atque *ripas tranſcendere meditante*. Hunc enim uſum verbum *tranſire* ſæpiuscule induere, in literis noſtris volutato ignotum eſſe nequit, & ſuperius etiam Cap. IV. par. VI. a me declaratum eſt. Ut autem iſtic loci in medium dabam phraſin נפץ עברות אפך *exundare fac æſtum naſi tui*, fluctusque irarum in naſum conſurgentes fac erumpant: ſic etiam atque etiam animum velim adverti, עבר & הפיץ hic quoque conjuncta ſe offerre, quorum prius dicit *æſtum illum tumoremque quo ſe fluctus attollunt ſupra ripas:* poſterius *diluviem longe lateque ſe diffundentem*. Graviſſima hinc & dignitatis pleniſſima effulget figura. *A coruſco ejus fulgure, nubes ejus intumuere, atque æſtu correptæ efferbuere.* Gravidas expingit nubes & ingenti aquarum pondere ruinam minitantes; quas deinceps verſ. 14, 15. cum tonitruum fragore, fulminumque jactibus diſploſas exoneratasque inducit.

V. Simillimus eſt & plane geminus Pſalm. 144: 6. locus, quem paucis expediemus. *Fulmina fulmen, eosque*, Cœlos verſ. præc. atris nubibus ſubtextos, *æſtu largo exundare fac: quate tela tua,. & liquantur atque in tabem dentur jube.* Sic edo, utrumque pronomen in תפיצם & תהמם ad *Cœlos* referens; quam legem contentio cum Pſalm. 18. imponere videtur, ſenſu ſane grandi & uberi. Vehemens tamen me ſuſpicio inceſſit, poſtremum illud תהמם *liquefacies eos*, ad *montes* pertinere, quorum proxime injecta mentio, quos Cœli ruina & vaſto impetu aquarum deſuper ingruentium *diſſolvendos, in tabemque dandos* eſſe dicat.

VI. Sed edendum jam eſt, quo ductus initio, quove innixus fundamento, verbo המם inviſitatam inauditamque adhuc addiderim poteſtatem: renovandaque deleta, & oblitterata radicis indoles, ut lucem ſuam per bene multa ſpargat loca, ſuavique ea ornet figura. Hic vero non novis me duci conſiliis, aut nimio mihi opere indulgere, ſed auctorem ducemque ſequi rationem, varietas declarabit & inconſtantia interpretum, qua circa radicis hujus vim definiendam fluctuant. Simulque iis rationum momentis, artisque Criticæ præſidiis operam cauſamque noſtram permuniemus, quæ facile nobis non iniquiſſimorum devinciant aſſenſum, locumque oppreſſæ & obſcuratæ faciant veritati.

Acceditur ad radicem המם.

VII. Non omnem tamen interpretibus detraxerim verbi hujus cognitionem: ſenſum enim uſumque exteriorem ſatis feliciter indagarunt; ſed de interiori mihi nunc res eſt ingenio, eaque poteſtate, quam prima inſevit origo, propria & extra metaphoram conſiderata. Hic nihil certi exploratique ſe tenere produnt LXX. יהם enim Exod. 14: 24. συνετάραξε dant, quo vocabulo etiam Pſ. 18: 15. & 144: 6. utuntur. At Deut. 2: 15. להמם efferunt ἐξαναλῶσαι αὐτοὺς; & Eſt. 9: 24. ἀφανίσαι. Aliter iterum Exod. 23: 27. המותי ἐκστήσω & ſic Jud. 4: 15. Joſ. 10: 10. & 2 Chron. 15: 6. quæ utcumque veritatem verbi adumbrant. Peſſime vero Jerem. 51: 34. הממני ἐμερίσατό με. Et tandem 1 Sam. 7: 10. ויהמם καὶ συνεχύθησαν. quod etiam errore non vacat,

Varietas & inconſtantia τῶν LXX. in ejus notione ponenda.

cat, quum in Hebræo activum exſtet. Quis ex tam multiplici errore veritatem in tranquillo collocet? Aut quis non videt fieri non poſſe ut ex tanta jactatione genuina indoles pateſcat & emergat?

Vulgati haud minor fluctuatio.

VIII. Fluctuationem hanc, trepidationemque augebit *Vulgatus*, ſi Veteribus in verborum notione veſtiganda, & quaſi in cubili deprehendenda, utare magiſtris. Exod. 14: 24. enim *interficere* vertit, ſerie orationis invita & reluctante. Exod. 23: 27. *occidere* nihilo ſelicius, & contra loci ſententiam. Iterum *occidere* Eſt. 9: 14. At Jud. 4: 15. emollita poteſtate, *perterrere*. & Joſ. 10: 10. *conturbare* quod retinuit 2 Chron. 15: 6. & Pſalm. 18: 15. & 144: 6. *Exterrere* iterum 1 Sam. 7: 10. Semel *devorare* Jer. 51: 34. אכלני הממני *Comedit me, devoravit me*, quæ mera eſt hallucinatio. Denique *vexare* reddidit Eſai. 28: 28. *Vexabit cum rota plauſtri*, quo in loco egregie turbarunt LXX. & nihil ſani habent.

A reliquis Veteribus nihilo plus ferri præſidii.

IX. Ulteriori Veterum examine ſuperſedeo; quum enim Chaldæi libertate utantur paraphraſeos, non eſt quod ab his multum lucis circa notionum veram propriamque ſedem expectemus: quumque ceteri τοῖς LXX. fere ſequantur, fruſtra in iis excutiendis tempus abſumerem, quum cum Alexandrinis ſtent cadantque.

Recentiorum quoque vagus error.

X. Miſſis qui tantam objiciunt fruſtrationem, Recentiorum circumſpiciamus opem, num forte errorem finire, certamque ſedem capere poſſimus. At novi hic nos involvunt verſantque fluctus; æque enim atque Veteres luxuriantur in aggerandis coacervandisque ſignificationibus; quaſi non lucem & divitias oſtentando, tenebras prodant & inopiam ſolidæ fundatæque cognitionis. *Buxtorfius* tria hæc radici noſtræ ſubjungit, *profligare*, *quaſſare*, & *conterere*. Aliud tamen, quamvis vehementer affinia ſint, in origine eſt *fligo*, aliud *quatio*, aliud *tero*. Proinde ut fieri poteſt ut in tralationem migrantia, in eundem conſpirent locum, ita proprias etiam ſibi induunt metaphoras, ad quas cognata illa ſe porrigere nequeunt. Non enim ut *conterere* dicis *diem*, *vitam*, *ſtudium*, ita etiam *quaſſare* dixeris aut *profligare* ſimili ſenſu: nec ut *profligare bellum*, *templum*, *opus* eleganter poſueris, in hiſce omnibus rebus pœne ad exitum perductis, & tantum non ultimam manum paſſis: idem cum ceteris verbis expreſſeris. Non minus largus eſt *Avenarius*, qui hæc liberali manu profundit. *Tumultuando deturbare*, *impetu quodam conſternare*, *concitareque tumultum magnum*. Haud paulo prudentius circumſpectiusque *Coccejus*, qui uno in *agitandi* vocabulo mentem fixit, quamvis tectorio veteri deleto, novum minus feliciter inducat, quum illud longe longeque infra vim ſubſidat radicis. *Forſterus* itidem unum tenuit *turbare*, vehementiam verbi nervumque etiam neutiquam attingens. Rabbinorum oracula ſi conſulamus, forte dubia & ancipiti nos dimittent: tradunt enim חמם poſſidere לשון מהומה eandem poteſtatem quam radix habet הום; Ubi vero quid הום contineat requiſiveris, nil præter לשון מהומה auferes, mirifico acumine idem per idem declarantes: quaſi quis *Vexandi* indolem evoluturus, verbo *Vexationem* ineſſe magno edat hiatu.

XI. At-

XI. Atque hæc quidem probatiſſima tritiſſimaque præferunt Lexica, quod ſi per poſteriorum temporum verſiones ire vellem, eaque colligere & conſtruere ſignificata, quæ in iis noſtræ aſſignantur radici, major longe excreſceret acervus. Neque tamen id vehementer vitio verto interpretibus, in radice cujus propria & ab ortu inſita vis plane extincta eſt, & vetuſtate ſepulta, atque ad cujus primam originem nulla mortalis acies explorato penetrare poſſit, niſi veſtigiis & luce gaudeat Veterum monumentorum: ſed tantum requirere hac in parte poſſe videor vel judicium ſagacitatemque, vel voluntatem ſimplicitatemque eorum, qui Lexica condiderunt; quod aut non perſpexerint, aut monere neglexerint, in primæva indole perveſtiganda extrahendaque, liquidi nihil dilucidique ipſum Sacrum fontem ſuppeditare, & quod in omnibus, quæ ſuperſunt, exemplis hujus verbi metaphorica dominetur ratio, & ne unius quidem loci relictum ſit veſtigium, quo proprietatem verbi ſubodorari, & nativa in ſede indagare liceat: adeoque neceſſe eſſe, ut vel judicium circa verbi proprietatem ſuſtineatur, vel confectandis rivis a matre Hebræa profectis nos demus, num forte deliteſcens inde veritas in lucem revocari poſſit. Qui tamen hac in parte excuſari merentur.

XII. Hanc generoſiſſimam ſimplicitatem ingenuitatemque ſi induere potuiſſent Rabbini, noſtrique omnes unanimi conſenſu exercuiſſent, refloruiſſet jam dudum res Hebræa, diuque diſcuſſæ fuiſſent illæ tenebræ, quæ nunc bonæ magnæque parti linguæ adhuc incubant, præſertim circa primitivum ingenium. Inflammato enim ſtudio rapti fuiſſent multi ſacræ doctrinæ amantiſſimi, ad adyta ea inſinuanda, monumentaque antiquitatis excutienda, unde haud vana affulgebat ſpes, afflictas & exulceratas partes & membra Hebraïſmi ſanari, & in integrum reſtitui poſſe. Nunc vulnera occultante medico, vel verius minus dextre inſpiciente & pertentante, colorem inſuper quendam adſpergente ſanitatis, plurimorum retardatus eſt impetus, ſufflaminata induſtria, & ardor animi reſtinctus, vel potius alioverſum traductus: dum interim errores altius altiusque inſederunt atque irroboraverunt, tantasque forte egerunt radices, ut moveri amplius ac convelli non poſſint. Niſi quod ſimplicioribus & magis ingenuis eſſe licuiſſet.

XIII. Sed jam tandem quietam ſtationem ex tanta jactatione invehamur, & ubi ceteri libere huc illuc per ubertatem Linguæ Latinæ vagabantur, certis ſuisque terminis verbum circumſcribamus. Phari vicem præbent Arabes & tutum monſtrant curſum. His auctoribus هم propriam ſedem occupat *in eo qui quid liquefacit vi ignis & ad tabem redigit:* quando enim *aqua affuſa* aliquid *maceramus* & *in liquorem damus*, مش potius adhibemus ſive מסס/ quamvis hæ leges, ut fit, in communi ſermone ſæpe refigantur, verbaque pro arbitratu permiſceantur. Affluentiſſimas autem Arabum copias opesque dicendi cum hoc verbo, ex *Camuſo* recludemus: quæque ibi confuſius & quaſi per ſaturam congeſta ſunt, juſtum in ordinem redigemus. Verbi vera natura eruitur & ſtabilitur.

XIV. Principem locum tenet. هم الشحم اي اذاب *Adipem* המס *id eſt liqueſecit*. Et انهم الشحم *Liqueſactus eſt adeps*, in paſſ. Cum quo conſen- Elegantior verbi uſus in *nive tabida*.

 tit

tit Scholiaſtes *Hariri* تقول في الاصل همته النار اذا اذابته *primario & in origine verbum* המם *in igne ponitur cum aliquid colliquefacit.* Habet non raro *tabem* conjunctam, quam vim *liqui* & *liqueſcere* etiam ſumunt. انهم الهاموم *contabuit gibbus cameli:* & ipſe ille *gibbus tabe affectus* هاموم audit האמום/ nec non همام המאם *Homâm.* Dicitur etiam هاموم وهمام الثلج האמום והמאם אלשלג *Hamoum & Homâm nivis; de liqueſcentis nivis tabe:* & همت الشمس الثلج وانهم *In tabem dedit ſol nivem, & extabuit.* Hebræi Veteres dixiſſent השמש המם השלג ויהם. Latini quoque *tabem* in *nive* concelebrarunt, quomodo *fluentem tabem liqueſcentis nivis* dixit Liv. & *in tabida nive volutari.* Et *tabeſcere* Seneca. *Congeſtæ ſeculis tabuere nives:* nec non *Cicero* in *glacie.* *Aquilonibus dureſcit humor, idemque viciſſim molliter tepefactus, tabeſcit calore.* Et qui minime hic prætermittendus eſt copioſiſſimus & elegantiſſimus *Lucretius* L. 6.

Albas decedere ningues
Tabificis ſubigit radiis ſol omnia luſtrans.

Abſtruſior ejuſdem verbi metaphora in pluvia.

XV. Ab hoc fonte longe lateque ſeſe explicuit & diffudit per varias figuras & tralationes, quas perſequi non vacantis fuerit operæ. Origini proximum eſt quod terunt سحابه هموم *nubes* חמום *pluviam effundens, & tabe quadam quaſi diffluens & liqueſcens.* Rationem metaphoræ mirifice illuſtrat *Lucret.* L. 6.

Præterea cum rareſcunt quoque nubila ventis,
Aut diſſolvuntur ſolis ſuper icta calore:
Mittunt humorem pluvium, ſtillantque quaſi igni
Cera ſuper calido tabeſcens multa liqueſcat.

Notari autem velim, de clementiori pluvia ſuaviſſimam hanc ſimilitudinem adhibuiſſe poëtam: ſubtexit enim mox.

Sed vehemens imber fit, ubi vehementer utroque
Nubila vi cumulata premuntur, & impete venti.

Pulcre conſpirant Arabes; quibus الهميم & الهميمة אלהמים & אלהמימה eſt *pluvia tenuior* & *lenibus guttis deſtillans.* In quam mentem etiam accipio *tabem nimborum*, quam mirificus artifex fabricavit *Lucretius* L. 1. cujus venuſtatem floremque quum infeliciter obtriverit *Giſanius*, data anſa, ſplendori ſuo reſtituamus. Ita canit.

Et niſi tempeſtas indulget tempore fauſto
Imbribus, & tabe nimborum arbuſta vacillant;
Solque ſua pro parte fovet, tribuitque calorem:
Creſcere non poſſint fruges, arbuſta, animantes.

Ubi

Digitized by Google

Ubi per *tabem nimborum* intelligit *pluvium humorem*, quem nimbi, alii alios pellentes & protelo agentes, adſpergunt adfunduntque, tanta copia, ut rami nutent & graventur: ut eo, tanquam alimento ſuccoque, nutriantur arbores & magis magisque ſuccreſcant. A qua poëtæ mente toto cœlo aberravit Vir Doctus, quum *tabem nimborum*, *nimbos noxios & peſtiferos* interpretatus eſt. Sed ad Arabes revertor. Conſimili modo التهميم infinitivus conjugationis ſecundæ, uſurpatur *de pluvia ſenſim ſtillante & tenuibus guttis*. Proprie eam dicit actionem, qua Deus *nubes inſtar ceræ diſſolvit & quaſi liquefacit*, ſuperne calore & vi ſolis ictas. Nec longe abit من البير هموم חמום *In puteo* בְּאֵר *poſitum*, quod valet, *largo humore affluentem* & *quaſi liqueſcentem*.

XVI. Hinc alia, ut fieri aſſolet, iterum effloruit translatio, per ſane venuſta. هم اللبن id eſt حلب vel مري *mulſit; ſtrictis uberibus lac expreſſit & eliquavit*. Uſum e veterum monumentis prodidit *Phiruzabadius*: originem, in qua pandenda ipſi ſæpe Arabes cæcutiunt, non attigit. Ego a *nubibus* ad *ubera*, atque a *pluvia* ad *lac* gradum eſſe factum pro certo atque explorato habeo. Et ſic viciſſim bina hæc *mulgendi* verba حلب & مري in *pluvia* etiam locum inveniunt, vel potius in *ventis*, qui *pluvium humorem* quaſi *exprimunt* & *emulgent*: quin etiam poëtæ calori quo feruntur, vel furori verius ſe permittentes, *nubes pluvia onuſtas*, *camelis* aſſimilant *fœtis* & *partui vicinis*, aut etiam *lacte diſtentis* quibus *ubera exonerare* neceſſe habeant venti. Ex multis unum alterumve ſufficiet. In Diw. Hudeil *Abu Tzachr.*

Unde nova iterum procuſa tralatio in *mulgendo*.

تجوز منائيج الغمام وتمتري
مطافيل لم يندب بها صر حالب ☆

Agunt, venti, *fœtas nubium*, *mulgentque*
Comitatas pullis, nubeculis, *neque ubera adducto lædunt nodo.*

Alio in loco idem de nube

مربة ضجوج لها مدر وحالب

Admiſſarium paſſa, & clamorem edens quum mulgetur, quam venti verſant mulgentque.

Radix etiam در quæ hic adhibetur, utrumque uſum amplectitur: Valet enim *radiatim lac emiſit* camelus, & *pluviam* cœlum. *Ita Golius.* Et مدرار apud eundem *lacte affluens* camelus, & *copioſe pluviam fundens Cœlum.* Hæc propterea uberius executus ſum, quod radios ſuos per Sacras etiam Scripruras diffundere poſſint, quemadmodum in ſequentibus oſtendemus.

XVII.

Digitized by Google

Alia adhuc uſurpandi ratio.

XVII. Cum uſu tamen Biblico magis conjuncta eſt metaphora, qua ad *corpus animumve* traductum verbum, eſt *ſenio morbove conficere*, vel *ægritudine, mærore, metu, conſternatione aliisve perturbationibus tabificis, animum exedere & conſumere*. Ita dicunt. همه المرض *colliquefecit eum morbus, & tabida macie conſumſit*. Parili tralatione Græci ſuum τήκω ditarunt, & συντήκω aliaque compoſita, notique ſunt Medicorum filiis συντηκτικοὶ πυρετοί. Et Latinis *tabes* in morbis celebrata, & *morbo tabeſcere* tam proclive eſt & obvium, ut probationem aſpernetur. Vicino uſu ponitur in *ſenio corpus conficiente*, & præciſe هم paſſive, *ſenio contabuit*, ut & in ſept. conjug. انهم. Unde adjectivum هم *decrepitus, ac ſenio feſſus*; abſolute uſurpari ſolitum, & adjuncto etiam شيخ *ſene*. Hariri diſſ. 7. شيخ هم *ſenex tabidus*: Ubi Scholiaſtes الهم الرقيق النحيف من همته النار اذا اذابته חם *tenuis eſt & macilentus, ab eo quod radicem המם celebramus in igne liquefaciente*. Turpiter nimis ſe dat alius Scholiaſtes in bellulo hocce الهم الكبير الذي يهم به من رآه חם *magno natu eſt, quod qui eum videant, cura ejus ac reverentia ducantur*. Diceres homini pro naſo cornu ſtetiſſe. Concinunt iterum Græci & Latini, atque *in ſenio confectis* τήκω & *tabeſco* frequentiſſimo permittunt uſu. *Corpus animumque* amplecti videtur המם هم quum *in amore* ponitur, miſero perditoque *tabem immittente*; Ἔρως enim Τακερὸς eſt, ut ait feſtiviſſimus *Anacreon*, & nequam ille puellus, ubi peſtiferas faces inſani amoris ſubdidit, efficit ut totus *lacrimis exſtillet* amatorculus, & *miſellum corculum guttatim contabeſcat*. Eodem ſenſu de omnibus rebus frequentatur, quæ *atrociores* immittunt *curas*, & *tabificas*, quibus tum *animus* tum *corpus exedatur*. همه الامر & اهمه in prima ac quarta conjugatione המם & אהם *Tabefecit eum* res, & *mærore abſumſit*. In ſeptima & octava conjug. انهم & اهتم *Tabificis curis excruciatus fuit & quaſi delicuit*. Et cum participio 4. conj. امر مهم *res* ψυχοτακής. Subſtantivum itidem הם هم *tabes*; dein *cura, ſollicitudo, mæror, metus*; verbo, *omnes tabificæ mentis perturbationes, quæ mentem lacerantes tabem inferunt & cruciatum*, uti penes Cicer. eſt in 4. Tuſc. cujus illuſtri hoc loco defungar, putidiuſculum enim foret, Græciæ Latiique conſpirationem in re clara adferre, & ſoli faculam accendere.

Molliſſima denique poteſtas.

XVIII. Ut autem in omnibus linguis uſu venit, ut vehementia verborum ſæpe numero imminuatur & emolliatur, ita هم etiam in mitiorem ſenſum ſe explicare cœpit, hæſitque ſæpe in *cogitatione & meditatione*. Originem tamen ſi reſpiciamus, eſt, *ſolicito* quid *animo verſare volutareque, tantaque cum cura ut quaſi rei intabeſcas*. Similis plane ſors fuit vocabuli *curare*: nam *cura* auctore *Feſto* dicta eſt, quaſi *coreda*, quod *cor edat*, vel *quia cor urat*; ut & Græcum μελεδών dictum putatur quaſi τὰ μέλη ἔδειν. Ut verum tamen fatear, neutra

tra *Feſti* notatio ad palatum eſt; cui etiam non reſpondent quæ ὁ πάνυ *Voſſius* in medium congeſſit in Etymologico. Mihi mentem pepulit κέαρ ἀπὸ τοῦ κείρειν quod cor *depaſcat*, *attondeat*, *exedat*; quorſum ſpectat hoc poëtæ

> *At regina gravi jam dudum ſaucia cura*
> *Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni.*

Nec non & hoc

> —— —— *Quando hæc te cura remordet.*

Adde & hoc

> —— —— *Si juris materni cura remordet.*

Ut & illud comici

> *Oſſa ac pellis totus eſt, ita cura macet.*

Cur fuſius hæc perſecuti ſimus.

XIX. Hæc luculentius & diffuſius exequi, omnino e re eſſe duxi, ut ſcrupulos evellerem, qui inſidere debent circa conſtantiam Arabum in verbo hoc adhibendo ſi Lexica adeas, utque confuſioni mederer, qua genuinam ejus indolem, elegantiæque flores obſcurarunt ac deleverunt Lexicographi. Ita enim Golius, ita Giggejus, ita ceteri, ipſique adeo Arabes hic verſantur, ut neque pes appareat, neque caput. Sane quem non conturbet, atque ab veritate repellat radicis, qui in rudem hanc indigeſtamque inciderit molem, quam in medium conjecit *Golius*. *Verſavit apud animum*. *Anxit*, *ſolicitum habuit res*. *Impulit ad citatiorem greſſum*. *Liquavit* adipem. *Colliquavit*, *tabeſcere fecit* morbus, mœror. *Mulſit* lac. *Repſit*, *reptavit*. *Senio confectus eſt*. Merum Chaos & ſpiſſæ tenebræ, quæ ſignificationum originem & progreſſum involvunt miſcentque. has evolviſſe, cæcoque acervo exemiſſe, operæ erat pretium, ut quæ non parum inter ſe diſcordantes, labem imponere linguæ videri poſſent, concordi pace ligatæ, dignitatem gravitatemque ejus tueantur.

Dominans in Arabum Lexicis vitium.

XX. Non poſſum interim non monere vitium hoc late ſerpere, ac dominari in Lexicis Arabum, linguæque interiorem cognitionem mirum in modum præpedire. Similiter enim fere inſtituunt, atque Veteres Latinorum Grammatici & literatores, ac linguæ vernaculæ proprietatem, verborumque nativam ſedem neminem fallere poſſe ſupponentes, quod inde deflexum, atque longiuſcule derivatum eſt, conquirunt, atque ad linguæ opes ac divitias oſtentandas, nullo ordine, nulla accuratione, confuſius effundunt & accumulant; unde extricare te ac certi quicquam expedire non poſſis, niſi aliunde jam verborum primitivum ingenium perſpexeris. Eccui, verbi gratia, juniorum fraudi non foret, ſi verbi *haurire* naturam ex *Nonio Marcello* ita digereret? *Haurire ſignificat implere*; *& avare ſumere*; *& defatigare*. *Ut*

Digitized by Google

Exultantiaque haurit
Corda pavor pulſans.

Et haurire eſt confodere. Virg.

Per tunicam ſqualentem auro latus haurit apertum.

Et haurire, accipere, vel audire, nec non tenere. Virg.

Et medium ſol igneus orbem
Hauſerat.

Magnam certe fruſtrationem hæc injicerent, niſi jam aliis ex fontibus, quid poteſtatis *haurire* contineat, teneremus. Quid ſi addidiſſet *Nonius*, quod in proclivi erat, plures, nec minoris elegantiæ, uſus, atque ita verſicolorem hanc telam pertexiſſet? *Haurire ſignificat videre.* Virg.

Hauriat hunc oculis ignem —— ——

Hauriri mergere. Ut apud Liv. Tac. alios *aquis fluctibusve hauriri: & vertex eum hauſit.* Iterum *haurire incendere eſt, vel conſumere. Flamma eum hauſit; & longi temporis opus, incendium hauſit.* Denique *haurire, dilapidare eſt, & bona ſua lancinare*, ut *haurire ſua* apud Tac. & Mart. *Haurire patrias opes.* Gemina plane ratione proceditur in Lexicis Arabum, & nulla via, nulla arte critica, in cæcum conſtruunt cumulum, quicquid ex divite linguæ vena, multa ſæculorum ſerie, dimanavit longeque ac late propagatum eſt.

Detrimentum inde importatum.

XXI. Hanc ego unam omnium graviſſimam eſſe duco cauſam, quod non majus adhuc ex Arabia lumen rei Hebraicæ infuſum ſit, quodque minus feliciter ſæpe noſtri hoc in labore verſati ſint, pro theſauro carbonem afferentes: neque feliciori mihi eſſe licuiſſet, aut ſcopulos, quibus obhæſerunt alii, ſuperare, atque ad clariorem cognitionem eluctari, niſi præter Lexicographorum principes *Zjauharium & Phiruzabadium*, faculam accendiſſent Veterum Poëtarum Scholiaſtæ & Commentatores aliquot multo nobiliſſimi, ex quibus ſignificationes verborum diſpenſare, a primoque fonte repetitas, per varios quaſi rivulos deducere, & qua ratione in hunc illumve uſum devenerint, palam facere, in bona magnaque linguæ parte, didici.

Tabefaciendi graviſſima figura aliquot locis inditur.

XXII. Hoc de radice המם poſito fundamento, manum admoveamus locis, quorum vel elegantiam & nitorem, vel ipſum etiam ſenſum ac veritatem, ignoratio hujus originis imminuit, & labefacit. Et primo quidem propoſitum jam eſt, & in promptu, quanta vis inſit & gravitas, ubi vulgo *agitare, vexare, profligare* adhibent. *contabefacere* ſubſtituas, & inſigne lumen naſcetur orationis, pulcherrimaque figura ſacer textus ornabitur. Exod. 14:24. ויהם את מחנה מצרים ET CONTABEFECIT *exercitum Ægypti, metu, pavore & conſternatione liqueſcere quaſi fecit & conſumtis viribus diffluere.* Exod. 23:

23: 27. *Terrorem meum præmittam tibi* והמתי אתכל העם ET IN TABEM DABO *omnem gentem* &c. Deut. 2: 15. aliquid peculiare continet, etiam atque etiam animadvertendum. *Manus Domini ſuper eos erat*, להמם מקרב המחנה. Quid hic *profligare*, *quaſſare* aut ſimilia? ſalebroſam redderent ſententiam, quæ limpidiſſime fluet, ſi ita conſtituatur: *ad* TABEFACIENDUM *eos e medio caſtrorum*, *ad tabifica eos ægritudine*, *mœrore*, *& plagis*, *conſumendos & conficiendos*. Ut LXX. ἐξαναλῶσαι. Iterum Joſ. 10: 10. ויהמם *Dominus ante faciem Iſraëlis*, *& graviſſima eos clade ſtravit*. Haud putem *profligare*, quod hic radicis indolem ignorantibus ſe ingerebat, tam aptum viſum iri quam *Contabefacere* noſtrum, quod cum *fuga & clade*, *animum fractum*, *ac conſternatione* divinitus immiſſa *ſolutum & diffluentem* complectitur. Eadem ratio eſt Jud. 4: 15. 1 Sam. 7: 10. 2 Chron. 15: 6. Eſt. 9: 24. quæ facile ad hæc exempla refingentur.

Similis uſus verbi מסס, & nova Eſaiæ explicatio Cap. 10: 17.

XXIII. Harum explicationum momentum creſcet, ſi perpendatur, cognatam radicem מסס *liqueſcere*, eundem induere uſum. Ut Deut. 1: 28. המסו את לבבנו *Liquefecerunt cor noſtrum*. Et Joſ. 5: 1. *Et liquefactum eſt cor eorum*, *neque quicquam ſpiritus iis reliquum*, *præ metu Iſraëlis*. Et abſolute מס *liqueſcens*, de eo *qui mœrore*, *ægritudine & tabe quadam ægroti animi exeditur*. Job. 6: 14. Alia complura non perſequor. Graviſſimam tantum Eſaiæ figuram proferam, num forte nubeculam, quæ diu inſedit, detergere poſſim, curaſque interpretum ancipites ſedare. Is atrociſſimam deſcriptionem cladis, qua exercitus *Senacheribi* peſſime periit, ita claudit Cap. 10: 17. והיה כמסס נסס Hoc vulgo editur. *Eritque ut quum liqueſcit vexillifer*: hoc eſt, futurum eſt ut ſuperbus ille exercitus eo modo *metu liqueſcat & diſſolvatur*, quo *diffluere* ſolent copiæ, quum *vexilla* in prælio *projiciuntur* & hoſtibus traduntur. Egregiam vero ſententiam in clade, qua nulla dirior inflicta eſt, quæque centum & octoginta ac quinque mille homines una nocte abſumſit. Ad hanc diritatem vereor etiam ut aſſurgat, quod graviſſimo nuper Interpreti placuit. *Et erit*, *ut cum liqueſcit profugus*. Idem enim fere reſidet ſcrupulus: ne dicam נסס *profugum* reddere a נום non ſatis tutum videri. *Coccejus* atrocitatem ſcenæ expreſſit. *Eritque ut tabes quod eminet*. *Omne eminens tabeſcet & colliqueſiet*. At quid *omne eminens* excerpitur, quum potentes humileſque, duces & milites, eadem ſtrages involverit, eadem fulmina ambuſſerint atque in cineres redegerint? Sub radice Arabica نش, quæ reſpondet Hebræorum נסס / eam deprehendo ſignificationem, qua nulla opportunior cogitari poteſt. Nempe non tantum exponitur *extulit*, *elevavit in altum*, unde נס *vexillum*, verum etiam *crepuit impoſita igni caro*, *dumque vehementius aſſatur*, *ſtricturas ſparſit*: quaſi dicas *emicuit*, *ſeque extulit inter aſſandum*. Hinc vehemens oritur tralatio, & orationi ſuſceptæ mirifice congruens. *Et erit ut quum liqueſcit & in tabem datur caro in igne crepitans*. quod ut in illuſtri locetur, qua via deſcriptionem graviſſimæ pernicici ingrediatur propheta, videndum eſt. verſ. 16. ita incipit. *Mittet in pingues ejus maciem*, *& ſub gloria ejus*, id eſt gravi atque opulento exercitu, *foco ſtructo æſtus ardebit*, *ut æſtus ignis*, יקד enim, & وقد propriam ſedem obtinet *in*

Digitized by Google

foco accenſo. Sequitur verſ. 17. *Eritque Lux Iſraëlis in ignem, & Sanctus ejus in flammam, & exardeſcet & conſumet uno die veprem ac ſentem ejus.* verſ. 18. *ab anima ad carnem usque abſumet,* והיה כמסס נסס *eritque ut cum caro igni impoſita crepans & ſtridens colliqueſit, & vehementia æſtus, tabe diffluit.* Hoc non tantum ſimilitudini reſpondet inſtitutæ, & diritati ſcenæ, verum etiam cum veritate hiſtoriæ conjunctum eſſe videtur. Ingentes enim Aſſyriorum copias non tam *peſte abſumtas* fuiſſe duco, quam *fulminibus deflagraſſe*, & *procella igne gravida*, quam שערה vocant Hebræi & Arabes, quæ æſtum mortiferum viſceribus inſinuans, malos male necavit & exuſſit: quales venti calidi hodiedum turmas viatorum opprimere & ſuffocare feruntur.

Inſignis uſus verbi חמם apud *Jeremiam* 51: 34.

XXIV. Ad hunc tritiſſimum verbi חמם uſum non pertinet Jerem. 51: 34. ſed ſingulari pollet venuſtate, quæ niſi inſpecta origine, teneri non poteſt. Introducitur Zion cladem & ruinam, quam Nebucadnezar intulerat, hac figura expingens. *Devoravit me,* המממני *Nebucadnezar, vas vacuum me ſtitit: Draconis inſtar deglutivit me, ingluviem ſuam ex deliciis meis ſaturavit.* Infere hic, poſt *devoravit me, profligare*, vel *conſternare* & ſimilia, & abhorrere ab metaphora aſſumta ſenties: nec ſatis capio quid *Coccejo* mentis fuerit, quum, אכלני הממני reddens *voravit me, agitavit me*, ſubjicit, *paulatim procedere orationem.* quid enim *agitationi* commune cum *devoratione*, aut quisnam ab hac ad illam gradus? Nihil extrico, niſi forte *jactatam eſſe inter mandibula*, & *commolitam* voluit Magnus Vir. Gravius hic offenderunt Veteres Interpretes, anguſtias ſuas aperte prodentes. Hoc dicit Zion. *Devoravit me Nebucadnezar, &* in ſtomachum quaſi conjectam, æſtu ejus ac vi conſumtrice *contabefecit, ac diſſolvit*, omni meo ſucco exhauſto, & in corpus ejus transfuſo. Sic ſane procedit oratio, & novo creſcit robore, quum ſe non tantum *devoratam* conqueritur Zion, verum etiam in viſceribus hoſtilibus quaſi *conſumtam, confectam, concoctam*, atque *in tabem redactam*, ut vi ſua vitali, opibusque ac divitiis ſuis, Babelis famem, fœdamque ingluviem ſedet, ejusque opes ac potentiam nova acceſſione firmet.

Eidem

XXV. Hanc ſententiam egregie ſuſtinet ac fulcit quod in fine adjiciatur הריחני. Hoc quid valeat, quique cum figura ſuſcepta cohæreat, non ſatis in aperto eſt. Vertitur vulgo, *diſpulit me, & patriis ſedibus ejecit. Coccejus* paulo aliter, & cum natura radicis conjunctius. *Eluit me. Eluvione abſtulit.* Sane הריח *eluere* eſt, & *aqua probe expurgare.* 2 Chron. 4: 6. & Ezech. 40: 38. Neque tamen ſatis placet illud *eluvione abſtulit.* Exiſtimo peculiarem hic eſſe uſum, & *eluere* eſſe tantundem, atque *potione ſumta proluere e ſtomacho, & viſceribus exigere:* ſive id *vomitu* fiat, ſive *dejectione in latrinam.* Sane ita *Eſaias* uſurpavit Cap. 4: 4. *ſanguines Hieroſolymæ* ידיח מקרבה *quaſi medicamento cathartico eluet ex inteſtinis ejus.* Gradatio eſt evidens. *Devoravit, concoxit, ingluviem ſaturavit, dejecit & in latrinam excrevit.* Quod hanc vim habet, *Zionem* ab importuno tyranno *ſanguine ſuo & ſucco*, divitiis & opulentia, *exhauſtam, ſordium inſtar eſſe habitam, & in abjectiſſimam conditionem detruſam.*

XXVI.

Digitized by Google

XXVI. Abſtruſior eſt ratio verbi המם Eſai. 28: 28. והמם גלגל עגלתו. Totus locus tenebroſus admodum eſt, & multa difficultate implicitus. Vulgo ita conſtituitur. *Panis comminuetur, ſed non in perpetuum triturando triturabit eum:* והמם גלגל עגלתו *neque vexat* illum *rota plauſtri ejus:* quaſi eſſet pro המםו & panis nomine tritici granum intelligeretur. Pro *vexat illum*, alii *conteret*, *franget*, alia. *Coccejus* aliter ſtructuram concinnat, haud paulo felicius. *Non in perpetuum triturat, nec agitat rotam plauſtri ſui.* Nimium lepidus eſt *Forerius*, qui affirmat המם hic *ſtrepitum* ſonare. Ita abſque ullo fundamento quicquid in ſolum venerit linguæ Hebrææ obtruditur. Uſus eſt, ut dixi, inſolentior, & alte retruſus. *Tabefacere* enim hic ponitur pro *vehementius agitare*, & *propellere*, *ut continuo motu ac volutatione res quaſi attenuata tabeſcat & diffluat.* Translatio eſt, quam Arabes ſub eadem hac radice frequentant. هم الناقة *Impulit camelum ad incitatiorem curſum*, proprie *liqueſecit.* Et هموم ناقة נאקה המום *camelus vehementiori curſu actus:* quaſi *diffluentem* dicas, & quodammodo *tabeſcentem* præ curſus vehementia. *In aliis* etiam adhiberi poteſt, *quæ motu vehementi comminuuntur*, adeoque nihil cauſæ noſtræ officiet, ſi prior magis arriſerit ſenſus. *Neque terit illud rota plauſtri ejus.* proprie *liqueſcere faciet nimia tritura.*

CAPUT SEXTUM.

Ad radicem עלל multis involutam tenebris, manus medica admovetur: Interpretum in ſignificationibus ejus expediendis fluctuatio nudatur. Vera verbi vis ſuis finibus circumſcribitur; atque mirifica ſermonis Hebræi gravitas dignitasque, altis, nobilibus & verecundis florens tralationibus, hoc in verbo exponitur. Ex eodemque illuſtre ducitur documentum varietatis & inconſtantiæ in ſignificationibus, quæ omnibus in linguis ea circumſtet vocabula neceſſe eſt, quæ tralationibus ditia & opulenta, primæva ſui origine deliteſcunt, ſeque in fonte adſpici non patiuntur.

I.

Luculentum ſpecimen exhibuimus fruſtrationis & erroris, quem omnibus in linguis ignoratio offundit primigeniæ originis. Idem hoc manifeſtius reddet, in omniumque oculis configet radix עלל frequenti uſu, lætaque pagi- Radix עלל lucis adhuc indiga.

pagine florens. Hujus antiquiſſimum & ab ultima ſtirpe inolitum ingenium quod nullus omnino locus pure & extra metaphoram ſiſtat, fraudem peperit, notionumque eam varietatem ac inconſtantiam, unde emergi non poſſit. Eam fluctuationem hoc caput componet, ſermoniſque Hebræi conſtantiam, gravitatem, verecundiam, inexhauſtamque ubertatem, hoc in verbo, ex primis fontibus derivabit, poſt longinquaſque tenebras in lucem revocabit.

Variæ & diverſæ notiones quæ ei vulgo ſubjiciuntur.

II. Hujus radicis tres tantum ſuperſtitant conjugationes *Pihel*, *Pyhal* & *Hithpahel*, quod haud de nihilo moneo: fit enim ferme, ut quorum verborum conjugationem vetuſtas obliteravit, eorum proprietatem ac genuinam indolem major circumſtet obſcuritas. Buxtorfius Rabbinorum atque in primis Kimchii ductui & auſpiciis ſe permittens principe loco declarat, *Fecit*, *Operatus eſt*. Mox *Affecit*, *confecit* mali aſſumta poteſtate. Tertio, *Racemavit*. Quarto, *Machinatus eſt*. Quinto denique, *Illuſit*, *Ludificatus eſt*. R. Salomon ſextam præterea adoptavit vim *Inquinandi* ac *ſordibus commaculandi*, ductus levicula ſpecie ex Job. 16: 15. qui etiam Comm. ad Pſ. 8. vocabulum עולל *parvulum* ſonans, ſive *lactentem*, a *ſordibus* tractum eſſe diſputat, quas verbo noſtro inſitas eſſe decernit.

Cocceji conatus ad veram verbi vim curatius definiendam.

III. Haud fugit *Cocceji* ſagacitatem, perplexiora hæc eſſe, quam ut ſe emunctæ naris Criticis approbare poſſint. Id itaque præclaro impetu operam dedit, ut certam aliquam fixamque ſedem exploraret, valereque juſſis tam diſſonantibus ſignificationibus, ut ſimplicius, ita conſtantius exponit, *Vexare*, *vim facere*, νεανικῶς ποιεῖν. quo noviſſimo ſubinnuit, quo ex fonte poteſtatem hanc dimanaſſe velit, ex vocabulo עולל ſcilicet, notione *pueruli*, a quo fluxerit verbum עלל *puerilem petulantiam*, *laſciviam*, *vexandique libidinem* afferens. Nec abit, quod ad Job. 16: 15. *Violenter & pro libidine tractare* declaret: quamvis in Lexico fluctuabundus aliud adhuc præſidium circumſpiciat, atque a עול *inique egit* noſtri עלל natalia arceſſere malle videatur.

Cuius infirmitas demonſtratur.

IV. Non nulla hæc ſpecie ſe commendant: ſed penitius introſpecta & excuſſa diffluant ac dilabantur neceſſe eſt. Nam notio hæc, ut ad plurima loca minus benigne ſe porrigit & explicat, ita, quod caput eſt, a nonnullis plane repudiatur atque adeo confutatur. Quo enim colore עלילה/ quod *opus νεανικὸν* interpretatur, liniri lenirique poterit Pſ. 66: 5, ubi Deus celebratur tanquam נורא עלילה *facinoribus tremendus*. Gemina ratio eſt locorum Jer. 32: 19. Pſ. 77: 12. aliorumque per quæ poſtea ibimus. Officit quoque *Coccejo*, ejuſque conjecturam labefactat, quod *racemandi* indubitata ſignificatio nullo vinculo cum ſuperiore illa contineatur, quod eum ad Chaldaicum עלל *ingreſſus eſt* decurrere, arceſſitiuſque cudere etymon ſubegit, quod qui *racemant*, *interius penetrant*, quæque recondita latuerant, perquirunt.

Avenarii infeliciora adhuc molimina.

V. Infelicius hac in palæſtra verſatus eſt *Avenarius*, quamvis haud multum a mente *Cocceji* abludat. Hic ſequentia nobis propinavit. *Infantiliter locutus eſt. Corrupte locutus eſt ea quæ in cor adſcenderunt: auſus & conatus eſt aliquid infantium & balbutientium more.* Item, *Corrupit abrupit racemando* vel *depi-*

Digitized by Google

depilavit. & in *Hithpahel. Fecit ſe exercere abruptionem ſeu racemationem in alios. Illuſit aliis racemando, & inferendo aliquid mali.* Quæ rudis ſane & indigeſta moles vereor ne ſtomachum Lectori erudito commoveat, qui lapides citius mecum concoxerit, quam hæc digerat feratque.

Stockii quarta via & ratio ad fluctus hoſce componendos.

VI. Aliam expediendis ſuperandisque ſalebris hiſce viam ingreſſus eſt Vir Cl. *Chriſt. Stockius* in *Clavi Ling. ſanctæ*, qui notionum ſeriem ordinemque ita ſtruit, ut verbum in origine ſua complectatur *faciendi operandique* vim ac potentiam. Secundo ſpeciali uſu valeat *facere quod in admirationem rapiat homines.* Exod. 10: 2. 1 Sam. 6: 6. nec non, *facere quod in damnum & ruinam cedat alterius:* Unde porro propagatæ ſint veluti tres ſignificandi claſſes, quarum prima verſetur in *male faciendo*, *malumque inferendo* ut Thren. 1: 22. &c. altera levicula inflexione teratur pro *male cum aliquo agere*, *ſcelerateque & nefande eum tractare* Jud. 19: 15. tertia denique *contemtum* induat & *ludibrium*, valeatque *facere quod in contemtionem cedat alterius*, quibus radicibus enata ſit non tantum *ludificandi* poteſtas, 1 Sam. 31: 4. ac alibi; verum etiam *racemandi* Lev. 19: 10. & Deut. 24: 21. & Jer. 6: 9. iis in locis metaphorice exprimens *deletarum copiarum internecionem*, *cum contemtione & ludibrio conjunctam.*

Oſtenditur notionum varietatem in tanta caligine rerum Hebraicarum vitari non poſſe.

VII. Cuncta hæc quam fragili ſtent talo quantasque prodant anguſtias, omnes facile advertunt, qui quid linguarum interior ratio & natura ferat pulchre callent. Emirabuntur interim qui Hebraicis imbuti non ſunt, qui fieri poſſit ut in tam diverſa abeant ſtudia & commenta linguæ Hebrææ cultores, nonnullisque forte cogitatio inceſſet, vix umbram veritatis teneri ubi tanto opere diſſideiur, exiguamque mereri laudem, qui tam diverſis & contortis conjecturis veritatem implicarint verius & debilitarint, quam evolverint & conſtabilitam dederint. Hæc mihi diſcutienda eſt ſuſpicio, præſtantiumque virorum induſtriæ ac labori hæc demenda eſt labes, quorum famam & præclara merita non minuit offuſcatve quod ſub multis radicibus tam varios tamque diſcrepantes ſignificatus cumularint, quum aliter fieri non paterentur miſeræ illæ anguſtiæ & tenebræ, quibus fragmenta hujus linguæ oppreſſa jacent. Veritatem quoque conſiſtere poſſe confirmo in iſta fluctuatione & jactatione, ſi mentem Spiritus ſancti generalius ſpectemus, quamvis ſi preſſius curatiusque requiramus, ea haud parum obſcurata, & genuino ſuo decore exuta cenſeri debeat.

Exemplisque ex Latina lingua depromtis illuſtratur.

VIII. Hoc quod nude ſpectatum difficiliores forte habebit intellectus, operæ pretium fuerit uno alterove exemplo omnibus promto & propoſito ex lingua Latina illuſtraſſe; quod incredibile hujus rei ſit momentum, latiſſimeque fundatur. Adhibere autem hic lubet ea verba, quæ indolem reſipiunt radicis noſtræ, *Carpere*, *Libare*, & *Haurire*. Horum mihi finge primariam notionem penitus extinctam, veſtigia tantum ſui reliquiſſe in uſibus aliquot ſecundariis & tralatis. Hos ſi naſi bene ſagacis aliquis perſequatur & veſtiget, fieri poterit ut mentem ſcriptoris ubivis locorum aſſequatur & ſine ullo errore deprehendat, quamvis nativam verborum iſtorum ſedem, ac veluti cubile, odorari non valeat, eorumque elegantiæ conſtantiæque multa ſignifica-

cationum inconſtantia & confuſione haud levem maculam imprimere cogatur.

Carpendi diverſiſſimi uſus producuntur.

IX. Excutiamus exempla quæ in medium dedimus. *Ciceronis* eſt. *In omnium peccato carpi paucos ad pœnam non oportet.* Hinc *eligendi* & *aliorum e numero eximendi* vim elicere pronum eſt. At *Virgilianum* hocce

Vulnus alit venis & cæco carpitur igni

aliam plane movet cogitationem, & *lædendi*, *cruciandive* ſuppeditat poteſtatem, qua ratione *Apulejus* dixit, *Carpit me ſcrupulus;* &, *carpuntur præcordia.* & *Lucanus* L. 9. 741. *Carpitque medullas ignis edax.* ſed en tibi tertium ſignificatum longe longeque, ut videtur, diſſidentem, quem *Perſius* ſubjicit in illo

—— —— *Genio carpamus dulcia.*

Hic jam *frui* exponendum eſſe video, uti *Donatus* ad *Terentium* hunc ipſum locum laudans: eodemque facile redigo quicquid locorum *Carpere oſcula*, *Carpere ſuperas auras*, *Carpere quietem*, *ſomnos*, aliaque id genus, cum *uſu fructuque* jucundo conjuncta miniſtrat. Aliam iterum ideam mihi objici ſentio, ubi in *Carpere iter*, *Carpere rura*, *Carpere volatus*, *Carpere fugæ compendia*, aliasque conſimiles Poëtarum locutiones inciderim, in quibus, ſenſu duce, levi opera adverto vim ſubeſſe *corripiendi & brevius reddendi*, ſive quod *Nonio Marcello* placebat, *celeriter prætereundi & expediendi;* quomodo *Lucilius* dixit *Hyemem unamquamque Carpam.* & *Apulejus*, *Carpere ordinem rei.* ſed quid hoc *Aſconii* faciam L. 1. in Verr. Cap. 20. *Carpere digitis chordas citharæ?* ſi origo me fallit, quod ſuppoſui, *tangere* vel *pulſare* explicem neceſſe erit. At in eo, *Carpere dente maledico; obtrectandi* & *lacerandi* ſubnaſcitur ſignificatio. denique *Carpere agmen hoſtile* aliam non ſuſtinet interpretationem quam *attenuandi*, & *minutatim concidendi.* Habes ſeptem diverſiſſimas notiones. *Eligere*, *cruciare*, *frui*, *brevius reddere*, *pulſare*, *lacerare* ſenſu *maledicendi*, denique *attenuare*, & *minutatim delere*, quas cunctas ſummo jure verbo Latino attribues, quamvis extincta ejus origine, in *floribus carpendis* ſita, fontem indagare haud poſſis, unde variis velut venis & meatibus defluxerint, quum uno capite continerentur: ſentiasque haud parum venuſtatis & honoris, floribus hiſce delibatis loquendi deteri, ubi radicem earum, pulchrosque ortus, injuria vetuſtatis tibi ſubtraxerit.

Libandi Vocabulum quam denſa lætaque propagine effloruerit & diffuſum ſit.

X. *Libandi* vocabulum ſuaviſſimas induens tralationes, ridentique lepore multis in locutionibus imbutum, aliud non minus illuſtre nobis præbeat documentum. Hujus genuinam vim atque indolem alta oblivione deletam eſſe, atque omnia, quæ apud ſcriptores late exuberant, exempla, per figuras & metaphoras a proprietate & prima ſtirpe deflexa fingamus: ſane fieri non poterit, quin ſex, ſeptem, plures, hinc inde colligantur notiones, ad primam ſpeciem vehementer inter ſe diſſonantes, quæ haud parum ſcripta veterum volutantem implicent, & offuſa veluti caligine obturbent, niſi originis accenſa

Digitized by Google

cenſa & prælata face, tenebræ hæ diſcutiantur, adverſaque & pugnantia ad concordiam revocentur.

Ordiamur ab uſu venuſtiſſimo Poëtarum quo *fulmen*, *haſtam*, *gladios*, *tela* omne genus *libare* dicunt, quæ *ſtrictim tangunt feriuntque. Stat. Theb.* 5. 586.

> —— —— *Moti tamen aura cucurrit*
> *Fulminis, & ſummas libavit vertice criſtas.*

Et Sil. Ital. Punic. 9. 522.

> *In Martem vomit immixtas mugitibus auras,*
> *Bisque Dei ſummas libavit turbine criſtas.*

Plura miniſtrabit Clar. *Drakenburgius* ad hunc locum. Hinc *lædendi parcoque vulnere violandi* poteſtatem aſſumas neceſſe eſt, quemadmodum *lædere* & *libare* conjunxit *Iſcanius* 6. *Bell. Troj.*

> *Lædit enim libatque humeros.*

Et *illibatus* pro *illæſo*, *inviolato*, *invulnerato* paſſim conteritur, eandemque fere cum vocabulis iſtis ſedem occupat. Ultra quo progrediaris, non habebis; neque enim tanta cuiquam mortalium innata acies eſt, ut origine verbi extincta, figuram illam introſpiciat, qua cuſpis, pro variis vulnerum gradibus, vel *deguſtare* dicitur *corpus* ac *cruorem*, apud *Virgilium Siliumque*; vel *haurire venas*, *jugulum*, *ſanguinem*, quæ apud omnes pervagata ſunt; vel *bibere cruorem* quod *Silio* iterum *Virgilioque* uſurpatum; vel denique *ſanguine ſatiari*, quod etiam *Silianum* eſt L. 4. 436.

> —— —— *Quaſſatque per auras*
> *Titanum bello ſatiatam ſanguinis haſtam.*

Ab hac autem *vulnerandi* notione immane quantum diſſidere videtur alter hujus verbi uſus, quo *libare*, *eligendi excerpendique* potentiam induit; ut in illo *Lucr.*

> *Floriferis ut apes in ſaltibus omnia libant*
> *Omnia nos itidem decerpimus aurea dicta.*

Et apud *Cic. Ex omnibus libare quodcumque maxima veritatis ſpecie percuſſit.* Nec non *Omnes undique floſculos Carpere & delibare.* Neque abit hinc *Ennianum*

> *Flos delibatus populi, ſuadæque medulla.*

Sed en tertium verbi hujus uſum, quo alia plane cogitatio excitatur. Mirifice ac perceleganter dixit *Livius*, *novum delibare honorem* L. 5. 12. Floſcu-

lum hunc gemino ſenſu mactat Latii genius: quod enim *Tiberius* imperium *Galbæ* præſagiens, extulit, *Et tu Galba quandoque deguſtabis imperium*, ſeram ac brevem potentiam ſignificans, æque commode per *delibabis* enunciare licuiſſet. Alia tamen *Livii* mens eſt, cui *honorem delibare* non valet *carptim leviterque frui*, ſed *princeps ſuſcipere honorem*, *ejusque flore ac lumine perfrui & gaudere ante omnes alios;* ſententia ipſa & ſeries orationis hanc vim ſubjicit: ſic enim ille de *P. Licinio Craſſo*, homine plebejo poſt ingentes iras pugnasque, patres inter & plebem, ad Tribunatum militum Conſulari poteſtate factione ſuorum evecto, *Non ſatis conſtat, cur primus ac potiſſimus ad novum delibandum honorem ſit habitus.* Aliam quarto faciem verbo addunt bene multa loca, in quibus *deterendi imminuendique* reſidet poteſtas: ut apud *Lucr.* L. 3.

Nihil ibi libatum cernas de corpore.

Et L. 6. 26.

Ergo terra tibi libatur, & aucta recreſcit.

Nec non ibid. 528.

—— —— *Intervalla nihil de corpore libans*
Flammarum.

Denique Lib. 3. 715. de anima

Haud erit ut merito immortalis poſſit haberi;
Partibus amiſſis quoniam libata receſſit.

Qui locus perinſignis commonere potuiſſet & debuiſſet viros doctos, ne hanc verbi elegantiam delibarent atque imminuerent, *limandi* vocabulo odioſe intruſo: quod eo, unde malum pedem intulit, faceſſere etiam jubemus auctoritate compoſiti, quod itidem *imminuendi* ſignificatione trivit *Lucret.* ut L. 6. 621. de ſole

Humoris parvam delibat ab æquore partem.

Iterum L. 3. 1101. ubi cum *demere* pari incedit paſſu.

Nec prorſum, vitam ducendo, demimus hilum
Tempore de mortis, nec delibare valemus
Quo minus eſſe diu poſſimus morte peremti.

Quo in loco mirari ſubit eorum guſtum, qui *delibrare* toties jam recoctum, totiesque exploſum, amplectuntur & mordicus retinent. Veram ſanamque lectionem adfirmet, omnique dubitationi eximat *Seneca*, qui *imminuere & delibare* tanquam ſynonyma copulavit *Conſ. ad Polyb. Cruenta rapina concordiſſimam*

mam fratrum turbam imminuere, & bene ſtipatam domum delibare. Hinc quinto gradus factus eſt ad *temerandi polluendive* ſignificationem, ut enim *minuere* vel *imminuere numen, majeſtatem, omneſque* in univerſum *res*, in eo adhibemus, qui earum rerum *decus & gloriam præflorat*, ſic *delibare* in eandem ſeſe mentem largitur & explicat. *Lucr.* L. 6. 69.

Delibata Deum per te tibi numina ſancta
Sæpe aderunt; non quod violari ſumma Deum vis
Poſſit, ut ex ira pœnas petere imbibat acres
Sed quia tute tibi, placida cum pace quietos,
Conſtitues magnos irarum volvere fluctus.

Et hic importunum illud *delibrata* poſt *Lambinum*, nonnullas editiones inſedit. Doctiſſimus *Creechius* utrumque vocabulum ferri non poſſe contendit, & *deirata* ſubſtituit, eamque emendationem ex ſequentibus firmari diſputat. Parci potuiſſet medicina, integerrimus enim locus eſt, & *delibata Deorum numina* venuſtiſſime poſitum eſt pro *imminuta, temerata*, veſanis ſuperſtitionibus *polluta & violata;* quo noviſſimo verbo ipſe *Lucretius* mentem ſuam tam dilucide pateſecit, ut mirum ſit, cuiquam hic fraudem objici potuiſſe. Eandem elegantiam venuſtatemque verbo huic addidit *Lucr.* L. 3. 24.

—— —— —— —— *Neque ulla*
Res animi pacem delibat tempore in ullo.

Id eſt *ſerenitatem* ejus *temerat, polluit, contaminat, imminuit:* quo ſenſu etiam *Cicero* aliique *delibare de gloria, honeſtate, ſanctitate* plus vice ſimplici, & *florem dignitatemque delibare.* neque tamen huc traxerim illud *Nepotis* in *Datame* Cap. 6. *Ne animi delibarentur militis*, quantumvis enim nonnullis abblandiatur, ſeque figuræ ſuavitate inſinuet, importunum eſt & intempeſtivum heic loci vocabulum, & omnino *debilitarentur* eſt refingendum, quod *animorum infractio & conſternatio* requiratur; quum *animi* tunc demum *delibari* dicantur, ex ingenio linguæ, quum vel *tranquillitas & gaudium contaminatur aliqua ægritudine*, vel *virtutis decus & lumen* concepta macula *minuitur & defloratur*, prout *Tacitus* alicubi; *Corpus otio, animum libidinibus imminuebat*, quod etiam per *delibabat* exprimere potuiſſet. ſed per reliquas verbi noſtri notiones curſum corripiamus. *Libare ſumma* rerum *faſtigia*, eſt *paucis perſtringere*, & *narrando transcurrere.* At in ſacris & re divina, *libare laticum honorem*, & *aris tepidos libare cruores*, vim ſumit *fundendi:* apud *Apulejum* tamen in illo rarioris exempli *ſepulcrum cruore libavit, rigandi & imbuendi* poteſtatem exhibet, ubi vero *thura, dapesve libari* dicuntur, latius manat & *ſacrificandi* potentia donatur. At *Virgiliana* illa gemmula quid faciemus, *oſcula libavit natæ?* ſi *Servii* auctoritati nos permittimus, vertemus, *tenella ora leniter tetigit & demulſit:* at falſum eſſe Grammaticum, nec a communi *oſculorum* uſu eſſe diſcedendum, *Silius* declarat L. 6. 420.

Tangere ſacratos vultus, atque oſcula ab ore
Libaviſſe tuo.

Ergo *libare oſcula* tantundem valet atque *carpere:* quibus denarium jam numerum explentibus ſignificationibus, alias adhuc attexere pronum foret, ſi omnes linguæ angulos perreptare & excutere vacaret.

Haurire quam diſſonas induat formas faciesque.

XI. Agmen claudat *bauriendi* vocabulum, cujus ex opulenta vena quam multæ variæque defluxerint tralationes, Cap. præc. par. xx. palam fecimus. per ſaturam in medinm conjecimns *implere*, *defatigare*, *confodere*, *accipere*, *audire*, *videre*, *mergere*, *comburere*, *dilapidare*. Lancem hanc aggeſto aliarum notionum cumulo degravare lubet; valet itaque præterea *tolerare*, *vel exantlare*, apud *Tac.* Hiſt. 3. 84. *Quicquid tot præliis laboris ac periculi hauſiſſent.* Et apud *Stat. Th.* 1. 369.

—— —— Per nigra ſilentia vaſtum
Haurit iter —— —— —— ——

Id eſt *conſumit*, *exhaurit*, *exantlat*. Huc revocari poſſet quod *Thebaid.* 2. 46. *Ungulam* dixit *arenas haurire:* quamvis malim audaciore figura ſumere pro *rapido curſu tramittere & conſumere*, *ac veluti abſorbere*; quod *Nemeſiano* eſt

—— —— Latum fuga conſumere campum.

Et *Virgilio.*

Acri carpere prata fuga.

Et *Silio* L. 3. *Campum volatu rapere:* Arabibus atque Hebræis gemina plane loquendi ratione non parum firmamenti præbentibus, quibus *haurire*, vel *abſorbere*, *in equo* celebratur *velociſſime ſpatia emetienti.* Sonat etiam *haurire* nonnunquam *inhiare* & *avidiſſime appetere. Tac.* H. L. 1. 51. *Expugnationes urbium*, *populationes agrorum*, *raptus penatium hauſerant animo:* vel ut nervoſius profundam graviſſimi ſcriptoris mentem exhauriamus, *haurire* hic eſt *avidiſſimo hiatu atque inſatiabili ingluvie abſorbere & devorare:* quo ſenſu *haurire prædas*, *ſanguinem*, *voluptates* idque genus alia bene multa idem *Tacitus* aliique uſurparunt: & *ingluvie voraci haurire* dixit *Apulejus*, ipſeque *Cicero* alicubi *fœnoris ingluvie hauriri:* quem *Tac. An.* 13. 42. æmulatus eſt in eo; *provinciæ immenſo fœnore hauriebantur.* Eſt etiam ubi *hauriri* locum occupat in iis, quæ *terræ hiatu abſorbentur. Tac. An.* 2. 47. *Urbes collapſæ nocturno motu terræ*, *diductis terris hauriebantur.* Unde explico *Hiſt.* 1. 2. *Hauſtæ aut obrutæ urbes.* Sed ad alia pergamus. Gravitatis pleniſſimus eſt uſus, quo *haurire* ponitur in iis, quæ *penitus occupant* aliquid, & *inſident:* ut apud *Lucan. Pharſ.* 10. 71.

—— —— Durum cum Cæſaris hauſerit ignis
Pectus —— —— —— —— ——

Hoc

Hoc eſt, *imis inſederit medullis* vis amoris. Conſimiliter *Stat. Theb.* 1. 538.

—— —— Pariter pallorque ruborque
Purpureas hauſere genas —— ——

Meus eſt, *ſimul pallorem ruboremque pulcras genas occupaſſe*, *& penitus continxiſſe ac combibiſſe quaſi:* metaphora a veneno tinctili, quod venuſte dicitur *haurire lanam*, quam *penitus inficit & inſidet:* quemadmodum ex adverſo *lana* etiam *colorem haurire* non minus ſpecioſe dicetur. Hunc uſum non aſſecutus vetus interpres, *Statio* monſtrum affinxit, & *purpureas hauſere genas* expoſuit, *conſumſerunt, quia deſierunt eſſe purpureæ:* quæ mere tenebræ ſunt, & ineptiæ, *purpureæ* enim virginum *genæ* hic *formoſas* ſonant, & *læto juventæ honore afflatas*, quas *ſimul pallorem*, *ſimul ruborem*, conſpectis procis, *traxiſſe* ſignificat. Alioqui exploratum habeo, *haurire* uſurpari ſenſu *conſumendi* & *ſucco ſuo vitali exinaniendi*, quæ nova verbi hujus facies ſpeciesque porro nunc a nobis adfirmetur. *Stat. Theb.* L. 4. 799.

Protinus Inachios haurit ſitis ignea campos.
Diffugere undæ: ſquallent fontesque, lacusque.

Id eſt, *excoquit*, & *conſumto omni humore penitus exhaurit.* Eadem amplitudine ſumſit *Sen. Herc. Oet.* vſ. 1226.

Exedit artus penitus, & totas malum
Hauſit medullas: oſſibus vacuis ſedet.

Adde *Silium* L. 11. 540.

—— —— Vires refovete tot hauſtas
Caſibus —— —— —— —— ——

Alius iterum verbi adſpectus uſusque ſubnaſcitur, ubi *pectore*, *medullisve* aliquid *haurire*, valet *alto pectore demittere*, vel *tota mente intimisque ſenſibus percipere.* Sic *Seneca* alicubi

Quod ipſa demens pectore inſano hauſeram,
Mentita finxi —— —— ——

Et graviſſime *Sil. Ital.* L. 1. 345.

Accenſæ exſultant mentes, hauſtusque medullis
Annibal exagitat, ſtimulatque ſequentia bella.

Id eſt, *Annibalis vox*, *oratio*, *vehementia*, *& ardor bellicus penitus perceptus*, &

& quaſi vividis hauſtibus, *medullis eorum infuſus.* Infinitum foret omnia conquirere & exequi; & in his ipſis ſubvereor, ne nimius fuiſſe videar. Accumulentur interim omnes hi ſignificatus, & ſuperioribus adſtruantur, *tolerare*, *velociſſime transmittere curſu*, *abſorbere*, *penitus occupare*, *conſumere*, *intimo ſenſu percipere*, tanquam exploratæ & dubio haud obnoxiæ, unius radicis notiones, & propagines: ſane fieri non poterit, quin omnes, quibus ingenium ineſt & judicium, inelu&tabilem agnoſcant confuſionem & perturbationem, qua retruſa penitus, vel minus rite veſtigata verborum origo, non poteſt non linguarum ſtudioſos implicare, multiplicique fraudi atque errori damnare.

Genuina vis verbi עלל editur, & ſuis finibus circum ſcribitur.

XII. Hiſce præmiſſis, originem ac primævum fontem verbi עלל pandamus, ejusque tralationes graviſſimas uberrimasque, multimodis obſcuratas & imminutas, nativo flore honoreque induamus. Viam nobis emuniunt Arabes, quibus percelebrata ſunt duo vocabula, multa affinitate connexa, עלל علّ & נהל نهل: quorum prius ſedem occupat in eo, *qui primo potu hauſtuque ſitim ſedat:* poſterius locum ſortitur in eo, *qui altera vice*, *hauſtuque geminato*, *aut identidem repetito*, *ſitim penitus extinguit.* Hac luce auctus, affeverare ſuſtineo, verbum עלל Hebræis valuiſſe, *ſitim*, *primo ardore ſedato*, *repetitis hauſtibus penitus extinguere:* vel liberius & ſolutius; *iterum iterumque hauriendo*, *& aquæ ſe immergendo*, *libidinem appetitumque ſuum explere & ſatiare.* Ab hac ſtirpe lætiſſimæ effloruerunt metaphoræ, aliæ aliis ſuaviores, quas antequam illuſtri in luce collocemus, ſacrisque literis poſtliminio reddamus, *Zjaubarii & Phiruzabadii* auctoritates in medium proferemus, eaque ex vetuſtiſſimis Arabum monumentis exempla exhibebimus, quæ fidem nobis firmiſſimam adſtruere, & clariſſimum in tenebris lumen præpandere poſſint.

Uſus Arabum late patens & diffuſus ex Zjaubario expromitur.

XIII. *Zjaubarii* quidem ſtudio ac diligentiæ hæc debemus. العلل الشرب الثاني يقال سقاه علل بعد نهل وعله يَعُلّه ويعلّه اذا سقاه السقية الثانية وعلّ بنفسه يتعدي ولا يتعدي واعلّ القوم شربت ابلهم والعلل والتعليل سقي بعد سقي· وجني الثمرة مرة بعد اخري· وعل الضارب المضروب اذا تابع عليه الضرب· وفي المثل عرض عليّ سوم العالّة اي لم يبالغ لان العالّة لم يعرض عليها الشرب عرضا يبالغ فيه كالعرض علي الناهلة· والعلة المرض· وحدث يشغل صاحبه عن وجهه كانّ تلك العلة صارت شغلا ثانيا منعه عن شغله الاول· واعتل اي مرض فهو عليل ولا اعلك الله اي لا اصابك بعلة· واعتل عليه بعلة واعتله اذا اعتاقه عن امر· واعتله تجني عليه وتواهم عليّ علاقة اي علي كل حال قال زهير

ان

ان البخيل ماوم حيث كان
ولاكن الجواد علي علاته هرم

وعلله بالشي اي لهاه به كما يعلل الصبي من الطعام يتجزا به عن اللبان. والعلالة ما تعللت به. والعلالة نقية اللبن والحلبة بين الحلبتين. وبقية جري الفرس وبقية كل شي يقال تعاللت الناقة استخرجت ما عندها من السير قال

وقد تعاللت ذميل العنس

واليعاليل سحايب بعضها فوق بعض الواحد يعلول وبنو العلّات هم اولاد الرجل من نسوة شتي سميت بذلك لان الرجل تزوجها علي اولي قد كانت قبلها ثم عل من هذه.

Hoc eſt. עלל *in repetita aquatione & iteratis hauſtibus propriam ſedem obtinet, quemadmodum* נהל *in prima aquatione, unde ſolennis formula* סקאה עלל בער נהל *ubi largiſſima laticis præbetur copia, probeque ſitim extinguere datur. uſurpatur autem tranſitive æque ac intranſitive, &* עלל *dicitur tum qui alteri ſecunda vice bibendum dat, tum qui ipſe iterato hauſtu potat; futuro promiſcue dſamma vel keſra admittente. In quarta Conj.* אעל *adhibetur de iis, quorum cameli gregesve iterato ſitim propulſant.* עלל *autem &* תעליל *infinitivus Conj. non tantum valet iterum iterumque bibere, verum etiam iterum iterumque carpere, & fructus legere. Ex prima etiam Conj. venuſta tralatione dicitur,* על אלצארב אלמצרוב *hauſit percuſſor ſecunda vice percuſſum, quum iteratis eum ictibus conficit. Leviore quoque ſenſu proverbialis increbuit locutio, gladio me hauſit ritu* אלעאלה *potantium altera vice camelorum, pro libavit tenuiter cruorem meum, ictu non valide adacto, quod ubi ſitis æſtum prima aquatione fregerunt greges, altera os tantum proluant, aquasque ſummis labris delibent. porro derivatum* עלה *morbum ſonat, nec non caſum cauſſamve nec opinato incidentem, quæ aliquem avertat a propoſito, ſic dicta quod ſit veluti altera occupatio, quæ priorem occupationem præpediat. Ægrotandi autem poteſtas invaluit potiſſimum in octava Conjug.* עליל*, quod pro cauſario morbisque confecto teritur: nonnunquam in quarta Conj. hæc quoque vis admittitur, ut in formula hac,* לא אעלך אללה *Averruncet a te Deus morbum malumque. Valet præterea conjugatio octava, avertere quem a propoſito, nova objecta occupatione, nec non prætextum falſamve cauſam adverſus aliquem quærere. Quod autem communi omnium ſermone contritum eſt* עלי עלאתה *tantundem eſt ac, quocunque tandem in caſu ac ſtatu verſetur. Zahir poëta vetus ſic utitur in eo*

Utique

Utique avarus ubicunque degat, execrationi eſt.
Munificus contra, quacunque fortuna utatur, in pretio eſt.

Aliam adhuc notionem induit ſecunda Conjug. Lactare ſcilicet infantem & cruſtulis demulcere, ad mammæ damnum reſarciendum, unde עלאלה *Cruſtula idque genus alia quibus infantes lactamus. Idem vocabulum adhibetur pro reliquiis lactis, pro mulſione inter duas alias media, pro reliquiis equini curſus, denique pro omnibus in univerſum reliquiis. Hinc ſexta Conjugatio* תעאלל *in Camelo adhibita valet, admiſſo curſu reliquias virium impetusque ejus conſumere & exhaurire: unde veterum nonnemo*

Rapidumque camelorum curſum exhauſi.

Eſt etiam derivatum יעאליל *plurale fractum a ſing.* יעלול *nubes ſignificans alias ſuper aliis conſtructas. Denique* בני אלעלאת *appellitantur ex diverſis mulieribus ſuſcepti liberi, quibus nomen hoc inditum, quod ſuperinductis priori uxori aliis, iterato, ac veluti repetitis vicibus aquatum hauſtumque, libidinis explendæ gratia, iviſſe cenſeatur pater.*

Camuſi etiam fontes recluſi. XIV. Conjungendus cum *Zjaubario* eſt *Phiruzabadius* largiore adhuc flumine nos inundaturus, opulentiamque & ampliſſimas radicis hujus divitias exhauſturus. العل والعلل الشربة الثانية او الشرب بعد الشرب تباعا واعلوا وعلت ابلهم وتعلل بالامر تشاغل او تجزا كاعتل وعللة بطعام او غيره تعليل شغله والعلالة ما شغلك به وما حلب بعد الفيقة الاولي وبقية اللبن وغيره ومن السير وكل شي وان تحلب الناقة اول النهار ووسطه واخره والوسطي العلالة وقد عالّت الناقة والعلة الضرة لان الذي تزوجها علي اولي قد كانت قبلها ناهل ثم عل من هذه وبنو العلات بنو امهات شتي من رجل ومن نقبض جادة مرض والعلة المرض واعتل واعله الله نهو معل وعليل والحدث يشغل صاحبه عن وجهه والمعلل رافع جابي الخراج ومن بسقي مرة بعد مرة واليعلول الغدير الابيض والمطر ذو الحباب ونفاخات الماء وسحاب ابيض والقطعة البيضاء منه والمطر بعد المطر ومن الضبع ما غل مرة بعد اخري والبعير ذو السنامين والعلياة المراة المطيبة طيبا بعد طيب وعل الضارب المضروب تابع عليه الضرب والمثل عرض عليّ سوم عالة اي لم يبالغ لان العالة لا يعرض عليها الشرب مبالغا كالعرض علي الناهلة *Hauſtus ſecundus* על & עלל *proprie vocatur,*

tur, latius quoque uſu ſeſe fundente, ubi crebris & identidem repetitis hauſtibus indulgetur. Hinc abſolute in 4. conj. אעלּ *in iis quorum Cameli altera vice ſitim ſedant: & ex prima* עלת אבלהם *Cameli eorum iterum iterumque biberunt. In quinta Conj. dicitur* תעלל באלאמר *occupatus fuit in negotio: nec non demulſus eſt, & blandimentis quibusdam compoſitus & ſedatus: utraque notione in octava quoque vigente; nec non ſecunda, ubi conteritur ſignificatio, edulio dulcive cruſtulo aliquem demulcendi, & occupandi. unde* עלאלה *quo lactaris & permulceris.* עלאלה *quoque audit, quod emulgetur poſt primum intervallum: complectitur præterea reliquias lactis aliarumque rerum, ut & curſus, quin imo omnes omnino reliquias: quod ſi mulgeas camelum primo, medio, extremoque die, quod meridie mulgetur, proprie* עלאלה *eſt: indeque in tertia conjug. propagatum eſt* עאלת אלנקה *in camelis, quum ſecunda vice mulgentur. Et* עלה *dicitur ſuperinducta priori uxor, quod maritus in primo matrimonio concipitur tanquam* נוהל *primo hauſtu bibens, mox inducta altera* עלל *hauſtum geminaſſe cenſetur: ex quo fonte diverſarum matrum filii ab uno patre proſeminati* בני אלעלאת *appellitantur. Alio uſu complectitur etiam, querum contracta morbo cutis eſt.* עלה *præterea morbum ſonat, & verbum valet morbo afficere in 4. & 8. conjugatione, quique laborat ex morbo vocatur* אעל *&* עליל. *Valet etiam* עלה *cauſam caſumque ſubito oblatum, qui a priore inſtituto aliquem avertit.* מעלל *etiam ex ſingulari uſu conjugationis ſecundæ adbibetur in eo qui tributa colligit, proprie vero eum dicit qui repetitis vicibus haurit. Porro* יעלול *eſt ſtagnum candidum & pellucens: & pluvia bullas excitans; & ipſæ aquarum bullæ, & nubes candida; aut ejus particula lucidior; & pluvia pluviam ſubſequens: denique* יעלול *in libidinoſo animali ponitur, identidem ſitim libidinis reſtinguente; nec non in camelo gemino tubere prædito.* עלילה *teritur de muliere iterum iterumque odoribus ſe imbuente. Porro verberans* על *bibit hauritque verberatum, quum continuis eum ictibus inſectatur. Proverbiale autem dictum, hauſit me ictu,* τῶν עאלה *ritu, id eſt, camelorum altera vice potantium, ictum ſignificat haud alte adactum, quod quæ dicuntur* עלל, *non tam avide ſe ingurgitant, atque illæ quæ primo impetu ſitim depellunt, quod* נהל *audit.*

XV. Hanc verbi noſtri ampliſſimam ditionem ac potentiam, a principibus Lexicographis delibatam, ſtrictimque percurſam, uberiori luce afficiamus, & ex vetuſtatis ſinu illuſtremus. Grave eſt & magnificum illud, quod in prima conjugatione uſus metaphoricus ſuſcipit, *iterato hauſtu bibit cædens cæſum*, pro *repetitis eum ictibus confecit & exhauſit*. Hac figura uſus eſt *Abdo Menâph*, in *Diwân Hudeilitarum*, quum jugulum ejus hoſtilis in prœlio gladius hauriret, hac ſtrenua voce mortis ſibi admovens ſolatium.

Uſus Metaphoricus in ictibus & vulneribus infligendis exhauritur.

Digitized by Google

يعل سيفي منهم وينهل
عركت فيهم كلكلا بكلكل ۞

Et meus eos gladius pro libidine hauſit ac ebibit:
Cum iisque pectora pectoribus terens conflixi.

Adhibet bina illa vocabula נהל & עלל quarum ſedem *in primo ſecundoque hauſtu* definivimus, ut declaret, & ſuam ſe vicem, *cruore hoſtium* penitus *exſatiatum* fuiſſe. Utrumque etiam conjunxit ſimili in argumento *Solmi-Ibn-Rablab* in *Anthologia* mea, cui *Hamaſa* nomen,

ومناخ نازلة كفيت وفارس
نهلت قناتي من مطاه وعلت ۞

Quot ego ſubſtiti ingruentia diſcrimina, quot equites?
Quorum e tergis haſtæ meæ ad plenum ſe ſatiarunt.

Ad quem locum *Tebrizius.* ورب فارس رويت قناتي من مطاه والنهل والعلل مثل هنا وكناية عن الري لان الناهل اذا عل فقد يناهي في الشرب وهذا كقول الاخر

نهل الزمان وعل غير مصرد ۞

فليس هناك نهل ولا عل *Senſus eſt, haſtas ejus ſæpe numero e tergis equitum hoſtilium rigatas & madefactas fuiſſe. Eſt autem* נהל & עלל *figura hic & ſimilitudine inductum, ad ſitim penitus reſtinctam circumſcribendam, quod* נוהל *primi potus particeps, quum* עלל *hauſtum iterat, ad plenum ſe ingurgitat. Convenit autem cum alterius Poëtæ ſententia hac.*

Haurit Fortuna primum, haurit ſecundum, haud unquam expleta ſiti.

Ubi *haurire* dicitur Fortuna, quæ nunc hos nunc illos *perimit*, *leto dat*, & acerbo funere *rapit*, ut in illo *Tragici.*

Quos hauſit, quos peremit, quos leto dedit
Dies —— —— —— ——

Elegans cum primis & hoc eſt Celebratiſſimi Herois *Teabbeta Sjerran*, quod nominis ei ab *malo ſub axillis geſtato* inditum eſt, etiam *in Hamaſa* memoriæ proditum.

Digitized by Google

ينهل الصعدة حتي اذا ما نهلت
كان لها منه عل ۞

Haſtas aquatum ducit, ut ſitim primo impetu ſedent:
Iteratis mox hauſtibus easdem exſatians.

Apud *Græcos Latinosque* eadem hæc percrebuit figura, & multis in verbis late dominatur. *Virg. Æneid.* 11. vſ. 803.

Haſta ſub exertam donec perlata papillam
Hæſit, virgineumque alte bibit acta cruorem.

Imitatus eſt *Silius Pun.* 15. 631.

——— ——— *Nondum arma manusque*
Permixtæ, jam tela bibunt præmiſſa cruorem.

Et L. 6. 291.

Hæc tunc haſta, decus nobis pretiumque ſecundi
Vulneris, a veſtro, Serrane, tributa parente,
Princeps quæ ſacro bibit e ſerpente cruorem.

Ubi videatur Cl. *Drakenburgius.* Cognatum *potandi* vocabulum eidem uſui admoveri ſe patitur. *Stat. Theb.* 6. 102.

——— *Infandos belli potura cruores*
Fraxinus ——— ——— ——— ———

Pluribus etiam *Libare* paulo ſupra conſimili virtute & venuſtate donavimus: ubi *ſatiatam ſanguinis haſtam* ſimul exhibuimus ex *Silio*, cui concinit hoc ejusdem Lib. 7. vſ. 535.

——— ——— ——— *Multoque cruore*
Exſatiate, Viri, plenos rubiginis enſes.

Eadem ratione *Saturare dextras ſanguine* dixit *Silius* L. 12. 578. uti ſagaciter reſtituit Ill. *Heinſius*, ad quem locum Celeb. *Drakenb.* ex Naſone laudavit *Satiatam ferinæ cædis dexteram.* Affine eſt quod *ſitire ſanguinem*, & *ſatiari cruore* celebretur in iis, qui *vulneribus* aliorum *inhiant*, eorumque *nece potiuntur.* Tac. 2. 21. *Ad noctem cruore hoſtium ſatiantur.* Et in illo *Tomyris* reginæ: *Satia te ſanguine quem ſitiſti.* Eſtque hæc *ſitis* graviſſima figura, ad *haſtas, tela, gladios* etiam traducta. *Silius* L. 12. 264.

Transabiit non hunc ſitiens gravis haſta cruorem.

Digitized by Google

Et Claud. 2. in Ruff.

—— *Barbaricos ſitientia pila cruores.*

Iterum *Conſ. Manl.*

Cædis ſitientem differat arcum.

Conf. *Nic. Heinſ.* ad Lib. 3. *de raptu Proſerp.* 282. Concinunt hic & conſpirant Arabes. *Arabsjades Hiſt. Tamerl.* p. 211. ولنوردن منك ومن عسكرك نواهل القنا موارد الاضغان *Et profecto odiis inflammati hoſtilibus, ex te tuoque exercitu, haſtarum ſitientiſſimas largis hauſtibus mactabimus.* Sic *Abu'l'Ata'* in *Hamaſa*

ذكرتك والخطي يخطر بيننا
وقد نهلت منا المثقفة السمر ✡

Memor tui ſum, vibrentur licet inter nos haſtæ;
Rectæque illæ & fuſcæ utrimque ſiti flagrent.

Alter uſus translatus, altus, gravis, & verecundus.

XVI. Eſt alia tralatio, multa ſeſe honeſtate & verecundia commendans, qua עלל in *re Venerea*, & *libidinis ſiti ad ſatietatem usque explenda* locum invenit. Hinc علة עלה in familiari etiam & quotidiano ſermone conteritur pro צרה *æmula tori*, *pellice*, &, ut *Phiruzabadius* declaravit, *priori matrimonio ſuperinducta uxore*, quaſi dicas, *quæ intemperantiori & libidinoſiori alteras bibendi hauriendique vices*, *alteram præbet & miniſtrat copiam*: & بنو العلات ſive בני עלות paſſim adhibentur, non tantum pro *unius patris prole ex diverſis uxoribus ſuſcepta*, ut uterque docuit Lexicographus, verum etiam pro *ſobole meretricia*, & *vulgivaga venere edito ignobili fœtu*. Figuræ ut juſtum lumen infundamus, non ſolum obſervo, proclivi admodum gradu ab *æſtu ſitis identidem ſedando*, ad *libidinis ardorem reſtinguendum* migrari potuiſſe, ſed etiam imaginem hanc pudicam, & rei turpiculæ ſpecioſum velamentum, longe lateque ſerpere ac fundi per Orientis linguas, & *ſitire*, *aquatum ire*, *haurire*, *bibere*, aliaque argumento huic dicata verba, ad *Veneris res* creberrime traduci, ut ſtatim uberius palam faciemus.

Tertia metaphora in *mulgendo* ſita.

XVII. Tertiam excutiamus metaphoram, per ſane venuſtam, quæ in tertia potiſſimum conjugatione invaluit, & ſedem fixit. Exemplum producitur in *Camuſo* עאלת אלנקה in *Camelis quæ ſecunda vice mulgentur*, ex uſu ſcilicet tranſitivo primæ conjugationis, ut ipſæ *cameli* ſpectentur, tanquam *largum ex uberibus ſuis potum hauſtumque præbentes*. At quum intranſitiva poteſtate quoque prædita ſit iſta conjugatio, עאלל rite etiam ponetur in eo, qui

ſecun-

ſecunda tertiave vice animal *mulget*, quaſi dicas *identidem eam haurire & ebibere.* Hinc علالة עלאלה *reliquiæ lactis, in ubere* nempe, *poſt primam emulſionem denuo confluentes*, quod monendum eſt, ne fraudem pariat Arabum conciſior interpretatio, quos ſupra vidimus, *reliquias lactis, curſus, omniumque in univerſum rerum* hoc vocabulo comprehendiſſe: in quo popularibus ſuis, quibus vivus & vernaculus linguæ uſus eſt, ſatis quidem lucis ſuppeditant, at noſtris hominibus meras objicerent tenebras, niſi aliunde in promptu eſſet, non alias *reliquias* hic eſſe cogitandas, quam quæ *ex perenni quadam vena & ſcaturigine, collectis denuo viribus, emanant, atque ebulliunt.* Non prætereat autem, *Phiruzabadium* tradidiſſe, ex diligentiore linguæ diſciplina, עלאלה proprie celebrari, *in lacte, quod interjecto ſpatio denuo emulgetur*, in quo genuina vis atque indoles radicis liquidiſſime traluceat.

XVIII. Hinc alia iterum emicuit inſignis loquendi gemmula, quæ *lacrymis ubertim euntibus* nomen indidit עלאלה *liquoris, in ſtatione veluti ſua, ad mulgendum parati & confluentis*, atque conjugationem tertiam *mulgere*, vel *mulgeri repetitis vicibus*, admovet *oculis profuſius exſtillantibus, & perenni ſcaturigine manantibus.* Exemplum habe ex *Diwan Hudeilitar.* Quæ quarto venuſtiſſime *oculis lacrimantibus* applicatur.

واتبعت الظعاين طرف عين
علالة دمعها نضض غزير ۞

Et miſi, migrantium poſt pilenta, aciem oculi;
Emulſa cujus lacrymula largiſſime manabat.

Formula eſt, ſumma ſeſe gratia & pulchritudine inſinuans, quam largiore luce ex aliis *mulgendi* vocabulis mactatam, Sacris Literis, ubi nonnulla adhuc expediverimus, inferemus.

XIX. Ex eodem hoc fonte effluxit ſextæ conjug. תעאלל uſus ſingularis & elegans, quem *Golius* ſic circumſcribit, *ultimo incedendi conatu, poſtrema continuandi itineris potentia quaſi exhauſit camelum.* Scilicet עלאלה valet etiam *reliquias curſus equini*, vel ut ingenium linguæ altius introſpiciendum præbeam, עלאלה ſonar *ſuccum veluti vitalem, & perennem vigorem curſoris equi, qui multo itinere hauſtis jam viribus, non deficit neque exareſcit, ſed ſe identidem colligens, infatigatum ſeſe præſtat & inexhauſtum.* Hinc in laudem generoſioris equi concelebratur ذو علالة *præditus inexhauſto & perenni curſu*, ut in illo *Moleichi* ex *Diw. Hud.* Quinta metaphora in *curſu alacriore & indefeſſo.*

ذو علالة دريس ۞

Perenni vigore præditus, & curſu velox.

 Ubi

Digitized by Google

Ubi ſcholiaſtes علالة شوط *Olalah eſt curſus ad finem usque exantlatus.* Geminum eſt *Abu Tſachri Hudeilitæ.*

لعمل مرجما ذا علالة
يبذ وجيف الناجيات المواخذ ☼

Equum exerce validum, vigore præditum;
Incitatiſſimum fugientium camelorum greſſum qui vincat.

Adde *Anonymi* hocce in *Hamaſa.*

وللقارح اليعبوب خير علالة
من الجذع المزجي وابعد منزعا ☼

Et ſane quinquennis velox, curſus præſtat vigore
Bimulum leniter agendum, longoque relinquit intervallo.

Inde תעאלל teri cœptum ſenſu illo, quem ex *Golio* tantum quod promſimus: Metaphora, meo quidem animo, ducta ab *emulgendo*, vehementer enim Arabes amant *mulgendi* verba *in animalibus* adhibere, *effuſiorem in curſum concitatis, & labore itineris exhauſtis*, quemadmodum ex radicibus حلب, & درى & مري pervincere pronum eſſet, ſi id nunc ageretur.

Sexta producitur metaphora, duabus aliis fœta.

XX. Alia via & ratione, ex radice noſtra pullulavit conjugationis ſecundæ ſingularis notio & poteſtas, qua עלל علل media dageſch forti prædita, conteritur pro *identidem vindemiam exercere, iterum iterumque uvas legere & decerpere.* جني الثمرة مرة بعد اخري Hoc quod pervagati & conſtantiſſimi ſit uſus, & originem ſuam in fronte præferat, illuſtrare, atque exemplis firmare ſuperſedeo. Hinc nova porro ſeſe ſubmiſit ſuboles, quam a *Sjaubario* prætermiſſam, prodidit *Phiruzabadius*, participium מעלל معلل declarans per *collectorem & exactorem tributi.* Scilicet *tributa & vectigalia* ſunt quidam quaſi *reditus & fructus*, quos eleganter *carpere & vindemiare* dicitur, qui eos *exigit & comportat.* Haud levi autem conjectura ductus exiſtimem, ſubeſſe huic metaphorico uſui *importunitatem, & acerbam vexationem*, & verbum hac tralatione veſtitum, ſedem ſumere in iis *qui pecus non tondent, ſed deglubunt, & ſtipendiarios ſuos nudos excutiunt:* huc enim aperte ducit vocatque illud *vindemiam identidem exercere, atque ad noviſſimam usque baccam perſequi.* Aliam adhuc propaginem ſubjicit Conjug. octava, huc revocandam; *Zjeubario* enim tradente اعتلّه & اعتلّ عليه איתעל עליה inter alia ſignificat تجني عليه. *Golius* reddidit, *cauſam, prætextumve adverſus eum quæſivit:* minus rite & feliciter, eſt enim *falſum imputare crimen, calumniis vexare, lacerare,* car-

carpere; plane qnemadmodum Latinorum *carpere*, *injuſtæ criminationis & calumniæ vim ac rationem induit*, *vexationemque* & *malignam acerbitatem* habet conjunctam.

Nona tralatio luce adſpergitur.

XXI. Secundæ conjugationi additam etiam vidimus vim *lactandi*, *demulcendi*, & *ſolamen adhibendi.* Hujus fontem verbulo patefaciamus. Manavit proculdubio ex eo, quod qui ægro animi *ſolatium adhibet*, eumque *læta*, vel *re*, vel *ſpe*, oblata, *mulcet* & *in quietem componit*, conſideretur tanquam qui *aliquid hauriendum bibendumque* porrigat, quo *ægritudinis æſtus*, & *rei amiſſæ triſte deſiderium leniatur.* Inde علالة *delinimentum:* & conjug. quinta تعلل תעלל *delinitus & ſedatus fuit.* Sed latius ſeſe pandit venuſta hæc notio, cujus uberiorem mihi potentiam ſubminiſtravit *Tabelebi*, in ampliſſimo penes me Commentario ad diſſertationes *Hariri;* qui diſſ. 2. hæc habet. التعلل قطع الزمان بالعيش اليسير وتعلل بشرابه اذا اخذ منة قليلا قليلا Hoc eſt. תעלל valet *traducere ætatem in vita facili & copioſa, proprietas autem ſita eſt in potu ſenſim & ſuaviter hauriendo.* Exemplum hoc, aliaque ſuperius a nobis collecta, inſigni documento ſunt, quantumvis largo Arabicæ literaturæ flumine nos inundaverint *Zjauharius* & *Phiruzabadius*, neutiquam tamen eos ubertatem & opulentiam linguæ exhauſiſſe, ſed incredibilem quandam rerum copiam, partim brevitatis ſtudio circumcidiſſe, partim aliis conquirendam & colligendam reliquiſſe, neque enim vel viginti hominum vita, otium, diligentia, & induſtria ſuffecerint, inexhauſtis ditiſſimæ linguæ theſauris expromendis.

Decimus uſu in morbo poſitus illuſtratur.

XXII. Longo hinc intervallo diſſidet conjugationis quartæ & octavæ poteſtas, אעל اعل enim expoſitum dedimus اصاب بعلة *morbo affecit*, *afflixitve;* & אעתלל اعتل *ægrotavit*, & adj. עליל عليل nec non participia מעלול معلول & מעל معل *morbo affectus*, denique ſubſtantivum עלה علة *morbus.* Et hujus notionis genuinam aperiemus venam, atque ex prima ſcaturigine derivabimus, eo magis, quod ipſi Arabes vel nihil omnino hic viderint, vel infelicius verſati ſint. *Zjauharius* & *Phiruzabadius* altum ſiluerunt, quod nihil duri haberet nux hæc, ſcilicet! Vires periclitatus eſt *Tabelebi* ad diſſert. 7. *Hariri.* علة اي مرض وهي من العلل وهو الشرب الثاني كان تلك العلة صارت تشغل صاحبها شغلا ثانيا ومنعه عن شغله الاول. עלה *morbum dicit*, *ducitque originem ab* עלל *qui eſt hauſtus iteratus*, *quod morbus*, *quem corripuit*, *occupatum habeat novo quodam negotio*, *& a priori negotio attineat.* Scilicet in vocabulo עלה, & in binis verbi conjugationibus ineſt ſignificatio *negotii* aliquem *occupantis*, *& in ſe penitus convertentis;* καὶ εὐφημίαν *morbum* ſluxiſſe autumat. Mihi aliud ſedet, penituſque adhæret, *morbum* in hac radice dimanaſſe ex eo, quod *vires* identidem *haurire*, *humoremque vitalem ebibere* cenſeatur: quod pulcre *Lucan.* L. 9. 743. extulit

Ebibit

Digitized by Google

Ebibit humorem circa vitalia fuſum
Peſtis —— —— —— ——

Firmamentum addit & lumen, quod idem hocce vocabulum adhibeatur pro *clade*, *infortunio*, *calamitate*, alicujus opes, fortunas, vitam *hauriente ac perimente*, quam vim Lexicis ignaram, uno alterove exemplo munitam dabo. In *Hamaſa* laudatur hocce *Zjabir Ibn Haijan*

وما وجد الاضياف فيما ينوبهم
لهم عند علات الزمان ابا مثلي ۞

Neque inueniunt hoſpites, quum ſævius infeſtantur,
Fortunæ in cladibus patrem ſibi, inſtar mei.

Ubi *Tebrizius* علات الزمان مكارهه وشدايده עלות *ſunt infeſta & dura temporum.* ſic *Zijad Eladzjem* ibid.

اخ لك لا تراه الدهر الا
علي العلات بساما جوادا ۞

Frater hic demum tibi, quem in uita non videas,
Ne in ipſis quidem calamitatibus, niſi renidentem & benignum.

Ex hoc autem fonte *Calamitatum cladiumque* notionem emerſiſſe, pervincit hocce *Chetſamæi* cujusdam ibid.

نهل الزمان وعل غير مصرد
من ال عتاب وال الاسود ۞

Bibit tempus, iterumque haurit, ſiti indomita;
Ex Attabæa gente, & gente ex Aſuadæa.

Ubi נהל, qui eſt الشرب الاول *primus bibendi impetus*, & עלל qui eſt الشرب الثاني *ſecundus hauſtus*, declarante Tebrizio, figuram induunt *ſtragis necisque* in binis hiſce gentibus *editæ*, *ab calamitatibus identidem* eas *infeſtantibus* & *exhaurientibus:* ad quam ſimilitudinem geminum hocce verbum *in morbis* ceterisque *peſtibus* celebratum fuiſſe, dubio vacat.

Decima translatio aperitur.

XXIII. Noviſſimo tandem loco enucleemus *negotiorum* atque *occupationum* potentiam, quam derivata, & conjugationes nonnullæ præ ſe ferunt. *Phiruzabadius* علالة ما شغلك به Hoc eſt, עלאלה *Ololah dicitur quicquid te occupatum tenet.* Item, علة الحدث يشغل صاحبه عن وجهه i. e. עלה, *ſonat nego-*

negotium quod totum occupet hominem, *eumque a priori inſtituto avocet.* Hoc qua via & ratione e ſtirpe noſtra ſuccreverit, pandit *Zjaubarius.* علة حدث يشغل صاحبه عن وجهه كان تلك العلة صارت شغلا ثانيا منعه عن شغله الاول i. e. עלה *negotium valet*, *totum occupans hominem*, *in ſeque convertens*, *ſic dictum*, *quod hæc veluti altera ſit occupatio*, *quæ eum a priori occupatione avocet & avertat.* Scilicet ex *ſecundo hauſtu* hanc *ſecundi* cujusdam & majoris *negotii ac moliminis* propaginem editam eſſe decernit; quod hactenus quidem ſagaciter odoratus eſt; ſed omnem metaphoræ hujus amplitudinem & ditionem, vel non ſatis perſenſit, vel in uſum noſtrum minus copioſe reſeravit; altius enim & nervoſius ſpirat figura hæc, quæ *moliminum*, *arduorumque negotiorum* vim ac ſignificationem ſubjicit ex eo, quod qui ea aggreditur & ſuſcipit, *deſcendere* videatur *in aquarum* quandam *molem*, & *labores*, atque *ardua rerum*, *haurire exantlareque:* quod, procedente indagationis noſtræ ſerie, inſignibus documentis confirmatum dabitur.

Radicis noſtræ primitiva notio in Bibliis nusquam occurrit.

XXIV. Hæc fuſius exequi & evolvere operæ duxi, partim ut Arabicæ linguæ dignitas & conſtantia in hac radice eniteret, partim ut luminis hujuſce copioſiſſimi radii ſeſe ſacris Literis inſinuarent, iisque florentiſſimas haſce figuras, maximam partem, infunderent. Eſt autem probe tenendum, primævam illam & antiquiſſimam poteſtatem, quam finivimus, nusquam plane locorum ſeſe ingerere, ſed ſecundarium ac tralatum uſum in imaginibus a nobis expoſitis, longe lateque regnare, in quibus revocandis illuſtrandisque, illi filo nos permittemus, quod hactenus ductu auſpicioque Arabum pertexuimus.

Prima figura in *plagis & vulneribus* reponitur Thr. 1: 12.

XXV. Redordimur ab ea figura, quam principe ſupra loco larga luce mactavimus; qua *haurire* noſtrum, *ictus* affert & *vulnera* identidem *repetita*, quibus vires, vitalisque adeo ſpiritus, exhauriuntur veluti atque abſumuntur. Hæc bene multis nobis locis reponenda eſt. Thren. 1: 12. *Vibrate aciem & inſpicite*, *num dolor ſit*, *ut meus hicce dolor*, אשר עולל לי אשר הוגה יהוה *in die æſtus naſi ejus.* Hic LXX. dilute, & per ſane frigide, prius illud membrum dedere, ἄλγος μου ὃ ἐγενήθη, quod imitatus *Arabs*, الذي صار لي *qui factus eſt mihi*; nec non *Syrus*, דעבד לי *quem fecit mihi.* Conſignantius multo *Vulgatus*, *quoniam vindemiavit me*, cujus conatum laudo, quamvis *vindemiandi* nervoſiſſimam in *cladibus* metaphoram, infra a nobis latius pandendam, minus heic loci opportunam, neque a *Jeremia* intentam autumem. Recentiores partim in *faciendi* notione obhærent, partim commodius ad ſenſum, & efficacius, *male haberi*, *vexari* & ſimilia adhibent. Nativam indolem verbi ſic reddimus, *quo hauſit me*, *quo penitus excruciavit Jehova.* Activam hic malumus conjugationem, quam paſſivam, neque obſtat *Patach* in fine, nam & ejus *Pihel* nonnunquam particeps eſt. ſed majore adhuc nervo pollet illud עולל לי / quam *hauſit me* præfert; valet quippe, *quo hauſit mihi*, id eſt, quo *mihi vires vitamque exhauſit*, *in me ictus congeminans*, *me identidem telis ſuis repetens*, *cuſpidemque ſuam meo cruore ſatians.* Hæc genuina locutionis vis, hæc

Digitized by Google

hæc amplitudo eſt & ubertas, quam neſcio an *Chaldæus* adſpexerit. quum vertit, דאסתקף לי hoc in polyglottis ſonat, *quoniam occaſionem quæſivit contra me*, at *Buxtorf.* in Lex. Thalm. maluit, *irruit in me.* veram potentiam verbi hujus Chaldaici, nemo mihi mortalium ex ſolis *Targumim* explorato indagaverit. Arabum ثقف latitantem radicis סקף naturam aperire videtur ineſt enim in iſtoc verbo vis *contendendi* cum aliquo, eumque *infeſta cuſpide appetendi*, quod latius nunc exequi haud vacat.

Quæ illuſtratur. XXVI. Pulcherrimum hocce lumen & inſigne orationis, ut præter ea quæ jam ubertim peregimus, novo robore firmetur, omniumque aſſenſum impetret, obſervari velim, non tantum *haurire jugulum*, *latus* aliave membra, pertrito Latinorum uſu eſſe, *gravi vulnere transverberare*, verum etiam interiorem linguæ elegantiam afferre, ut *haurire aliquem* ponatur pro *ictibus exhaurire*, & *penitus conficere*, ſeu ut Tacitus alicubi dixit, *afficere in mortem.* ſic *Silius* L. 7. 583.

Quippe aciem denſo circumvallaverat orbe;
Hauſturus clauſos conjectis undique telis.

Et *Val. Fl.* L. 6. 554.

—— —— *Peditem pedes haurit Amaſtrum.*
Sanguinis ille globos, effuſaque viſcera geſtat.

Adde *Stat.* L. 8. 667.

Ille ego inexpletis ſolus qui cædibus hauſi
Quinquaginta animas. —— —— ——

Unde apparet nihil inſolens, aut minus opportunum a nobis hic admitti, quin contra figuram ſic ſtructam & editam, neſcio quid grande & atrox ſpirare, quod melius ſenſu percipi, quam verbis circumſcribi poteſt.

Venenum hauriens ſpiritum dixiſſe videtur Jobus. XXVII. Ad ſublimem hanc & magnificam figuram revocari poteſt *Job.* 6: 4. *Sagittæ Omnipotentis in me ſtant defixæ*, tantum nervi poſſidet עִמָּדִי heic loci, *quarum venenum meum haurit ſpiritum.* Haud equidem damnaverim quod in verſionibus nunc fere irroboravit, *quarum venenum meus bibit ſpiritus:* nam, *bibere*, *combibere*, *imbibere*, *perbibere nequitiam*, *malum amorem*, *peſtem*, *venenum*, eſt *viſceribus immiſcere*, *penitiſque implicare medullis.* Poëta Æn. 1.

—— —— *Longumque bibebat amorem.*

præceſſerat

Occultum inſpires ignem, fallasque veneno.

Similiter in *Herc. Oet.* 566.

Nunc

Nunc congeratur virus, ut veſtis bibat
Herculea peſtem.

Et 664.

Nec Sidonio mollis aheno.
Repetita bibit lana rubores.

Iterumque vſ. 555.

Amare diſcat conjugem, ſi quas decor
Joles inuſſit pectori Herculeo faces,
Extingue totas. Perbibat flammas mei.

Magis tamen in ſuperiorem illam ſententiam inclinat animus, qua ipſæ *ſagittæ venenatæ* & *letales*, *bibere*, atque *vitalem ſpiritum haurire* finguntur; quod vivis coloribus pinxit *Lucan.* 9. 741.

Ecce ſubit virus tacitum carpitque medullas
Ignis edax; calidaque incendit viſcera tabe.
Ebibit humorem circa vitalia fuſum
Peſtis, & in ſicco linguam torrere palato
Cœpit. Defeſſos iret qui ſudor in artus
Non fuit, atque oculos lacrymarum vena refugit.

XXVIII. Mirifice genio ſuo in hac loquendi figurata ratione indulſit Oriens, omnibusque eam ornamentis amplificavit, ac proinde non cruorem tantum *ſitientia* & *haurientia* induxit *tela*, verum etiam *ad plenum irrigata*, *ſatura*, atque adeo *inebriata*. In cantico ſuo *Moſes Deut.* 32: 42. אשכיר חצי מדם *ſagittas meas ſanguine inebriabo.* Non minus graviter & nervoſe *Eſajas cap.* 34: 5. ורותה בשמים חרבי הנה על ארום תרד *Nam inebriatus eſt in cœlis gladius meus: ecce ſuper Edomitas aquatum deſcendit.* Noviſſimum hocce quo jure adoptem, quove innixus fundamento תרד edere ſuſtineam *deſcendit aquatum*, *immergit*, *ingurgitat ſe*, mirabuntur Viri Docti, quod vim hanc hactenus Lexica noſtra ignorent: ſed ſi demonſtraro *deſcendendi* vocabulum hac ſignificationis amplitudine ſæpe numero ab *Hebræis* & *Arabibus* donari, nemo erit, qui eam non lubens volensque hoc in loco amplexetur, quippe quæ mirificam quandam venuſtatem gravitatemque orationi adjungat, & ſcenam propheticam ſplendidiſſime adornet. Penes *Arabes* adeo uſus hicce invaluit, ut multa derivata unice hac in ſede hæſerint; nam ירד ورد proprie *deſcenſus*, abſolute valet *aquationem*, & יורד وارد *deſcendens*, exponitur *aquator*, ejusque plurale ورد, *turba ſitientium & aquatum euntium*, & ipſum verbum in prima & quinta Conjug. frequentatur, pro *intrare aquam*, *aquatum deſcendere*. Hoc jam porro gravi & alta figura induerunt, qua *aquatum ire* dici-

Verbo ירד incognita adhuc poteſtas vindicatur.

dicitur, qui *in prælium deſcendit*, *& multa cæde*, *multo ſanguine* per hoſtes *graſſatur*. ſic *Abdo Menaph* in Diw. Hud.

وردناه باسياف حداد خرجن
قبيل من عند القيون ۞
تركناه يخر علي يديه
يمج عليهما علق الوتين ۞

Deſcendimus in eum gladiis acutis, qui exierint
Paulo ante fabrorum ex officina.
Eumque reliquimus terram mordentem,
· *Ambaſque ſanguine vitali manus convomentem.*

Hic verbo ירד *deſcendere*, imaginem circumdari ejus, qui *multa ſiti flagrans*, *aquatum contendit*, & *pleno ſe proluit ore*, in oculis omnium defiget *Rabiah Ibn Zjebdar* in *Diw. Hud.*

اذبهم بالسيف ثم ابثها عليهم
كما بث الجحيم القوابس ۞
اذا قلت كعكعتهم يردوني
كما ترد الحوض النهال الخوامس ۞

Gladio eos impello, mox ſpiculis ſuperſpargo,
Haud ſecus atque ignis ardentes ſpargit prunas.
Ubi autem jam ſtratos eos glorior, deſcendunt in me,
Quemadmodum in lacum deſcendunt Cameli quintum jam diem ſiti enecti.

Scenam hanc luculentius adhuc inſtruxit *Zahir*, cujus poëma inter ſeptem *Moallekât* conſpicitur.

رعوا ظماهم حتي اذا تم اوردوا
غمارا تفري بالسلاح وبالدم ۞
فقضوا منايا بينهم ثم اصدروا
الي كلاع مستوبل متوخم ۞

Paſtum eunt inter duas aquationes; mox iterum intrant
Gurgites, media inter arma cruore undantes:
Miſcentque viciſſim Mortes; aqua deinde excedunt,
In pabula pergentes inſalubria & peſtifera.

Hic

Hic ſcholia *Nebbaſi* paucis monent. كل هذا مثل وانما يريد انهم تركوا الحرب مدة ثم رجعوا فحاربوا والظما العطش وهو هنا ما بين الشربتين والغمار جمع غمر وهو الماء الكثير *Univerſum hocce emblematicum eſt, ſignificatque eos, intermiſſo pauliſper bello, prœlia de integro miſcuiſſe, & cladibus ſe invicem attriviſſe.* צמא *Sitim autem hic poſuit pro intervallo inter duas aquationes, &* עמאר *a ſing.* עמר *aquarum moles majores exprimit.* Dixit etiam in *Diw. Hud. Rabiah Ibn Zjebdar*

وكيف يلام المرء السي اكيله
اذا ورد الحوض الذي هو وارده

Et qui vituperetur vir ſodali opem præſtans?
Cum in eundem cum eo lacum aquatum deſcenderit.

Ubi Scholiaſtes اراد بالحوض الشدة الحرب *per lacum & aquationem intelligit prœliorum diſcrimina & vehementiam.* Hinc lux affunditur iis Sacri Codicis locis, ubi ירד in *bellis, prœliisque* locum obtinet, quorum vim ac ubertatem alias commodius exſequemur, ubi radici iſti novam hanc potentiam ex profeſſo vindicabimus: quamvis etiam nonnulla adhuc, quæ huc faciant, paulo poſt ſimus inferturi. In præſentia, ne nimis longe evagemur, collegiſſe ſatius fuerit, penes *Jeſaiam* על ארום תרד *ſuper Edomum deſcendet gladius meus*, juxta genium Orientis valere, *ſuper Edomitas incumbens & deſæviens, cæde & ſanguine veluti aquatum ibit, inque eorum viſcera altius deſcendens, cruoris ſitim exſatiabit.*

Threnorum duo loca luce augentur.

XXIX. Stabilita hunc in modum, validiſque præſidiis emunita figura illa, quam in verbo עלל *Thren.* 1. 12. aperuimus, perfacilis atque expedita erit explanatio eorum locorum, ubi gemina plane ratio & poteſtas verſatur. *Thren.* 1: 22. עולל למו כאשר עוללת לי, ſui ſimilis *Vulgatus* edidit; *Vindemia eos, ſicut me vindemiaſti.* Præiverant LXX. Ἐπιφύλλισον αὐτοῖς ὃν τρόπον ἐποίησας ἐπιφυλλίδα. Hoc in ἐπιφαύλισον corruperunt, qui ſermonis Hebræi expertes, ignorabant Metaphoræ hujus dignitatem. *Arabs* liberius, ادحضهم كما صنعوا لي غما *Afflige eos, prout mœrore me affecerunt.* A quo non longe abit *Syrus.* כרך אנון איכנא דכרפתני *Exagita eos, quemadmodum me exagitaſti.* Denique *Chaldæus* ſatis etiam conſtanter dedit, אסתקף להון היכמא דאסתקפת עלי quod, aliter ac vulgo fit, ſic effero, *infeſta eos cuſpide appete, quemadmodum me appetiviſti;* cui verſioni quid anſam mihi præbuerit & firmamentum, ſupra expromſi. Egregie mentem noſtram circumſcripſit, quæ hæc eſt, *Hauri ipſis, quemadmodum mihi hauſiſti*, quæ ſtructura quantum nervi afferat, quam amplumque conſpectum patefaciat *ictuum altius in viſcera deſcendentium, & vires omnes exhaurientium*, ſatis jam demonſtratum eſt. Eadem eſt facies

Digitized by Google

rernm *Thren.* 2: 20. *Vibrata acie introſpice Domine, cui hunc in modum hauſeris* למי עללת כה, ubi *Vulg.* ſuum *vindemiaveris*, LXX. ἐπεφύλλισας, & *Chaldæus* אסתקבתא *impetiviſti telo* retinuerunt. *Syrus* jejune & exiliter, עבדת *feceris ſic*; ſolutius & vage admodum *Arabs* لماذا فضحتنا هكذا *cur nos ſic contumelia affeceris.* Huc revocarunt etiam interpretes *Thren.* 3: 51. ſed iſtic peculiare aliquod lumen, & orationis pretioſiſſimam gemmulam fulgere, inferius declarabimus.

Jobo eadem hæc lux refunditur.

XXX. Cum hoc uſu conjunctum eſt, quod *Jobi* 16: 15. ſe offert. *Centonem conſui ſuper cutem meam*, ועללתי בעפר קרני. *Vulgatus* quod ſub manibus erat arripuit, *operui cinere carnem meam.* LXX. τὸ σθένος μου ἐν γῇ ἐσβέσθη, etiam temere aliquid amplexi, ne nihil dixiſſe viderentur. *Chaldæus* habet פלפלית בעפרא איקרי *Gloriam meam pulvere conſperſi* vel *maceravi*; idem verbum adhibuit *Syrus*: nec abludit *Arabs* وغطيت بالتراب راشي *Caput meum pulvere cooperui*: qui ſeſe in tenebris ſimiliter micuiſſe ſatis produnt. Rabbinorum nonnulli, eorumque veſtigiis inhærentes multi e noſtris verterunt, *cornu meum in pulverem feci*; quod quam frigeat hebeatquè nihil dicere attinet. *Coccejus*, *fœdavi in pulvere cornu*, poſt *Jarchium*, qui hic novam *inquinandi* adoptavit notionem, novumque cudit Etymon, *a ſordibus infantium* repetitum. Nobis haud ſatis liquet, activane ſit conjugatio, an paſſiva, ſed quæcunque illa fuerit, *haurire* noſtrum, *ictibus* illis & *plagis* fœtum, quibus ſanguis & noviſſimus conſumitur ſpiritus, multo uberrimam ſuppeditabit ſententiam. Ex *Pyhal* ſubnaſcetur, *Hauſtus ſum in pulvere cornu meum.* עללתי קרני per ellipſim, pro *quoad cornu meum*, qualia infinita omnibus in linguis verſantur. Orâtio eſt abruptior, quo vehementius vibret, cujus intortam veluti atque involutam brevitatem ſic evolvimus, *cornu meum*, opes, vires, dignitas, potentia, *multo vulnere ſtratum*, *confectum*, *exhauſtumque*, *in pulvere & ſordibus volutatur.* Sin activam vim ſequimur ex *Pihel*, orietur; *cornu meum in pulvere hauſi.* Hoc eſt, *in pulverem me ſordeſque abjicere cogor*, *priſtinoque meo decori*, *robori*, atque ipſi adeo *vitæ*, *fœda imponere vulnera*, *meque* divinitus *fractum & contuſum* fateri.

התעלל *cæde & ſanguine graſſari.*

XXXI. Huic primæ claſſi inferenda videntur bina loca *Exod.* 10: 2. & 1 *Sam.* 6: 6. ubi *clades* illæ, quibus *Ægyptum afflixit* & *exhauſit* Deus, exprimuntur verbo התעלל ſequente præpoſ. ב, ſingulari elegantia ſane, atque efficacia, quod conſtructio hæc oculis ferme ſubjiciat impetum illum, quo *in* alicujus *ſanguinem*, veluti *ac viſcera*, *plagis* identidem *repetitis*, & *altius adactis*, *penetratur*; quæ imago quam appoſita ſit, ad *vulnera* illa, *ſtrageſque* expingendas, quibus Ægyptus debilitata & fracta fuit, ultro patet. Non poſſum tamen non monere, aliam adhuc figuram exempla hæc recipere poſſe, neutiquam rejiculam, quam, nonnullis interpoſitis, ſuo ordine reddemus.

תעלולים *Atrociſſimæ calamitates.*

XXXII. Ut autem in hiſce locis ancipiti diſtineor cogitatione, ita certum habeo atque exploratum תעלולים *Eſai.* 66: 4. eſſe *ictus*, *plagas*, *vulnera*, vel

Digitized by Google

vel verius *calamitates* & *noviſſima malorum*, quæ Remp. Judæorum penitus *exhaurirent* & *internecione delerent*. Cl. *Capell.* jam ante nos lumen ex Arabia afferre conatus eſt, laudata ſignificatione *morbi & ægritudinis*, quam *Jeremiæ* quoque vindicat in *Threnis*; ſed neque originem hujus notionis penes Arabes, neque ampliſſimam ejus ditionem adſpexerat vir Doctus, alias potius ad *clades ſtragesque ferro flammaque editas, & ad occidionem inflictas*, Arabicæ linguæ vim ac potentiam nos manu ducere monuiſſet.

XXXIII. Hæc fere ſunt, quæ ſub primam noſtram claſſem ſubjungenda eſſe exiſtimamus. Alteram nunc ingredimur, in *re turpiuſcula* ſitam, & ſpecioſiſſimo honeſtatis ac verecundiæ velo obnuptam. Hujus unicum tantum in ſacris extat veſtigium, *Judic.* 17: 25. *Eduxit pellicem ſuam foras, eamque cognoverunt, totamque noctem* ויתעללו בה. Hujus locutionis dignitatem gravitatemque ut in illuſtri locemus, atque ab hallucinationibus, quibus obnoxia fuit, vindicemus, præter ea, quæ ſupra jam de hoc uſu Arabum in medium detulimus, obſervo, *aquatum ire, ſitire, bibere, haurire* quæque alia ſunt hujus naturæ vocabula, verecundam hanc ſuſcipere figuram, & crebro Orientis uſu ad *Veneris* res voluptatesque traduci. Verbo ירד ورد poteſtatem *aquandi* proxime adſtruximus. Hoc negotio huic applicuit *Akil Ibn Ullepha* in *Hamaſa*

Altera aperitur figura pudoris involucro tecta.

ولست بسايل جارات بيتي
اغياب رجالك ام شهود
ولست بصادر عن بيت جاري
صدور العير غمره الورود ☼

Haud unquam rogare ſoleo vicinas ædium;
Peregrene agunt viri veſtri, an domi ſunt?
Neque aquatum ingreſſus recedo e domo,
Onagri ritu, quem male aquatio juvit.

Similitudinis interiorem vim, ac rationem ſic aperit *Tebrizius*. العير اذا ورد نشرب اول الشرب ثم احس بالصايد الكامن له علي الماء رجع نافرا غير متلبث· يقول لست ادخل بيت جاري فاذا عامت بكمانه رجعت مسرعا كما يفعل العير اذا احس القانص وضرب ذلك مثل لطالب الريبة انه لا يتعرض لبيت جاره طالبا لنسايه·
Onager, aquatum deſcendens, & labra humectans, ubi venatorem ſubolfacit & inſidias ei ad aquam inſtructas, omni pulſa mora fugam arripit. Hoc itaque vult. Non ſoleo irrepere vicini domum, ſubſeſſor ſcilicet matrimonii alieni, ejusque perceptis inſidiis in pedes me conjicere. Univerſum autem hocce figuratæ poſitum eſt in eo qui adulteria captat & furta Veneris, negatque ſe vicini ædes accedere, uxo-

Digitized by Google

res ejus ſtupraturus. Extat & hoc in *Hamaſa*, auctorem præferens *Kebſche* quandam, ſororem *Amr Ibn Maadi Kerb.*

فان انتم لا تثاروا واتديتم
فمشوا باذان النعام المصلم ☼
ولا تردوا الا فضول نسايكم
اذا ارتملت اعقابهن من الدم ☼

Quod ſi vindictæ immemores, cædis recipitis pretium;
At vos ſtruthionum præciſas circumferte auriculas:
Neque aquatum eatis niſi in menſtrua feminarum excrementa,
Quarum veſtigia ſuo conſpurcata ſunt ſanguine.

Ubi *Tebrizius* قال النمري يقول اذا قبلتم الدية فاغشوا نساءكم وهن جيض. الفضول هنا بقايا الحيض وسمت الغشيان وردا مجازا *Auctor eſt Namerius, eam velle, ut ſi cædem redimi patiantur, feminis non utantur niſi menſtruo pollutis, & פצול hic eſſe reliquias illius ſanguinis, aquationisque figura coitum eſſe velatum.* In ſacris complura hujus verecundiæ veſtigia manent expreſſa, quæ dedita alias opera a nobis illuſtranda, nunc tantum ſtringemus. *Jeremiæ* 2: 21, 22, 23. Ecclesia Judaica ſpiritu ſcortationis percita, & libidine flagrans idolorum, componitur cum camelo dromade, curſus recurſusque texente, & in ipſa menſium fœditate copiam ſui haud negante; quam tanto a furore hiſce retrahit vates. מנעי רגלך מיחף וגרונך מצמאה *Cobibe pedem tuum ne diſcalceatus nudetur, & guttur tuum ne ſitiat.* Utrumque membrum turpitudinem libidinis honeſto involvit tegumento. Eodem hoc capite vſ. 17. dictum erat; *Quid tibi in viam Ægypti ad bibendum aquas Nili? & quid tibi in viam Aſſyriæ, ad Euphratis aquas bibendas?* Hoc referri video ad opis auxiliique implorationem. Melius *Grotius*, qui *ſcortationem* & *idololatriam* hic aſſecutus eſt. Scilicet duplici involucro oratio implicita eſt, in quorum altero *Bibere aquas Nili Euphratisve*, eſt *impuram ſuam libidinem in Nilo vel Euphrate explere;* in altero vero *libido in Nilo vel Euphrate extincta*, valet *Ægyptiorum Aſſyriorumve fœditatibus ſeſe polluere*, & *cum Niloticis Euphratenſibusve diis adulterio miſceri.* In hanc ſententiam celebres etiam ſunt Salomonis *furtivæ aquæ* Prov. 9: 17. neque fefellit exercitatos interpretes iſtud Prov. 5: 15. *Bibe aquam e ciſterna tua*, cum reliquis coloribus iſtic loci adhibitis, in eandem plane mentem exire. Apparet luculentiſſime quid ſit יתעללו בה, *in ea repetitis identidem vicibus hauſerunt*, *libidinisque ſitim ad ſatictatem usque explerunt:* quo verbo nihil hic opportunius ac gravius fingi poteſt.

XXXIV.

Digitized by Google

XXXIV. Pergimus ad illum verbi noſtri uſum, cui tertium quartumque locum ſuperius aſſignavimus, quo עולל *mulgere* ſonat, in oculisque poſitum *ubertim fuſas* affert *lacrimas*. Hunc venuſtiſſimum loquendi florem *Jeremiæ* vindico *Thren.* 3: 50. עיני עוללה לנפשי. Duriuſcule *Vulgatus*, *Oculus meus deprædatus eſt animam meam*. Non auſus *Vindemiare* ſuum hic introducere, illud flexit ad *deprædandi* figuram, qua præditum eſt. LXX. hic edere ſuſtinuerunt ὁ ὀφθαλμός μου ἐπιφυλλιεῖ ἐπὶ τὴν ψυχήν μου, qua in ſententia expedienda, & plauſibili colore commendanda, ipſi, credo, deſudaſccrent. Eos itaque hic deſeruit *Arabs*, deditque تنكسر عيني *frangitur oculus meus*; penes *Syrum* autem reperio עיני ארדיי דמיא טפא *rivos aquarum fuderunt oculi mei*; ſenſum quodammodo adumbraſſe contenti fuerunt. *Chaldæus* reddidit, בכותא דעיני אסתקפת למרע נפשי *Fletus oculi mei urget infeſtus, ad animam meam macerandam.* Non alia poteſt eſſe mens recentiorum, quocunque tandem pacto verſionem efferant, ſive *Facit oculus meus meæ* violentiam *animæ*; inſulto *violentiæ* vocabulo: ſive *vexat animam oculus*, ſive tandem *racemat*. Nobis interior radicis indoles ad vivum pertentata & excuſſa, duplicem oſtentat figuram, alteram alteri venuſtate ac dignitate certantem; quarum prior hac nitet facie, *Oculus meus aquatum deſcendit in animam meam*, vel *pro anima mea:* poſterior ſpecioſius adhuc refulget; *Oculus meus animam emulget meam.* Hæ ſuaviſſimæ formulæ quibus ex fontibus emicuerint, operæ pretium fuerit diligentius aperuiſſe.

Acceditur ad tertiam Metaphoram in mulgendo poſitam.

XXXV. Quod ad primam attinet, ſolennis eſt Arabum ſtructura العين وردت البكا העין ירדה הבכי *Oculus aquatum deſcendit in fletum*, & ſine adjecto *oculo*, ورد البكا ירד הבכי *aquatum ivit in fletum*, pro eo quod plenius efferretur, *multo flumine lacrimarum ora genasque humectare; lacrimarum veluti rivis atque imbribus totum immadeſcere, perfundi, atque*, quod hic in primis ſecuti ſunt, *immerſum lavari.* Figuram ſua ſponte favorabilem & gratioſam, non eſt quod ambitioſe commendemus, aut exemplorum turba ſtipemus. In *Hamaſa* laudatur hocce *Anonymi*.

Aquatum ire in lacrimas fletumve pro ubertim lacrimari.

وكنت اذود العين ان ترد البكا وقد وردت ما كنت عنه اذودها ✲
ولي نظرة بعد الصدود عن الجوى كنظرة ثكلى قد اصيب وليدها ✲

Abegi oculum ne aquatum iret in fletum
Sed quicquid abigerem, aquationem peregit.
Mihi vero poſt divortium hoc præ deſiderio facies eſt.
Qualis facies eſt orbæ, natus cui fato raptus eſt.

Hanc gravitatis ſuavitatisque pleniſſimam formulam Sacri etiam Scriptores locis compluſculis celebrarunt. Thren. 1: 16. *propterea flens ego ſum* עיני עיני ירדה מים *oculus meus, oculus meus deſcendit in aquas.* Et Jer. 13: 16. *Anima mea flebit, uberrimasque fundet lacrimas*, ותרד עיני דמעה *atque adeo oculus meus in lacrimas aquatum ibit.* Et Cap. 14: 17. iterum תרדנה עיני דמעה *Oculi mei in lacrimas aquatum deſcendent.* Nec non Cap. 9: 17. תרדנה עינינו דמעה *Oculi noſtri in lacrimas deſcendunt, palpebræque noſtræ aquis diffluunt.* In hiſce omnibus vulgares verſiones inſedit *deſcendere lacrimis*, quod exponitur *lacrimis totum diffluere*-

Digitized by Google

diffluere, *extillare*, *& colliqueſcere.* Locutio eſt vegeto ſucco, ſanoque colore vigens virensque, quam gradu moveret nemo, niſi ipſi Orientales ad ſuperius illud, aliquanto majore adhuc potentia præditum mentem noſtram evocarent. Promiſcue autem dicitur, *Oculus* ירדה בכי *intravit fletum &* בבכי *in fletum*, quo uſus eſt *Eſaias* Cap. 17: 3. *Totus ejulat*, *in fletumque deſcendit*, ſcilicet *lacrimis ſeſe ſuis commadefacturus ac veluti lavaturus.* Huc etiam tendebat *Pſaltes* Pſ. 119: 136. פלגי מים ירדו עיני *Rivos aquarum intrant*, lavatum euntes, *Oculi mei:* Si enim id voluiſſet quod vulgo circumfertur, *Rivi aquarum deſcendunt ex oculis*, non potuiſſet absque vitio præpoſitionem intercipere. Quod nos dedimus, fulcitur etiam altero illo ex *Thren.* 3: 47. פלגי מים תרד עיני Non utique, *Rivi aquarum deſcendunt oculo meo*, a quo tota ſtructura abhorret, ſed *Rivos aquarum intrat oculus meus*, *iisque ſeſe*, *haud ſecus ac ſi lavatum iiſſet*, *perluit & immergit.* Tale nobis lavacrum in cubili ſuo pinxit *Pſaltes* Pſ. 6: 7. *Natare facio lectum meum: lacrymisque meis ſpondam colliqueſeci.* Ut autem Orientis fœcundum in figuris ingenium, aliquanto lætius luxurioſiusque ſpatiari ſolet per omnia ornamenta atque inſtrumenta amplificationis, ita deprendo Arabes & hic genio indulſiſſe, *ſitulasque*, & *ceteram aquationis ſupellectilem*, huic *lacrimarum* ſcenæ luculentius apparandæ admoviſſe: & *ſitulas agere* ac *reciprocare*, adhibuiſſe *in oculis largo ſeſe fletu exhaurientibus*, *& omnem lacrymarum pauſam adſpernantibus.* Hoc ſplendidum Orationis decus & inſigne vindicandum forte eſt *Eſaiæ* 38: 14. דלו עיני למרום. Alii *Levati ſunt oculi mei in altum*, alii, *attenuati ſunt* ſpectando *in altum.* Radicem ſtatuo דלה in qua reſidet *ſitulis aquandi hauriendique* poteſtas: quoque vibrantior feratur ſententia, imperandi modo edendum eſſe autumo, *ſitulas reciprocate in altum Oculi mei: Jehova opprimor* &c. Id eſt, *cælo affixi*, *reciprocatis veluti*, *ac nunquam interquieſcentibus*, *ſitulis*, *lacrimas haurite*, oculi mei, *perennique vena exantlate.* Allegoriam *ſitularum reciprocantium* alio uſu ſenſuque in *Proverbiis* alibi expoſui, hoc ipſo in verbo דלה, eamque omnibus modis adamarunt ac contriverunt Arabes, quod in præſentia longius perſequi, minus eſt commodum, eamque curam quartæ operis noſtri parti ſeponimus & delegamus. Ad hunc igitur modum, ut, quod intenderam, tandem efficiam cogamque, עיני עוללה לנפשי valere poterit, *Oculus meus aquatum exit*, *& lacrymis ſeſe exercet hauriendis*, ſive *pro anima*, ejus luctui quaſi deſerviens & velificans, ſive quod malim, *ad animam*, vel *animæ*, omni ea poteſtate, quam præpoſitioni ל poſt עלל jam addidimus, ut indicetur *animam*, *ſpiritum vitæ*, *vitalem ſuccum*, ac *vigorem omnem*, *dum ſitulas reciprocarent oculi*, *exhauſtum*, atque ex imis medullis *evacuatum fuiſſe.*

Mulgendi ſuavis tralatio Oculis tribuitur.

XXXVI. Magis tamen animus in alteram propendet figuram, qua *oculus* hic introducitur tanquam *animam emulgens*, vel, quod linguæ ratio etiam ferre poteſt, *qui anima tabeſcente mulgetur*, *copioſoque manat humore:* promiſcue enim frequentant Arabes عـالت الإبل *cameli mulgentur*, & عـال ابله *mulſit identidem Camelos ſuos paſtor.* Hac tralatione uberrima & ſuaviſſima uſum hic eſſe *Jeremiam*, dubio vacabit, ubi obſcuræ voculæ indolem extraxero, quæ vſ. 49. adhibita, doctorum aciem hactenus ſubterfugit. Sic habet verſiculus ille. עיני נגרה ולא תדמה מאין הפגות Verto. *Oculus meus effluit*, *absque ut conticeſcat:*

ticeſcat: eo quod interſtitia non ſint mulgendi. Tantum poteſt polletque τὸ הפגות, cujus ſtirpi *intermiſſionis & relaxationis* ingenitam eſſe poteſtatem non fugit interpretes, ſed veſtigare non valuerunt, aditu omni ad nativam hanc ſedem obſepto, proprie uſurpari in *ſpatio* atque *intercapedine*, qua *quieſcitur a mulgendo.* Hanc tamen adſtruit conſtans Arabum uſus, quibus فواق eſt ما بين الحلبتين *quod binas intercedit mulctras ſpatium:* & فيقة *lac illud, quod mulgendi præbita pauſa, de integro confluit in ubera.* Hinc quantum leporis nitoriſque acceſſurum ſit locis aliquot, in quibus פוג cum derivatis, ſui reliquit veſtigia, alias data opera demonſtrabimus: in præſentia ſolenni hoc uſu Arabum decerni colligimus, עולל noſtrum *mulgendi* tralatione indutum comparere; & vſ. 51. creſcere, atque novo momento ingraveſcere, figuram, quæ vſ. 49. ſuſcepta erat. Eandem hanc affirmat exemplum ex Diw. Hud. jam prolatum, ubi עלאלה דמע oculis tributum vidimus: qualia bene multa ex hac ipſa radice effloruiſſe, perque Poëtarum & oratorum viridaria diſſeminata eſſe, ambigendum non eſt, quum omnia *mulgendi* verba, quibus opulenta affluit lingua, hac ſede ſacrata ſint, & vulgari etiam conſuetudine frequentata. Sic درّ *copioſe manavit lac*, valet *in lacrimis, ubertim manare. Hariri* Diſſ. 30. فتنفس الصعداء مرارا وارسل البكاء مدرارا حتي اذا استنزف الدمع واستنصت الجمع *ingemuitque altius aliquoties ducto ſuſpiritu, & lacrymas, lactis inſtar emulſi largius profudit; donec exareſcerent, & turba conticeſceret.* Similiter حلب, cujus quinta conjugatio تحلب & ſexta تحالب *mulgeri, cum alia* magno numero amplectitur, *copioſo humore manantia*, tum præſertim *oculos*, quod ex *Zjauhario & Phiruzabadio* jam produxit *Golius*. Aliud eſt verbum مري *ſtrinxit ubera*, & *vehementius preſſata emulſit.* Hoc admovent *ventis nubes in pluviam diſſolventibus*, nec non *dolorum & ægritudinum ſtimulis, ac æſtibus, lacrymarum vim acerbius exprimentibus.* In *Diw. Hud. Abu Tzachr*

تحوز مناتيج الغمام وتمري   مطافيل لم يندب بها صر حالب ۞

Gravidas nubium propellebant, venti, *atque emulgebant*
Fœtas, ubera ſtringentis nulla impreſſa nota.

Sententia eſt, in lenem facilemque non minus, quam largum & copioſum imbrem, ſeſe nubes, urguentibus & preſſantibus veluti effudiſſe vendit: ſed hujus verbi genuina ditio & poteſtas latius nobis differenda erit, & uberrimis exemplis inſtruenda, quum radicis מרה illuſtrandæ, atque in priſtinum ſplendorem reſtituendæ, curam ſuſcipiemus; ac proinde vela hic legentes concludimus, nihil vel cum radicis indole, vel cum Orientalium ingenio conjunctius concinnari poſſe, quam ut hanc Jeremiæ figuram attribuamus. *Oculus meus animam emulget meam, omnemque ejus vitalem ſuccum veluti lacrimando exhaurit:* vel quod linguæ rationem etiam admittere monui, *Oculus meus emulgetur, ob animam*, vel *per animam mœrore contabeſcentem, & ſua ſeſe ægritudine conſumentem*; utraque verſio, velut paribus examinata ponderibus, ſeſe ſuſtinet, me tamen haud pœnitet priori calculum adjeciſſe.

Digitized by Google

Racemandi notio quomodo ex radice noſtra propagata ſit.

XXXVII. Quintæ metaphoræ, quam in *currendi perenni* quodam *ac inexhauſto vigore* collocavimus, nullum in Sacris exſtat veſtigium. Fidem tamen non abhorret, eam Hebræis qnoque uſitatam fuiſſe, ſed in re cujus memoria penitus abolevit, nihil decreviſſe melius fuerit. Ad ſextam itaque gradum promovemus, quæ novo nunc revireſcet honore, atque nativæ pulchritudini reddetur; neque amplius exercitos habebit viros doctos, via & ratio qua *carpendi racemandive* poteſtas, ſtirpi noſtræ ſubjungi commodiſſime poſſit: pateſcit enim ab *iteratis hauriendi vicibus* tralationem hanc dimanaſſe, eaque nihil uberius fœcundiusque ſenſu excogitari poſſe. Rem in oculos incurrentem non eſt quod illuſtremus: non poſſum tamen quin in עוללות, quod *racemationes* edunt, animum attendi jubeam ad *reliquias illas* rei jam exhauſtæ, *quæ ſenſim* denuo *pedetentimque vires colligere*, & *confluere* videntur, ut *deſiderium haurientis ſecunda, tertiave vice explere* valeant. Inſpiciantur loca Lev. 19: 10. Deut. 24: 21. Eſai. 17: 6. Jer. 49: 9. Obad. 1: 5. Jud. 8: 2. &c. quantaque origines a nobis proditæ vis, amplitudo, & dignitas ſit, perſentiſcetur.

Racemationis graviſſima tralatio in cladibus.

XXXVIII. Novum etiam lumen indipiſcitur nobilis illa & erecta figura, quam *racemandi, repetitisque hauſtibus vitem vacuandi* peperit ſignificatio; ſita in *cladibus ſtragibusque identidem inflictis*, *quibus* quicquid primus belli impetus *reliquum* fecerat, *penitus exhauriatur*. Jerem. 6: 9 עולל יעוללו בגפן שארית ישראל *etiam atque etiam racemabunt reliquias Iſraëlis, ut vitem: ut vindemiator manum tuam palmitibus denuo admove.* Nempe quum etiam extra hanc metaphoram עולל *vulnera* ferat & *plagas*, utique nihil proclivius erat, quam *vindemiæ* aſſumta imagine, ad belli incumbentis deſævientisque impetum expingendum, in eandem ſcenam עולל etiam advocare, duplici poteſtate fœtum, & tum *racemis ad ultimam usque baccam exhauriendis*; tum *ſanguini inexpleta quadam ſiti bibendo* accomodatum. Eadem eſt rerum facies Jer. 49: 9. Obad. 1: 5. Eſai 17: 6. & Jud. 8: 2. & 20: 45. in quibus non ultra immorabor, ne ſatietatem ac ſtomachum moveam, aut judiciis hominum eruditorum diffidere videar.

Ejusdem uſus in *vexationibus & exactionibus* acerbis.

XXIX. Idem hoc *carpere* & *racemare* ab Arabibus ſeptimo loco adhibitum vidimus in *acerba tributorum exactione*, *vexationibusque* ac *concuſſionibus importunius dominantium.* Hunc uſum ſi in duobus Eſaiæ locis adoptemus, multum jactata eorum ſententia tandem conſiſtere, atque in vado collocari poſſe videtur. Alter eſt cap. 3: 4. נתתי נערים שריהם ותעלולים ימשלו בם *Dedi pueros principes eorum, & —— dominantur iis.* LXX. Ἐμπαῖκται, ut & *Theodotio* teſte *Hieron.* quibus etiam *Syrus* & *Arabs* calculum addidere. *Vulgatus* habet, *effeminati.* Intelligit, ut puto, *pathicos*, *molles*, utque *Aquila* edidit ἐναλλάκτας, *qui turpitudinis exerceant vices, quales in Judicum libro ſuper concubina Levitæ legimus.* Sic *Hieron.* ex notione illa turpicula radicis, quam modo diſcuſſimus *Chaldæus* vertit חלשיא *debiles.* In recentiorum verſionibus ferme *puerorum* vel *infantium* inoleuit vocabulum, quod נערים præmiſſi ſint, quodque לוללים tritiſſime hoc ſenſu veniant. Qua veterum, qua noſtrorum mentem repudiat linguæ analogia, quæ formas haſce *perſonis* attribuere non ſolet, ſed *actionibus* ab aliquo *profectis*; adeoque ſi τῷ עוללים hic ratio ha-

benda

Digitized by Google

benda eſt, omnino vertendum exiſtimo, *& puerilibus dominabuntur modis*, quomodo pluralia abſolute celebrari, copioſe alibi oſtendemus. Teneo ſenſum hunc, ſed eum nova poteſtate exaugeo, quando enim עלל non tantum *puerorum ludibria* amplectitur, verum etiam *ludibrioſas & libidinoſas vexationes dominantium*, utrumque opportuniſſimo vocabulo expreſſit vates, & ſingulari quadam elegantia, ſimul *puerilem*, *vecordem* ac *diſſolutam petulantiam*, ſimul *importunam & acerbam impotentiam* oculis ſubjecit, qua Iſraëlis dominatores in ſubjectos ſuos graſſabantnr, eosque omnibus modis *carpebant*, *vexabant*, *lacerabant*, & *nudos excutiebant*. In eodem Cap. 3: 12. geminum fere huic exſtat exemplum, in quo non minores fluctus cient interpretes. עמי נגשיו מעולל ונשים משלו בו LXX. *Λαός μου, οἱ πράκτορες ὑμῶν καλαμῶνται ὑμᾶς, καὶ οἱ ἀπαιτοῦντες κυριεύουσιν ὑμῶν.* *Vulgat.* levicula mutatione, *populum meum exactores ſui ſpoliaverunt, & mulieres dominatæ ſunt eis.* Scilicet נשים eſt ambigui ſignificatus, & *mulieres* valet ſi puncto kamets proferatur; ſed ſi cholem ei addatur ſonat, *fœneratores*, *exactoresve:* hoc poſtremum plurimi veterum ſecuti ſunt; *Theodotio* enim *δανεισταὶ* dedit; & *Chaldæus*, *Syrus*, *Arabs*, eodem ſententiam inclinarunt. Recentiores tamen *mulieres* maluerunt, quibuscum מעולל *puerorum* atque *infantium* notione conjunctum ire ſtatuunt, ut *manus imbellis* atque *impotens* rite expleatur. Mea ſic habet ratio, atque ſic animum induxi mei, omnino ex מעולל & נשים *puerorum* atque *mulierum* ſignificationem primo adſpectu eminere: ſed altius quid multo, nervoſiusque in ſinu recondi, quod utriusque vocabuli penitior indoles ſuppeditat. in מעולל ſcilicet deliteſcunt *protervi*, *laſcivi*, *petulantes*, *libidinoſi domini*, qui *vineam ſuam depaſcunt & exhauriunt*, qua figura uſus quoque eſt noſter Cap. 5. in altero autem נשים a radice, quae *fœnoris acerbitatem ac vim* complectitur, gemina plane importunitas & divexatio novo colore deſignatur: ac proinde dubium mihi non eſt, quin rem acu tetigerit *Chaldæus*. עמי דמרכוהי בזוחי כמעללי לכרמא ובמרא חובא שליטו ביה *populum meum moderatores exſpoliant, ut qui vineam racemant, & quaſi fœnus exercentes, imperium inhibent.*

Nova metaphora ludendi irridendique illuſtratur.

XL. Transgredior porro ad *demulcendi oblectandive* uſum, quem noſtra deinceps edidit feries. Hic nobis etymon aperit vocabuli עולל, in quo operam adhuc luſerunt Critici. *Pueris* enim hoc nominis inditum eſt, a lacte jam depulſis, quod *cruſtulis* fere *demulceri*, & *vario ludo oblectari* ſoleant, poſt mammam amiſſam. Sic prævivere Arabes, & res liquida eſt ex ſolemni gradatione inter עוללים & יונקים, quam aliquot loca inculcant: poſtmodum, ut fieri amat, pro omnibus in univerſum *pueris*, qua recens natis, qua majore jam natu, & robuſtioribus, invaluit, & originis neglecta atque oblitterata eſt ratio. Sic Arabes ab لها *oblectavit*, quo *Zjaubarius* עולל expoſitum dedit, derivarunt لهو notione *pueri* a matre jam depulſi, & *ludicris delinimentisque omnibus ſeſe oblectantis.* Verbum ipſum *oblectandi* notione longe lateque floruiſſe, non eſt quod dubitemus: quum duo exempla, eam clariſſime præferant, Num. 22: 29. & Jer. 38: 19. prior ſic habet. *Dixitque Bileam aſinæ ſuæ, eo quod* התעללת בי, *te ipſam ſuaviter oblectaveris, ludendo me; meque pro oblectamento & ludibrio habueris.*

bueris. Hoc ſignificatu *Arabes* علل concelebrant, valet enim لها, cujus patentiſſima eſt ditio, amplectens omnis generis *ludicra*, *delinimenta*, *oblectamina*, *quibus tempus fallitur*, & *animo indulgetur.* Exemplum ſi requiras in ipſa noſtra radice, en tibi luculentum, ex *Hamaſa.*

ذكرت تعلة الفتيان يوما والحاق للملامة بالمليم ✡

Ne quandoque in publicum abirem ludibrium, Et ignominia ignavo affigeretur. Ubi Tebr. تعلة الفتيان حديثهم الذي يتعالمون به فيقولون اساء فلان Hoc eſt תעלה *Virorum hic eſt ſermo & fabula qua ſeſe oblectant, dicuntque hic & ille turpiter ſe dedit.* poſterior *Jer.* locus ſonat. *Ne tradant me in manus Chaldæorum* והתעללו בו. Veteres & Recentiores ſenſu duce, *Ludificentur me*, ſane bene, modo hoc rite teneatur, *ludificationem* hanc eo ex fonte manaſſe, quem aperimus, & identidem repetita inculcare ludibria, quibus quis animum ſuaviter mulcet & oblectat.

Quid התעלל 1 Sam. 31: 4. anquiritur.

XLI. Singulari cura impertio, quod cum hoc uſu prima fronte connexum eſſe videtur, ſed quod tamen aliam quoque induere poſſit vim ac faciem. 1 Sam. 31: 4. *Dixitque Saulus armigero, ſtringe gladium, meque confodito, ne veniant præputiati iſti*, ודקרוני והתעללו בי *meque configant & illudant.* Huc concedunt interpretes in univerſum omnes, nemine veterum excepto, eſtque ſententia ſic ſatis concinna, quam, ad formam eorum, quæ modo excuſſimus, illuſtrare & amplificare omnibus promtum eſt & propoſitum. Altius tamen ſenſum perſcrutanti, non nihil ſcrupuli objiciet ſimplex illa *eludendi* cogitatio, neque mentem legentis ſatis implere videbitur; etenim *Ludibrium* ſeſe Philiſtæis eſſe præbiturum poſt mortem, victore eorum exercitu circumventus, ignorare non potuit; quemadmodum etiam hiſtoria ſacra mox perſequitur, quam acerbis modis cadaveri inſultatum ſit, & omnibus exemplis ignominiæ illuſum. Quid ergo? Omnino requiritur dirum quid & acerbum, quod ne vivo ſibi ſpirantique ab hoſtibus infligeretur, pertimeſcebat. Hæc ſunt lenta & crebra vulnera, quibus odium hoſtile deſævire, & crudelitatem ſuam ſatiare ſolet. Hi ſunt ictus carnifices, quibus ſenſim vitalis ſpiritus exhauritur, & per ſingulos, ut ſic dixerim, artus mortis atrocitas & violentia exercetur. Aut vehementer animi falſus ſum, aut hoc dicere voluit *Saulus*, verboque התעלל multo ſignantiſſime expreſſit, quippe quod *crebro repetitos ictus*, atque *ad ſatietatem uſque expletam ſanguinis libidinem*, complecti; multis palam fecimus. Quod ſi quis *illudendi* hic notionem retinendam autumet, omnino erit ſtatuendum, hujus *illuſionis* vim ac potentiam per præcedens *transfigere*, ad *lentas & hoſtilis ludibrii plenas plagas*, determinari.

Significatio *facinorum ingentium* quomodo ex radice hac propagata ſit.

XLII. Occurrit porro filum noſtrum perſequenti *gravium* ac *periculoſarum valetudinum* poteſtas, quibus vires *repetitis* veluti *vicibus exhauriuntur.* Hanc contritam ac pervagatam fuiſſe veteribus Hebræis, non eſt quod dubitemus, quum verbi indoles ſumma illuc ſponte dimanet, ſeque liberaliſſime diffundat. Exempla tamen dilucida ſatis vim hanc oſtentantia oblitteravit vetuſtas, & anguſtiæ reliquiarum Biblicarum nobis ſubtraxerunt. Sed noviſſimi illius ſignificatus, in *arduis moliminibus & facinoribus*, *quæ magna mole patrantur & exantlantur*, ſatis luculenta manſere veſtigia: quibus largum lumen, nati-

Digitized by Google

nativamque addit pulcritudinem ſolemnis Arabum ratio, qua *aquam intrare*, *haurire* ejuſdemque argumenti alia, ad omne majus *molimentum* patere voluerunt, ſæpe quidem numero *probum*, *honeſtum*, *laudabile*, *glorioſum*; frequentius tamen *cum ſcelere & flagitio conjunctum*. Utriusque uſus fidem in verbo ورد ירד *deſcendit aquatum* firmabit commentator *Haririi*, cujus diſſert. 12. hæc habentur. وساءني عظم تمرده وقبح توردة *Et male me habuit magnitudo protervlæ ejus, turpitudoque illa deſcendendi in aquam.* Ad quæ *Tabelebius*. قبح توردة اي اتيابه بما لا يحل واصل التورد قصد الما قال ابو البقا التورد تكلف ورود الشي الصعب *Turpiter intrare aquam, eſt moliri & patrare nefas, verbum enim* הורד *quod proprie Deſcendere in aquam dicit, auctore Abul Beka uſurpatur in omni re ardua & difficili quam quis ſubit, ſibique exantlandam imperat & injungit.* Idem in verbo خاض obtinet, quod a notione *aquam ſubeundi, ſeque in eam altius immergendi*, manare cœpit ad *alta* & *profunda negotiorum, moliminum, & machinationum*, tum *in laudem ac decus*, tum *in dedecus ac flagitium*. Exempla dabunt *Golius* & *Giggejus*. Eſt aliud verbum قحم quod propriam ſedem ſortitur in *ſubeundis gurgitibus*; hoc eandem plane vim ac potentiam amplectitur, & partim in bonum *nobilia* ſignat *facinora, ingenti ope moleque exhauſta*; partim in malum, *flagitionem ac ſcelerum veluti vorticoſum gurgitem ſubjicit, in quæ quis præcipiti impetu ſe immergit.* Poſterius illud dubio exemtum eſt, & ex Lexicis abunde noſcitur: prius haud ita gnarum obviumque illuſtri documento probat hocce *Koradi Ibn Aijar* in *Hamaſa*

فوارس ان قيل اركبوا الموت ركبوا ✡ مقاحيم في الامر الذي يتهيب ✡

Equites qui inequitare juſſi Mortem, inequitant.
Atque in formidoloſas negotiorum moles immerguntur.

Ad quæ *Tebrizius*. المقاحيم جمع مقحام وهو الذي يخوض قحمة الشدايد اي معظمها מקאחם *eſt plurale nominis* מקחאם, *quo appellatur is qui terribilium rerum majorem quandam molem intrare ſuſtinet.*

XLIII. Ex hiſce robur ſumunt ac firmamentum quæ ſuperius paragr. 23. diſputavi, viaque aperitur munitiſſima, ad hanc ſignificationum claſſem expediendam, atque ſtirpi ſuæ innectendam. *Facinora ardua, generoſa, ingenti mole ſuſcepta, patrata, repetitisque identidem vicibus veluti exantlata*, agnoſcas Pſ. 77: 12. אזכור מעללי יה & vſ. ſeq. בעלילותיך אשיחה aliisque locis: eodemque lubens revocaverim duo illa, quibus aliam faciem addidimus Exod. 10: 2. התעללתי במצרים & 1 Sam. 6: 6. התעלל בהם in Ægypto enim Deus exſtitit גדול העצה ורב העליליה Jerem. 32: 19. Ex adverſo *molimina flagitioſa, temeraria, præcipiti impetu & libidine concepta & exhauſta* præfert 1 Sam. 25: 3. רע מעללים & Eſai. 3: 8. מעלליהם אל יהוה & Pſ. 14: 1. התעיבו עלילה quæque alia in eandem mentem exeunt.

Ea partim in bonum partim in malum ſumuntur.

XLIV. Ex poſteriori hoc uſu explicari poteſt obſcuriuſculum illud Pſalmi 141: 4. *Ne inclinari ſinas cor meum in rem nequam*, להתעולל עלילות ברשע,

עלילות denique

ad

pro *crimi-nationibus* produci-tur ex Deut. 22: 14.

ad facinora improbiſſime baurienda. Sed veteres aliud hic viderunt, nam LXX. τὸ προφασίζεσθαι προφάσεις ἐν ἁμαρτίαις. Vulg. Ad excuſandas excuſationes in peccatis. Aliter paulo Arabs. فيجد سببا من الاسباب الي الخطايا *ut reperiat occaſionem aliquam ad peccata*, atque adeo notionem eam verbi amplexi ſunt, quæ Deut. 22: 14. occurrit, quamvis iſtius loci vim atque elegantiam haud liquido perſpexerint. Verba ſunt שם לה עלילות דברים *imponit, injicit ei cavillamenta verborum*: ubi עלילה eſt *prætextus, cavilla*, ex ſignificatione, quam *Zjauh.* auctoritate edidimus اعتل عليه *cauſam, prætextumve quæſivit adverſus eum*, vel verius, *falſum jecit crimen, calumniiſque ac cavillis vexavit carpſitque.* Unde palam eſt עלילה minus rite hic per *facinora* reddi, cum iisque nihil commune habere. Quid in Pſalmo citato ad veritatem propenſius ſit, aliis dijudicandum permitto. *.* Non auſus fui quicquam decernere: rem gravioribus acutioribusque judiciis permiſi. Nunc locum denuo inſpicienti, aliquid affulget, ex vſ. præced. quod ſupprimere religio eſt. Superior ſeries ſic habet. *Appone, Domine, cuſtodiam ori meo:* נצרה על דל שפתי *Ad fores labiorum meorum excubias agito.* Iſtas labiorum *fores*, quas in ἅπαξ λεγομένῳ ex affini דלת hic amplexi ſunt plurimi, adjutare poſſet Græcorum figura in ἀθυρόγλωσσος, & στόμα ἀπύλωτον. Diſplicet interim aliis, qui tentarunt, vel *ad imum labiorum*, vel *ad elevationem labiorum*, vel *quicquid efferunt labia mea*, vel denique, Ad Haustionem *labiorum meorum.* Hoc a *Coccejo* profectum mirifice blanditur, *ſitulæ* enim, דלי pulcre traducuntur ad *labia*, *alternatim* veluti ex imo cordis ſermonem *haurientia*, & *effundentia.* De eo alias plura. Nunc quod inſtat. Hiſce itaque *ſitulis labiorum* ne unquam abutatur orat Pſaltes, neve cor ejus inclinetur in rem nequam, להתעולל עלילות ברשע ad ſe immergendum in profundum impietatis, atque *profligatum in morem Hauriendas hauſtiones* cum Viris ſtrenue impiis: id eſt, *eos ſermones* ex alto cordis *exantlandos*, *expromendos*, *exhauriendos*, in quibus delicias agunt improbi, quibuſque ultro citroque nequitiam ſuam fovent, paſcunt, ſatiant; ſemet avide obſcœnitatibus & impietatibus ingurgitantes, eaſque aliis etiam propinantes: in quem ſenſum ſe præbet quod ſubjungitur, *Neve delicias eorum deguſtem.*

Lubet porro, invitante hac occaſione, enucleare עליל Pſ. 12: 7. quod implicat & exercet interpretes. Comparantur ibi eloquia Dei puriſſima *argento conflato, ſeptieſque defæcato*, בעליל לארץ. Vulgo, *in operatorio terræ.* R. Salomo, ex notione Thalmudica, *manifeſte.* Aben-Eſra a בעל, *Domino terræ.* Ultima penitus rejicula: ἐργαλεῖον etiam fundamento caret: nec video quid magnopere ad rem faciat *fornacem* induci *terream*; quod enim magnus commentator *humanitatem* Chriſti *immaculatam* hinc extundit, paucis ridere potuiſſe crediderim. Conſtructio quoque refragatur: denique tota ſeries clamat ארץ *terram* hic ſonare *terrenas fæces ſordeſque*, quæ commode dici poſſunt *hauriri*, *exhauriri*, quum *eliquantur*, & conflando *exiguntur.* Reddiderim itaque, *Argentum conflatum iterum, tertio, ſæpius exhauſta terra: ſeptieſque defæcatum.* עליל eſt actio verbi, & *hauſtionem* proprie exprimit; unde בעליל לארץ nervoſe & eleganter hic poſitum apparet. CA-

Digitized by Google

CAPUT SEPTIMUM.

Verbo נהל *lumen infunditur, & nativum decus, quod in Kal eſt,* primo potu hauſtuve explevit & reſtinxit ſitim. *Inde in Pibel* aquatum ducere *pecus: & laxiore ſenſu* ſuſtentare, *atque* ubertim exſatiare. *Nec non tralate & venuſta figura*, bonarum rerum affluentia beare. *Vocabulum* נהללים *multis divexatum conjecturis ad hanc radicem revocatur, & in illuſtri locatur: qua occaſione Jobi obſcurum* עטן *quoque illuſtratur, & elegantes Arabum locutiones proferuntur.*

I.

Cum radice עלל multa affinitate conjunctum eſt verbum נהל, cujus vim ex parte quidem aſſecuti ſunt interpretes, nequaquam tamen omnem ejus potentiam attingere & aperire potuerunt. Scilicet primævus ille fons abſtruſior erat, quam ut genuina ejus vena ex reliquiis Biblicis pertentari & introſpici poſſet. Iſti recludendo fonti & origini Caput hoc deſtinamus, ut inde mirifica quædam ſuavitas, venuſtas, & ubertas redundet per loca illa, quæ fugientia radicis hujus veſtigia retinuerunt.

Acceditur ad radicem נהל.

II. Facem præferet clariſſimam *Zjaubarius*, qui copioſe ſimul & ſolide omnem ejus indolem exhauſit. النهل الشرب الاول وقد نهل وانهلته انا لان الابل تسقي في اول الورد ثم ترد الي العطن ثم تسقي الثانية وهي العلل ثم ترد الي المرعي. والمنهل المورد وهو عين ماء ترده الابل في المراعي وتسمي المنازل التي في المفاوز علي طرق السفار مناهل لان فيها ماء والناهلة المختلفة الي المنهل قال ابو زيد الناهل العطشان والناهل الريان وهو من الاضداد قال النابغه

Cujus origo panditur ex Zjaubario.

ينبهل منه الاسل الناهل

נהל *Nebel eſt primus* aquantium *potus, diciturque in prima conjug. Nahila*, pecus *primo hauſtu ſitim ſedavit, & in quarta* אנהל, *curavit camelos primo potu bibere, etenim cameli prima aquatione rigati, redigi ſolent in* עטן, *ſive locum circa aquas ubi pauliſper recumbunt, ut poſtquam altera vice ſitim reſtinxerint, quod* עלל *vocatur, paſcuo reddantur. Hinc* מנהל *eſt aquationis locus, ſive aquarum*

rum ſcaturigo, in paſcuis, in quam aquatum deſcendunt cameli. Appellantur etiam manſiones, quibus viatorum itinera in deſertis diſtincta ſunt, מנאהל, *quod in iis aquæ ſit copia.* נאהלה *etiam dicitur pecus ultro citroque commeans ad* מנהל *aquationis locum: Utque auctor eſt Abu Zeid participium* נאהל *tum ſitientem ſignificat, tum aquarum copia expletum, contraria in hoc verbo vigente poteſtate. Hinc illud Nabigæ*

Unde haſtæ potant ſitientes.

Sitis notio quomodo acceverit. III. Poſtrema illa *ſitis* ſignificatio qua via & ratione aſſumta ſit, oſtendit *Tebrizius* in Commentario ad *Hamaſa.* النهل من الاضداد لوقوعه علي الريان والعطشان وحقيقة النهل اول السقي والاكتفاء به قد يقع ونهل وقد لا يقع ولذلك استعمل في الري والعطش *ex iis eſt quæ contraria pollent notione, cadit enim in probe potum ſimul & ſitientem: vera tamen & germana radicis indoles ſita eſt in primo potu, qui quum interim ſufficiat expleatque, interim minus, uſurpari cœpit non tantum in potu explente, verum ipſa etiam ſiti.* Succinit huic *Succari* ad *Diw. Hudeil.* اصل النهل ان يشرب شربة ثم يخلي فكثر حتي قالت العرب للريان والعطشان نهال *Radix* נהל *proprie locatur in actu bibendi cœpto, ſed mox intermiſſo: unde percrebuit uſus ejus in rigato ſimul & ſitiente.* Quibus liquidiſſimis teſtimoniis in præſens contentus, exemplis cumulandis ſuperſedebo, ſatis jam munitus & inſtructus, ad genuinam verbi נהל potentiam ex ima ſtirpe eruendam, omnique ſua amplitudine & opulentia evolvendam.

In Pihel valet minare pecus ad aquandum, bibendumque. IV. Haud infelicem operam navarunt verbo noſtro, qui vim ejus in *Pihel* ediderunt, *agere ritu paſtoris*, aut *commode leniterque ducere.* Copioſius & uberius nos damus, *prominare ad aquam, ut ſitis levetur;* & quidem, ſi proprietas religioſius ſervatur, *primo illo hauſtu potuve*, quem poſt paululum reſpirationis ac quietis עלל ſubſequitur: quamvis uſus latius evaluerit, finibusque hiſce noluerit coerceri. Juſtam proinde & commodam ſedem tenet Pſ. 23: 2. *in herbidis me recubare facit manſionibus*, על מי מנוחות ינהלני *ad aquas placidas agit me ſitis levandæ gratia.* Hoc ſenſu Arabes quartam potius conjugationem, ſive *Hiphil*, adhibent, atque ex ea hic dicerent ينهلني *reddit me* נאהל, *ac large bibere præbet.* מי מנוחות optima interpretum pars *aquas lenes, placidas, ſenſim fluentes* exponit; ad verbum eſſet, *aquas requietum:* in qua locutione, ſi veram verbi indolem, & genium Hebraiſmi amamus, cogitandum magis erit de *aquis & ſcatebris fontium, ad quas in genua procumbitur a gregibus circumfuſis*, ut alias palam faciemus. Utraque interpretatio noſtra ſpiritualem Pſalmi potentiam adauget, meditationumque largam ac benignam ſubminiſtrat materiem. Non minus feliciter & opportune verbum *Eſaias*

Digitized by Google

Eſaias Cap. 49: 10. *Miſerator eorum ducet eos*, ועל מבועי מים ינהלם *& ad ſcatebras aquarum aget eos ſiti ſedandæ.* Eandem ſignificandi ubertatem amplectitur Pſalm 21 : 4. ותנהלני תנחני *Duces me atque illuc prominabis, ubi æſtum ſitimve largis hauſtibus relevare detur.* Neque minor eſt ſententiæ dignitas ac copia Eſai. 40: 11. *ut paſtor gregem ſuum paſcet, in ulnam colliget agnellos, in ſinuque portabit :* עלות ינהל *lactantibus potum abunde ſufficiet, largosque hauſtus miniſtrabit, ad fontes vivos aquarum.*

Singularis & multo elegantiſſimus uſus ***Eſaiæ*****, in** ***conſolatione, & æſtus refrigerio.***

V. Mirifica etiam gravitas ſubeſt ac venuſtas Eſai. 51: 18. quam ut felicius aſſequamur, ſcena nobis vaticinii adornanda eſt. Inducitur iſtic loci Eccleſia venenato iræ Divinæ poculo inebriata, peſtiferoque ejus æſtu intimis medullis peruſta, quam peſtem flammamque intus graſſantem nihil refrigeret, nihil temperet, nihil adſperſa veluti aquula recreet mitigetque. Hoc nervoſe exprimit vates verbo נהל inſignioris figuræ lumine conveſtito, אין מנהל לה *non eſt ei, qui vel minimum præbeat hauſtum aquarum, quo os proluat, venenum diluat, æſtumque in viſceribus furentem ſedet.* Hæc germana eſt loci facies, quam oblitterata hactenus origo obſcuraverat. Delicato exquiſitoque judicio eloquentiæ propheticæ princeps, vocabulům paſtoritium *hauriendam præbere aquam ut ſitis levetur*, traduxit ad *refrigeria conſolationum, dolorisque fomenta ac remedia;* eſtque non exigui in hanc rem momenti, quod eundem plane uſum Arabum علل induat, & pro *mulcere, lactare, conſolationibusque recreare ac refovere* percelebretur.

Alia metaphora illuſtrior Exod. 15. evolvitur.

VI. Multum quoque elegantiæ interioris reſidet Exod. 15: 13. נחית בחסדך *Largiflua, ac ſucci vigorisque uberrima illa munificentia tua* (id omne ſinu ſuo recondit חסד) *duxiſti populum quem redemiſti:* נהלת בעזך *potentia tua copioſe rigatum, inundatum, expletum, largisque hauſtibus exſatiatum, ut paſtor egiſti ad manſionem ſanctitatis tuæ.* Tam magnificum ac ſublime ſpirat prophetica hæc oratio, quæ *rupes* prævidet *in deſerto fiſſas, ut potus veluti ex abyſſis ſubminiſtretur; & fluenta e petris evocata, atque amnium inſtar emiſſa*, in præſentiſſimum pignus atque argumentum Numinis, plusquam paſtoria cura, electum ac redemtum populi ſui gregem, afficientis, atque ab omni æſtu, ſiti, & inopia prohibentis.

VII. Haud minus floris honorisque elucet ex ſplendida vocabuli noſtri tralatione, 2 Chron. 32: 22. *Et ſervavit*, atque in amplam laxamque fortunam aſſeruit *Jehova Hiskiam, incolasque Hieroſolymorum, e manu Senacheribi omniumque hoſtium :* וינהלם מסביב *atque undiquaque vindicatos, tanquam gregem ſuum bonarum rerum affluentia beavit, ac veluti ad fontes deduxit aquarum, quarum pleniore hauſtu*, in ſumma pace ac tranquillitate, *priorem illam ſitim miſeriamque exuerent eluerentque.* Magnam veri partem perſpexerat hic *Coccejus*; *Videtur ſignificari*, inquit, *Deum eos ſervaſſe ab hoſtibus*, & *aluiſſe ex omnibus partibus, ut commode vitam agerent.* Sed attingere non potuit illud in quo figuræ acumen & ſuavitas ſita eſt, quæ, metaphora transſumta a paſtoribus, *æſtus relevationem, ſitisque in beata aquarum copia depulſionem* continet. Verbi

Digitized by Google

uſus abſtruſior, & ex intimo artificio depromptus, liquidiore in luce collocetur. Abſolute in quarta conjug. dicunt Arabes אנהל انهل *expletos potu camelos habuit paſtor; & primo illo hauſtu a ſiti recreatos.* Cui ſubjungunt اعل אעל *altero jam hauſtu ad plenum ſatiatos habuit greges.* Utrumque adhibent vocabulum, ubi exquiſitioris ſermonis laudem aucupantur. At quum proprietatis non tam religioſa eos cura tenet, uno אנהל defungi licet, ad indicandum *paſtoris ſtatum, cui contigit largiore potu gregem recreare ſitientem.* Locutionis ergo nativa facies hæc eſt. *Et undiquaque habuit eos potos, atque a ſiti recreatos;* ubi jam nemini mens tam læva eſſe poteſt, qui non ſtatim advertat, omne illud pulcherrimo emblemati eſſe involutum, quod liberiore paraphraſi modo evolvimus.

Latior verbi uſus ad *paſtum & alimoniam* ſe porrigens.

VIII. Hi juſti ſunt radicis noſtræ fines: non tamen tam alte termini hærent, ut eos migrare nefas ſit; ſed, ut fit, percrebreſcens, & latius ſeſe fundens uſus, abuſum traxit, atque a *ſiti potuque*, ad *famem*, *paſtum*, & *alimoniam* ſe explicuit. Inſigni documento eſt Gen. 47: 17. וינהלם בלחם quod exercet interpretes, multumque ſcrupuli faceſſit iis, quibus non alia quam *ducendi agendive* cognita eſt poteſtas. Ingenioſe ſatis *Coccejus*, *fecit eos vitam prorogare, & ducere, pane*, id eſt, *ſuſtentavit eos:* acutius tamen quam verius, quum duplex illa vis tranſitiva nulla firmetur auctoritate, & ab indole radicis alienior ſit. *Suſtentandi* tamen verbum rite hic adhibitum eſt, ſed alio ex capite ac fonte ſummiſſum, ut *abunde eos pavit, expletosque habuit ac ſatiatos pane* proclivi admodum ac facili ratione ſit dictum, ob ſimilitudinem quæ inter *potum paſtumque* intercedit, & affinitatem qua *ſitis famisque deſideria* conjuncta ſunt. Difficultatem omnem levat conſimilis plane Arabum abuſus, quo نهل non tantum *potus* ille eſt, *quem primum hauriunt cameli*, verum etiam *omnis cibus qui comeditur, & quicquid nutrit, explet, ac famem ſedat*, auctore *Phiruzabadio.* Ex adverſo השביע *ſatiare*, cujus proprietas eſt *in fame explenda*, in *ſiti* etiam *ſedanda* uſurpatum reperio *Amoſi* Cap. 4: 8. & laxius adhuc Job. 38: 26. *in terra compluta, & cæleſtibus aquis probe rigata.* Suntque ejus generis infinita omnibus in linguis paſſim obvia.

Duo loca quæ de nativa poteſtate remiſiſſe videbantur, eandem tamen ſuaviter exercere oſtenduntur.

IX. Sunt duo præterea loca, in quibus quid de poteſtate a nobis poſita remiſſum videtur, & *commodus* tantum *lenisque* gregis *ductus* ſe exerere, non adjuncta illa *ſitis depulſæ* notione. Et illud omnibus linguis ſolens eſt ac familiare, atque originem a nobis editam ne hilum quidem infirmare poteſt. Ubi tamen locorum iſtorum mentem altius introſpicio, ſingulari judicio ſtudioque eam ipſam vim captatam eſſe, & tacitis cogitationibus inſinuatam, deprehendo. 2 Chron. 28: 15. *Sumſerunt captivam illam multitudinem, eorumque nudos ex ipſa præda veſtiverunt:* וילבשום ויאכלום וישקום ויסכום וינהלום בחמרים *eosque indutos, calceatos, cibo potuque expletos, atque oleo delibutos deduxerunt aſinis.* Nil pote melius ac felicius, quam ſeriem hanc claudere verbo נהל, quod eſt *prominare pecus pulcre potum, & a ſiti, laſſitudine, æſtu recreatum*, quod ipſum hic intendit, ob oculosque habuit Sacer Scriptor. Non abſi-

Digitized by Google

abſimilis ratio verſatur. Gen. 33: 14. *Transeat quæſo dominus meus ante ſervum ſuum;* ואני אתנהלה לאטי *pro podatu pecoris ac puerorum.* Redditur *procedam lente; leniter me ducem præbebo, meoque commodo;* ſenſu pleno ſuiſque numeris abſoluto, ut nihil loci relictum eſſe videatur *ſiti levatæ ac depulſæ.* Eam tamen neutiquam amittendam atque inſuper habendam eſſe cenſeo; præceſſerat enim vſ. ſuperiori, *puelli teneri ſunt, ovesque ac boves lactantes mihi incumbunt, quas ſi vel unum diem majore impetu propellerent* pecuarii tui, *univerſus grex moreretur.* Nempe periculum foret, ne *æſtu, ſiti, laſſitudine, aquationisque & idoneæ quietis defectu* abſumerentur: a quibus malis & incommodis ut gregem ſibi ſuum prohibere & defendere liceat, fratrem interpellat Jacobus, pulchra & fœcunda in mentem ſuam locutione uſus, *viam arripiat Dominus ante me, ego interim pro inceſſu ac tenello illo pede mei agminis, pecus meum meosque parvulos* אתנהלה לאטי *meo commodo lotos potosque prominabo, eorum æſtu, ſiti, defatigatione, idoneis aquationibus refota & depulſa.*

Florida Arabum figura, *quæ aquationis locum transfert ad largiores liberalioresque fortunas.*

X. Hæc ſunt quæ ex uberrima atque florentiſſima radice, ad manus noſtras devenerunt, & communem linguæ Hebrææ cladem evaſerunt; ex quibus interiore literarum ſucco tincti, facile conjecturam capient, copiæ illius atque opulentiæ, qua larga hæc & benigna ſcaturigo novis, usque & usque, orationis luminibus, ac figuris, redundare potuit. Arabum divitias & floſculos omnes ſi carpere undique & colligere animus eſſet, multa nobis pagina implenda foret, atque a lege illa deflectendum, quam nobis diximus, non alia ex Arabicis ſcriniis expromendi, quam quæ uſum lucemque Sacris libris infundere poſſint. Tale eſt quod מנהל منهل *aquationis in paſcuis locus*, emblema induat *fortunæ lautioris, & beata rerum bonarum copia affluentis*, præſertim ſi *munificentia* adſit, & erga inopes *liberalitas.* Exemplum habe ex *Haririo* Diſſ. 5. فهل هذا الربع عذب المنهل *Numnam verna hæc manſio aquandi dulcem præbet copiam.* Ubi commentator. المنهل لسم مكان النهل اي الشرب يقول هل في المنزل رجل سجي كريم صاحب منهل عذب يقصده الواردون كني بعذب المنهل عن كونه سهل العطاء מנהל *appellatur locus ubi bibitur, & aquatum itur. Senſus autem eſt, num hac in domo degit vir munificus, liberalis, dominus dulcis aquarii, quod aquarium intrare poſſint aquatores: quæ figurate poſuit in homine opulento & largitore.* Eſtque figura hæc adeo adamata Arabibus, ut inexhauſtam quandam Poëtis ſuppeditaverit materiem, atque nobile injecerit certamen, ad eam omnibus coloribus diſtinguendam, illuminandam, atque amplificandam.

Quam ex conjectura, Eſaiæ reddimus in vocabulo obſcuriſſimo נחללים.

XI. Ejusdem plane poteſtatis; atque emblematicæ ſuavitatis fuiſſe conjicio vocabulum נהללים Eſaiæ 7: 19. multis vexatum hallucinationibus. Magni nominis interpretes *laudatas arbores* ſignificari putant, a verbo הלל. Rabbini contra *arbores viliores & depreſſiores* notari contendunt. Non nemo ex eruditis *ſplendidos flores* maluit, quod הלל *ſplendere* valeat. Aliis a radice

Digitized by Google

dice נחל placuit vertere *ductus viarum;* ut minus commode, ita præter indolem, quæ *loca aquis irrigua* ſubjicit. Illud equidem, quamvis pro certo atque explorato venditare nolim, præhabuerim, atque ut נעצוצים ſumo pro *ſenticetis, multoque ſqualore horrentibus vepretis*, ſic נהללים interpretor *loca rigua, læta, aquis & fontibus perennia*. Ea autem figurate adhibita putem, pro *lautioribus lætioribusque fortunis, quæ privatis* domuum ac familiarum, *quæ publicis* urbium & civitatum. E contrario *horrida* illa *vepreta*, pro emblemate capio *humilioris ſqualidiorisque fortunæ*, tam *privatæ*, quam *publicæ*. Omnia iſta depaſcerentur *Muſcæ Ægyptiacæ*, & *Apes Aſſyriacæ*, quæ *valles* ſimul & *petrarum prærupta cacumina*, id eſt, tum *nuda & aperta* loca, tum *celſa & munita* oppida, pervaderent & pervaſtarent, *omniumque fortunis*, tanquam prædæ ſuæ *incubarent*.

Jobi עטין obiter illuſtratur.

XII. Hoc pulcherrimo inſigni purpuram quoque ſuam prætexuit & diſtinxit Scriptor libri *Jobi* Cap. 21: 24. ubi impiorum florentes opulentasque fortunas expingens, hunc ceteris admiſcet colorem: עטיניו מלאו חלב. Nusquam alibi lectum vocabulum עטינים fluctus ciet opinionum & conjecturarum. *Græci & Latinus*, *Viſcera: Arabs* & *Syrus*, *latera: ubera* dedit *Chaldæus*. R. *Salomon adipem* ſonare putavit עטין, quod מעטן Thalmudicis ſit *cupa trapeti, in quam oleum pingue exprimitur*. Nugæ. Ex nonnullorum mente, qui *vaſa mulctralia* arripuiſſe leguntur in *Kimchii Lexico*, verſiones noſtras ea jam ſuo velut jure obſident. Meliora docuerant *R. Jonas & Aben-Eſra* qui Arabum auctoritate ediderant *loca in quibus cameli procumbunt ad aquas*. Nihil verius. Firmavit jam ex *Camuſo Bochartus*. عطنت الابل رويت ثم بركت *Cameli dicuntur* עטן *ubi poti & expleti in genua procumbunt*. Inde عواطن a ſingulari عاطنة ſunt *cameli circum aquam cubantes poſtquam potarunt;* & עטן عطن, nec non מעטן معطن exponitur مبرك الابل حول الحوض ومربض الغنم حول الماء. *Locus in quo cameli ovesque circa piſcinas & aquaria procumbunt*. Hæc tamen nihil ad *Jobi* locum pertinere pronunciat vir Magnus, emendatque עטמיו *Latera ejus*, & Chalab *lac*, in Cheleb *adipem* mutatum it. Nobis ſana omnia & ſincera, pulcherrimo nitent emblemate, ad quod tanta illa acies connixit: nam עטנים *loca rigua, ubi poti procumbunt cameli*, figuram hic ſuſtinent *ampliſſimarum opum fortunarumque;* ut *omnium bonarum rerum ubertas, affluentia, & perennis copia*, colore *lactis* depingitur. Utrumque ex Arabum deliciis depromtum eſt, quibus, ut alia hujus argumenti locique vocabula, ſic عطن etiam, *opulentiam* affert & *lautas lætasque res;* unde ſolenne illud رجل واسع العطن vel *opulentum* ſignat & *beatum*, vel *munificum & liberalem*, quum proprie ſonet *hominem cui amplum eſt* עטן.

Lactis emblema bonarum rerum affluentium affert.

XIII. In eandem mentem exit *Lac*, cujus tantum leviculam dabimus promulſidem, pleniores hauſtus in commentario ad Jobum largituri. *Tabelebius* ad Diſſ. 2. *Haririi*. يقال لله دره لان اللبن عند العرب يكني به عن كل.

Digitized by Google

كل خير لانه هو اشرف المشروبات *Laudandi celebratur formula, Lillahi Derrobo, per Deum quantus illi lactis fluxus! quod Lac penes Arabes figuram induat omnium rerum bonarum, quippe quod inter potulenta principatum teneat.* Nihil familiarius Arabibus quam illud *Lillahi Derrobo, per Deum, quantus illi fluxus, quanta lactis ubertas!* quo laudem & admirationem complectuntur *hominis uberis, copioſi, abundantis,* qua *fortunis & divitiis*, qua *eloquentia*, qua *aliis* præclaris *bonis donisque.* *Tabelebius* ad Diſſ. 8. *Harir.* لله درك اي ما احسن كلامك. واصل الدر اللبن قال الذي يسمع صوت الحلب وصاحب الناقة لله درك فكانه قال والله ان درك هذا لكثير ثم استعير للفصيح في كلامه ولكل من احسن في شي. قال ابو البقا لله درك اي من الله كثرة ما فيك من الخير وهو العجب وفي الصحاح يقال في المدح لله دره اي علمه وفي الذم لا در دره اي لا كثر خيره *Per Deum, illum tuum lactis fluxum! hic valet o quanta polles facundia: radix propriam ſedem habet in lacte: nempe quum quis ſtrepitum audit lactis emulſi, poſſeſſorem cameli ſic compellat, per Deum, fluxum illum tuum! quod plenius efferretur, per Deum, fluxus ille lactis tui copioſiſſimus eſt. Migravit hinc & traductum eſt ad eloquentia præpollentem, omnemque qui quacunque in re excellit & copioſus eſt. Auctore autem Abul' Beka non tam jurandi formula eſt, quam ſimplex cum admiratione aſſeveratio, divinitus omnem illam donorum copiam fluxiſſe. Zjauharii præterea lexicon non ſolum in laudem uberis ſcientiæ, aliorumbonorum, formulam illam citat; verum etiam in vituperium, Non fluit lac ejus, pro, nullæ ei copiæ ſunt opesque.* Floride, ut ſolet, *Haririus* Diſſ. 12. شخصت من العراق الي الغوطة وانا ذو جرد مربوطة وجدة مغبوطة يلهيني خلو الذرع ويزدهيني حفول الضرع *E Chaldæa Damaſcum emicui, equitatu inſtructus ornatiſſimo, opulentiaque invidenda affluens: adeo ut illa mihi laxitas delicias, & manantis lactis ubertas inſolentiam irritaret.* Ad quæ *Tabelebius.* حفول الضرع امتلاوه باللبن وهو كناية عن كثرة المال وهم يكنون باللبن عن كل شي يعدونه خيرا *Ubera mammarum lactis plena, figurate ponuntur in opum affluentia: eſtque Arabibus ſolenne, lactis emblemate induere, quicquid in bonorum cenſum venit.*

CAPUT

CAPUT OCTAVUM.

Eruitur vocabuli איתן *deliteſcens adhuc radix, forma, & ſignificatio. proprie ſuperlativum* perennitatis *gradum exprimit. Eam poteſtatem aliquot loca dilucide præferunt. Inde multæ & illuſtres effloruerunt metaphoræ, quibus nativum decus reponitur.*

I.

Verbi איתן radix, forma, & vis, eruuntur.

Interioris cujusdam elegantiæ, & beatæ venæ eſt vocabulum איתן, pulcris & nobilibus ſeſe commendans figuris ac tralationibus, cujus genuinum lumen & decus, nonnihil imminutum, atque a vero deflexum, hoc caput vindicabit, atque a vagis incertisque conjecturis, in fixam certamque ſedem revocabit. Fugit adhuc linguæ ſtudioſos vera ſtirps & radix, quæ nec אית eſt, nec אתן, quæ vulgo ſubjici video, quamvis nulla earum vi ac poteſtate edita: ſed יתן, pro qua Arabes, more ſolenni, ותן وتن pronunciant. Fefellit etiam formæ & derivationis illa amplitudo & eminentia, quæ per Aleph Servile in principio poſitum, ſuperlativum affert gradum. Delituit denique nativa, & juſtis finibus circumſcripta, proprietas; quam alii in *aſpero*, *duro*, *horrido* fixerunt; alii in *forti*, *valido*, *robuſto*; alii multiplicatis notionibus, nunc per *gravem & ſeverum*, nunc per *potentem*, nunc aliter reddiderunt; aſſumta etiam alicubi ſubſtantiva notione *roboris*, vel quod *Coccejo* allubuit, *rumoris & fluxus aquarum.* poſtremum hoc proxime ad veritatem acceſſit, & ſatis feliciter conjectum eſt, יתן enim proprium locum tenet *in aquis perenni vena præditis*, atque inde ſuperlativa illa forma איתן ex origine ſua ſemper & unice ſonat, *maxime perennem, & inexhauſta vena præditum:* unde inſignes fluxerunt metaphoræ quas ſtabilita ſede hac, nitori ſuo, multis in locis, reſtituemus.

Quid Arabibus valeat יתן.

II. Audiatur primo *Camuſi* auctor. الواتن الشي الثابت الدايم في مكانه والماء المعين الدايم والوتين عرق في القلب اذا انقطع مات صاحبه واوتنه ووتنه اصاب وتينه والما وتونا ووتنة دام ولم ينقطع واستوتن المال سمن ואתן *dicitur omne quod durat & permanet ſua in ſede: aqua præſertim jugiter fluens & perennis:* ותין *autem appellatur vena ad cor pertinens, qua abſciſſa emoriendum ſit; unde in 4. conj.* אותן, *& in 1. conj.* ותן *valet, affecit in* ותין, *ictu letali; Eadem conjugatio, adhibitis infinitivis formis* ותן *&* ותנה, *uſurpatur in aqua perenni, & cujus non interrum-*

pitur

pitur vena. In decima Conjug. de grege אסתותן *uſu venit pro pinguem & obeſum eſſe.* Concinit *Zjaubarius.* الوتين نياط القلب اذا انقطع مات صاحبه
وتد وتنه اذا اصبت وتينه قال حميد الارقط

مـــــن عـــلـــق الـــمـــكـــلـــي الـــموتـــون ۞

والواتن الشي الدايم الثابت في مكانه قال روبة

عـــلـــي اخـــلاء الـــصـــفـــاء الـــواتـــن ۞

يقال وتن الماء وغيره وتونا اذا دام ولم ينقطع والواتن الماء الدايم الذي يذهب عن ابي زيد والمواتنة الملازمة في قلة التفرق
Hoc eſt. ותין *Vena cordis dicitur, qua præciſa moriendum ſit; unde* ותן *in prima valet, venam illam percuſſit. Eo ſenſu uſus eſt Homaid Alarkato*

E concreto ſanguine ejus cui renes & cordis confixa vena eſt.

ואתן *autem eſt perenne, ſtabile, fixum ſuo in loco: Unde Roubæ hocce,*

Propter amicos ſinceros, perennesque.

In aqua aliisque rebus ותן *adhibetur; quæ perennes ſunt, neque interceptæ emoriuntur. Eſt etiam* ואתן *abſolute, aqua perennis nunquam interareſcens, auctore Abu Zeid. In tertia denique Conjug.* מואתנה *uſurpatur in aſſiduitate & perſeverantia propoſito ſuo tenacius affixa, & avelli negante.*

III. Doleo equidem tam parce operam ſuam adhibuiſſe hoſce Lexicographos, in radicis noſtræ potentia & prædivite copia aperienda: multo enim majorem amplectitur ditionem, liberaliusque in omne genus illuſtrium tralationum funditur ac propagatur. *Phiruzabadius* illum tantum legit floſculum, quo conjug. decima ſeſe commendat, *gregi præpingui atque obeſo* adſcribens ותן, quaſi *perenni* dicas atque *inexhauſta adipis vena* præditum, & luxuriantem gregem. *Zjaubarius* autem hoc ipſo neglecto, *perennis* tantum *amicitiæ*, & *perennis aſſiduitatis* mentionem intulit. Fieri tamen non potuit, quin *perenne* illud, in lingua luxurioſiſſima, &, ut ſic dixerim, ambitioſiſſima, largius quaquaverſum dimanarit, uberioresque pepererit metaphoras. Has perſecuturus, & ad inſigne lumen Scripturarum e tenebris extracturus, obſervo, verbum ركد ſæpe numero, vel conjungi cum noſtro وتن vel ei explicando & illuſtrando inſervire. *Stabilitatem* quoque & *perennitatem* continet id verbi, in metaphora autem, elegantem occupat ſedem in *copia*, *abundantia*, *tranquillitate*, *lautisque ac lætis rebus*, quarum conditio & fortuna probe conſtabilita

Divitiæ radicis panduntur.

ſtabilita perennat. In *Diw. Hudeil.* utrique verbo vim atque ſuavitatem hanc addidit *Moleich*

كدلح الشرب المجتال زينه
حمل عثاكيل فهو الواتن الركد ۞

Velut gravidæ palmarum, irriguæ, quas exornat
Onus dactylorum, idque perenne ac ſtabile.

In eadem Anthologia ناصفة ركود *vallis ſtabilis ſeu perennis*, à Scholiaſte declaratur التي في دعة وخصب per *tranquillam & proventu abundantem.* Eandem notionem ſumit ואתן & איתן, *ſedemque perennem* eleganter hoc vocabulo appellarent, *multa pace, tranquillitate, & copia abundantem.* Similiter dicunt ركد القوم *tranquillus fuit populus; longa fortunæ indulgentia floruit; abundantibus, illibatis, inexhauſtis uſus eſt fortunis.* Idem valet יתן. Affine eſt ناقة ركود *camelus perennis*, in ea, *quæ inexhauſto pollet ubere:* & قصعة ركود *ſcutella perennis*, pro *abundanti, & bonis rebus affluenti.* Ad quæ omnia, aliaque id genus complura ואתן & אותן quoque vim uſumque ſuum accommodant.

Perennitatis poteſtas clariſſimis locis firmatur. IV. In radice hac enucleanda, & ſuis finibus reddenda, fortem fidelemque operam nobis præſtaſſe Arabes, in oculos incurret eorum, qui acumine Critico præditi, omnes ejus reliquias perſequentur, & exempla inter ſe contendent. Proprietas quidem a nobis prodita, in *perenni & perpetim fluenti*, liquidiſſime ſeſe exerit tribus in locis. Amoſ. 5: 24. *Et evolvet ſeſe aquarum inſtar judicium: & juſtitia* כנחל איתן *tanquam perennis, & uberi ac inexhauſta vena decurrens fluvius.* Sic Pſalm. 74: 15. אתה הובשת נהרות איתן *Tu exareſcere feciſti flumina perennia.* Clarius adhuc Exod. 14: 27. *& protendente manum Moſe, rediit mare* לאיתנו. Mirifica ſubeſt gravitas & venuſtas, qua exciderunt, qui *adjectivum* ſingulari hic arte & judicio poſitum, commutarunt in *ſubſtantivum*, ac per *robur* converterunt, *ad robur ſuum rediit mare.* Propius originem *Coccejus; Rediit ad fluxum* vel *rumorem ſuum.* Tu edere ne cuncteris. *Et rediit mare ad τὸ perenne ſuum.* Grande quid ſpirat ſtructura hæc. *τὸ perenne maris* eſt *nativus ille atque inabruptus aquarum impetus, quo continuo æſtu fervent & reciprocantur maria.*

נחל איתן Deut. 21: 4. novo lumine afficitur, & recte per *vallem perennem* ſcu V. Huc pertinet etiam notabilis admodum lex Deut. 21: 4. quæ non una de cauſa, ut mox liquebit, ſingularem ſibi vindicat curam. præſcribit ea cædis incerto auctore patratæ ſolenne piaculum, ut urbis illius, quæ Cadaver proxime contingebat, Senatus, *vaccam injugem & operis ruſtici expertem deducant* אל נחל איתן אשר לא יעבד בו ולא יזרע, *eique vaccæ collum præcidant* בנחל, *ac manus ſuas ſuper piaculari illo ſacro lavent* בנחל. Vocabulum נחל

Digitized by Google

נחל *vallem* complectitur & *torrentem* in valle decurrentem. Anceps proinde cura diſtrictos tenet interpretes, aliis in *vallem*, aliis in *torrentem* ſententiam inclinantibus. Prius non tantum verſiones noſtrorum fere occupavit, ſed multis etiam veterum adhæſit, quibus נחל איתן ſonat, *vallem aſperam & ſaxoſam*, uti *Vulgatus* edidit. præiverant LXX, qui φάραγγα τραχεῖαν dederunt. *Joſephus* etiam L. 4. *Antiq. cap.* 8. φάραγγα expoſuit, καὶ ἀνεπιτήδειον ἀρότρῳ καὶ φυτοῖς χωρίον. Hi omnes opinionis ſuæ fundamentum locant in verbis illis, אשר לא יעבד ולא יזרע *quæ nunquam arata ac conſita eſt* vallis, ac proinde *inculta*, *aſpera*, *ſqualida* ſit, & *ſentibus vepribusque horreat;* nonnullis etiam æternæ mortis, & diri inferorum carceris myſticum hic emblema reperientibus. Sed nimis leve eſt & fluxum hoc præſidium, etenim terra *nunquam imperium paſſa, & ſemente exercita*, circumſcribere etiam poteſt *terram fertilem & opimam, nativo quodam ac perenni ubere præditam.* placuit hoc non nemini ex veteribus Hebræis apud *R. Bechaj.* ויש שפירש נחל איתן מקום דשן ושמן *Eſt qui reddiderit per locum præpinguem & opimum.* Hunc ego hominem, *perennis* originem, quam nos eruimus, propius adſpexiſſe, jure contenderim; *perennis* enim *vallis*, eſt *divitis uber agri*, *& ſolum* ſine imperio etiam *fœcundum, ac bonarum rerum proventu abundans.* Neque aliter reddere fas eſt נחל איתן, ubi ſemel *vallis* ſignificationem hic fueris amplexus. Arriſit hoc *R. Jacobo Abendana*, in notis margini libri *Michlal Jophi* attextis, ubi eam ob cauſam *pingue & opimum ſolum* huic *piaculari ſacrificio* captum, & quaſi *damnatum* eſſe ſtatuit, שיהיו נזהרים במחוזות גבולם שלא ימצא שם חלל כדי שלא יאבד מהם מקום מבחר אחוזתם *Ut eo diligentius caverent cujusque urbis incolæ, ne ſuis in finibus cædes patretur, perdituri hac via eximiam poſſeſſionum ſuarum partem, & feliciſſimam earum glebam.*

opimum reddi oſtenditur.

VI. Noviſſima hæc interpretatio, paucos adhuc nacta miratores, cum auctoribus ferme ſuis extabuerat, & oblivioni ac tenebris tradita fuerat. Haud indigna tamen eſt, quæ aliquo loco & pretio habeatur, tum quod cum linguæ ingenio egregie conſiſtat, tum quod argumentis & exemplis non abſimilium ſacrorum quæ penes alias gentes obtinuerunt, firmari & illuſtrari poſſet. Propenſior tamen ſum in Thalmudicorum unanimem ſententiam, *Maimonidis*, *Abarbanelis*, aliorumque nationis Rabbinicæ Coryphæorum calculo commendatam: pauliſper præſertim caſtigatam a nobis, & in melius refictam. Hiſce נחל איתן hac in lege eſt *torrens validus rapidusve*, שוטף בחוזק *cum impetu undas agens*, ut *Abarbanel* commentatur. Iisdem verbis uſus eſt *Maimon.* הלכת רוצה *Cap.* 9: 2. מור ידים העגלה אל נחל ששוטף בחוזקה וזהו איתן האמור בתורה *Deducunt vitulam ad torrentem cum impetu undantem, hoc enim valet Ethan in lege poſitum.* Thalmudici doctores in Cod. *Sota* 9: 5. cerimoniam hanc enucleantes, adhibuerant vocabulum קשה *durus, validus.* Verba ſic habent. מורידין אותה לנחל איתן ואיתן כשמעו קשה אף על פי שאינו איתן כשר *Deducunt Vitulam illam ad torrentem Ethan, Ethan autem ſonat proprie durum. quod ſi durus*, rapidus,

Thalmudicorum verſio paulo inconcinnior.

Digitized by Google

non eſſet torrens, nihilo minus aptus & idoneus cenſebatur. poſterius hoc decretum nunquam condidiſſent magiſtri, ſi linguam patriam percalluiſſent, & איתן noſtri antiquam & *perennem* illam *venam* adſpexiſſent; ea enim tantæ eſt religionis, tantique ponderis, in Cerimonia piacularis hujus ſacri, ut qua typicæ & exteriori ejus rationi, qua ſpirituali & myſticæ intentioni vim ſuam ac potentiam addat, quæ debilitabitur omnisque dilabetur, ſi conditio hæc labefactata & convulſa fuerit.

Genuina legis facies nudatur, exhibens *vallem perennibus aquis coopertam.*

VII. Eſt aliud adhuc quod minus accurate perceptum Rabbinos hic impedivit; & eorum ſententiam ſalebroſiorem reddidit, quam ut noſtrorum hominum aſſenſum impetrare potuerit. נחל ſcilicet ſtrictius de *torrente* vel *rivo* capientes, magnam legis hujus partem ſupervacuam effecerunt, atque adeo abſurdam. Otiantur ſane, vel potius importuna admodum ſunt, ſi נחל *fluvium* vertas, verba illa אשר לא יעבד ולא יזרע quis enim ſerat *fluvium qui nec aratrum expertus fuerit nec ſementem?* Itane tandem *fluvii* non remis tantum verum etiam *Vomere ſulcantur, & imperatam fundunt ſegetem?* Abſurditatem ſenſit & levare conatus eſt *Chazkuni*, quem hic integrum exhibuiſſe, pretium fuerit. אל נחל איתן אל נהר איתן כמו הובשת נהרות איתן וראיה לדבר ורחצו ידיהם אשר לא יעבד שלא היו בו גבים להשקות קרקע המטוך לו ולא יזרע אין זורעין קרקע הסמוך לו *Ad Nacbal Ethan, ſonat ad validum fluvium, quo ſenſu Pſ.* 74: 15. *occurrit;* fluvium hic, non vallem, debere intelligi, *firmatur ex eo quod de manibus* בנחל *lavandis præcipitur* vſ. 6. *quod autem dicitur, qui agricolæ imperium non paſſus eſt, requirit, ne rivuli inde derivati ſint, ad irrigandum adjacens ſolum. Denique non conſitus debebat eſſe* fluvius, *id eſt agris vicinis ſementis nunquam debebat commiſſa eſſe.* Hæc quam contorta ſint & perplexabilia, nemo non videt. Quid ergo? נחל nec *vallem* ſimpliciter hic valet, adjunctas enim aquas poſtulat vſ. 6. totiusque ſacri religioſa ſolennitas; nec *torrentem* vel *fluvium*, quod, poſtrema legis verba eum reſpuant: ſed utrumque ſimul exprimit, *vallem* nempe *aquis irriguam*, per quam *biberni* decurrant *torrentes*, *nivis montano flumine rapidi*, ut eſt apud Poëtam, ſed quæ æſtate *ſiccentur*, & ſæpe numero *arentur*, *conſerantur*, & *ſegetem efferant.* Hæc vocabuli eſt proprietas; abuſus longius patere juſſit, & ad *valles* etiam non *irriguas*, atque *torrentium ac fluviorum omne genus* accommodavit. Dilucere jam incipit, נחל איתן nec *vallem* eſſe *aſperam*, nec *fluvium validum*, ſed *irriguam perennibus aquis vallem*, quæ nunquam æſtivis ſolibus adſiccetur, nunquam *agricultura exerceatur*, nunquam *conſeratur;* אשר לא יעבד ולא יזרע ut in aliis ſæpe *vallibus*, quarum *torrentes* æſtas conſumit & exhaurit, uſu venire ſolet. Noviſſimi hujus generis Vallem poëticis coloribus expinxit Jobus *Cap.* 6: 15. quæ hyberno tempore aquis nivalibus cooperta, æſtu invaleſcente penitus exareſcat: cum cujus fallaci & evanido latice, infidelis amici benignitatem & munificentiam comparat, ſolenni more Arabum, alibi luculentius exponendo.

VIII.

Digitized by Google

VIII. Impetus erat, ſapientiſſimum legis hujus inſtitutum perſequi, ejusque tum exteriorem & umbratilem, tum interiorem etiam & myſticam religionem evolvere, juſtoque afficere lumine: verum enim vero in præſentia auferri me non patiar, & temperare malo a materia jucundiſſima & fertiliſſima, quam extra oleas divagari, & lectori longis digreſſionibus moleſtiam parere. Eo etiam facilius hac opera nunc ſuperſedeo, quod verſio a nobis edita, exercitatum legum Moſaicarum ſcrutatorem manu veluti ducat ad cerimoniæ hujus utraque in parte convenientiam, amplitudinem, ac ubertatem. Gradum itaque promoveo ad tralationes & figuras verbi noſtri, multo venuſtatis flore ac honore conveſtitas, quarum ſpeciem ac dignitatem ignorata origo deleverat. Inter eas proprietatem quam proxime refert *Jobi* Cap. 33: 19. רוב עצמיו איתן. Interpretationum fluctus ſunt, & divortia. *Coccejus* duplicem tentat viam, ut vel *ſubſtantive* fit, *quam multum eſt oſſium ejus, horror eſt*; ſeu *gravi horrore febrium concutitur & divexatur*: vel *adjective*, *multitudo oſſium ejus fuerit horridus acervus*; dum ſcilicet *morbo conflictatus fatiſcit* miſer, & *corporis* illa *robora* ac firmamenta *labefactantur*. Sed radici noſtræ cum *horrido* nihil commune eſt. Eundem ſenſum alii hac ratione expreſſerunt, *Et multitudo oſſium ejus vehementi*, ſupple *dolore*, *exagitatur*. plurimi tamen, *Et multitudo oſſium ejus vehemens*, *fortis*, *robuſta*, *corripitur dolore ſuper cubili*, quod ex priori membro repetendum: intelligunt per *oſſium robuſtam* illam & *valentiſſimam multitudinem*, *firmam ac ſolidiſſimam* quaſi *valetudinem*, & *corporis habitum multo robore ſuffultum*. Placet. Sed pro *robuſtis oſſibus* repono *perennia*, quo adeo nihil decedit ſententiæ, ut novum etiam accedat pondus & lumen. Structuram dupliciter concinnaveris, ut ſit, vel, *multitudo oſſium perennis* רוב איתן, Poëtice: vel *multitudo oſſium perennium* עצמיו איתן, ut נהרות איתן. *Oſſa perennia* ſchemate alto, nobili, & cothurno Jobi digniſſimo, ſunt, *oſſa obeſa*, & *præpinguia*, multo *adipe* extus, intus *medulla* & *ſucco vitali vigentia ac virentia*. Firmant Arabes uſu illo quem in conj. decima ex *Camuſo* promſimus, استوتن المال *perenne evaſit pecus*, pro *ſaginatum* fuit, & *pinguefactum*. Firmat geminum *Jobi* ac germanum Cap. 21: 24. מוח עצמותיו ישקה *medullis oſſa ejus irrigua ſunt*.

Graviſſima in Jobo figura illuſtratur, quæ *oſſa perennia* adhibuit pro *adipoſis & præpinguibus.*

IX. Reperio etiam vocabulum hoc alia tralatione auctum *Jobi* 12: 19. מוליך כהנים שולל ואיתנים יסלף Abrupta ſententiæ brevitas mentem ſcriptoris implicuit, & quid potiſſimum intenderit vehementer obſcurum & anceps reliquit. Sunt qui *potentes*, *opulentos*, *fortunatos*, *lautiſſimis fortunis & divitiis affluentes* intelligunt. Hunc in uſum ſumma ſponte diffunditur noſtrum איתן *perennis*; & nihil proclivius eſt, quam *homines perennes* adhibere pro iis, qui *perennibus & inexhauſtis opibus abundant*. Annexuerunt alii *liberalitatem*, & *largiſſimam munificentiam*; tanquam ſi a *donando* נתן nomen traxiſſent איתנים. Noſtrum *perennes homines*, haud paulo venuſtius eſſet, ad *munificentiſſimos largitores* exprimendos. Ad *ſtrenuos*, *fortes*, *bellica præditos virtute*, alii rationes ſuas contulerunt. Hi ſunt, qui *perenni* quædam atque *inexhauſta* vir-

Perennes abſolute apud Jobum ſunt *potentes opulenti* vel ſimile quid.

virtute vigent florentque. Huic affine infra enotabimus ex Gen. 49: 24. Cl. *Coccejus* hic vidit *conſtantes*, *graves*, *propoſiti tenaces*, ἐνεργητικῶς; *qui*, *more torrentis fluvii*, *ſtudio & vigore inexhauſto ad finem ſuum provebuntur.* Laudo conatum, quo ad nativam vocabuli venam pulcre alluditur. Cl. *Schmidius* quoque *tropum* hic agnovit *majoris fluvii*, quo indutos vult *Viros Eccleſiaſticos*, publicum docendi munus ſuſtinentes, ac ſapientia inſigni rerum ſpiritualium præditos; qui *perenni* doctrinæ ſuæ *vena* alios irrigant. Mihi in hiſce fluctibus nihil definiviſſe tutiſſimum fuerit; ſatis habeo *perennium hominum* figuram nobiliſſimam ab oblivione vindicaſſe; acutiorum permittens arbitrio, quid ſacer ſcriptor ſub ea fuerit complexus.

Michæ reponuntur perennes montes, & perennia terræ fundamenta.

X. Abſolute etiam איתנים occurrunt *Michæ* 6: 2. שמעו הרים את ריב יהוה והאיתנים מוסדי ארץ *Audiant montes judicium Domini*, *& fortia fundamenta terræ.* Sic *Vulgatus*; repugnante conſtructione. LXX. καὶ φάραγγες θεμέλια τῆς γῆς. *Arabs* ſimiliter, والاودية اساسات الارض, *& valles*, *fundamenta terræ.* Haud ita recte *Syrus*, עומקא דשתאסיה דארעא *profunda fundamentorum terræ*, quaſi regiminis adeſſet copula. *Chaldæus* ועקריא מיסודי ארעא *Et radices*, *fundamenta terræ*, *non fundamentorum* uti eſt in Polyglottis. Per eadem ferme veſtigia decurrunt recentiores, vel junctim efferendo *robuſtiſſima fundamenta*, vel diſcretim, *aſpera*, *terræ fundamenta.* Poſtremum hoc calculo ſuo adfirmavit etiam *Coccejus*, in verſione edens *colles*, in Comm. autem ſubjugens, איתנים *ſunt loca tumoribus terræ inæqualibus aſpera & horrida.* Sic Job. 33: 19. &c. Nos, miſſis ambagibus, loci faciem ſic proponimus. *Audite*, *Montes*, *contentionem Domini*, *& Vos Perennia; Vos Fundamenta terræ.* Tribus membris diſtinguitur Oratio, ſic uti *perenni* mediam ſedem obtineant, vimque ſuam in alterutram partem diffundant, *montibus* & *fundamentis terræ*, titulum addentia *perennitatis*, & *vetuſtæ nobilitatis:* quo titulo ſive *montes* & *fundamenta* ad literam interpretemur, ſive myſtico ſignificatu augeamus, nihil opportunius, nihil conſignantius adhiberi potuit.

Perennis arcus, vel *arcus manens in perenni ex Geneſi producitur.* Atque ex *Job* etiam *arcus reviveſcens.*

XI. Singularem quoque elegantiam ſpirat איתן Gen. 49: 24. ubi *Joſephi* potentia, & invictæ opes hiſce coloribus pinguntur, *Et veneno exaſperatis ipſum jaculis appetivere*, ſic reddo exquiſitiſſimam illam locutionem וימררהו ורבו: *& odio eum inſecuti ſunt*, *qui ſagittas tractant.* ותשב באיתן קשתו ויפזו זרעי ידיו *At permanſit in perenni arcus ejus*, *& brachia manuum ejus fuere expeditiſſima.* פזז non eſt *roborari*, *ſolidari*, ſed *levem*, *agilem*, *expeditum eſſe*, ut alibi jam ſubmonui. Multo autem pulcherrimum illud, תשב באיתן קשתו *Manſit* IN PERENNI *arcus ejus. Vigorem obtinuit ſuum; non remiſit*, *non relanguit: non interciſa atque emoriente vena*, *crepuit.* Nemo non *potentiam* agnoſcit quam nihil retundat, nihil domet; ſed quæ identidem victrix ac trinmphatrix, omnes hoſtium ictus eduret. Apud LXX. vix quicquam hic ſani. באיתן dilute μετὰ κράτους dedere. *Vulgati* illud, *Habitavit in forti arcus ejus*, durius eſt & obſcurius. Ex editione *Samaritana* profert Cl. *Druſius*, καὶ διέμενεν ἐν βάθει τόξευμα αὐτοῦ. Non felicius alii veteres, niſi quod *A-*

rabs

Digitized by Google

rabs ſenſum egregie expreſſerit, hoc pacto emendandus & convertendus فبنث قوسه في صلابة واهتزت ذراعاه *Et perſeveravit Arcus ejus in robore, & brachia ejus agilia extitere.* Lectio فبتت quæ in polyglottis comparet ſubjectaque verſio, *& mentitus eſt arcus ejus cum duritie, & tremefacta ſunt brachia ejus*, tolerari nequeunt. فسز & هسز Arabibus idem ſonant: & بسن eſt اقـام *duravit, perſeveravit. Rabbinis* באיתן valet hic *in forti*, nempe *loco*, in *arce munita.* Nonnulli priſco & recenti ævo per איתן *fortem* hic *Deum* intellexere, in quem Arcus recubuerit Joſephi. Longe plurimi tamen, *permanſit in robore*, ſubſtantiva poteſtate. Quod nos edidimus eandem fundit ſententiam, nobiliſſima figura ditatam, *qua perennis vigor virorque* attribuitur *arcui* ſemper *victori*, cujus mirificum lumen ac decus *Jobi etiam* loco refundendum eſt, Cap. 29: 20. *Gloria mea recens mecum perſtabat*, וקשתי בידי תחליף *& Arcus meus mea in manu revireſcebat identidem:* quod alibi dedita opera clariore in luce collocabitur.

Manſio perennis partim ſimplicius, partim figuratius, pro *perennitatis ipſius quaſi ſede.*

XII. Operoſius paulo expeditis atque elucidatis iis, quibus multa ſuberat difficultas & obſcuritas, cetera levi brachio profligata & confecta dabimus. Succedat itaque nunc uſus ille quo איתן *loci* epitheton præbet, non *aſperi*, non *borridi*, non *fortis*, ut hallucinati ſunt ab omni inde memoria, ſed *perennis*, & cujus vel ſanctitatem & religionem, vel ubertatem & abundantiam, vel ſecuritatem & profundiſſimam pacem, nihil unquam minuerit ac delibarit. Cuncta illa amplectitur Arabum loquendi conſuetudo in ſuo اوتـــن. Hinc illud Num. 24: 21. *perennis tibi manſio eſt, & in petra nidum tuum poſuiſti. Attamen depaſtioni eris & deprædationi.* Veteres illas atque illibatas opes tuas, illas ſedes a belli cladibus integras atque intactas, illa arcium & fortunarum tuarum *perennia*, quæ jactas, & æterna, ſubitus belli impetus everſa atque exterſa dabit. Eadem potentia reſidet in נוה איתן Jer. 49: 19. & 50: 44. ubi qui *babitaculum horridum exprimunt*, haud attendunt ad indolem radicis נוה, quæ *manſionem* adfert *amœniorem & deliciis affluentem.* Sed nec *Habitaculum perenne* efferre placuit vati, verum *Habitaculum perennis*, ſeu *perennitatis* veluti *ipſius propriam & nativam ſedem*, ubi *τὸ* איתן *perenne*, quicquid opum, divitiarum, deliciarumque, jugi manat vena, *manſionem æternam fixiſſe* videbatur. Edere quoque liceret, *Habitaculum perennis*, pro eo quod eſſet *virorum perennium, beatorum, copiisque omnibus circumfluentium.* Sed prius illud adblanditur. Quomodocunque ſumatur, איתן hic in ſinu continet omne illud, quod Arabes comprehendunt ſub ركن *longa pace & quiete viguit*, خصب *ubertate omnium bonarum rerum affluxit*, aliiſque verbis, quibus ſuum יתן / وتن explanant; ſive de *bominibus* agatur, ſive de *locis*, promiſcue enim dicunt, اهل ركون & ناصفة ركون *vallis glebæ uberis, ager opulentus*, nec non *populus uber, opulentus.*

XIII.

Gens perennis pro *antiqua nobilitatis & opulentia* apud *Jeremiam.*

XIII. Hæc vis reluceat Jer. 5: 15. Ubi *Chaldæi* titulo præſigniuntur גוי איתן *Gentis*, non *aſperæ*, non *horridæ*, non *robuſtæ*, quæ vulgo feruntur, ſed *Perennis*, *armis*, *viris*, *viribus opulentiſſimæ*. perpendatur modo conſtructio hæc גוי איתן הוא גוי מעולם הוא *gens perennis illa*, *gens ab æterno illa:* & ne minima quidem dubitationibus umbra manebit, quin titulus hicce cuncta illa complectatur, quæ in ſuperioris paragraphi initio pluribus circumſcripſimus, huc facile transferenda.

Via perennis, pro *intractabili & nimis rigida ratione convivendi.*

XIV. Supereſt unicum adhuc exemplum Prov. 13: 15. quod in longe diverſam exit mentem, licet eadem radice teneatur. Dictum eſt haud adeo liquidum, quod ingenia Commentatorum exercuit. שכל טוב יתן חן ודרך בוגדים איתן. *Vulgatus* habet, *Doctrina bona dabit gratiam*, *in itinere contemtorum vorago.* LXX. haud abſimiliter ὁδοὶ δὲ καταφρονούντων ἐν ἀπωλείᾳ. Aſſentantur *Syrus*, & *Arabs*. Notionem *robuſti durive*, quam imbiberat, *Chaldæus* cum *perditione* conjunxit וארחא תקיפא דבוזי איבד *Et via dura*, importuna, *direptorum*, concuſſorum, vexatorum, *diſperibit*. Sequuntur hoc Rabbini, noſtrique, ſed varie explicant & applicant. In eo congruunt, *morum aſperitatem intractabilem* vocabulo hoc innui, quocunque tandem referatur. Ne longum faciam mea ſic habet ratio, prius membrum שכל טוב יתן חן *bona intelligentia præbet gratiam*, ſignare hominem, *facilem*, *flexibilem*, *qui* virtutis ſuæ *ſeveritatem* multa *condit* temperatque *comitate*, & ſe locis, occaſionibusque, accommodare prudenter callet. Huic jam opponitur *inflexilis rigor* & *pertinacia* hominum *ferocium*, qui *contemtorem* gerunt *animum*, contumaciam ſuam virtutem interpretantium, qui eam ſequuntur ſectam, ut nusquam conniveant; nusquam remittant, ſed obſtinatius in propoſito ſuo perſeverent. Hoc extulit parœmiographus per דרך בוגדים איתן *via contumacium perennis eſt. perennem ſervat tenorem rigoremque ſuum.* Neque id ab indole radicis noſtræ abhorrere cenſendum eſt, quando ſupra jam vidimus الوتنة *perennitatem* uſurpari pro المواتنة *repugnantia*, ut *Golius* reddidit, quum quis *nimis rigide perſeverat* in propoſito: & ואתן الواتن adhiberi poſſit *in omni re* الثابت الدايم *durante & permanente.* Melius autem proverbii acumen & lumen in hoc vocabulo aſſequeremur, ſi origo radicis בגר penitius nobis inſpecta foret: nunc fonte illo adhuc clauſo, omnem ſententiæ gravitatem ac venuſtatem exhaurire non datur.

CAPUT

CAPUT NONUM.

Radix חלה ſeu חלא examini ſubjicitur. Quid fluctuationis circa eam deprehendatur. Arabum conſtans & dives uſus panditur. Inde חלאה apud Ezech. illuſtratur. *Atteri* pro *debilitari* in metaphora. Item pro *affligi:* iterum pro *morbo afflictari:* latius, pro *omni genere malorum ſterni & conflictari.* Speciatim *flagellis ictibusque excoriari.* תחלוא *Status corporis excoriati & excarnificati.* Elegantior uſus verbi החלה. Vis locutionis מכה נחלה. denique חלי & חליה *monile*, proprie *polimen* multa luce adſpergitur.

I.

Vetuſtatis damnum & injuriam ſenſit quoque ſpiſſiore uſu contritum verbum חלה / neque exemplorum copia ſatis ſe defendere valuit, quo minus genuinæ potentiæ nonnihil detereretur, atque pulcherrimæ tralationi, quam peperit, nativa facies deperiret. Oculos intendo in pervagatam illam formulam חלה פנים / quæ adhibetur in *ſupplicationibus* & *obteſtationibus* vehementioribus, in qua expedienda hæreant neceſſe eſt, qui *ægrotandi* vim ſtirpi ſubeſſe autumant. Radix חלה ſuſcipitur illuſtranda.

II. Lexicographos ſi conſulamus, minus certos & exploratos ſignificandi fines aſſignari deprehendemus. חלה / docente Celeb. *Coccejo*, ſonat *ægrotare*, *infirmari*, *viribus privari*. Alii adjungunt, *debilitari*, *cruciari*. Non amo iſtam copiam, quæ me, dum ditat, pauperat. *Viribus privari*, ſeu *infirmari*, in quo potiſſimum pedem fixit Lexicographorum princeps, notio eſt laxior ac vaga, quæ viginti & ultra tralatis verbis eleganter exprimi poteſt. *Attenuari*, *atteri*, *enervari*, *contundi*, *frangi* aliaque bene multa, ſua quæque proprietate diſtincta, confunduntur tamen, & concurrunt, ad *infirmitatem* & *virium privationem* indicandam. Dicamne חלה proprie eſſe *enervari?* at deficiente in ſacris proprietate, & primitiva, quam veſtigamus, indole, temere id definiretur. Dicamne *atteri?* veriſſimum id eſt, atque ut quilibet ſtatim perſentiſcit, congruentiſſimum, & tamen nimis audacter id adſirmaretur, ſi intra cancellos reliquiarum Biblicarum nos teneremus. In ea reddenda quid ſecuti fuerint interpretes.

III. Veteres interpretes ſi excutiamus, non plus præſidii ac luminis ſubminiſtrabunt: νοσεῖν enim, ἀῤῥωστεῖν, ἀσθενεῖν & ſimilia, quo uſi ſunt LXX., eodem plane incommodo laborant; atque hujus etiam notionis vim vicemque

viginti alia verba, in metaphoram traducta, opportuniſſime implere poſſent. Ceterorum gemina eſt & germana ratio. *Rabbini* expectationem quærentis magis adhuc ludunt, quum pronunciant חלה habere לשון חלי ומהלה, quaſi rogatus quid valeat *ægrotare*, reponam *ægrotationem* & *ægritudinem*. Atqui ego originem volebam, & primariam poteſtatem vocabuli illius, quam longa obliterarunt ſecula. Solus, ni fallor, *Avenarius* hac in parte defectum vidit, & remedium circumſpexit. Juxta eum חלה eſt *dolere*, *cruciari*, atque hanc ſignificandi vim traxit ab affini חלל, *confodi*, *vulneribus configi*. Amo conatum. Ipſa hypotheſis, in literarum ſola vicinitate fundata, per ſe ſane fluxa, & ficulnea, ex iis quæ jam ipſe promam, ſponte dilabetur.

Scribitur per *He* in fine, & per *Aleph*, quod poſtremum Arabes tenuerunt.

IV. Scripſerunt promiſcue Hebræi חלה ultima *He* quieſcente, & חלא ultima *Aleph*. Argumento eſt 2 *Chron.* 16: 12. ויחלא אסא, & *Jeſ.* 53: 10. החלי pro החליא: nec non derivata תחלואים, & חלאים, &, quod male hinc divulſum fuit, חלאה, penes *Ezechiëlem*. poſtremam ſcriptionem unice adoptarunt Arabes, ſub حلا, ultima *Eliph* radicali & mobili, radicisque ingenium nativum, largo cum fœnore, Matri linguæ ſuæ refundent.

Significatio ejus genuina in *atterendo* ſita firmatur.

V. Audiatur itaque *Zjauharius.* حلات له حلوا اذا حككت له حجرا علي حجر ثم جعلت الحكاكة علي كفك وصدات به المراة ثم كحلته به Hoc eſt. *Dicitur* חלאת *ipſi* חלאא, *quum teris alicui lapidem ſuper lapide, ramentis in manum colligendis, ut madida fuligine oculos tangas, ſtibioque illinas.* Vocat nos ad ritum, quo *fuliginatos ſtibio orbes* oculorum fucat mulier, & ut *Satyricus* ait,

> —— *Supercilium madida fuligine tactum*
> *Obliqua producit acu, pingitque trementes*
> *Attollens oculos.* —— —— ——

Hoc in negotio frequentari docet verbum حلا idem quod حك *trivit*, ſpeciatim *ſuper lapide collyrium trivit.* Conſentit *Zamachsjarius* in commentario ſuo ad proverbia Arabica, ubi hanc adagionem proferens, لاحلانك حلاء غير مردود *Teram tibi trituram nunquam repudiatæ mulieris*, rem ſic enarrat, الحلا هو حكاكة حجر علي حجر يكتحل بها חלא *eſt terere lapidem ſuper lapide, ut collyrium pares.* plenius Scholiaſtes الحلاء هو ان تاخذ الدهن فتجعله علي طست او حديدة فتحركه חלא ياخذ من صديه ثم تكتحل به *adhibetur, quum ſumis oleum, indisque pelvi aut ferro, & eo usque teris moveſque, donec rapiat aliquid ex rubigine ejus, quo deinceps pro collyrio uteris.*

VI. Quid

VI. Quid luminis hinc redundare poſſit ad Ezechiëlis חלאת / deinceps exequemur: nunc ſubmoneo, ne, quamvis a notione hac orſus fuerit *Zjauharius*, pro primaria habeatur, quæ ſita eſt generalius in *terendo*, *triti* idea *collyrii* peculiari ratione poſtmodum adſcita. Adſtruamus hoc, & radicis late fuſam ditionem pandamus, ejusdem auctoritate Lexicographi, qui hunc in modum pergit. والحلاء قشر الجلد التي تقشرها الدباغ مما يلي اللحم تقول حلات الجلد اذا قشرته وفي المثل حلات حالية عن كوعها لان المراة الصناع ربما استعجلت فقشرت كوعها *Eſt etiam* חלאה *deraſio pellis, cui deterunt & deradunt coriarii partes carni vicinas. Dicisque* חלאת אלגלד *decorticavi pellem; uti in proverbio, decorticavit pulcre comta cubitum ſuum; ſæpe enim comtulæ muliercularum nimium feſtinant, ac geſtiunt, ſuumque ſibi cubitum atterunt atque excoriant.* Ex quibus colligere eſt, חלא *trivit*, frequentari pro قشر *decorticavit*, *excoriavit*, *cutem raſit*, & præſertim in *coriariorum* arte locum invenire: ſubjungit mox *Zjauharius*. والتحلي ما افسده السكين من الجلد اذا قشر تقول منه حلي الاديم اذا صار فيه التحلي *Derivatum* תחליא *eſt quod culter corrumpit in pelle, quum decorticatur, atque inde dicis* חלי אלאדים *cultro corrupta fuit pellis, quum in ea exiſtit* תחליא. In Lexico *Golii* redditur تحلي תחליא *pars pellis cultro ſcalpta & detracta*, quod obſcuriuſculum eſt, neque ſatis exprimit illam *pellis læſionem & affectionem, qua radendo corrumpitur & perforatur*, quæ hic accurate tenenda eſt, ut quid Hebræis valuerit חלאה / in luce locetur.

Sonat etiam excoriari.

VII. Affinis eſt uſus, quem ſtatim ſubtexit. والحلا ايضا العقبول وقد حليت شفتي اي بثرت חלא *etiam vocatur puſtula poſt febrim in labio erumpens, diciturque* חלית שפתי *Labium meum puſtulis & tuberculis affectum attritumve fuit.* Et hanc verbi חלא elegantiorem ſedem diligenter obſervari velim, palam a *terendo* aſſumtam, in qua pari paſſu ambulat cum بثر & تنفط non in *Labio* tantum, nam pro exemplo tantum labium memoratur, verum *in univerſo corpore:* atque exprimit *corpus* ex febri vel aliunde, *puſtulis & tuberculis attritum* quaſi, atque *excoriatum*, anſa arrepta a תחליא quod paragr. præcedenti exhibuimus.

Malis puſtulis laborare notione peculiari: proprie *atteri.*

VIII. Singularem etiam locum poſtulat, quod *Abu Zeidi* auctoritate producit firmatque, dici حلاته بالسوط حلاء اذا جلدته به وحلاته بالسيف ضربته به *Scutica illum terendo trivi*, חלאתה באלשוט חלא *quum aliquem flagellorum ictibus velut excorio: nec non, gladio eum trivi, eodem ſignificatu excoriandi, vel ictibus perforandi.* In re aperta moras haud nectam; nativa enim pulcritudine ſe inſinuat & commendat tralatio, quam Latinorum *terere* quoque amplectitur: quidni enim dixerim *ſcutica peruſtum & detritum latus?* vel ter-

Alia ſignificatio *Terere ſcutica*, & *terere gladio:* nec non *detere*, pro *flagello* vel *fuſte abigo*.

tergum flagello terere, atterere, deterere, & ſimilia, quæ Græci ſub τρίβειν etiam admiſere, neque exemplis indigent. Hinc autem ſubnatum eſt quod *Zjauharius* mox ſubdit. وحلات الابل عن الماء اذا طردتها عنه ومنعتها ان ترده قال الشاعر

مُحَلَّاء عن سبيل الماء مطرود ۞

وكذلك غير الابل قال امرو القيس

كمشي اتان حليت عن المناهل ۞

Porro חלאת אלאבל ען אלמאא *trivi camelos ab aqua, ponitur pro abegi ab ea, eosque ab aquando prohibui: ut apud Poëtam*

Detritus a via aquæ, abactus:

ſimiliter extra camelos, in aliis, ut in hoc Amro 'l Kiſi

Pro ut aſina incedit, quam ab aquatione detriverunt i. e. *depulerunt*.

Ubi nemo non videt, *deterere* exquiſitioré uſu tantundem eſſe, ac *trito plagis tergo deterrere & abigere.*

Nummos terere pro donare. IX. Cuncta adhuc ex facili & liquido fluxere: ſed ecce turbat nonnihil חלא a *Golio* declaratum per *donare*. Apud *Zjauharium* ſic legitur. حلاته بالسيف ضربته به وحلاتهماية درهم اذا اعطيته *Trivi ipſum gladio, pro percuſſi ipſum gladio: & trivi ipſi centum drachmas, pro donavi ipſum tot drachmis.* Num a *percutiendo feriendove* ſignificationem hanc *donandi* propagatam eſſe crediderit, ut *ferire munere* a quibusdam dictum putatur, adfirmare non habeo; conſtructio aliud redolet, quæ non dat *terere aliquem centum drachmis*, cui reſponderet *ferire aliquem munuſculo*; ſed *terere alicui centum drachmas*, quod manaſſe conjicio a *dinumerando*, quo drachmæ quaſi *digitis teruntur*; quamvis exemplis defectus, ac lumine neceſſario, nihil fidentius pronunciare auſim.

Terere pro affligere: & terere pro comprimere. X. Superſunt duæ ſignificationes, a *terendo* deductæ: quarum altera حلا admittit pro جلد *humi ſtravit, afflixit*, proprie *attrivit*, vel potius *contrivit, obtrivit*: altera حلا turpiculo ſenſu adhibet pro نكح *ſubegit feminam, cum eaque caput limavit*. Eandem metaphoram in دمس aliisque *terendi* vocabulis deprehendere eſt; quod non tantum profero ad radicis noſtræ amplitudinem omnem, & late fuſam potentiam oculis ſubjiciendam, verum etiam ad interiorem turpitudinem vocis חלאה in *Ezechiële* introſpiciendam per erit opportunum.

XI. Ra-

Hinc jam חלאה *ex origine valet ferruginem quæ fricando exteritur.*

XI. Radici ergo חלה vel חלא proprietatem & indolem ſuam redditurus, ordior a חלאה, quod tribus in locis *Ezechiëlis* occurrens, ancipiti cura diſtrictos habuit interpretes. Comparat ille Cap. 24: 6. Urbem Hieroſolymitanam, cæde & ſanguine pollutam, cum *lebete* ſeu *aheno*, אשר חלאתה בה וחלאתה לא יצאה ממנה *in quo* חלאה *ſuum reſedit, & ex quo* חלאה *exigi & exire negavit, etiam ſi multus ignis ei fuiſſet admotus*, vſ. 11. denuo *ſuper prunas ſtatuendum eſſe illud abenum*, & quidem *vacuum, ut candefiat, & exuratur ærugo ejus, & fundatur immunditia ejus, atque ad plenum conſumatur ejus* חלאה. ſed indomitum erat & pervicaciſſimum malum hoc, ut vſ. 12. declarat: *Fruſtra fatigat. neque exit ex ea, multitudo*, vel potius *ſpiſſitudo ſui* חלאה. *In ignem itaque cum iſto ſuo* חלאה: hoc eſt, *igni permittatur penitus diſperdendum illud abenum, quod nihil eſt niſi merum* חלאה. Sententia ſic a nobis in illuſtri locata, repudiat aperte *ſpumam*, quam multi ex noſtris ſecuti erant, levicula ducti ſpecie. *Rabbini* generalius *ſordes* interpretati ſunt, זיהומא, quo vocabulo uſus fuerat Paraphraſtes Chaldæus. Rectius LXX. Ἰὸς *ærugo*, & *Vulgatus*, *rubigo*. Non a חלה *ægrotavit*, quod *ærugo morbus ſit æris*, quæ conjectura eſt minus dextra Cl. *Cocceji*: ſed a חלא *ferrum trivit oleo*, & *effricuit*, *ad rubiginem ejus colligendam*, uti paragr. V. ex Scholiaſte *Zamachsjarii* in medium dedimus. נחשת ergo, quod vſ. 11. primum nominatur, eſt Arabicum صدأ *ærugo*, vel *rubigo* omnis, præſertim illa quæ palam ſuccreſcit, & ſitu craſſiore metalla iſta obducit: at חלא حلاء, ut & חלאה حلاءة eſt illa *ferrugo* aut *ærugo*, quæ intus reſidet, & non niſi *terendo fricandove* elici poteſt.

Emblematis hujes interior pulcritudo & ubertas apud Ezechiëlem.

XII. Pulcrum autem emblema præbet חלאה, hoc lumine perfuſum, atque per ſane quam opportune ac nervoſe depingit *interiorem* corruptionis humanæ *æruginem*, quæ ſæpe nitidam ac politam mentitur faciem, ſed ſi paululum *confricueris*, ſpurcitiem ſuam & alte hærentem labem prodet; manumque tibi tuam attaminabit. Hic generalior eſt adſpectus: ſpecialius amplectitur omnem turpitudinem venis atque viſceribus ipſis ſic implicitam & veluti intertextam, ut nulla ope extirpari poſſit. Præſertim hic intendi putem illum Spiritum nequam, & ſcortatorem, illam altiſſimis radicibus defixam libidinem idololatriæ, quæ a teneris unguiculis hauſta, in medullasque infuſa, non niſi flamma & igne exitii Babylonici edomari potuit. Ut adeo נחשת *exteriorem fœditatem* iſtius criminis, חלאה *interiorem*, טמאה tam *exteriorem*, quam *interiorem* ejus *diritatem* ſignanter inculcet.

חלה *atterere* pereleganter & opportune locatum Jud. 16: 7.

XIII. Verbum nunc porro ipſum aggredienti, offert ſeſe exquiſitum & perelegans Jud. 16: 7. *Si ſeptem funibus recentibus me conſtrinxerint*, וחליתי non utique *ægrotabo*, non *cruciabor*; ſed *atterar*; *attritis viribus fatiſcam.* Ludit *Simſon* in *funibus*, qui *ſtringunt*, *radunt*, *terunt*, atque adeo *excoriant*, ſi vehementius adducantur.

Allus atterendi u-

XIV. Subtiliorem etiam ſenſum præfert 1 Reg. 22: 8. Ubi *Saulus* miniſtros

fus in cordolio, & ægritudine animi.

ſtros ſuos in *Davidem* proniores ſic increpitat. *Ecce conjuraſtis cuncti adverſus me, & nemo mihi aurem revelat, filium meum fœdus pepigiſſe cum Jeſſæ filio,* ואין חלה מכם עלי *& nemo ex vobis mea cauſa atteritur:* nemo *maceratur:* nemo *cordolii aliquid* ex meis vulneribus *ſentit.* Lentis ego ictibus *perſtringor, uror, atteror;* nemine veſtrum mecum *attrito* atque *afflicto.* Significationem hanc præſtruxerunt Paragraphi VIII, & X, ubi חלא *atteri* partim pro *ſcutica uri*, & partim pro *affligi*, & *humi ſterni* penes Arabes frequentari palam fecimus.

Quanta amplitudine polleat *atteri*, ubi ad *morbos* traducitur.

XV. Hinc porro crebreſcere cœpit in *morbis*, quibus aliquis *atteritur*, *afflictatur*, & *humi* velut *ſternitur* lecto affixus, & *febrium* aliorumque malorum *flagello* peruſtus. Hæc imago ſuſcipienda eſt in omnibus illis locis, ubi חלה vulgo editur *ægrotare*, *morbo infirmari*, quam ſcenæ hinc examuſſim reſpondere, non eſt quod pluribus diſputem. Exemplis Lectorem non onerabo; Specimen tantum unum alterumve edam. Jeſ. 38: 1. חלה חזקיהו למות *Et afflictatus eſt Hiskias ad mortis usque periculum;* ſcilicet *malo ulcere*, quo veluti *atterebatur in mortem.* 2 Reg. 13: 14. *Et Eliſa* חלה את חליו אשר ימות בו *conflictari cœpit conflictatione illa, qua moriendum ei erat.* Apparet verbum eſſe opportuniſſimum hac in ſede, ditione ſua tenens quicquid valetudinis iniquæ, quicquid doloris, corpuſculum hocce *in mortem atterit* atque *affligit.* Notatio *morbi*, ſic dicti, juxta nonnullos, quaſi μόρος βίου, vel μόρος βίας, *vitæ viriumve corruptio* non procul abludit: conſpirat etiam *æger* ex αἰκίαις *plagis* ac *cruciamentis affectus.* Quæ etyma ſtent cadantve ciccum non interduim.

Speciatim in *podagra*, illa *pedum excoriatrice.* Et תחלאים *atrociſſima quæque morborum.*

XVI. Specialem notionem induit 2 Chron. 16: 11. *Et Aſa* ויחלא ברגליו *in pedibus ſuis fuit afflictatus.* Ubi deprehendere licet *nodoſam* illam *podagram*, quæ lentis ſævisque ictibus *tundit*, *terit*, *excoriat*, *excarnificat.* Locus perquam notabilis, quod ſcriptionem per *Aleph* ſiſtat, quæ in derivato תחלוא unice regnat, cujus ambitu tenetur *quicquid plagarum atrocius infeſtat, atteritque*; vel potius, *ipſe ille ſtatus corporis* omni dolorum acerbitate *attriti & carnificati.* Pſ. 103: 3. הרפא לכל תחלואיכי. Ad verbum, *qui conſuit*, reſarcit, *omnes excoriationes tuas.* רפא proprie eſt, *ſciſſum ruptumve ſarcire*, ut ſuo reddetur loco & ordine. Jer. 14: 18. תחלואי רעב *Excoriationes famis*, eodem illo ſermonis colore. Jer. 16: 4. ממותי תחלאים ימותו *Necibus Excoriationum enecabuntur;* ſolenni formula, pro *necibus omni carnificina atterentibus:* frigent *neces ægrotationum*, & ſimilia. In rem præſentem deducet 2 Chron. 21: 19. *Et occubuit Joramus Excoriationibus malis*, בתחלאים רעים. *Morbum* cogito *pedicularem*, & *viſcera* per putredinem & tabem *effuſa*, ut diſerte innuitur. Hinc ferme unam ſedem init cum מכות *plagis ſævioribus*, quas ſic comitatur, ut *ſciſſum*, *dereptam*, *decorticatam*, & *undique detritam cutim* oculis ingerat. Deut. 29: 22. *Cernent plagas terræ hujus, ejusque* תחלואים *Excoriationes*, אשר חלה *quas Excorianda inuret ei Dominus.* Recolatur in hiſce

Digitized by Google

omnibus Arabicum تعلي תחלי ex par. VI, & חלי אלאדים حلي الادنم *in cute ſecta*, *lacerata*, ac *corrupta*.

XVII. Hic vero omnem ſuperat dicendi nervum ac leporem, quod *Michæ* 6: 13. duo hæc affinia הכה & החלה unam in ſententiam illigantur & inluduntur. החליתי הכותך. Jacet, hiatque, *Infirmabo*, *te percutiendo*. Minus dextre adhuc *Coccejus*, ac ſi eſſet התחליתי / *fatigatus ſum percutiendo te*. Duplicata hic potentia, pro more, pollet *Hiphil*; neque decus Hebraiſmi aliam in linguam transfundi poteſt. Cuncta hæc duobus verbis expreſſa ſunt, *Faciam excorians percutere tui: plagas, quas tibi infligam, præſtabo atrociſſimas, & viſcera ipſa laniantes*.

Gravis & venuſta locutio *Michæ*.

XVIII. Ejusdem artificii eſt & ſplendoris, quod ſollicitos habuit Viros Doctos Eſai 53: 10. ויהוה חפץ דכאו החלי. Longa mora eſſet, quæ hic in medium prolata ſunt, perambulare. Si *Hiphil* ſimplicius ſumatur, haud alius exiſtere poterit ſenſus, quam qui jam a Celeb. Vitringa erutus fuit: *Et Jehova volens eum atterere*, *lethaliter afflixit*; ellipſi non adeo dura. Monet autem Magnus Commentator החליא fortius adhuc ſonare quam דכא *atterere*, & *lethiferam* apportare *infirmitatem*: ſolide. Et hæc illa *excorians carnificina*, quam toties inculcavimus. Sed rotundior exibit ſententia, ſi duplici tranſitione donetur החליא. *Et Jehova Volens*, *atterere ejus fecit excorians*. דכאו החלי graviter & venuſte, ſut החליתי הכותך penes *Micham*. In nervum ergo collecta ſic vibrat Oratio: *Attritionem ejus præſtitit multo atrociſſimam*, *& omni excoriatione deſævientem*. Atque hæc quidem triſtiſſima ſcena *Jehovæ volenti fuit ac cupienti*: adeo ut in Meſſia *afflictando* velut *lætari* videtur. Omnia hæc tribus verbis mirifico acumine intexta ſunt חפץ דכאו החלי. Cumulum ea imponunt ſeriei haſtenus deductæ per immenſam illam miſeriarum molem, qua Meſſias obruendus foret; atque hanc nobis poſtremo commovent cogitationem, tantis ictibus contritum atque contuſum eſſe innocentiſſimum hocce Caput, ut in eo ad noviſſimum usque gradum maledictionis deprimendo, quodammodo exultaret, ac triumpharet Divina ſeveritas: quod effatum cum ſana Theologia conjunctiſſimum prolixius evolvere non vacat.

Ejusdem indolis & venuſtatis aliud ex *Eſaia*.

XIX. Orationis idem hoc inſigne repono *Hoſeæ* Cap. 7: 5. יום מלכנו החלו שרים חמת מיין *Vulgatus* dedit: *Dies regis noſtri: cœperunt principes furere a vino*. LXX. pariliter: Ἡμέραι τῶν βασιλέων ὑμῶν, ἤρξαντο οἱ ἄρχοντες θυμοῦσθαι ἐξ οἴνου. *Arabs* & *Syrus* haud aliter: quin & *Chaldæus* huc ſe contulit, יומא דמניאו עליהון מלכהון שריאו רברביא למשתי עמיה חמר *Die quo impoſuerunt ſibi Regem ſuum*, *cœperunt magnates compotare cum eo vinum*. Acceperunt omnes pro הֵחֵלּוּ a rad. חלל / quæ lectio diluta eſt, & rejicula. Maſorethicam Scriptionem ſic declarat *Jarchius*, נעשו חולים מחום היין *Facti ſunt ægroti a calore vini*, quaſi voluiſſet *Hoſeas* החלו חמת היין. At durum eſt הֶחֱלָה intranſitive ſumere. *Kimchius* & *Aben-Ezra* חמת *utrem* interpreta-

Nec non ex *Hoſea* formulæ, vino *perouti*, *ſauciari*, *excoriari*.

tū

Digitized by Google

ti ſunt, ſententia hoc pacto ordinata. *Ægrotare fecerunt principes* Regem *utribus vino plenis*, ac ſi הֵמַת מִיַּיִן abruptius poſitum eſſet pro בחמת מלא יין. Hoc amplexi *Junius & Tremellius. Die Regis noſtri morbo afficientibus principibus utre vini.* Plurimi tamen חמת a חמה malunt. *Coccejus* cum *Belgis. Dies Regis noſtri!* quem *infirmant principes æſtu a vino.* Ineſt in omnibus aliquid, quod unguem offendat: החלו חמת מיין abſque ulla ellipſi efferendum eſt, ad exempla in medium propoſita; *Æſtum e vino faciunt excoriare.* Hoc eſt, *intemperantiſſime ſe in merum ingurgitant; perditum & profligatum in morem belluantur; adeo ut æſtu vini omnes ſaucii non tantum, verum etiam excoriati quaſi diſcedant.* Latinorum ſunt floſculi *mero ſaucius*, & *percuſſus tempora Bacchi*, apud *Lucretium*, & apud eundem.

Lacte mero mentes percuſſa novellas,

id eſt *inebriata* velut, *laſciva pecudum proles*, *paſcua perſultat.* Idem honos ſermonis Hebræi in הלומי יין Eſai. 28: 1. *percuſſi*, *ſauciati a vino*, ut jam vidit magnus interpres: & Eſai. 16: 8. *Vitis Sibmæa*, *cujus generoſæ propagines* הלמו *contuderunt*, *conſauciarunt*, *dominos gentium.* Hoc orationis colore haud contentus vates, *ſaucium vino*, ad majus dedecus, commutavit in *excoriatum vino:* egregie ludens, non tantum in *vena mero percuſſa*, ſed & in *plagis & vulneribus* quibus tandem inter ſe deſæviunt qui Bacchanal exercuecuerunt: nec non in *carnifice* illa & *excoriatrice podagra*, quæ percolando vino natos gurgites, pede haud claudo aſſequi ſolet.

Illuſtratur *Proverbiorum* locus.

XX. Lumen explicationi huic & firmamentum præbebit Prov. 23: 35. Ubi mimeſis inſtituitur helluonis vino ſomnoque ſepulti: הכוני בל חליתי *percuſſerunt me*, *nec fui excoriatus:* הלמוני *contuderunt me*, *neque ſenſi.* Refertur ad eos qui ſic mero obſtupuere, ut nec verberum meminerint, nec vulnerum, quæ madidis inflicta erant. Favet quod vſ. 28. prægreſſum fuerat: *penes quem væ? penes quem Eheu? penes quem quiritatus? penes quem vulnera gratuita? penes quem cruore ſuffuſi ſugillatique oculi?* חכלילות עינים. *Iis qui ſuper vino moras trahunt.* Haud adſpernor: neque tamen neceſſe eſt *Centaureas* ſuper mero *rixas*, & *diffracta capita* hic cogitare. Applicari poteſt ad *animæ & corporis vulnera*, tam magis atrocia, quam magis ſenſum fallunt, & ne diſcuſſa quidem crapula animadvertuntur. Huc vocat nexus cum vſ. 32. *Mordebit ut ſerpens noviſſimum ejus, & baſiliſci inſtar in putredinem & tabem dabit.* Quicquid ſit, חלה poſt vinum rite adhibebitur, tum *in eo qui plagis excoriatus inter manus auſertur*, tanquam e *Lapitharum* convivio: tum *in eo, qui animam & corpus ſuum ipſe continua temulentia conſauciat & contrucidat.* Utrumque artificioſiſſime complexus eſt *Hoſeas* in החלו חמת מיין.

מכה נחלה *plaga excoriando inuſta* illuſtratur.

XX. Proprietatem porro, quam verbo חלה vindicamus, ejusque cum הכה arctiſſimam ſocietatem ſubjicit quoque hoc *Nahumi* Cap. 3: 12. אין כהה לשברך נחלה מכתך. *Vulgatus* reddit, *Non eſt obſcura contritio tua*, *peſſima eſt*

Digitized by Google

eſt plaga tua. Vitreum acumen impendit in כהה *extingui* in metaphora, quaſi hic valeret *obſcurum eſſe.* Longius abit *Chaldæus* in priori membro, לית דכאב ליה על תבריך. *Non eſt qui doleat ſibi de fractione tua:* quod *Syrus* iisdem verbis expreſſit. LXX. felicius, οὐκ ἔστιν ἴασις τῇ συντριβῇ σου, ἐφλέγμανεν ἡ πληγή σου. Neque tamen כהה proprie id valet. Arabice كهي eſt *retundi, bebetari*, de *acie* præclare itaque & acute *Coccejus, Non eſt mitigatio fracturæ tuæ:* ad verbum, *bebetatio*, qua *retundatur acies.* Adjungitur נחלה מכתך/ non ſane, *ægra eſt plaga tua;* non, *infirmitate afficit*, addatur licet, *incurabili:* ſed pro natura conj. paſſivæ; *plaga tua lacerando & excoriando inuſta eſt.* Fallor, aut huc oculos intendit *Arabs*, احتدت ضربتك *plaga tua acutiſſima eſt;* domi ſcilicet habebat notionem *flagelli acris & viſcera ſecantis.*

XXII. Eadem conſtructio occurrit Jer. 10: 19. *Væ mihi ſuper* שברי *contritione mea;* נחלה מכתי. *Vulgatus* iterum, *peſſima eſt plaga mea.* LXX. ἀλγηρὰ ἡ πληγή. Noſtri, *Ægerrima eſt plaga: Cruciabilis: Infirmitate afficiens.* Nihil horum indolem conjug. *Niphal* refert, quæ exhibet *plagam multa cum excoriatione inflictam.* Sic Jer. 14: 17. & 30: 12. & נחלה abſolute Eſai. 17: 11.

XXIII. Plura hujus generis, longe lateque fuſa per omnes conjugationes, aggerere ſuperſedeo. Ex iis quæ jam in medium contuli, larga ſatis lux per cetera dimanabit. Uni tantum exemplo adhuc inſiſtam, ad derivati חלי potentiam enucleandam, quod nunc ad *morborum afflictationes*, nunc ad *plagas omni carnificina atterentes* ſe porrigit. Omnium inſtar eſto Eſai. 1: 5, 6. *Quare amplius percuteremini?* כל ראש לחלי וכל לבב דוי Vulgo. *Omne caput ægritudine affectum eſt; & omne cor languidum eſt.* Sentententiam languoris damnat vſ. ſeq. *A ſolo pedis ad verticem nulla integritas: ſed vulnus, tumex, & plaga ſanioſa.* En tibi חלי: cum quo copulatur דוי *intus pure ac ſanie pereſum*, quod alibi cura noſtra impertiemus.

חלי quid valeat *Eſai.* 1. & alibi.

XXIV. Prodeat nunc tandem ſolennis & pervenuſta illa formula חלה פנים *ſupplicationibus & obteſtationibus* dicata. Effloruit ea *a terenda facie*, quaſi dicas, *faciem alicujus ſupplicando, urgendoque, atterere: atque ad negandi adigere pudorem.* Placuit Latinis *perfricare os, frontemve*, in eo, qui *impudentius petit, fronte quaſi detrita, ac depoſita.* Hebræi ordine inverſo adſciverunt, *faciem alterius perfricare, tenerumve* ejus *os* acrius inſtando *deterere.* penes Arabes celebratur اخلق ديباجته, proprie, *Sericum ſuum attrivit:* intelligunt autem *genas teneras, & virtutis colore tinctas.* Eleganter *Haririus* Conſeſſu 37.

חלה פנים *terere faciem alicujus* unde originem ſumſerit.

واحرى من ان قذيت عينه
اغضي قذا جفنيه عن ناظريه ✿
ومن اذا اخلق ديباجه
لم يرى ان يخلق ديباجتيه ✿

Liber eſt, qui oculum feſtuca læſus,
Illam palpebrarum feſtucam aliorum conſpectui adimit
Et qui, ſericum ſuum ubi detriverit;
Non exiſtimat deterendas ſibi eſſe ſericeas genas.

Senſus eſt, *ingenuæ frontis honorem, pudoremque non atteri* ab homine libero, *etiamſi ad pannos ei res redierit:* neque unquam mendicabuli *perfrictam* ſumi *frontem.* Idem Conſ. 1. اروذ كريما اخلق له ديباجتي *Quærebam munificum aliquem, cui ſericeam meam cutim attererem:* id eſt, *cui perfricta fronte munuſculum extorquerem.* Recipit etiam lingua Arabica, ut *ſericeam frontem* alterius *attriviſſe* dicatur ille, *qui acrius petendo extorquet:* & *negandi incutit pudorem.* Exemplis tamen in præſenti deficior: adeoque tantum hic mihi accredi velim, quantum res ipſa, & inſitum locutioni lumen valere poterit. Ejuſdem ferme originis eſt, *obtundere aures:* nec abit *dextram precibus fatigare:* addo *genua* alterius *prebenſare*, quod alicubi per *genua terere* prolatum eſſe memoriæ obverſatur: quam formulam adjutat & commendat *Senecæ* illud Ep. 118. *Manum oſculis conterere.*

Alia adhuc origo examinanda proponitur.

XXV. Sed forte alio ex fonte derivanda erit locutio. Pertritum eſt Hebræis בקש פנים *quæſivit faciem*, pro *ſupplicavit*, *oranſque adiit.* Idem per דרש effertur. Id in ſtirpe valet *Terere*, درس Arabibus. Inde percrebuit pro *frequentare*, *frequenter adire.* Ad hunc modum חלה פנים *Terere faciem* alicujus, dici potuit pro *enixius quærere*, & *frequenti prece compellare.* In oriente *Faciem Regis adire* qua præſens, qua abſens libello ſupplici, dicitur ille, qui vota ac deſideria, ſua Regi exponit. Id ſi importunius fiat, *Terere faciem* adhibetur, prout *Conterere forum* apud *Senecam* ep. XIV. cum invidia quadam: & *vexare limina* potentiorum, apud *Juvenalem:* nec non *Alta terens Capitolia currus*, apud *Lucan.* IX. 79. in nimia triumphi frequentia.

חלי & חלה *monile*, & *omnis mundus muliebris*, apud Arabes.

XXVI. Non nihil ſcrupuli relinquere poſſet חלי/ ejuſque collectivum חליה/ quod *Vulgatus* alibi *monile*, alibi *margaritum* dedit: LXX. ὁρμίσκοι, καθόρμια. *Coccejus* declarat *omne ornamentum aureum corpori appenſum.* Plurale חלאים ſcribitur, pro חליים Cant. 7: 2. Veriverbium aperire nemo tentavit: neque ſane ullis fidiculis ex notione vulgari radicis elici poteſt. Binas radices nullo vinculo nexas conſtituunt Arabes, חלא/ حلا & חלי/ حلي. poſterior celebrat حلي *cheljon* pro *mundo muliebri*, & حلية *chiljaton*, aut *chuljaton*, pro *ornamentis gladii ad capulum & vaginam.* Ipſa autem valet *excolere mundo muliebri*, in conj. 1. nec non in 5. conj. התחלי تحلي *mundo & monilibus ornari.* In 2. conj. peculiariter, *capulum & vaginam enſis gemmis exornare.* Derivatum חליה حلية *chalyja*, & participium حالية eſt *mundo ſuo comta mulier.* Exemplum notabile edidit paragraphus VI. in proverbio, حلات حالية عن كوعها *Decorticavit pulcre comta cubitum ſuum:* luſu manifeſto in vicinitate

nitate literarum חלאת חאליה. Reperio etiam حلية *chilja* pro *fuco*, ſeu potius *nitore*, ac velut *mundo & ſupellectile elegantiore orationis* in Enchirid. Stud. p. 90. Et in *Hamaſa* meo, *viri nobiles* titulo donantur حلي الزمان הלי אלזמן / *Monilium* ſeu *Ornamentorum ſeculi.*

XXVII. Apparet uſus: ſed origo nondum comparet. Arabes, ut monui, ſecreverunt binas radices, neque de affinitate quicquam ſubolfecere. De etymo proinde otium & ſecuritas. Sed nobis tam otioſis eſſe haud licet, neque adeo lubet, quum notatio percommoda ad manum, ſit, a *terendo* ducta. Nempe *trivit* priſca memoria fuit etiam *polivit*; veſtigium notionis iſtius ſervat חליה حلية *Chilja*, juxta *Golium*, *externa forma deſcriptioque viri.* Arabes declarant per خلقة *lævigata facies*, *politura*, *filum corporis.* Ut autem خلقة fluxit a خلق *lævigavit*, *atterendo expolivit*, ſic حلية *exterior ſpecies*, & *politura* rei *oculos afficiens*, a *terendo* non nimis audacter derivabitur. Tenemus jam חלה *trivit* pro *polivit.* Inde חלי *monile: ornamentum aureum multa politura inſigne: mundus muliebris nitidus & politus.* Latinis ad verbum forent *polimina*, aut *polimenta:* prout *baltei polimina* dixit *Apulejus*, eo quod *bullis aureis inoculatus veluti ſtellis ſidereis reluceret.* Melius Hebræi, quam Latini, quibus *monile* a *monendo* ducere viſum fuit; tanquam *virtutis monimentum* atque *inſigne.* — Origo ejus a *terendo*, id eſt, *poliendo*, quaſi *polimine.*

XXVIII. Sic jam cape *Prov.* 25: 12. נזם זהב וחלי כתם *monile & polimentum aureum:* & *Hoſ.* 2: 13. vel 15. ותעד נזמה וחליתה. *Ornavitque ſe monili ſuo ac polimento: comptu & mundo ſuo univerſo.* Sed *Cant.* 7: 2. latet aliquid interioris elegantiæ. חמוקי *Ambitus femorum tuorum* חלאים מעשה ידי אמן *velut monilia*, *opus manuum artificis.* Alii malunt *juncturæ*, vel *vertebræ femorum ſunt velut catenulæ* &c. Similitudo eſt intricatior, ad quam expediendam feliciter alluxit חליה حلية / peculiari uſu ab Arabibus poſitum in *cultu gladiorum ad capulum ac vaginam;* ubi multiplici gemmarum ſerie diſtingui ſolent, more vetuſto Orientis. Illos *pretioſorum lapidum ordines*, ac *ſuggeſtus artificioſe ſtructos* conjicio חמוקים appellitatos fuiſſe, quos pulcre ad *femora* bene *tornata*, omnique decore ſe commendantia, transtulit Salomon, ad eorum *tornatilem*, ut ſic dicam, *raſilemque* pulcritudinem expingendam. Comparationem paucis verbis illigatam, ſic liberius & ſolutius evolvo, *Femorum tornatiles illæ raſileſque circumcæſuræ, referunt gemmarum artificioſiſſime contextas ſeries, quibus vaginæ regales circumfulgent.* — Uſus ſingularis in *vaginarum ornamentis regalibus*, ad *Cant.* 7: 2.

CAPUT DECIMUM.

Radicis רגע indolem vetuſtate deletam eſſe oſtenditur ex interpretum diſſenſione. Ejus ingenium eruitur, ſitum in *tremere*, *vibrare*, *circumtremere.* Verbi iſtius ſuaves métaphoræ apud Arabes. *Circumtremuit fulmen*, pro *continuata ſerie micuit. Circumtremuerunt opes*, pro *ſplendide abundarunt. Circumtremuit alveus* fluminis, pro *plenus fuit.* Et *circumtremere fecit* eum Deus, pro *reddidit opulentum*, & *ſplendide copioſum.* רגע ergo, *vibravit*, *circumtremuit*, *tremulo motu micuit lumen*, *fulmen* &c. proprie. porro, *tremulum vibravit oculus*, unde רגע *monumentum*, *vibramen*, *motus oculi.* alio reſpectu, *emicuit*, *fulminis inſtar*, *curſu.* Alio item, *vibravit*, *fulminavit gladius.* Potiſſimum *vibravit*, & *tremulo motu circumſplenduit fortuna*, *conditio opes.* Locutio inſignis, *ire ad circumtremere ſuum:* pro *in ſumma affluentia & opulentia.* Tandem *vibrare terram*, pro *concutere. Vibrare mare* ſimiliter. Unde Jobus illuſtratus.

I.

Verbum רגע ad incudem revocatur.

Reconditæ non minus, quam elegantis, notæ eſt verbum רגע, metaphoris dives, quæ ex abdita quadam vena emanarunt, & genium orientis mirifice redolent. Has defectu idonei luminis infuſcatas partim, partim deletas, ſuo nitori reſtituet hoc Caput: radicisque florentiſſimæ controverſam & diſſenſioni obnoxiam poteſtatem definiet.

Quid Rabbini de eo ſtatuerint.

II. Juxta Rabbinos פארותיו שליש *tribus* ſignificationum *ramis* ſe diffundit רגע. Prima claſſis continet, מה שפירושו זמן מעט *quod per breve temporis ſpatium exponi debet.* Secunda, מה שפירושו השקט ומנוחה *quod declarari debet per tranquillitatem & quietem.* Tertia, מה שפירושו בקוע או מחץ *quod interpretandum eſt per findere aut ictu perrumpere.* Sic R. *Nathan*, *Kimchi*, ceterique magiſtri. Auctoritatem horum plurimi e noſtris ſecuti ſunt. Hinc apud *Buxtorfium* רגע *diſrupit*, *diſruptus*, *fiſſus fuit*, in *Kal.* In *Niphal* נרגע *quietum eſſe.* In *Hiphil* הרגיע *quievit*, *quietum reddidit:* nec non ארגיע *quieſcam momentum*, *momentum tranſigam.* רגע *momentum*, quaſi *temporis minutiſſimum fragmentum.*

III. *Coc-*

Digitized by Google

Coccejii ſententia.

III. *Coccejus* illam *findendi* Rabbinicam ſepoſuit, & eliminatum ivit, in locum ejus inducta ſignificatione *movendi*. Impulit eum aurula, ex derivato רגע *momentum* adſpirans: partemque veri ſolita ſibi ſagacitate odoratus eſt. Tenuius tamen & languidius eſt *movendi* vocabulum, quam ut reſpondeat gravitati & ponderi eorum locorum, ubi Rabbini arripuerant ſuum *findere*, Eſai. 61: 15. רגע הים *qui movet mare*, *ut ſtrepant fluctus ejus*, & alibi; ubi mire torpebit רגע, ſi nihil ultra *motum* ſinu ſuo complectatur. Haud reſpondet etiam palato meo נרגע notione *quieſcendi* auctum, juxta magnum Lexicographum, quod *minimum motus ſit quies*. Originatio contortula eſt, & *quieſcendi* idea, inopia melioris lucis retenta fuit.

Guſſetii opinatio.

IV. In *quieſcendi* tamen per errorem aſſumta illa *poteſtate*, ſi Clar. *Guſſetio* fidem noſtram dedere velimus, unice erit acquieſcendum: atque juxta eum רגע הים Eſai 51: 15. valet, *Tranquillans mare*; neve *fluctus* illi *frementes*, qui ſtatim ſubjiciuntur, quemquam turbent, retrahantque, ויהמו גליו *& ſtrepunt undæ ejus*, vertendum decernit, *etiamſi ſtrepant undæ ejus*. Sic locum jam expoſuerunt etiam *Aben-Ezra*, & *Abarbanel*; ſed infeliciter, & ſerie rerum reclamante, ut ſtatim videbimus. De cetero, *quieſcendi* ſignificationem haud aptam natam eſſe, ad ſententiam ubivis explendam, non eſt quod operoſius nunc diſputem, quippe quod, procedente opera noſtra, ſua ſponte in omnium oculos incurret: atque etiam, inſpecto Viri Doctiſſimi Commentario manu prehendi & teneri poſſit.

Avenarii conjectura.

V. Longe diverſum iter tendit *Avenarius*, notionum varietatem & inconſtantiam in unam ſedem redigere anniſus. Edit ille רגע per, *ſubitarius fuit*, *ſubito motus eſt*, *momentaneus fuit*, *ad momentum oculi concitatus eſt*: proprie, *ſubito moveri*, ſeu *excitari ad actionem aliquam*. Addit cognationem habere cum ערג *appetiit*: & Græcorum ὀργάω *impetuoſe & ſubito feror* hinc ductum eſſe. Hoc fundamento *Jobi* 7: 5. עורי רגע וימאס convertit *cutis mea ſubitanea fuit & repudiata eſt*. Et *Jeſ.* 51: 15. רגע הים *concitans mare*. Et *Jer.* 47: 6. הרגעי ודמי *citater & quieſcito*, pro *cito & ſubito quieſce*. Item *Jer.* 31: 2. להרגיעו *ad faciendum ſe ſubitaneum*: atque ita porro in ceteris; quorum mentionem infra commodius ſubſeremus.

Ingenium radicis apud Arabes.

VI. Laboranti radici ſuccurrat nunc Arabicum רעג رعج, per leviculam metatheſin ab Hebræis transſumtum. *Zjauharius* الارتعاج الارتعاد ورعج البرق وارعج اذا تتابع لمعانه قال العجاج

سحا اهاضيب وبرقا مرعجا ☼

ابن السكيت يقال للرجل اذا كثر ماله وعدده قد ارتعج ماله وارتعج عدده وارتعج الولدي امتلا Hoc eſt. *Radix in octava conj. valet tremulo motu agitari; de fulmine autem* רעג אלברק *in prima*, & ארעג *in quarta*, *quum continuata ſerie coruſcat: Sic uſus eſt El-Asjſiasj.*

Imbrem largifluum & fulmen perpetim coruſcans.

Auctoritate autem Ibn El-Siccyth dicitur de viro opibus, & apparatu omni, affluente, ארתעג מאלה *opes ejus circumtremuerunt: &* ארתעג ערדה *Apparatus, ſupellex, copia ejus circumtremuit, pro abundavit; nam & alveus fluvii* ארתעג *circumtremit, quum plenus eſt.* Hinc digeres, quæ Golius confuſe & permiſte diſperſit ſub رعج. *Multæ fuerunt opes. inquietavit. coruſcavit fulmen. Repletus fuit* alveus. *tremuit. agitatus fuit.* Cuncta *tremulum* & *coruſcum motum* radici vindicant; ejusque originem in *vibrando* ſitam eſſe liquido evincunt. *Vibrat* enim *alveus*, quum *plenus* eſt. *Vibrat fulmen*, quum *micat*: &, quod multo ſuaviſſimum, *vibrant opes*, quum pleno velut alveo *abundant*.

Major adhuc lux ex *Camuſo.*

VII. *Phiruzabadius* quoque ſymbolam ſuam conferat. رعج ماله كثر وعج ارتعج البرق تتابع لمعانه والله فلانا جعله موسرا اتلق كارعج والمال كثر والوادي امتلا ارتعد وارتعج فارعج רעג *in opibus abundantiam ſignificat: alias tremiſcere, concuti, ut &* ארעג: *de fulmine autem, continua ſerie coruſcavit: &* ארעג אלה פלני *fecit illum divitem ac copioſum Deus. In octavo* ארתעג *idem eſt quod* ארתעד *tremiſcere; in opibus, abundare. In alveo, plenum eſſe.* Toto cœlo erravit *Giggejus* in جعله موسرا, quod vertit, *Eum vinctum & captivum voluit Deus*: quaſi eſſet ab اسر, quum ſit a يسر *copioſum & beatum eſſe:* in quo mirum eſt eum offendere potuiſſe, qui in prima *opum affluentiam* jam ob oculos habuerat.

Potentia verbi definitur.

VIII. Ecce jam tibi רגע/ *tremulo motu coruſcum*, & *vibrans*. Aſſenſum non denegabunt, qui ex *Coccejo movere* hauſerunt; quamvis id minus efficax, & male fidum, hæſitanter teneant. Sic ingenue profeſſus eſt in literis hiſce, ut in omni doctrina, conſummatiſſimus, *Camp. Vitringa* in Comm. ad *Eſai.* 51: 15. *Vocabulo* רגע *commodiſſime hic tribui video ſignificatum commovendi, ut idem fere valeat quod* רגז & רגש/ *etſi ipſam hanc ſignificationem validius aſſertam vellem.* Aſſerui; & quidem ſic, ut pro *commotione*, radici huic adſtruxerim *vibrandi* potentiam, *gravi tremore* ſemet exerentem, & ſimul *coruſcum* complectentem.

רגע *momentum* proprie *vibramen.*

IX. Ad lumen hoc, ſignificationum diverſas claſſes perluſtremus, & quanta poſſint polleantque venuſtate, demonſtratum demus. רגע *momentum* paſſim ſonat. Latinis id placuit, quaſi *movimentum*, qua *lancis*, qua *oculi*. At Hebræi non *momen* voluere, ſed *vibramen*; metaphora deſumta ab *oculo nictante*, & *tremulo motu vibrante*. Anſam hic porrexit رعج البرق in *fulgure* adhibitum רגע/ *continenti ſerie coruſcavit*. Id veteribus etiam fuit *Nictare:* unde Lucr. 6. 181.

Quæ faciunt nictantia fulgura flammam.

Inde

Digitized by Google

Inde *nictare*, *adnictare*, *abnictare* de *oculi nictu*, & *tremulo ac coruſco motu*, vel *adnuente*, vel *abnuente*. Eandem metaphoram frequentant Arabes ſub omnibus verbis *fulminandi*, quæ ad *oculorum percelerem & vibrantem motum* traducunt. Sic ومض in *fulmine & oculo*, eſt *micuit*. Item برق, quod eſt Hebræorum ברק / apud *Golium* præfert, in *gladio*, *fulſit*; in *cælo*, *fulguravit*; in *oculo*, *micuit defixus*; acriore ſcilicet & flammato intuitu. plura alibi dabo. Ad hoc exemplum רגע *vibravit fulmen*; item *vibravit oculus*. Inde רגע *momen*, *vibramen*, *nictus oculi*, *tenuiſſimum temporis punctum*.

X. Quæ hic illuſtranda nunc forent loca, ſepono ad momentum, ut quan- רגע in
tocyus *vibrandi* proprietate hac nubeculam diſcutiam, quæ hactenus ſplendi- *lumine* ad-
diſſimam *Eſaiæ* orationem fuſcavit, Cap. 51: 4. *Lex a me prodibit*, ומשפטי -hibitum,
לאור עמים ארגיע. *Vulgatus. Et judicium meum in lucem gentium requieſcet.* *vibravit.*
Legit ירגיע. LXX, forte quod incommodius ſentirent, ſi *requieſcendi* adhæreſcerent notioni, tanquam ſupervacuum, ſcilicet, omiſere. Καὶ ἡ κρίσις μου εἰς φῶς ἐθνῶν. Traxerunt *Syrum & Arabem*. Noſtri ferme, poſt Rabbinos; *jus meum in lucem populorum faciam requieſcere.* Explicant de fixa & ſtabili ſede. Maluit tamen *Coccejus* ex hypotheſi ſua, *movebo*, *promovebo*, ubi tenue illud & dilutum cernis, quod ipſius conjecturæ obduxi. Apud *Aben-Ezram* non nemo: *producam momento.* ſimiliter *Avenarius. Subito proferam.* Cl. *De Dieu* a *findere* illo magiſtrorum; *Rumpere faciam* ſeu *Erumpere.* Nunquam in haſce anguſtias fuiſſet deventum, ſi *vibrare* noſtrum in promtu fuiſſet; quod hic nativam faciem oſtentat. *Judicium meum in lumen gentium faciam vibrare: coruſci inſtar jubaris emicare.* Vides Euangelii *radios* & *auroram*; ut ſæpe alibi. Sed fortius aliquid hic reſidet, & imaginem *Fulminis* ingerit ארגיע / cum cujus coruſco lumine, potentia, & incredibili rapiditate, exortus procurſusque Novæ Legis comparatur.

XI. Gaudeat etiam luce hac *Jeremias* Cap. 49: 19. & 50: 44. ubi *Leo* רגע in
vaſtator inducitur, a Deo immittendus in נוה איתן *perennitatis ipſius ſedem:* curſu *ful-*
quod ſic exprimitur. כי ארגיעה אריצנו מעליה. ſunt qui ארגיעה nomen eſſe *mineo im-*
putant, ſunt qui verbum; cogitant autem fere de *momento*, & *curſu celeri* ac *petu ferri*,
necopinato: ut ſenſus ſit, *momento faciam currere eum.* Id ſi placeat, cauſæ *vibrari.*
noſtræ nihil deceſſerit. Sed aliud hic continetur multo floridius uberiusque. Vidit id Cl. *De Dieu*, ſed male fido fundamento ſuperſtruxit: *Rumpere eum faciam & procurrere*; ut vaſtus impetus deſignetur, quo e latibulo *erumperet.* Refingatur: *Evibrare eum faciam & procurrere*, *e Jordanis illo celſo cubuli.* Verba *coruſcare*, *vibrare*, *micare* &c., uſum ſuum explicant ad *curſum rapidum*, *& fulminis inſtar latum.* Sed preſſius hic *fulmini* eſt inſiſtendum. ארגיעה אריצנו Hebraiſmus eſt ſolennis, quo duo verba connectuntur ſic, ut poſterius rem, prius rei naturam declaret. Ad verbum ſonaret; *Fulminare faciam*, *currere faciam eum:* id eſt, *fulminis ritu eum immittam.* Ecquid *fulmineum* agnoſcis *curſum* Leonis? quem tigridi attribuit *Sil. Ital.* 12. 461. Ecquid ipſum *fulmineum leonem?* uti eſt apud *Sen. Agam.* 830. Ludunt paſſim in talibus grandioris cothurni ſcriptores; quorum ſunt, *Fulminei rictus*; *Os Fulmineum*;

Digitized by Google

neum; Fulmineus dens; Fulmineus impetus. Ad rem quoque facit *Claudiani* illud,

> *Fulmineum perſtrinxit iter.* —— —— ——

Et ſi luculentiorem vis ſcenam, in hanc *apri fulminei* imaginem oculos converte, *Ovid.* Metam. 8. 284. vivis coloribus pictam.

> *Sanguine & igne micant oculi, riget horrida cervix;*
> *Et ſetæ denſis ſimiles haſtilibus horrent:*
> *Fervida cum rauco latos ſtridore per artus*
> *Spuma fluit; dentes æquantur dentibus Indis:*
> *Fulmen ab ore venit; frondes afflatibus ardent.*

Ne audiri quidem merentur qui poſt *Kimchium* ארגיעה *quieſcere faciam* expoſuerunt, hoc ſenſu: *Quieſcere faciam* Iſraëlem, *& currere faciam eum ab illa*, pro *celeriter* meos ex Idumæorum manu *expediam:* quod interpretamentum etſi nihil habeat momenti, adducendum tamen duxi, ut pateſcat, quam impuræ ſæpe aquæ tum propinentur, tum abſorbeantur, ubi oblimati longa vetuſtate radicum fontes non ſatis fuerint deterſi, atque a fœce alienarum notionum expurgati.

Fulminare in bellis protritum. XII. Ceterum *Fulmineus* ille *Leo* repræſentat *victorem* gentium, ac *domitorem.* Protritum eſt in bello *fulminis* emblema. Nota etiam *duo Fulmina belli, Scipiadæ.* Virg.

> —— —— *Cæſar dum magnus ad altum*
> *Fulminat Euphratem bello* —— ——

Eumen. *perculſa Maurorum agmina fulminans* Sil. Ital. 5. 275.

> *Intonuere minæ, violentaque lumina flammis*
> *Exarſere novis, furit & diffulminat omnem*
> *Obſtantum turbam* —— —— ——

Gladius diffulminans apud Jeremiam. XIII. Huc pertinet alius *Jeremiæ* locus, nobili figura mactandus: Cap. 47: 6. *Heus gladie Domini, quo usque non quieſcis? recolligitor in vaginam tuam,* הרגעי ודמי *Hieron.* ſatis audacter, *Refrigerare & ſile.* Alexandrinorum ἀνά-παυσαι ſic expreſſit, ut nova adauxerit metaphora. *Chaldæus* לבית זמנא תנוחין *in domo temporis quieſce:* ſic in *Polyglottis* editur בית זמנא nullo ſenſu: ſignificari putem locutione rara & obſcura *juſtum temporis articulum*, vel etiam *punctum temporis:* certe reſpexit Paraphraſtes ad רגע *momentum.* Similiter *Avenarius*, ut ſupra vidimus; *citator quieſcito*, pro *cito ſubitoque quieſcas.* Verum illud ipſum *cito* ſententiam impedit tardatque. Plurimi הרגעי *quieſcito* dederunt, & דמי *ſileto:* ſed nec רגע talem continet *quietem*, quæ gladio cædibus laſſo tribui poſſit; nec ſi poſſideret, conjug. *Niphal* commoda ſatis eſſet.

Digitized by Google

eſſet. Nativam ſedem verbi hujus fiximus in *fulminis coruſcatione:* jam nihil communius, quam ut gladio, haſtæ, telo, mucroni *fulmen* detur, ſeu *acies fulminans:* inducto itaque in ſcenam *gladio Jehovæ*, longe lateque, ictu fulmineo potentius, ſtrages edente, הרגעי peropportune ſubjungetur, notione *diffulminandi. Heus gladie, usque quo non conſidis?* (שקט id proprie valet) *Recipe te in vaginam: diffulmina & ſileſce.* Clauſula eſt gravis, elegans, & indignationem expingens eorum, in quos fulminator Dei gladius deſæviebat; quod ſine modo ac modeſtia graſſari videretur: increpant itaque mucronem hunc, &, *Heus gladie*, inquiunt, *diffulmina & conſileſce:* Hoc eſt, *fulmina, cæde, ſterne, obtere* pro libidine, *ſæviſſimasque ſtrages ede; ſed tamen finis eſto: ne infinitum ſit illud fulmen tuum: tandem aliquando poſt longa ſatis fulmina conſileſcito.*

XIV. Explicationem hanc ut muniam, demonſtrabo porro *quietis* poteſtatem, quam alicubi præferre videtur רגע/ non talem eſſe, quæ *gladio in vaginam recondito aptari* queat. Eſai. 34: 14. שם הרגיעה לילית ומצאה לה מנוח Finge te penitus adhuc ignorare radicis noſtræ indolem; quovis pignore poſito contendes הרגיע eſſe *requieſcere.* Nil mirum itaque, ſi LXX. dederint *ἀναπαύειν. Hieron. Cubare.* Noſtri; *Requieſcet ibi ſtrix, & inveniet ſibi quietem* הרגיע junctum cum מנוח vix dubitationis umbram relinquebat. *Avenarius* tamen, *Quin & ſubitanea fuit ibi ſtrix*, &c. Vitrea facta. Nos *quietis* vel expuncta, vel mirificis modis amplificata ſignificatione; hanc damus ſententiam. *Ibi deliciis circumfluet ſtrix: invenietque ſibi requietem.* Limpida oratio, nihil trahens quod tollere velis: *Requieſcere alicubi ac quietem invenire*, etiamſi diverſæ ſint radices, aures onerat. Accuratius adhuc, & verbum e verbo. *Ibi circumtremet ſtrix; invenietque ſibi requietem.* Figura eſt abſtruſa non minus, quam venuſta, ad quam nec mea, nec cujusquam acies penetraſſet, niſi radiolus ex Arabia luxiſſet, quo inſinuatum fuit, *circumtremere* dici *opulentiam* alicujus, quæ *pleno* velut *alveo fluit & exuberat:* & *fecit eum circumtremere Deus*, ارعجه الله, adhiberi pro جعله موسرا *fecit eum opulentum, copioſum, ſumma rerum ubertate affluentem:* quæ paragr. VI. & VII. videri poſſunt.

Vibrare, circumtremere, pro *omni opulentia circumfluere.*

XV. Nobiliſſima tralatio, eximiæ aliquid majeſtatis vibrans, digna eſt, quæ uberiore lumine perfundatur. *Tremulum & coruſcum*, non tantum *fulmini* datur, verum etiam *flumini*, & *aquis ſplendore* quodam, & *fluctu irrequieto circumtrementibus.* Utique *tremor*, ex Latinorum etiam uſu, ad *ſplendorem tremulum* jucundiſſime transfertur. *Stat. Theb.* 2. 532.

Figura illa majore luce afficitur ex elegantis verbi *tremere.*

Flammeus æratis lunæ tremor errat in armis.

Idem *Theb.* 4. 129.

— — Capiti tremit ærea caſſis.
Ter nivea ſcandente juba. — —

S *Sil.*

Sil. Ital. 7. 720.

Ferrumque ſuper cervice tremiſcens.

Id eſt *reſplendens*, *tremulis ſplendoribus feriens* uti alicubi *Claudianus.* Iterum *Stat. Theb.* 1. 353.

Nec non abrupta tremiſcunt
Fulgura, & *attritus ſubita face rumpitur æther.*

Similiter Lucr. 5. 696. *ſoli* tribuit *Tremulum jubar:* & L. 6. 172. in *coruſcationibus* deſcribendis hoſce miſcet vividos ac jucundos colores.

—— —— *Volucri loca lumine tingunt*
Nubes, & *tremulo tempeſtas impete fulget.*

Inprimis admirabile eſt, & magnificum, quod L. 1. 1088. dixit

—— —— *Totum circumtremere æthera ſignis.*

Vibrantes illos, & *tremulo fulgore micantes* ſtellarum *ignes*, quibus cœlum circumlucet, oculis quodammodo tradens uſurpandos. Imitatus eſt *Claud.* 2. Stil. 276.

—— —— *Tremit orbe coruſco*
Jam domus, & *ſummæ tergunt laquearia criſtæ.*

Id eſt, *tremulo fulgore relucet.* Loquitur de clypeo, cujus radiis univerſa domus circumfulgebat: & de quo proxime præceſſerat vſ. 214.

—— —— *Eridanus clypei jam fulgurat umbra.*

Ubi etiam *tremit*, *circumtremit* rite poſueris; nam & *locus* dicitur *tremere*, quem *tremulus ſplendor* alludit ac pererrat; & ipſa illa *imago* aut *umbra*, *tremulo vibramine* relucens ac *circumerrans. Val. Flacc.* L. 5. 109.

Magnæ pelago tremit umbra Sinopes.

Aliud non minus beatæ venæ apud Eundem extat L. 1. 427.

—— —— *Tremit ignea fuco*
Purpura —— —— ——

Migrarunt etiam ad *oculos tremulum vibrantes. Stat. Theb.* 2. 509.

—— *Vi-*

—— —— *Viſuque trementi*
Conluſtrat campos.

Ubi cave *pavorem* cogites; innuitur *acies fulminis in morem vibrans*, qua importuna illa & funeſta ſphinx, in cujus effigie ducenda occupatus eſt poëta, novam identidem prædam inhiabat, acutius quam

Aut aquila, aut Serpens Epidaurius.

Clarius, adhuc *Val. Fl.* 2. 500. cujus Sigeæ peſti, ſeu monſtro marino

—— —— *Stellantia glauca*
Lumina nube tremunt.

Hoc eſt, *oculorum orbes vaſti dirum in modum micant, fulminantque.*

XVI. Ex omnibus hiſce cogo tandem efficioque *tremere*, & *circumtremere*, etiam ex Latii genio, opportunam tenere ſedem in *aquis*, *tremulo ſplendore relucentibus*. Dubitationem omnem eximet *Sil. Ital.* 12. 731. Quod pro *tremulum lucere*, & *circumfulgere* ponitur. nec non pro *fluctuare.*

Redditur extemplo flagrantior æthere lampas:
Et tremula infuſo reſplendent cærula Phœbe.

Soluta oratione dicere potuiſſet, *& mare, infuſo ſolis ſplendore, circumtremit.* Deprehendo etiam *tremere* pro *fluctuare*, *undas criſpare*, & *tremulo motu vibrari.* Sic uſus *Lucan.* L. 5. 445.

—— —— *Pontusque vetuſtas,*
Oblitus ſervare vices, non commeat æſtu;
Non horrore tremit: non ſolis imagine vibrat.

Deſcribit graphice *jacentis aquæ ſtagna*, *mœſto profundo tam ignava*, *tam altoque torpore ligata*, ut *nec æſtuum* ſecretos *acceſſus receſſusque* unquam ſenſerint, *nec fluctu* vel minimo *inhorruerint*, ac ne *ſolis* quidem *tremulum ſplendorem* recipere ac *reddere* poſſint. Eo ſpectat membrum; *non ſolis imagine vibrat.* Medium illud, *Non horrore tremit*, pertinet *ad undas* & *fluctus* quibus *mare inhorreſcit*, ubi venti increbuere: indeque colligo *tremere*, *tremiſcere*, *intremiſcere*, in eandem metaphoram exire cum *inhorreſcere*, quando *de mari fluctibus agitato* adhibetur. Id *Apulejus* vocat *in undam vibrari.* Ex eodem enotavi *vibrantes fluctus.* & *laciniam vibrantem*, quam *fluctuantem* appellare potuiſſet: quo ſenſu *Ovid. Metam.* 1. 528.

—— —— *Vibrabant flamina veſtes.*

In morem puta *nudarum.* Hinc & illud *Apul. Membra leniter illubricans, lumbis*

bis ſenſim vibrantibus undabat. Nec non, *vibrare labia*, quod alibi extulit, *labiis undantibus affectare.*

Vibrare tremulum liquorem apud Silium.

XVII. Apparet *vibrare* pro *fluctuare*: eodemque ſignificatu mactari poſſe, atque adeo mactatum eſſe a *Lucano* noſtrum *Tremere*, Accedat *Silii Italici* auctoritas, qui *tremulum liquorem vibrare* dixit, cujus pulcherrima tabella, non parum lucis adfundens noſtræ materiæ, huc tranſcribatur ex Lib. 13. 24.

Sic ubi perrupit ſtagnantem calculus undam,
Exiguos format per prima volumina gyros;
Mox, TREMULUM VIBRANS *motu gliſcente* LIQUOREM,
Multiplicat crebros ſinuati gurgitis orbes:
Donec poſtremo laxatis circulus oris
Contingat geminas, patulo curvamine, ripas.

Oculis ſubjectam vides imaginem verbi רגע *circumtremuit*, *tremulo liquore vibravit flumen*, & *alveus aquarum*, id eſt, *plenus fuit*, *abundavit: tremulis undis circumfluxit*, *præ aquarum multitudine.* Hinc nova floruit tralatio, in quam omnes undique gratiæ & veneres confluxere, qua *fortunæ*, *opesque* alicujus *circumtremunt*, quum *pleno* velut *alveo undant*, & *tremulos fluctus cient:* ubi jam *fluctuanti* huic & *undanti copiæ* bonarum rerum intexendus eſt, & illudendus, *coruſcus* ille *ſplendor*, quem *tremori* ſubeſſe vidimus; oculos feriens *divitiarum fulgore*, omnisque *opulentiæ* admirabili *paratu* ac *pompa.* Cuncta hæc gremio ſuo amplectitur הרגיע/ ad *fortunarum conditionem* traductum, & vel tranſitive ſonat, *circumtremere fecit* Deus, pro *omni opulentia*, *affluentia*, & *rerum ſplendore donavit*, quod ex *Camuſo* produximus: vel intranſitive, *circumtremuit*, *divitiis opibusque ſplendide circumfluxit.*

Magnifica *Eſaiæ* figura explanatur.

XVIII. Inſigni hoc ornamento orationem ſuam expolivit quoque *Eſaias* Cap. 66: 11. *Ut ſugatis*, *& ſatiemini ex ubere conſolationum ejus: & leni ſorbitione delicias trahatis ex tremulo ſplendore gloriæ ejus.* In Hebræo eſt, תמצו והתענגתם מזיז כבודה. Verbum מצץ quod *exprimere* declarant, nec alibi occurrit, ex Arabum uſu valet *lentius ſorbere*, aut *ſugendo bibere. Gloria* כבוד *βάρος*, elegantiſſime ponitur in *opulentia gravi*, ut ſic dicam, & *ſub mole ſua laboranti:* in *divitiis immenſis.* Hiſce attribuitur זיז *ſplendor radians ac vibrans*, a radice זוז cui ineſt *motitandi*, *vibrandique* potentia: de quo alias luculentius. Jam vero hunc *divitiarum tremulum & vibrantem fulgorem* revocandum eſſe ad figuram illam altam & nobilem, quam tantum quod illuſtratam dedimus, color univerſus orationis evincit, qui accumulatis *ſugendi*, *ſorbillandi* & *delicatius hauriendi* vocabulis, *potandam* hanc præbet *affluentiam* & *ſplendide circumtrementem ubertatem.* Nollem ſummo *Coceejo* hic excidiſſet; *ut exprimatis & deliciemini ab animalibus gloriæ ejus;* quantumvis myſtica interpretatione emolliatur. Sonat quidem זיז שדי *animalia agri*, Pſ. 50: 11. 80: 14. ſed Poëtica eſt locutio, ad verbum, *quod in agro micat*, *emicat*, *exultat; & ſemet rapido curſu evibrat:* unde *tremuli ſplendoris* ſignificatio majorem in modum fulcitur. Eam tamen expunxit quoque Celeb. *Vitringa* conjectans

ſub-

Digitized by Google

ſubſtantiam fluidam & *vitalem* quæ eſt *in* matrum *uberibus* hac voce indicari: cujus & acumen, magno Viri merito, veneramur; & ſententiam præponderare, ſi poſſit, non inviti patiemur.

XIX. Ceterum ut ad *circumtremere* gradum referamus; eadem figura auctum reperio ab Arabibus verbum ماج *Fluctuare. Undare.* Inde derivantur locutiones, *fluctuavit alveus*, *undavit patella*, ejusdemque generis complures, quæ *plenitudinem* & *abundantiam* deſignant: ſed non enotarunt principes illi Lexicographi, quorum ope niti ſolemus, metaphoram *fluctuandi* in *opulentia* & *prædivite* bonarum rerum *copia*; quod cum in finem hic ſubmoneo, ne quis in animum inducat ſuum, ultra fines a *Zjaubario* & *Phiruzabadio* deſcriptos, ditionem linguæ Arabicæ non propagari; quum exploratum habeam eos ne dimidiam quidem partem, utique quod ad figuras & ornamenta eloquentiæ, diligentia ſua conſequi, & complecti valuiſſe. Sed hoc alias, loco commodiore: nunc quod inſtat. ماج itaque *fluctuavit*, ſeu ut a *Golio* evolvitur, *fluctibus commotum fuit*, & *undas jactavit* mare, ad *fortunas copioſas* & *circumtrementes* uſum ſuum diffundit, apud *Haririum Conſeſſu* 30. cujus verſiculos, Muſæo lepore continctos, in Philarabum gratiam hic apponam.

Undare; *fluctuare* pro *opulentia affluere*, alio in verbo.

مسقط الراس سروج بها كنت اموج ☼
بلدة يوخذ فيها كل شي وبروج ☼
وردها من سلسبيل وصحاريها مروج ☼
وبنوها ومغانيها نجوم وبروج ☼
حبذا نفحة رياها ومراها البهيج ☼
وازاهير رياها حين تنجاب الثلوج ☼
من راها قال مرسي جنة الدنيا سروج ☼

Natale mihi ſolum Serusj, in eaque ego undabam:
Civitas in qua omnium rerum percalet forum.
Lympha ejus Paradiſiaca: deſerta ejus, meræ ſunt prata.
Incolæ ejus & domicilia, ſidera ſunt & ſiderum arces.
Beat vel aurula odoris ejus, lætusque ejus adſpectus;
Floresque collium ejus, ubi diſcuſſæ fuerint nives.
Hanc qui viderit, dixerit, ſedes Paradiſi mundani Serusj.

Ad figuræ hujus ſublimitatem non pertinuit *Scholiaſtis* acies, quum اموج *fluctuabam*, *undabam* declarat اتحرك *verſabar:* propius اتصرف *libera omnium rerum poteſtate gaudebam*, quamvis originem locutionis linquat intactam.

XX. Planiſſime hoc voluit *Eſaias* in ſuo הרגיע: neque aliud intendit *Jeremias* Cap. 31: 2. הלוך להרגיעו ישראל *Vulgatus*, *Vadet ad requiem ſuam Iſraël.*

Ivit ad circumtremere ſuum

Inſignis gemmula apud *Jeremiam.*

Iſraël. LXX. *βαδίσατε καὶ μὴ ὀλέσητε τὸν Ἰσραήλ.* quaſi eſſet לא הרגו Turbat etiam *Syrus.* אזל בשביא איסראיל *Abiit in captivitatem Iſraël.* Melius *Chaldæus*, לאשראה בית ניחא ישראל *ad Iſraëlem in domo quietis collocandum.* Secuti ſunt Rabbini, noſtrique, nec ſane opportunius quicquam præſto erat; etenim *Avenarii* illud, *Eundo ad faciendum ſe ſubitaneum Iſraël*, i. e. *quum ſubito iret*, furcillas meretur. Sententiam hunc in modum ordinat *Coccejus*; *Eundem eſt ad tranquillandum Iſraëlem:* ſubſtituatur, *ad ubertate circumtremente donandum & ditandum:* quando futura reſpicientur tempora. Ad præterita retulere Belgæ aliique: *Invenit gratiam in deſerto populus ſuperſtitum a gladio*, (vel *Ægyptiorum*, vel quod malim, *Angeli percuſſoris*, ut ſit veluti *Iſraëlitarum* nota & caracter: *populus ſuperſtitum a gladio*) *quum irem ad Iſraëlem in quiete collocandum.* Redundabit hoc pacto ו in הלוך להרגיעו/ ut ſæpicule, & notionem tranſitivam exeret הרגיע *circumtremere fecit* pro *ſplendide opulentavit*, quam ex *Camuſo* Arabibus vindicavimus. Quæ tamen in Bibliis ſuperſtitant exempla, intranſitivum ſonant, ac proinde tutius forte, ei poteſtati adhæſiſſe, præſertim ſi rotundior exiturus ſit ſenſus. In futurum ſi feramur, dederim, *ibit ad circumtremere ſuum Iſraël.* Ad *circumtrementem ſuam opulentiam*, qua meliore ſub Oeconomia exuberabit, *provehetur.* Retro ſi flectamus oculos, edi poſſet, *quum iret ad circumtremere ſuum Iſraël.* Quum ad *terram lacte & melle circumfluentem* properaret. Placebit, ni fallor, illud *ſuum* in הרגיעו/ neque jam otiari cenſebitur. Verum longe ſuavius aliquid hic tralucere video. הלוך להרגיעו floſculus eſt lectiſſimus ut הלוך לאטו quod juxta cum Latinis vernacule dicimus *ire ſuo commodo*, proprie *ad lentitudinem ſuam*, vel potius, *ad lenem ſuum ſuſurrum*; non per *ſtrepitum* & *trepidationem.* Geminum puto & germanum הלוך להרגיעו/ *Eunte ad circumtremere ſuum Iſraële.* Hoc eſt, *Quum Iſraël omni opulentia circumtremens deſertum peragraret.* Nil pote gratioſius. *It*, *fluit*, *ad circumtremere ſuum fluvius*, הלך להרגיעו, *quum pleno exuberat alveo*, & *molem aquarum trahit.* Applices imaginem hanc *Iſraëli*, & oculis tuis uſurpa populum vere, omni gratia inundatum, & ditiſſimo ex cornu Copiæ Divinitus perfuſum, ſic ut *inter eundum* illa ſua opulentia, & mole felicitatis, *circumtremere* videretur ad inſtar alvei exuberantis, & ſub aquarum ſuarum multitudiue laborantis.

Suavitas vocabuli מרגוע.

XXI. Cetera, quæ huc pertinent, jam in propatulo erunt *Jerem.* 6: 16. Invenientes מרגוע לנפשכם LXX. *ἁγνισμὸν ταῖς ψυχαῖς ὑμῶν.* Ergo jam tum oblitterata fuit radicis indoles, & conjecturis fuit indulgendum, *Vulgatus*, ut alibi, *Refrigerium.* *Syrus* ניחא *quietum.* *Arabs* تقديسا *ſanctificationem.* *Chaldæus* ſimiliter *quietem*; nec habuere poſteri, quod in melius reſingerent, *Avenarii* enim *refrigerium momentaneum* caſſa nuce non emerim. Aſſumatur pro *quiete*, *opulentia circumtremens*, & periculum non erit, ut quicquam ſenſui decedat. Licet etiam מרגוע exponere *locum opulentum*; *ſedem divitiis deliciiſque circumfluentem.*

XXII.

Digitized by Google

XXII. Aliam formam conſervavit *Eſaias* Cap. 28: 12. זאת המנוחה וזאת Nec non
המרגעה Miſere impegerunt LXX. cum ſuo Τῦτο τὸ σύντριμμα, *Arabem* ſimul הרגיע.
trahentes, qui habet هذا الانكسار *Hæc eſt contritio. Vulgatus* pro more, *Refrigerium.* Noſtri, *Requies*, quam notionem per ipſum contextum facile adſtrui pronunciat ſummus Commentatorum *Camp. Vitringa.* Fateor, ſi *rem* ipſam ſpectemus, non *rei colorem*, quo *quietis* illud *ſummum bonum* expingitur per *circumtrementem opulentiam*: quamvis & hic præſtiterit de *loco* cepiſſe; ut מנוחה ſit *locus ubi recubatur ad aquas.* מרגעה *ſedes omni felicitate circumfluens.*

XXIII. Effugerat pene *Deut.* 28: 65. ובגוים ההם לא תרגיע ולא יהיה Uſus ex-
מנוח לכף רגלך *In gentibus illis non requieſces, neque erit requies plantæ pedis* quiſitior a-
tui. Sic veteres pariter & recentiores. *Avenarius* tamen, *non concitaberis*, pud Moſen ſub
non audebis movere te, aut muſſare. Nos. *Haud quaquam circumfluës in gen-* figura.
tibus illis: quin imo non erit ubi plantam pedis ponas, ut *in tuo* nempe. Figuratus eſt ſermo, *haudquaquam circumfluës*, pro *omnium rerum anguſtia laborabis.*

XXIV. Plura elegantiæ hujus veſtigia non ſuperant; niſi quod anceps ſit רגע רגז *Tre-*
illud *Jerem.* 50: 34. *Vindex eorum fortis eſt, Jehovæ ipſi nomen, omnino cau-* *miſcere*, de
ſam eorum aget: למען הרגיע את הארץ והרגיז ליושבי בבל. Plurimi ex no- *terræ motu.*
ſtris, *ut quietam reddat hanc terram, & commoveat habitatores Babyloniæ.* Ut oppoſitio fiat inter *Judæos*, & *Babylonios*, quorum illi *quiete*, hi *commotione* & *conſternatione* eſſent mactandi. Sic הרגיע *fecit circumtremere opulentia, &* הרגיז *fecit trepidare conſternatione*, utriusque populi ſortem non ſine ſale ac lepore inculcaret. Propenſior tamen ſum in eorum mentem, quibus הרגיע una in ſede locatum cum הרגיז. pro ejus ſynonymo habetur. Sic *Coccejus Ad movendum terram, & tremorem injiciendum.* Eodem tendit *Avenarii Concitare*; placuitque id tum *Vulgato*, qui dedit, *ut exterreat terram, & ut commoveat* &c. nec non *Chaldæo* בדיל למתבר רשיעי ארעהון לאיתאה זיעא לכל יתבי בבל *ut conterat impios terræ eorum, adducatque commotionem in habitatores Babyloniæ.* LXX. ὅπως ἐξάρῃ τὴν γῆν, καὶ παροξυνεῖ τοῖς κατοικῦσι Βαβυλῶνα. הרגיז alibi quidem παροξύνειν eſt, ſed hic aliud requiritur. הרגיע ἐξαίρειν *attollere & ſua ſede movere.* In Hebræo. *Vibrare, in tremorem dare:* ſententia hunc in modum reſtituenda, *ut intremiſcere faciat terram, & incolas Babyloniæ faciat inhorreſcere.* ارتعج & ارتعد junctim hanc ſedem inire poſſunt apud Arabes: cum *externo* autem *tremore* & *horrore*, *internum* quoque artificioſe hic inſinuat vates. *Tremorem* in *terræ motu* abſolute poſuit *Seneca* ep. 91. *Horrorem* clarius maluit *Florus.* Verbum ipſum hoc ſenſu dabit *Sil. Ital.* 11. 521.

Intremit & tellus, & pulſus mugit Olympus.

Et

Et *Lucr.* 6. 120.

Hoc etiam pacto tonitru concuſſa videntur
Omnia ſæpe gravi tremere, & divolſa repente
Maxima diſſiluiſſe capacis mœnia mundi.

Huc concurrit etiam *vibrare*, ut apud *Amm. Marc.* 17. 7. *Terram convibrant venti:* & *Claud.* 2. *Eutrop.*

—— —— *Rabies arcana cavernas*
Vibrat. —— —— —— ——

Idem 2. *Proſ.*

Ecce repens mugire fragor, confligere turres;
Pronaque vibratis radicibus oppida verti.

Unde in *Pſalmis* reponuntur *tremores terra.*

XXV. Eodem ex fonte fluxiſſe putem רגעי ארץ Pſ. 35: 20. *Non enim pacem loquuntur;* ועל רגעי ארץ *& adverſus quietos terræ machinantur negotia fraudulenta.* Sic bona pars interpretum, præeunte *Chaldæo*, quum παραφράζει, *Juſtos terræ* דניחין בעלמא ההוא *qui hoc in ſeculo quieſcunt;* non bella, non tumultus movent. Idem obſervatum eſt *Syro* danti מכיכא דארעא *humilem terræ.* Longe diverſus abit *Vulgatus*, cujus eſt, *in iracundia terræ loquentes, dolos cogitabant.* LXX. conſimiliter, ἐπ᾽ ὀργῇ δόλους διελογίζοντο, quos ſecuti *Æthiops* & *Arabs* ſolentes. Nihil in his ſolidi. *Raſchius* maluit *Contritos terræ*, a notione illa Rabbinica *ſcindendi* quam exploſimus: indidem *R. Moſes*, & *Aben Ezra* elicuerant, *in ſciſſuris terræ*, pro *latebris* & *cavernis.* Ex incude *Avenarii* prodierunt *Subitarii terræ;* ſatis calidi illi, & male nati. Nobis ſub manibus ſubnaſcitur hocce, *Non enim pacem loquuntur: ſed ſuper concuſſiones terræ ſtructos dolos meditantur.* רגעי ארץ *vibrationes terræ*, quum *vibratis* quaſi *radicibus terræ, ſumma imis miſcentur.* על poſt חשב plerumque quidem *contra* valet; exemplis tamen non deſtituor, in quibus *ſuper* ſonet; neque eſt quod quemquam in re liquida adhæſurum eſſe ſubverear.

רגע in *mari* poſitum. *vibrare* & *fluctuum horrore concutere.*

XXVI. Affinis eſt tralatio, quæ רגע *vibrare* adhibet *in mari ſedibus ſuis convulſo*, & *fluctibus inhorreſcente.* Sic *Virgilius*, *imbri*, *nocti*, *hiemi*, *& ventis magnum mare volventibus*, interſerit,

—— —— *Inhorruit unda tenebris.*

Adde *Pacuvianum* illud

—— —— —— *Inhorreſcit mare,*
Tenebræ conduplicantur, noctiſque ac nimbum occæcat nigror.

Sil.

Sil. Ital. I. 134.

> *'Heu quænam ſubitis horreſcit turbida nimbis*
> *Tempeſtas?* —— —— —— ——

Quamvis nonnihil diſcriminis ſubſit. Sed conſonat *horror*, elegantiore ſede auctus a *Val. Fl.* I. Argon. 661.

> *Hæc ait, & pontum pater ac turbata reponit*
> *Litora, depellitque Notos: quos cærulus horror*
> *Et madido gravis unda ſinu, longeque ſecutus*
> *Imber, ad Æoliæ tendunt ſimul æquora portæ.*
> *Emicuit reſerata dies.* —— —— ——

Nec non a *Lucan.* L. 5. 564.

> —— —— *Niger inficit horror*
> *Terga maris; longo per multa volumina tractu*
> *Æſtuat unda minax.* —— —— —— ——

Inſpice jam illud *Eſajæ* 51: 15. רגע הים ויהמו גליו *vibrans mare, ut fluctus ejus infremant.* Nil pote aut ſuavius, aut nervoſius. Senſum expreſſere veteres, non figuram, & orationis lumen. LXX. Ὁ ταράσσων τὴν θάλασσαν. *Hieron. Qui conturbo mare.* Arabs المقلق البحر *qui quatio mare. Syrus & Chaldæus* hic, דנזיף/ ille דכאא בימא/ *Qui increpo mare.* Dilutius *Coccejus, Qui movet mare.* Rabbini hinc exſculpſere ſuum בקע *findere*, aut מחץ *percutere*, quod ad maris ſciſſi miraculum adludi putarent. *Aben-Ezra* tamen & *Abarbanel*, quibus ſe comitem dedit Cl. *Guſſetius*, maluerunt, *Tranquillans mare*, quorum errorem nudavit jam paragraphus IV. Noſtrum *vibrans mare, nigrove horrore terga ejus inficiens quatiensque*, ea pollet gratia, eo pondere, ut ſibi e fluctibus conjecturarum tranquillitatem polliceri auſit. Refingatur ad hoc exemplum *Jerem.* 31: 35. ubi eandem plane viam tenuere qua Veteres, qua Recentiores: at *Jobi* Cap. 26: 12. בכחו רגע הים ובתבונתו מחץ רהב LXX. habent κατέπαυσε τὴν θάλασσαν: *Vulgat. Repente congregata ſunt maria*, tanquam a רגע *momento. Chald.* גזר ימא *ſcidit mare. Syrus* געֿר בימא *increpuit mare*, ut & *Arabs* ينهى البحر. Ex Rabbinis, noſtriſque, alii *percutit, finditque*, ob conjunctum מחץ: alii *movet, concitatque ſubito*, alii *tranquillat*; quam fluctuationem ignorata radicis potentia injecit. Nos edimus, *Convibrat mare*,

> —— —— *Ut inhorreat unda tenebris.*

Audax hinc & dithyrambica figura in *Jobo.*

XXVII. Dithyrambica hinc dictio tracta eſt *Jobi 7: 5. Induit caro mea putredinem , & æſtuantem pulverem:* (גוש non intellectum ſic declaramus.) עורי רגע וימאס LXX. confuſius, τήκω δὲ βώλακας γῆς ἀπὸ ἰχῶρος ξύων; ubi βώλακας γῆς ad גוש עפר pertinet; ξύων autem reſpondere videtur noſtro רגע. *Vulgatus; Cutis mea aruit. Syrus* משכי קפור. *Cutis mea contracta eſt:* imitante *Arabo* جلدي تـقبض, & R. *Salomone*, qui *cutem corrugatam* hic vidit: *Chaldæus* habet משכי רטט *cutis mea tremiſcit*: Non crediderim tamen figuræ gravitatem ei introſpectam fuiſſe. Rabbini *ſciſſa eſt. Coccejus* duriuſcule , *movit ſe*, *diſceſſit:* ſenſu cognato. *Avenarius* joculariter , *ſubitanea fuit. Guſſetius* ſua ex hypotheſi; *cutis mea quievit*, quod per *immobilis facta eſt* , *ſordibus* videlicet, ac *pœdore* declarat. R. *Jona* a *Kimchio* laudatus *quievit* pariliter, ſed longe diverſo flexu pro נרפה תחלש *remiſſa & debilitata fuit*, Sic ubi dies interceptus eſt , cœcis ferme erratur veſtigiis. Tragicum & grandiſonum quid hic ſpirat רגע intranſitive poſitum, metaphora ſumta a *mari inhorreſcente*, cum quo componit *Jobus* illud *corporis ſui ſpirans cadaver* , & *vivum ſepulcrum*, cujus *tumidos putridosque artus* non *tabo fluere* dicit , ſed *fluctuare* , ſed *moti maris inſtar vibrare* , ſed *inhorreſcere* , *atrasque undas volvere.* Sentis dithyrambicum illud quod in ſtylo hujus libri dominatur. Locum integrum adſpexiſſe invabit. *Conveſtitur caro mea vermium putredine* , & גוש עפר *æſtu pulveris*, hoc eſt, *ſordibus quodam quaſi æſtu reciprocatis:* vel ut clarius dicam, *purulentia quadam exæſtuante.* Subtexitur porro , עורי רגע וימאס *Cutis mea inhorreſcit* , circumtremit , *& multo vulnere hiat.* Sic reddo ימאס rationem alias editurus. Ad vivum depingit carnis ſuæ *fluctuantem* veluti & *exæſtuantem.* Mirifice hic quadrat *Lucani* pictura Lib. 9. 806.

Impreſſit dentes Hæmorrhois aſpera Tullo.
Utque ſolet pariter totis ſe effundere ſignis
Corycii preſſura croci: ſic omnia membra
Emiſere ſimul rutilum pro ſanguine virus.
Sanguis erant lacrimæ: quæcunque foramina novit
Humor, ab his largus manat cruor: ora redundant
Et patulæ nares: ſudor rubet: omnia plenis
Membra fluunt venis: totum eſt pro vulnere corpus.

Huic imagini reſpondet עורי רגע וימאס : ipſam autem verbi audaciorem tralationem ſuſtentabit *Lucretius* , qui *fluctuare* in eandem plane metaphoram deflexit Lib. 3: 719.

Unde cadavera rancenti jam viſcere vermes
Exſpirant? atque unde animantum copia tanta
Exos, & exſanguis, tumidos perfluctuat artus?

Adſpi-

Adſpiciatur & hæc *Lucani* tabella L. 9: 791. in eo quem Preſter veneno ſuo afflaverat:

—— —— Illi rubor igneus ora
Succendit, tenditque cutem, pereunte figura,
Humanumque egreſſa modum ſuper omnia membra
Efflatur ſanies, late tollente veneno.
Ipſe latet penitus congeſto corpore merſus:
Nec lorica tenet diſtenti corporis auctum.
Spumeus accenſo non ſic exundat aheno
Undarum cumulus: nec tantos carbaſa Coro
Curvavere ſinus. Tumidos jam non capit artus
Informis globus, & confuſo pondere truncus.

Quod ſi cothurnatum nimis, & ampullaceum, videatur illud *inhorreſcit maris inſtar fluctibus jactati*, emolliri poterit, reddique, *vibrat cutis mea, multoque vulnere hiat;* ut ſignificatio detur *cutis ad ſingula momenta coborreſcentis, & præ dolore trementis*, quod *Chaldæo* in mentem fuiſſe autumarim, in ſuo משכי רטט *cutis mea tremiſcit.* Latinum *vibrare* in *palpitationibus*, & *membrorum convulſionibus* locum ſortitur. *Taciti* eſt *Ann.* 12: 51. in ea cui partitudo appetebat, *quatitur uterus, & viſcera vibrantur.* Et *Senecæ Ep.* 95. *Palpitatio nervorum vibrantium.* Prius tamen monumenti iſtius, nec non Orientis totius genio congruentiſſimum eſt.

XXVIII. Exercuit etiam diviſitque majorem in modum interpretes *Prov.* 12: 19. *Labium veritatis ſtabilietur in perpetuum:* ועד ארגיעה לשון שקר. LXX, μάρτυς δὲ ταχὺς γλῶσσαν ἔχει ἄδικον. *Vulgatus, Qui autem teſtis eſt repentinus, concinnat linguam mendacii.* Reſpexere ad *ſubitum* illud & *repentinum* quod eſt in רגע *momento:* & pro עד legerunt עֵד. Secuti ſunt *Syrus* & *Arabs*: concinit quoque *Chaldæus*, cujus eſt, סהדא מסתרהב בלישנא דשקרא *Teſtis feſtinus lingua falſitatis.* Recentiores mira implicat varietas. *Pagninus* dedit. *Perpetuo quieſcere faciam linguam falſitatis.* Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς inducitur, qui dicat אשקיטה שלא תרבה דבר *ceſſare faciam* falſiloquam linguam, *ne pergat magna loqui*; uti eſt apud *Kimchium* in *Lib. Rad.* Rabbi *Nathan* ad *findendi* notionem exemplum hoc detorſit; & *perpetuo findam, exſcindam.* Nil moramur poteſtatem diffiſſam a nobis & exploſam. Senſum feliciter expreſſit bona & magna pars, quibus עד ארגיעה ſonat, vel *donec momentum tranſigam*, ut ſit verbum in *Hiphil:* vel *ad momentum*, ut habeatur pro derivato ejuſdem valoris cum רגע. Sic juſtiſſima oppoſitio *perenni veritatis ſtabilitati* ex adverſo locat *mendacii momentaneam durationem*, quod omne falſum ad veri tandem ſolem ac radios, nebulæ inſtar aut nivis, ſubito diſcutiatur ac tabeſcat. Hoc pervenuſte extulit Salomon, ועד ארגיעה & *usque dum nictem, oculo vibrem, ſubſiſtit lingua falſitatis.* Idem vides dictum, ſed novo lepore renidens, הרגיע *vibravit* in *oculo nictante* frequentari, ſupra jam adſtruximus; adeoque paucis

רגע in *tremulo nictu, & vibramine oculi.*

caput

caput hoc abſolvemus, contenti unico exemplo *Jobi* 20: 5. *Gaudium hypocritæ* *עדי רגע* *eſt ad vibramen.* pro quo dicere liceret *עד ארגיעה* *donec oculum vibraro.* Ellipſis eſt voculæ עין / ex ſpiſſiore uſu invecta, prout אזן ſubintelligitur ferme ſub הקשיב.

CAPUT DUODECIMUM.

Radix נבט ad incudem vocatur. Hallucinatio *Avenarii*, הביט a בטן deducentis. Arabum uſus panditur in *micando* & *fulgurando* ſitus; unde *micuit fulmen*, *micuit oculus*, & abſolute *micuit*, pro *vibrantem* & *fulminis ritu tremulam aciem contendit*. Aliæ formulæ venuſtiores. *Micat* germen; *micat* auris, *micat* vena &c. Noviſſime, *micuit* pro *furtim adſpexit: oculo adnictavit*. Multis hinc locis nativum decus pondusque reponitur.

I.

Verbum הבים in origine nondum inſpectum.

Quem verbo רגע indidimus *oculum vibrantem*, & *fulminis ritu tremulum*, efficacius exeret radix נבט, penitius excuſſa: quamvis itaque commodius libro ſecundo prodiſſet, in dias luminis oras, moræ impatiens, geſtit erumpere, atque hanc ſibi ſedem eblanditur. Exponitur in *Niphal* & *Hiphil*, quæ ſolæ conjugationes manſerunt, נבט & הביט *vidit*, *adſpexit*, *ſuſpexit*, *intuitus eſt*. Recte. Sed ſcire pervelim, quid נבט illud obliteratum, & longa oblivione ſepultum in *Kal* proprie reſonuerit, ut inde, quid *Hiphil* in ſinu gerat, pervidere poſſim. An *Kal*, *Niphal*, & *Hiphil* nihil diſſonuiſſe pronunciabimus? Haud ſane veri ſit ſimile. Latinorum, *video*, *ſpecio*, *tueor*, *contemplor*, *conſidero*, ſuis quæque ex fontibus dimanarunt: jam rogo quid נבט ſit, & in quo conſonet, diſcordetve cum ceteris vocabulis ראה *vidit*, חזה *intuitus eſt*, השקיף *proſpexit*, השגיח *attendit*, cum quibus ſociari amat. Altum hic ſiletur; niſi quod *Avenarius* arripuit בטן *ventrem*, ut inde formatum הביט ſignificet, *partem anteriorem a capite usque ad ventrem inclinare ad intuendum aliquid*: quæ conjectura quanti ſit, diſputare nihil attinet.

Lucem adfundunt Arabica verba

II. Arabum præſidium circumſpectanti offerunt ſe verba نبض נבץ, & יבץ وبض, & ימץ ومض per ſolennem mutationem *Teth* in *Tſade* ex Hebræorum vetuſtis radicibus נבט, יבט, & ימט propagata. Omnibus illis ineſt *vibrare*

-brare, & *tremulum micare*, in *fulmine*, in *oculo*, *in aliis* rebus *coruſcum motum edentibus*. Naturam cujuſque, & fines, explanabimus.

III. Incipio a יבט ſeu وبص, de quo *Zjauharius*. وبص البرق يبص وبيصا اي برق ولمع قال ابن السكيت يقال اوبصت الارض في اول ما يظهر نبتها قال واوبصت ناري وذلك اول ما تظهر لهبها ووبص الجرو توبيصا فتح عينيه ويقال ان فلان لوابصة سمع اذا كان يثق بكل ما يسمعه יבץ *de fulgure eſt fulguravit micuitque. in fut.* יבץ, *in infinit.* יביצא. *Ibn Elſiccyti auctoritate dicitur* אובצת אלארץ, *terra fecit micare, quum prima ejus germina prodeunt. Juxta eundem* אובצת נארי *micare fecit ignis meus, ponitur quum primulum flammam vibrat: in 2 Conjug. cum infinitivo* תוביץ *uſurpatur* יבץ *in catulo oculos aperiente. Denique dicitur ὁ δεῖνα* לואבצה סמע *auditu eſt micante, quum tenuem quamvis auditiunculam credit.* Copioſius paulo *Camuſ.* وبص البرق لمع وبرق والجرو فتح عينيه والارض كثر نبتها كاوبصت وككتان البراق اللون والقمر ووالوابصة النار كالوبيصة وانه لوابصة سمع يثق لكل ما يسمع والوبص النشاط وفرس وبص نشيط وابصت ناري لهيبها ووبص لي بيسير توبيصا اعطانيه יבץ אלברק *Micuit & fulguravit fulmen. De catulo, aperuit oculos ſuos. De terra, copioſe germinavit: Ut &* אובץ *in 4. conj. Adjectivum* ובאץ *ſplendicante præditus colore, nec non, luna: ſimiliter* ואבץ *participium, unde etiam* ואבצה *eſt ignis; ut &* וביצה. *Dicitur quoque, eſt ille* לואבצה סמע *micans auditu, quum credit quicquid audierit. porro* ובץ *quoque alacritatem valet; &* פרס ובץ *eſt equus alacer; &* אובצת נארי להיבהא *micare fecit ignis meus flammam ſuam: denique in 2. conj.* יבץ לי *micare fecit mihi leviculum quid, cum inſin.* תוביץ, *eſt, donavit.*

hinc propagata יבץ, & נבץ, & ובץ.

Radix יבץ vel יבט declaratur.

IV. Digeramus paucis ſeriem ſignificationum, & lucis nonnihil adſpergamus ex iis, quibus *micare* ſuum ditarunt Latini. *Micat fulgur*, protritum eſt. *Micat ſævo fulgore clipeus* Sil. 2. 395. *Micant gladii, tela, baſtæ* paſſim dixit *Livius*. Similiter *micat flamma, ignis, ſtella.*

Micandi venuſtates, & divitiæ.

Volvenda micant æterni ſidera mundi.

Apud *Lucret.* & *micare igne* apud *Sil.* 1. 503.

—— —— Ceu tota Saguntos
Igne micet —— —— ——

In *Diw. Hud.* القمر الوباص *Luna micans.* Hæc fere primaria ſedes. Secun-

cundarius uſus pereleganter terit *oculos micantes*, quod *Apuleji* eſt, & *micantia oculorum lumina*, & *oculos micare. Lucr.* 3. 290.

—— —— *Ex oculis micat acribus ardor.*

Tertio *micare auribus*, eſt *prurire*, & *quamcunque rumoris auram venari*. Latinis *micant* ea, quæ *irrequieto motu vibrant*. De *manu moribunda*

Dumque micans tremulo conatu lora retentat.

Pulcre *Sil.* 4. 211. & 5. 285.

Enſe ferit tum colla viri dextramque micantem
Demetit —— —— —— —— ——

Sic *Apul.* L. XI. *Aſſiduo pulſu micat cor.* & *Sen. Oed.* 376. *Micant tremulo rigore artus.* Ibid. 345. *Micat vulnere cruor.* Hinc quarto *micare* induit vim *alacritatis*, ut apud *Liv.* 6. 13. *Vultus ardore animi micans.* Solenne hic eſt *emicare Sil.* 3. 85.

Emicat in Martem —— —— ——

Et 7. 376.

—— —— *Fauceſque viæ citus occupat armis*
Pœnus, & *in patulos exſultans emicat agros.*

Quinto *micant* etiam Latinis quæ *cum nitore germinant* & *erumpunt*. Sic *Micare ſemina* dicuntur apud *Lucan.* 6. 395. & *emicant herbæ*, *promicant germina.* Nec mirum: nam & *ſplendere floreſcendi*, & contra *florere ſplendeſcendi* ſumit notionem. Poſtremo *micare fecit illi exiguum quid*, uſu *donandi*, ſua ſe venuſtate ac evidentia nemini non inſinuat.

Radix נבט vel נבץ Arabibus quanta polleat ditione.

V. Hæc proſequi haud piguit, ut *micandi* potentiam ad liquidum perduceremus ſub יבט unde הביט derivari poteſt, ut הקיק a יקק; idque generis compluſcula alia. Præſto eſt interim, eadem pollens virtute & elegantia נבט, Arabibus نبض/נבץ cujus indolem pandat *Phiruzabadius*. نبض الماء نبوضا سال والعرق يدبض نبضا ونبضانا تحرك وفي قوسه اصابنها او حرك وترها لترن كانبض والبرق لمع خفيا وما به حبض ولا نبض اي حراك ونواد نبض يتحرك ومنبض الغلب حيث تراه ينبض والنابض الغضب נבץ אלמאא *micuit aqua*, *fluxit. Infinitivus eſt* נבוץ. *Et*, *micuit vena*, *infin.* נבץ & נבצאן/ *pro commota & agitata fuit. Et arcu ſuo micuit*, *pro jaculatus eſt eo*, *aut nervum ejus attraxit ſic ut tinniret.* אנבץ *idem. Et* נבץ אלברק *micuit fulmen*, *eſt ex occulto reſplenduit. Et*, *non eſt in*

Digitized by Google

in eo הבץ ולא נבץ *pro nusquam ſe movet micatve unde* מנבץ *cordis, eſt locus ille ubi pulſari vides cor. denique micans* נאבץ / *ponitur pro irato.* Audiamus etiam *Zjaubarium.* نبض العرق ينبض نبضا ونبضانا اي تحرك ومنه قولهم ما به حبض ولا نبض اي حراك وانبضت القوس وانبضت بالوتر اذا جذبته ثم ارسلته لترن وفي المثل انباض بغير توتير والمنبض المندف مثل المحبض נבץ אלערק *Micuit vena, agitata eſt: infin.* נבצאן & נבץ. *Inde ductum illud, Non eſt in eo* חבץ ולא נבץ *motitatio nec micatio. Et* אנבצת אלקוס *micare feci arcum, nec non* אנבצת באלותר *micare feci nervum, quum attrahis arcum nervumve, ut laxatus tinnitum edat. Proverbio autem celebratur,* אנבאץ בגיר תותיר *Tinnitum ciere tremulum, absque ut arcus nervo tenſus ſit.* מנבץ *præterea, ut &* מחבץ / *eſt inſtrumentum arcus inſtar majoris, cujus adducta remiſſave chorda goſſypium carminatur.*

VI. Non dubitabit, qui judicio pollet Critico, quin נבט eandem plane indolem præferat, quam in יבט deprehendimus; & primariam notionem figendam eſſe in *fulmine micante*: vel potius *in omni tremulo & coruſco motu*, qua *fulminis*, qua *oculi*, qua alterius rei. Inde *manandi* uſus in *aqua*, quam Latini etiam *micare* & *emicare*, & *promicare* dicunt, quum ex fonte erumpit. Inde etiam *vena micat*, quum *tremulum movetur.* Quodque potiſſimum hic attendi velim, *Arcus micat*, quum *miſſo telo intremit.* Significationum nativa ſeries & propagatio.

VII. Accedat quoque ימט / Arabibus ومض, ut literis, ita poteſtate cognatum. *Zjaubarius* ومض البرق يمض ومضا ووميضا ومضانا اي لمع لمعا خفيفا ولم يعترض في نواحي الغيم قال امرو القيس Vicinum ימט vel ימץ aliquid adfundit luminis.

اصاح تري برقا اريك وميضه
كلمع اليدين في حبي مكلل

وكذلك اومض ايماضا ويقال اومضت المراة اذا سارقت النظر Hoc eſt ימץ אלברק *fulgur micuit, in fut.* ימץ; *in infin.* ימצא / ימיצא / & ימצאנא; *quum leniter ſplendet, neque per nubium tractus diffunditur. Cecinit Amro'l kis.*

O bone, videsne fulmen, cujus tibi commonſtro fulgetram,
Ut micant manuſculæ, in nubibus coronatis?

Similiter אומץ אלברק *in infin.* אימאצא *micuit fulmen. Dicitur etiam* אומצת *mulier micuit, quum furtim adſpicit.* Addit *Phiruzabadius* aliud a *Zjaubario* neglectum. اومض فلان اشار اشارة خفية Hoc eſt אומץ פלני / *micuit ὁ δεῖνα, pro, furtivum præbuit indicium, oculo* nempe *adnictante* & *adnutante.*

VIII.

הבּיט micuit oculo: aut acie contenta vibravit.

VIII. Nemo nunc, opinor, ambiget, quin נבט Hebræorum, ut ad originem hanc, ſic ad ſplendidam *oculo micandi* figuram ſit revocandum. Teneamus itaque נבט & יבט in *Kal*, notione intranſitiva, *micuit*, & *tremulum vibravit*. In *Hiphil* הבּיט *micare fecit oculum*, & *vibranti acie intendit*. Luminis haud pœnitendum incrementum hinc percipient, quotquot verbi hujus veſtigia remanſere. Omnia circumluſtrare haud lubet. pro ſpecimine paucula delibentur.

Formula elegans *videre & micare.*

IX. *Threu* 1: 11. occurrit ſtructura ראה יהוה והבּיטה LXX. *Ἴδε κύριε καὶ ἐπίβλεψον.* *Vulgatus*, *vide*, *Domine*, *& conſidera*. Sic reliqui tam Veteres; quam Recentiores, ſuo quisque more; *vide & adſpice*; vel *vide & intuere*. Acrius vibrabit oratio, & pulcre renidebit, ſic concepta. *Vide*, *Domine*, *& micato*. Figura eſt quæ *oculum apertum*, *& aciem contentiſſimam*, *ac tremulo motu ſemet evibrantem* peropportune ſubjicit.

Micare & videre, pro *micante acie contemplari.*

X. Præponitur etiam הבּיט/ & promiſcue ſtruitur, *vidit & vibravit*, vel, *vibravit & vidit*: Ut *Jobi* 35: 5. הבּט שמים וראה/ quod juxta genium linguæ circumſcribi debet, *vibrante & acri lumine oculorum contemplator*. Sic *Pſ.* 22: 18. יבּיטו יראוּבי. Frigent hic verſiones. LXX. *κατενόησαν καὶ ἐπεῖδόν με.* *Vulgat. conſideraverunt & inſpexerunt me.* Eadem omnium ratio. Hebraismus ad verbum habet, *vibrant intuentur in me*: hoc eſt, *vibrante & contenta acie intuentur*. Innuitur *acies* oculorum *flammata*, & *fulminans* quaſi, præ *ira*: quorſum aperte ducit ſeries.

Micandi perelegans & exquiſita poſitio in *Pſalmis.*

XI. *Fulmineum* quid *emicat* quoque *Pſ.* 104: 32. המּבּיט לארץ ותרעד יגע בהרים ויעשנו Pulcherrime ludi putem in duplici poteſtate radicis, *in oculo* pariter ac *fulmine micante*; exiſtimo præterea, aptiſſime hic ſedere vim illam *oculi* ac *fulminis leniter nictantis*, quam ſupra ex peculiari uſu Arabum enotavimus. Specioſiſſimam ſententiam ſic teneto. *Qui adnictat terræ*, *& contremiſcit*: *attingit montes*, *& fumant*. Senſus eſt, Deum leviſſimo etiam oculi nutu nictuve, & vel digituli tactu; cœlum terramque miſcere, & a fundamentis concutere. Quis ille *oculi* tremendi *nictus?* Nonne *nictantia fulmina?* Ut adeo ſingulari acumine vigeat heic loci מבּיט/ & geminam potentiam exſertet. *Syllepſin* appellant hanc unius vocabuli duplicatam vim, cui impenſius deditum fuiſſe *Ciceronem* notavit *Seneca Controv.* 3. 18. Ornamentum hoc ſcriptores ſacri ſummo ſæpe judicio & artificio adhibuerunt, de quo alias noſtro commodo.

Micare in oculo, *furtim & ex occulto nictante.*

XII. Peculiare aliquid præſerre videtur & hoc *Eſajæ* 18: 4. אשקוטה ואבּיטה במכוני. Vulgo, *Quieſcam & ſpectabo in ſede mea*, Non tantum hic *ſpectabo* augendum cenſeo *vibrante lumine oculorum*, ſed aſſumendus etiam videtur *oculus* ille *furtivus*, & *ex occulto* veluti *micans*, quem Arabes aliquando radici huic ſubjungere monuimus, ſimilitudine ducta a *fulmine* per nubium rimas *intermicante*.

Micare in iis qui ex *cæcitate* ſubito

XIII. Aliud invenio haud pervagatum, & ſingulare aliquid ſpirans Eſaj. 42: 18. *Surdi audite*; *& Cæci* הבּיטו לראות. Reciperet linguæ ingenium הבּיטו וראו/ & compreſſius, הבּיטו ראו/ *vibrate & videte*: aut *vibrate videte*.

Sed

Digitized by Google

Sed venuſtius eſt & accommodatius hic loci הביטו לראות/ *vibrate ad videndum:* vel *videndo evibrate* & *exerite lumen* oculorum *apertum*, *&* ex tenebris ſubito *micans*. Dico *apertum* & *ex tenebris micans*, quod Arabes verbum hoc *in oculis* locatum, ſignanter alligatum voluerint *catulo* ex cæcitate ſua *ſubito deſpicienti*, prout ex *Camuſo* vidimus in prima conjug. وبص الجرو فتح عينيه *micuit catulus*, *aperuit oculos:* & ex *Zjauhario* in 2. Conjug. وبص الجرو توبيصا فتح عينيه *Micare fecit catulus*, *oculos aperuit*.

deſpicium, apud *Eſajam*.

XIV. Concinit *Pſ.* 119: 18. גל עיני ואביטה *Velo exue oculos meos*, *& micante acie deſpiciam.* Alluditur ad *cæcos catulorum*, *&* illas luminum *ſquamulas*, quibus demtis dicuntur הביט: eſtque hæc notio attendenda iis quoque in locis, ubi ſimpliciter valet *diſpicere*, & *oculum intendere*, quaſi dicas *aciem hactenus ſquamula implicitam exercere*, *& rebus admovere*.

Unde illuſtratur locus e *Pſalmis*.

XV. Hinc porro הביט *aperta & contentiore acie* oculorum *micare*, aut *vibrare*, increbuit pro *ſpes*, *opes*, *reſpectum ſuum* in aliquo *collocare*. Capio hic *reſpectum* ex elegantiore illa nota *Livii* L. 21. 44. *Illis timidis & ignavis licet eſſe*, *qui reſpectum habent; quos ſuus ager*, *ſua terra* —— *fugientes accipient.* Et L. 9. 23. *Nos omnium rerum reſpectum*, *præterquam victoriæ*, *nobis abſcindamus.* Nec alium uſum ſumit apud *Ciceronem* cujus eſt, *Reſpectum pulcherrimum*, *& præſidium firmiſſimum adimit Reip. qui ab illo exercitum abducit. Phil.* 10. Et *Phil.* 41: 11. *Non ut ex ea acie reſpectum haberemus*, *ſed ne ipſa acies ſubſidium haberet etiam transmarinum.* Malim ibi *in ea acie*, vel *ad eam aciem*, ut *Phil.* 5: 18. *Itaque cum reſpectum ad ſenatum*, *& ad bonos non haberet Cæſar*, *eam ſibi viam ipſe patefecit ad amplificandas opes ſuas* &c. Hebræis מבט eodem plane ſignificatu venit, proprie, *Quod quis micante acie reſpicit*, *Reſpectus*, *præſidium*, *ſubſidium*, *Eſaj.* 20: 5, 6. *Zach.* 9: 5. Ipſumque הביט *Job.* 6: 19. & alibi: nec non *Pſ.* 34: 6. הביטו אליו ונהרו *Ad eum vibrantem aciem intenderunt*, *& lumine perfuſi ſunt*, *gaudioque diffuſi.* Utrumque in נהר continetur; quod hic exquiſitam ſedem nactum eſt.

Uſus ſingularis in *reſpectu*, & *præſidio* flamminanti veluti acie *circumſpecto*.

XVI. Expediendum noviſſime eſt ſolivagum נבט *Eſaj.* 5: 30. Locus eſt multa caligine circumvallatus. Sunt qui *Pihel* faciant; plurimi *Niphal*. Ex *Kal* deduxit Vulgatus, *adſpiciemus*. Ceteri fere, *adſpiciet in terram*; ut congruat cum הביט/ quod ſi placeat, omnino *Pihel* erit ſequendum, quam conjugationem, notione *aciem vibrandi*, produximus ex Arabia. Vulgo refertur ad *populum*, ut ſenſus ſit, *quocunque oculos adverterent*, *plurimam mortis imaginem fore.* Si placeat, cogitari poterit *de acie flammata & vibrante eorum*, *qui in anguſtiis verſantur*, *& opem circumſpectant.* Vehemens interim ſuſpicio inceſſit, quod communis interpretatio minus limpida ſit, figuram multo illuſtriorem heic reſidere, & נבט haud interrupta ſerie tribuendum eſſe *Leoni* illi *vaſtatori*, quem introduxerat vates vſ. 29. *Rugitus illi*, Romano victori, *ut Leænæ*, *rugit ut leones juvenes: Infremit*, *prædam corripit*, *& in tuto locat; nec eſt qui eripiat. Quin infremet die illo* עליו *ſuper ea* præda, *ut infremit mare;* ונבט לארץ *& vibranti acie* oculorum *fulminabit terram: &*

Denique apud *Eſajam* exponitur tenue *fulgur oculi vibrare Admiſtare*.

Digitized by Google

ecce tenebra; anguſtia: & lumen extinctum fluminibus ſanguinis. Mens eſt, *Romanum* hunc *Leonem*, *qua rugitu oris* ſui, *qua fulmine oculorum*, longe lateque terrorem & vaſtitatem eſſe ſparſurum. Conferantur quæ de *Leone Fulmineo* capite præcedenti congeſſimus. Nondum defuncti ſumus. נבט ex genio linguæ verius *fulgur oculorum* & *ſtricturas*, ut ſic dicam, *fulmineas* innuit, quam *plenum fulmen.* Sic ergo נבט לארץ *Si vel oculi ſui tenue fulgur emiſerit; omnia conſternabuntur, & late fugam dabunt.* Redeatur ad Par. XI. qui ſenſum hunc ſuffulcit & illuſtrat.

CAPUT DUODECIMUM.

In verbo נקף finiendo varietas & inconſtantia. Vera ejus & genuina ſedes ab Arabibus circumſcripta, in *capite perfracto*, cum *diſcuſſione cerebri.* Inſignes hinc figuræ reſtituuntur *Eſaj.æ.* Ejusdem verbi obliterata gravitas & elegantia vindicata in *Threnis:* nec non uno, atque item altero *Pſalmorum* loco. Vexatiſſimum oraculum *Pſ.* 22: 18. nova luce adſpergitur. *Feſtis victimis capita diſcuterè* apud *Eſajam*, *Cap.* 29: 1. pro eo quod eſt, *piacula iræ divinæ ſummo ſupplicio exitioque mactare.* Quid *Arielis* myſticum vocabulum reſonet in iſto vaticinio. Talmudicorum נוקפים. Ritus capita victimarum percutiendi abolitus a Joanne Hyrcano.

I.

Verbum נקף examini ſubjicitur.

Opem feret caput hoc radici נקף / ejusque fluctuantem adhuc, atque temporis injuria imminutam poteſtatem, explebit. & in tuto collocabit. Rabbini לשון כריתה ושבירה *exſcindendi & confringendi* vim verbo huic inſitam eſſe pronunciarunt. *Coccejo* viſum fuit *deſtringendi* notionem, indoli ejus adamuſſim reſpondere. Apud Cl. *Stockium* reperio, *excidit*, *excuſſit*, *decuſſit circumquaque:* Item *definivit*, *determinavit.* Apparet id ſecutum eſſe quemque, quod aliqua veri ſpecie afficiebat, & locis potiſſimum congruere videbatur.

Quo uſu penes Arabes celebretur.

II. Litem decernant Arabes, quibus نقف perſamiliare eſt. Ejus ingenium *Zjaubarius* accurate & copioſe exponit. النقف كسر الهامة عن الدماغ

الدماغ وقد ناقفت الرجل مناقفة ونقافا ويقال اليوم قحاف وغدا نقاف اليوم خمر غدا امر ونقفت الحنظل اذا شققته عن الهبيد ومنه قول امري القيس

كاني غداة البين يوم تحملوا
لدي سمرات الحي ناقف حنظل ۞

تستخرج مخه وانقفتك المخ اذا اعطيتك العظم

Hoc eſt. נקף *valet caput diffringere cum cerebri comminutione: Unde 3. Conjug.* נאקף/ *cum infinitivis* מנאקפה *&* נקאף/ *eſt caput invicem comminuere & con, tundere, ut in ſolenni illo, Hodie pocula, cras capitis & cerebri comminutiones. Hodie vinum, cras negotium. Adhibeas etiam* נקף *quum colocynthidem findis ad ſemina eximenda, unde illud Amri l Kiſi.*

Tanquam ſi ego, quum collectis ſarcinis diſcederent,
Inter nocturnas familiæ fabulas contuſor eſſem colocynthidis.

Dicitur etiam אנקפתך אלמח *diffringendam tibi dedi medullam, quum oſſa tibi do ad medullam eximendam.* Adjicit *Phiruzabadius* hæc duo, *pertudit ovum*, &, *jugulavit diluitve vinum*, quaſi dicas, *caput* vini *infregit contuditve*; interque derivata notabile eſt نقاف /נקאף quod in *Camuſo* explanatur, *Latro truculentus*. quaſi dicas, *capitum contuſor*, & *cerebri diſſipator*.

III. Hanc *capitis perfracti* & *cerebri diſcuſſi* proprietatem ſi inferamus iis locis, in quibus verbum noſtrum occurrit, non parum ponderis & luminis ſententiæ accreſcet. Eſaj. 17: 6. noviſſima ſtrages Jacobidarum, per Salmanaſſerem tandem, geminato velut ictu, infligenda, hoc pingitur colore. *Et reliqua erit in eo racematio*, כנקף זית *ut quum diffracto velut capite & cerebro excutitur olea; duæ, tres baccæ, in vertice ſummi rami: quatuor, quinque, in ramis ejus fructuariis.* Non quadrat ſcenæ huic *Cocceji* illa *ſtrictura oleæ*, neque locus eſt *olivis manu deſtringendis*, quandoquidem agitur de baccis una, & item altera, alicubi ſummo in ramo delitescentibus. Ne *excuſſio* quidem, quam alii adſciverunt, ſatis nervoſa eſt. Requiritur omnino imago *capitis diſcuſſi*, & *cerebri diſperſi*, quam pulcre tranſtulit vates ad *oleam*, *cujus cacumen incuſſo ligno diffringitur*, ut ne bacca avaram evadat manum. Effigiem hanc applica Reip. Iſraëliticæ, occidione delendæ, & ſummam verbi opportunitatem perſentiſces. Eandem *internecionem* expingit נקף cum עללות conjunctum Eſaj. 24: 12.

Genuina ejus vis in *capite diſcuſſo cum cerebri ſparſione* applicatur *Eſaje* 17: 6. & 24: 12.

IV. Simili plane figura auctum voluit נקף *Eſajas* Cap. 10: 34. *Ecce dominus Jehova detruncat ramum violenter, & celſi ſtatura ſuccidentur; altique dejicientur*, ונקף סבכי היער בברזל Veteres turbant, nec quicquam notatu dignum

Ejuſdem figuræ deceutiſſima ſedes *Eſaj.* 10: 34.

dignum ediderunt. *Coccejus* ex hypotheſi, *deſtringet perplexa ſylvæ ferro*; ceteri, *franget*, *excidet*, *præcidet*, *circumputabit*, vel ſimile quid, prout ſententiam vel intendere, vel remittere viſum fuerit. Sed cave quicquam relaxes, ubi propheta omnes orationis nervos contendit, & atrociſſimum admovit vocabulum, *Et diffractis diſperſiſque cacuminibus contundet perplexa ſylvæ ferro:* quod ſimiliter ad myſticam poteſtatem traductum, multo accommodatiſſimum deprehendetur; & ſuperborum *contuſa capita*, atque *disjectum* multo cum horrore *cerebrum* oculis ſubjiciet.

Opportunitas ejusdem in tragica ſcena *Eſaj.* 3: 24.

V. Tam diram faciem præfert etiam נקפה *Eſaj.* 3: 24. *Et futurum eſt, ut loco aromatis adſit tabes*, ותחת חגורה נקפה. Veteres non intellexere. LXX. ἀντὶ ζώνης σχοινίῳ ζώσῃ. *Vulgat. pro Zona funiculus.* Id *Arabs* & *Syrus* quoque adoptarunt. At *Chaldæus* אתר דהואה אסרן פסיקיא יהי רושמין דמחא *loco Zonarum quas circumligabant, erunt ſtigmata percuſſionis.* Variant noſtri. *Cocceji* eſt, *pro cinctu panni:* Vel ut maluit in *Comm. Lacerum.* Proprie, *deſtrictio.* Scilicet *deſtringitur*, qui *veſte ſpoliatur*, & *ad pannos* redigitur. Huc exit etiam Belgarum *diſſolutio*; & Grotii *confractio*, quam per *laceras veſtes* declarat. Nos accipimus quæ dantur, ſed *cum veſtibus laceris*, *crines ſciſſos* conjungimus, & *caput comminutum.* חגורה *cinctus* complectitur omnem *muliebris ſuperbiæ paratum*, etiam *comæ ſuggeſtum*, & *celſæ frontis honores*, quod per מעשה מקשה ſignificatum eſt, *Opus capillitii auro illuſi*, cui ſuccederet *calvities.* Pro illo jam *cinctu*, totiuſque corporis *cultu* vaniſſimo, exiſteret נקפה *Capitis comminutio*, *cum cerebri diſperſione.* Vocabulum eſt multo aptiſſimum, continens quicquid atrocitatis cogitari poteſt, *veſtimenta dilacerata*, *crines vulſos*, *capita cruentata*, ceterumque deſperationis horrorem. Arabes hac amplitudine donarunt נקאף/ in dicto illo proverbiali, اليوم قحاف غدا نقاف *Hodie pocula*, *cras capitum contuſiones:* quæ innuunt quicquid ebrietas *deſperationis & horroris* ſecum trahit.

Radix hæc reponitur *Threnorum* inſigni loco, unde hactenus exulavit.

VI. In tempore ſuccurrit *Thren.* 3: 5. בנה עלי ויקף ראש ותלאה *Vulgat.* dedit, *Ædificavit in gyro meo, & circumdedit me felle, & labore.* Idem placuit *Syro.* אכרכני מררא ועמלא *circumvallavit me felle & labore.* הקיף a יקף paſſim eſt *cingere*, & ראש *caput* ſerpentis, pro *veneno* uſu venit. Acquieſcunt ferme recentiores: Niſi quod *Caſtalio* cenſuerit. „ *Fatigatio cum* „ *felle non belle conjungitur. Vide num legendum ſit* לענה/ *ut fel cum abſyn-* „ *thio conjungatur.*" Nec emendationem recipimus, nec ſententiam, *cingit me felle & abſinthio*, ubi metaphora ab *ædificio* & *circumvallatione* erat ſuſcepta: Multo minus arridet vulgare *cingit me felle & fatigatione.* Poſtulaſſet linguæ genius ויקפני ראש ותלאה/ ſi ullo pacto una in ſede tam diverſa morari poſſent. ראש *Caput* hic ſonare, tum cetera vincunt, tum vſ. præced. *Attrivit carnem cutemque meam, & oſſa mea confregit*, proinde LXX. Ἐκύκλωσεν κεφαλήν μου, καὶ ἐμόχθησεν. *Arabs* احاط براسي واتعبني *vallavit caput meum, & fatigavit me.* Videntur legiſſe והלאה. *Chaldæus* ad figuram traxit *Capitis*

pro

pro *Metropoli. Machinis contra me exſtructis* אקף קרתא ועקר רישי עממיא ושלהי אינון *circumvallavit Civitatem, & Capita populorum extirpavit, eosque fecit defetiſci.* Obſtinarant animis הקיף a יקף: Si נקף in mentem veniſſet, nunquam ſe ſpinis hiſce compunxiſſent. Fraudi fuit הקיף a יקף *cingendi* notione pertritum; a נקף vero nusquam vel repertum, vel ſaltem agnitum. Non fefelliſſet interim hic loci, ſi נקף ſedem ſuam in *Capitis comminutione* obtinere exploratum habuiſſent: qua proprietate eruta, ſponte ſubnaſcitur; *Et comminuit caput ſic ut cerebra diſpergat viam:* ותלאה *& fatiſco, feſſus procumbo.* Proprie, *& laſſitudo*, oratione abruptiore, ad horrorem augendum, exempla alias proferentur. Ceterum ſi cum *Chaldæo* cogitationem referre libeat, ad *Metropolin*, & *Religionis* atque *Reip. Arcem* ac *Caput*, undique *circummœnitum*, & *graviſſimis ſub ictibus* Babyloniorum *comminutum*, haud ſane repugnaverim.

VII. Hoc emblema non male ſederet quoque Pſ. 17: 9. *Propter improbos* Conjectura ad
qui me vaſtant, & capitales inimicos יקיפו עלי *qui me cingunt.* Sic vulgo; de- *Pſalm.*
creſcente oratione, quæ incrementum ſumet, & vires, ſi detur, *qui ſuper me* 17: 9.
tundunt, mihique caput & cerebrum commitigant. Quisque in ſuo abundet ſenſu: mihi non diſplicebit, *cingunt me*, vel *circumquaque ſuper me imminent*, ſi שדוני *vaſtant me* ad primariam radicis poteſtatem reducatur, *infeſtant me, incurſant me.* בנפש etiam hic non necto cum איבי / pro *hoſtibus capitalibus*, ſed valere putem *cum flatu, cum faſtu, cum ſpiritu & ferocia:* quod *Euripidi* eſt πνόας θέρμας πνεῖν, & ſub *flandi, flatusque* vocabulis Romanis haud incognitum fuit. Stat. Theb. 3.

Det libertatem fandi, flatusque remittat.

Val. Fl. L. 3.

Non hi tum flatus, non iſta ſuperbia dictis.

VIII. Defluimus, prolectante materia, ad Pſ. 22: 18. Ubi הקיף non a Vexatiſſi-
יקף / ſed a נקף derivari poſſet, & haud injuſto forte ſub titulo in poſſeſſio- mo *Pſalm.*
nem immitti. *Voetius, Morus, Altingius, Pocockius, Vitringa*, alii, jam 22: 18.
præiverunt, & in hoc ipſo verbo *crucis* imaginem collocarunt, vertentes, oraculo
perfoderunt me ex Job. 19: 26. de quo ſtatim. Nos ſi radicem נקף huc ad nonnihil
vocemus, potentiam ejus ſic circumſcribimus, *Gravi ictuum pondere contude-* lucis infunditur.
runt mihi manus pedesque inſtar Leonis. Nihil inſolens proferrem, ſi a *Capitis diffractione*, ad aliorum membrorum *violentam contuſionem* verbi uſum ſe porrigere dicerem. Sed non neceſſe eſt, ut eo deveniamus. נקף eſt *diſcuſſo cranio extundere cerebrum.* Inde نقف الحنظل *colocynthidem perfregit granis eximendis.* Vides *cranii diſcuſſi, & cerebri ſparſi* proprietatem. Inde etiam

Digitized by Google

نقف العظم *comminuit os ad medullam eximendam.* En iterum *cerebri diſperſi* imaginem. Conciſius hoc effertur انقفه المخ *fecit eum extundere medullam*, quod *Zjauharius* explanavit, *porrexit ei oſſa quæ diffringeret*, & *quaſi* capitum *crania* diſcuſſa *cerebro ſpoliaret.* Talis *oſſium diffractor exhauſtorque* eſt *Leo*, quem non dubito quin epitheto النقاف נַקָּאף inſigniverint Poëtæ; utique ex ingenio linguæ, invitante occaſione, inſignire licuiſſet: quod nobis nunc juxta habetur. Integrum locum, ad hunc modum ordinarem. *Nam circumdederunt me canes: cœtus maleficorum comminuerunt mihi, Leonis ad inſtar, manus pedesque meos.* Similitudo ob oculos ponit *Leonem* נקאף *violentius prædæ ſuæ incubantem: eique oſſa ipſa comminuentem, & commolentem, horrendo ſub murmure.* Hoc autem ultra ſcopum extendi nolim, qui abſolvitur *immani* hoſtium *violentia*, leoninum in morem prædæ ſuæ *immurmurantium*, & *ingluviem ſuam medullis* ejus quaſi *explentium.* Expromſi, quod in ſinu linguæ clauſum erat, a cujus indole longiuſcule deflexit Cel. *Vitringa*, conglomerans notiones *deſtringendi* aut *nudandi*, *virgis cædendi*, & *perforandi*, quæ hic conſpirarent ad noviſſimi ſupplicii atrocitatem pingendam. Non ceſſabit interim, ſat ſcio, כארי crucem figere interpretibus, eosque ſententiarum fluctu involvere. Noſtræ interpretationi non parum officere judicabitur, הקיף cum סבב/ ut hic, ſic alibi, conjunctum *circumcingendi* poteſtate. Pſ. 48: 13. & Pſ. 88: 18. Qui ex *Atnach* obmovetur ſcrupulus, agmine exemplorum diſcuti poſſet.

Illuſtratur *Job.* 19: 26. IX. Enucleemus porro, quod ex hac radice propagatum tenent plurimi, *Job.* 19: 26. ואחר עורי נקפו זאת *Coccejus* ſibi ſatis conſtans, *deſtrinxerint.* Alii *corroſerint.* Alii *confregerint* aut *contriverint.* Ad radicem יקף reſpexit *Vulgatus*, qûum reddit, *Et rurſum circumdabor pelle mea.* Cl. *Schmidius* velificaturus *Luthero*, *Vulgatum* inſecuto, *Et poſt cutem meam, circumdabuntur hæc.* Explicat, *poſt cutem putrefactam, hæc caro mea nova iterum cute conveſtietur.* Belle magis quam ſolide. Receptæ ſubſcribimus opinioni, atque in נקפו agnoſcimus imaginem hominis *carie* penitus *exeſi*, & *conſumti*, cui vermes *oſſa* quaſi *contuderint*, & *ad medullas* usque *exſuxerint*: نقيف נקיף enim Arabibus eſt *teredine exeſus*, atque *ad medullam usque exhauſtus*, anſa ſumta *ab oſſibus diffractis ad medullam exſugendam.*

Obſcuriſſimo vaticinio *Eſaj.* 29: 1. copioſa lux adfunditur. X. Noviſſime ad incudem revocandum eſt *Eſaj.* Cap. 29: 1. Vaticinium multa obſcuritate implicitum exercitos habet interpretes. Inter alia, nodum nectit חגים ינקפו. LXX. φάγεσθε, φάγεσθε γὰρ σὺν Μωάβ: quod monſtri ſimile eſt. *Vulgat:* dedit, *ſolennitates evolutæ ſunt.* Aliter paulo *Syrus*, עדעארא נתעברון *ſolennitates celebrentur.* Horum veſtigia perſequens Celeb. *Vitringa* non infeliciter edidit, *ſolennitates in orbem eant*, ſignificatione tracta a יקף/ & קוף/ unde תקופה *circumvolutio temporum.* Multum diverſus *Aben-Eſra*, *Feſta ceſſabunt*; poſt *Chaldæum*, qui habet יבטלון *abolebuntur*, prout כרת *exſcindere* vim induit *abolendi.* *Schmidius* paulo aliter, *Feſta determinent.* Sibi

Digitized by Google

Sibi non diſſimilis *Coccejus*, & hic ſubjicit, *feſtas victimas deſtringant*. Invidioſe & contemtim, *deſtringant*, id eſt *excorient*, *exenterent*, pro *mactent*. Major pars *Kimchium* ſequitur, qui expoſuit יכרתו ראש *capita præcidant*. Obſervaverat ille ערף *decollare*, *cervices incidere* Exod. 13: 13. & alibi, a *Chaldæo* efferri נקף. Inde verſio *Tremelliana* ſumſit, *Feſtorum ſacrificiis capita exſecent*. Alii maluere, *jugulent feſta ſacrificia*. Errant qui *cervices inciſas*, & *jugulum hauſtum* radici huic inſerunt. Unice ſonat *caput percuſſum*, & *gravi ictu diſcuſſum*, *cum cerebri diſperſione*. Adhibet *Eſajas*, ut ſagaciter aſſecutus eſt *Coccejus*, verbum grave & invidioſum, non tamen eo ſcopo, quem ſibi ὁ πάνυ præfigebat, quaſi cultus Leviticus adſpernanter haberetur, jam abolitioni proximus. Frui poſſem hac hypotheſi, multumque inde gravitatis ſenſui conciliare. Sed altius quid hic recondi putem, fœcundo & grandiſono Vatis ſpiritui congruens, quo Judæos, occidione occidendos a Romanis, lanienæ admovet titulo *victimarum ſolennium*, quæ tanquam *piacula* juſtitiæ divinæ *capitibus diſcuſſis* ad altare ejus *procumberent*, & perenni vindictæ ejus foco conſumerentur. Eminet jam, credo, Eſajanæ vis eloquentiæ, quæ vocabulum multo appoſitiſſimum huc advocavit, quod ſono ipſo horrorem incutit, & diriſſimas mortium imagines animo objicit. Totius ſcenæ conſpectum, ex mente noſtra, hunc præbemus. *Heus Ariel*, *Ariel*, *mihi es*, *Civitas in qua reſedit David*. Conſtitui te totam, quanta quanta es, in Altare perenni flagrans foco, quod depaſcet, in cineresque rediget, quicquid ambitu ſuo complectitur. *Diſperdite*, proprie *eradite*, *everrite*, *anno ſuper anno: feſtas capitibus diſcuſſis mactent victimas*. nempe laniones illi & victimarii Romani. Concinnius forte erit, ſi intranſitivam notionem adſciſcamus. *Diſcuſſis capitibus procumbant feſtæ victimæ*. Oratio ad hoſtes ſe convertit, qua jubentur, longam per annorum ſeriem, iræ Divinæ infulatas quaſi, & feſta pompa exornatas, hoſtias immolare, rebelles in Deum, Meſſiam, Cæſaremque Judæos, ferro, flamma, crucibus, omni pœnarum atrocitate exſcindendos. Subtexitur vſ. 2. *Attamen coanguſtabo Arielem*. Tanta vis & multitudo devotorum capitum eſt occubitura, ut cadaveribus capiendis non ſuffectura ſint mœnia Hieroſolymitana. *Eritque mæror & mæſtitia*. Infando luctu omnia funeſtabuntur. *Sic erit mihi civitas ut Ariel*: ſic ego Davidis illam regiam ſedem in focum vertam irreſtinctum, ubi vindictæ meæ æſtus deſæviat, inſtar *Leodei*, immani impetu lacerantis & devorantis.

XI. Hanc interpretationem adjutabunt nonnihil Thalmudicorum נוקפים/ quo nomine appellarunt *laniones*, & *victimarios*, qui hoſtiis *frontem* inter cornua *feriunt*, ut ſopitæ recumbant, minusque retractent. Mallei, lignive ictu graviore ſic percuſſum caput, nonnunquam penetratur, & ad cerebrum usque pertunditur. Non male itaque נוקפים *capitum diſcuſſores* in hanc ſedem immigrarunt, argumentumque præbent, & indicium, Veteres *Eſajæ* hocce Oraculum, ſi non eodem, affini certe nobiſcum ſenſu accepiſſe, de *hoſtiarum capitibus inter cornua diſcuſſis*; quamvis forte invidioſum illud & dirum, quod

Ritus Vetuſtos capita victimarum percutiendi quando ceſſarit, in templo.

dedita

dedita opera ſectatus eſt Vates, minus introſpexerint. Non poſſum enim, quin coronidis loco apponam, priſcum Templi ritum, a Johanne Hyrcano abolitum, cui, ex traditione Thalmudica, in codice *Sota*, oborta fuit religio circa morem *capita* victimarum *percutiendi*, ut ſtratæ conſopirentur, & patientius jugulum præberent. Integritatem violatam id interpretabatur Johannes pontifex, & oblato vitio pro morticinis habendas eſſe tales hoſtias dictitabat. Inſtituit proinde ut in poſterum capita uncis annulisve ferreis alligarentur, eum in uſum ſolo atrii infixis, atque hoc pacto ſtantibus integrisque victimis, non ſtratis, læſisque, cultri ſubjicerentur, quando נוקפים in Templo ceſſarunt.

Victima feſta pro piaculis iræ divinæ, & ſacrificia pro lanienis & cædibus.

XII. Nobiliſſimam porro figuram, qua חגים *feſtas & ſolennes victimas*, traducimus ad *iræ cæleſtis publica piacula*, & *populum ſummo ſupplicio divinitus mactatum*, non eſt quod multis commendemus. Qui in prophetarum ſcriptis volutati ſunt, hunc colorem, grandiloquentiæ eorum conſonum, ſtatim agnoſcent. Luculentiſſimum eſt hoc *Zephan.* 1: 7, 8. *proquinqua eſt dies Jehovæ: apparavit Jehova ſacrificium, invitatos ſuos ſanctificavit* &c. &c. Non minus illuſtris eſt ſcena *Eſaj* 34: 6. *Gladius Jehovæ plenus eſt ſanguine* &c, *quia ſacrificium eſt Jehovæ in Botſra, & mactatio magna in terra Edomi.* Adde *Jer.* 46: 10. & *Eſech.* 39: 17. Eodemque, præter alia, alias uberiore luce afficienda, retulerim *Thren.* 1: 15. *proclamavit ſuper me ſolennem conventum.* Et vſ. 21. Ibid. *Adducas diem, quam promulgaſti.* In quam indixiſti *feſtam* quaſi *mactationem*, & ſtragem in gentiles edendam.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Radix ספה minus dextre hactenus tractata. Ejus indolem quo pacto explicuerint, vel implicuerint, Lexicographi. Arabum conſtans uſus in *radendo.* proprietas hæc Hebræis vindicatur, & exemplis Biblicis adſtructa datur. Tralate porro *Radere* gravi & eleganti ſchemate pro *conſumere*, *diſperdere.* Loca quæ hanc figuram amplectuntur bene multa. *Radunt* venti, *radunt* malorum procellæ & tempeſtates. *Radere ebriam ſimul & ſitientem*, locutio proverbialis. Alia facie *Radere*, pro *corradere* & *coacervare*, cum invidia & contemtu conjunctum. Loca quæ hinc lucem fænerantur.

I.

Verbo ספה manus admovetur.

Verbo ספה/ anſa præbita, capite ſuperiori indidi ignaram interpretibus, atque fugitivam adhuc poteſtatem. Hanc unde hauſerim, & quo jure ac titulo in priſtinas reducere ſedes ſuſtineam, dabo: ſimulque radicem gravitatis ac venuſtatis pleniſſimam liberabo ambiguitate & confuſione notionum, ex qua in Lexicis noſtris laborat.

Varietas & fluctuatio in notione figenda.

II. Judæorum magiſtri ſignificationes ſub duas claſſes conjecerunt, quarum altera amplectitur כל מה שפירושו כליה *omne quod conſumtionem interpretari licet*, altera מה שפירושו תוספת *quod per additionem exponitur.* Sic *R. Nathan* in *Corcord.* Sic *Kimchius* in *Libro Radicum*, ſic mente ac voce conſona omnes. Hinc per Lexica & verſiones noſtras circumferuntur notiones, *perdere*, *diſperdere*, *conſumere*, nec non *adjungere*, *aggregare* &c. atque nonnullis viſum fuit, radicem hanc iis eſſe annumerandam, quæ oppoſita & contraria pollent poteſtate: ut quæ ex origine valuerat *addere*, per antitheſin devenerit in *diſſipandi*, & *perdendi* ſignificationem.

Quomodo eam componere tentarint *Coccejus* & *Avenarius*.

III. Hoc Grammaticorum commento duci ſe haud paſſus *Coccejus*, ſeriem ſic ordinare inſtituit, ut ספה/ ex cognatione verbi סוף/ *primo*, uſu venire poſſit pro *conſumi*, *deficere:* ex affinitate, *ſecundo*, verbi אסף/ pro *auferre*, *conſumere:* ob viciniam, *tertio*, verbi יסף/ pro *addere*, *conjungere*. Præiverat *Avenarius*, cujus hæc ſunt meditamenta. ספה *contraxit*, *adjecit*, *conſumpſit*, *abſumpſit. Cognationem habet cum* אסף *traxit*, *&* יסף *addidit*, *item cum* סוף *finivit*, *nam ſignificat contrabere ad finiendum.* Sed quam lubrica ſit &

Digitized by Google

fallax hæc *alliterationis* via, differere nihil attinet, neque trium diverſarum diverſas ideas, in quartam confluxiſſe, ſeque confudiſſe, ſibi perſuadebunt illi, qui ſpecie & colore præſtringi non ſolent.

Genuina poteſtas producitur ope Arabum, ſita in *Radendo*.

IV. Perſenſerunt jam, qui Linguarum abditos meatus & receſſus tentarunt, fontes radicis hujus adhuc occluſos eſſe, atque hinc anguſtias haſce & tenebras ingruiſſe. Hiſce nos explicabunt & evolvent Arabes, quibus سفي, ut cognatum سفن, & سفر, primario eſt *radere*, *verrere*. Hinc prognatum eſt, سفت الريح التراب· اذا اذرته *Radit terram ventus*, *quum pulverem ſpargit verritque;* teſte *Zjaubario:* ut &, سفا يسفو اي اسرع في المشي والطيران *Raſit*, *pro rapidus fuit in itu aut volatu*, penes eundem. *Golius* hunc *Zjaubarii* ordinem invertit, ſeriemque ſic ordinavit. سفا *1. velox fuit eundo vel volando. 2. Abripuit*, *aſportavit*, *diſperſit pulverem ventus:* nihil quicquam ſuſpicatus de *radendi* notione primitiva, unde utraque metaphora venuſte propagata eſt.

Speciatim de *vento radente*, ac *verrente*.

V. Exemplum uſus prioris promo ex *Hamaſa*, ubi Anonymus hoc carmine mortuum deflet.

اضحي ابو القاسم الثاوي ببلقعة
تسفي الرياح عليه من سوافيها ✡

Eo recidit Abu'l kaſim, qui nunc divertit ad vacuam tellurem ſepulcri,
Ut radentia ventorum ſuper ipſum radant, aut *pulverem vehant verrantque.*

mentem Poëtæ, ut & ſignificationis hujus amplitudinem, ſic declarat *Tebrizius.* السفا والسافيا التراب يقال سفت الريح التراب وغيره والريح سافية والجمع سوافي تسفي التراب والورق واليبيس وقيل السافيا الريح تحمل ترابا كثيرا تهجم به علي الناس والسفا ما تسفيه

Hoc eſt: אלספה & אלסאפיא *eſt pulvis: dicitur, pulverem, ut & alia*, ספת אלריח *raſit ventus:* violentius aſportavit. *Et ipſe ventus* סאפיה *raſor*, *cujus plurale* סואפי / *qui radendo vehit*, ac verrit, *pulverem*, *folia*, *& quicquid aridum. Juxta alios* סאפיא *eſt ventus, qui multum vehit pulverem, quo irruit in homines, &* ספה *eſt omne illud quod verrit raditque.*

Idem hoc plurale extat in *Hiſt. Tamerl.* p. 311. وارسل عليه زوابع سوافيه *& immiſit in eum Typhones radentium ſuorum ventorum.* Conſpirat Latinorum *verrere*, apud *Lucan.* 5. 572.

—— —— —— Si murmura ponti
Conſulimus, Cori verrent mare. ——

Trita

Trita etiam hæc *Virg. Æn.* 1.

Luctantes ventos, tempeſtateſque ſonoras
Imperio premit, ac vinclis & carcere frenat.
Ni faciat, maria ac terras cœlumque profundum
Quippe ferant rapidi ſecum, verrantque per auras.

Adde *Georg.* 3.

Qualis Hyperboreis Aquilo cum denſus ab oris
Incubuit —— —— —— —— ——
Ille volat, ſimul arva fuga, ſimul æquora verrens.

Præivit *Lucr.* 1. 280.

Sunt igitur venti nimirum corpora cæca;
Quæ mare, quæ terras, quæ denique nubila cœli
Verrunt, ac ſubito vexantia turbine raptant.

Alibi ſæpe idem,

—— —— *Venti verrentes æquora ponti.*

Ut Lib. 6. 624. & Lib. 5. 267, 389. quodque rarioris eſt ſtructuræ, Lib. 5. 1225.

Summa etiam cum vis violenti per mare venti
Induperatorem claſſis ſuper æquora verrit.

Ad hunc modum fas fuerit *ventos* inducere *radentes*, *& quæ converrunt eradentes*, *ac violentius aſportantes*, quæ Arabes ſub ſuo ספה comprehenderunt. *Lucr.* 5. 442.

Fit quoque, ut involvat venti ſe nubibus ipſe
Vortex, conradens ex aëre ſemina nubis,
Et quaſi demiſſum cœlo præſtera imitetur.

Radere etiam in *curſu rapido* & *pulverem glomerante.*

VI. Alterum etiam uſum nonnulla luce afficiamus; quo *Radere* transfertur *ad curſum volatumve rapidum.* بغلة سغول *Mulus raſor*, apud *Zjaub.* eleganter, خفيفة سريعة *velox rapidusve.* Nempe *radere iter* eſt *carpere iter*, & *cum impetu emetiri*, ſive eatur, ſive voletur, ſive navigetur.
Virg. *Æn.* 5.

—— —— *Mox aëre lapſa quiete*
Radit iter liquidum. —— ——

Idem

Idem *Æn.* 7.

Proxima Circeæ raduntur litora terræ.

Et Lib. 5.

Radit iter lævum interior.

Magis tamen eſt ut in hac figura attenderint Arabes ad ſimilitudinem *venti radentis*, & *pulverem glomerantis*, ut *radere* dicatur *iter*, ex eorum mente, qui *multo pulvere excitato curſum rapit.*

Radere pro *vexare*, ac velut *ſub cultro habere.*

VII. Tertium adtexo uſum ex *Camuſo*, ubi اسفي به *Raſuram in eo exercuit*, exponitur, *nocuit*, *male fecit*, *vexavit.* ضر. Id imaginis aſſumſerunt Latini ſub verbo *tondere*; ſcenam facete adornatam dabit *Plautus* Capt. Act. 2. 2. 16.

Nunc ſenex eſt in tonſtrina, nunc jam cultros attinet;
Ne involucre quidem injicere voluit, veſtem ut ne inquinet.
Sed utrum ſtrictimne attonſurum dicam eſſe, an per pectinem,
Neſcio: verum ſi frugi eſt, usque admutilabit probe.

Lepide idem in *Bacchidibus*,

Quem quidem ego hodie faciam hic arietem Phryxi:
Itaque tondebo auro, usque ad vivam cutem.

Nec non,

Is me ſcelus usque attondit dolis doctis indoctum,
Ut libitum eſt.

Expreſſit Græcorum ἐν χρῷ κείρειν. & ἐν χρῷ ξυρεῖν. *Radere* eodem ſumma ſponte ſe porrigit. *Mart.* 2. 17.

Sed iſta tonſtrix, Ammiane, non tondet.
Non tondet? inquis; ergo quid facit? radit.

Radere pro *obtrectare.*

VIII. Quartum uſum ſubminiſtrat سفاء / ספא quod pro نمام *ſuſurro*, *obtrectator*, uſu venire docet *Phiruzabadius.* Id proprie *raſorem* ſonat, vel quod aliorum famam inclementer *radat*, *perſtringat*, *lancinet*, *laceret*: vel quod *tonſtrinam* quandam *exerceat*, in qua *exiſtimatio* omnium *attondeatur* & *probe admutiletur*; alluſione ad tonſorum tabernas, quæ plerumque calumniarum & mendaciorum ſunt officinæ, dicam, an ſentinæ publicæ.

Radere pro *perdere*, *delere*, *radendo auferre.*

IX. Quintum uſum expromſit *Maruphides* apud *Golium*, qui اسفي *Radere* poteſtate *perdendi* produxit: quod argumento eſt *Zjaubarium*, & *Phiruzabadium*, neutiquam radicis hujus formulas & elegantias omnes exhauſiſſe, atque aliorum diligentiæ, tum aliis in verbis, tum in hoc quoque, mul-

tum

tum reliquiſſe. *Radere* autem, aut *eradere*, ut *delere*, proclivi via & gradu devenit in notionem *diſperdendi*, in quam etiam vicinum *verrere* ſe porrexit, aut *everrere;* de quibus ſtatim plura. Ambigo interim, *ventum radentem*, & *aſportantem* hic reſpexerint, an vero *novaculam*, quæ Orientalium figurato ſtylo emblema gerit *calamitatis* atrocius *ſævientis*, & *diſperdentis*.

Novaculæ allegoria Hebræis frequentata.

X. Operam nullus luſerim, ſi ante, quam Hebræorum תער ad hanc potentiam revocare aggrediar, *novaculæ* figuram paucis illuſtravero, *exitium* & *internecionem* ferme adferentis. *Eſaj.* 7: 20. Rex Aſſyriæ in manu Dei conſideratur tanquam *Novacula conductitia*, Remp. Judaicam probe *attonſura*, ejusque *caput*, *pubem*, & *barbam*, hoc eſt, *principes*, *turbam proletariam*, & *antiſtites*, *abraſura*, atque *admutilatura*, non ſine ſanguine & cruciatu. Alii allegoriam traduxerunt ad *internecivam cladem* ipſius Aſſyrii, cum vaſtiſſimo exercitu una nocte *extirpati* & penitus *eraſi*. Similiter *Ezechiel* Cap. 5: 1. &c. excidium Babylonicum, & ſtrages imminentes populo ſuo expicturus, capit *Novaculam acutam*, *Novaculam tonſoris*, ſibique *barbam* & capitis *pilos deradit*, partim *igni*, partim *ferro*, partim *ventis tradendos*, ad omnis fortunæ ludibrium adjiciendos. Eadem ſcena obverſata eſt *Nahumo* Cap. 1. 12. ubi Aſſyriorum vaſtationem hoc colore adumbrat. אם שלמים וכן רבים וכן נגזו *prout integri ſunt*, & illibati, *itemque ampli*, opulenti, *ſic etiam attondebuntur*. Huc denique libens retulerim *Pſal.* 9: 21. שיתה יהוה מורה להם *Appone ipſis*, *Jehova*, *novaculam*. Non, ut plurimi dederunt, *timorem*, מורא. Vidit jam figuram hanc Cl. *Gejerus*, expoſuitque de *vindictæ Divinæ acie penetrantiſſima*.

In verbo ספה *Radendi primitiva indoles illuſtri documento firmatur.*

XI. Hoc jacto fundamento verbum ספה ſuis finibus reddamus. Id *radendi* poteſtate præditum fuiſſe, extra controverſiæ aleam locat *Eſaj.* 7: 20. *Die illo attondebit Dominus*, בתער השכירה *Novacula mercenaria*, *per transfluviales*, *per Regem Aſſyriæ*, *Caput*, & *Pubem;* וגם את הזקן תספה *atque ipſa etiam Barba* Radetur. Vel ſi תער alibi maſculinum, fœminine ſumi poſſe detur, *Atque ipſam quoque Barbem* Radet. Ut cohæreant תער תספה; LXX. Καὶ πώγωνα ἀφελεῖ. *Vulgatus* uno *radere* defunctus eſt, ad גלח & ספה experimendum. Infuſcavit ille vatis artificium, qui leniori vocabulo *tondendi* גלח, ſubtexuit atrocius ספה *Radere*, ut cladem non unam oculis ſubjiceret, aliam alia infeſtiorem, & per gradus deſævituram. Gradationem hanc non aſſequuntur etiam, qui *perdere*, *abſumere* aut ſimile quid hic ſecuti ſunt: illa enim horrorem non intendunt, quem unice complet cumulatque *Radere*, *tondendi* figuræ ſuperadditum, ad violentiam illam ingerendam, qua Aſſyriaca novacula ſtringeret, laceraret, cruentaret. Recolatur illud *Martialis* ſupra laudatum.

Non tondet, inquis? ergo quid facit? Radit?

Alteroque item exemplo roboratur.

XII. Uſus ejusdem, ad conſimile emblema traducti, veſtigium oblitteratum eruo ex *Jeſaj.* 13: 15. כל הנמצא ידקר וכל הנספה יפול בחרב Gran-

diſonus vates omnes eloquentiæ ſuæ habenas effundit, ad Babyloniorum ſtragem atque internecionem graviſſimis figuris pingendam. *Ecce dies Jehovæ adveniat*, ſic ſcenam terribilem exorditur vſ. 9., *atrociſſimus ille; cum excandeſcentia, & æſtu naſi: ad redigendum terram in deſolationem; utque peccatores ex ea eradicet.* Hujus atrocitatis, & immanis ſævitiæ, qua hoſtes florentiſſimum imperium perſultarent, notabilem caracterem ducit vſ. 12. *Cariorem reddam mortalem auro puriſſimo; & hominem metallo Ophirino.* Senſus eſt, tam truculentos fore Medos & Perſas, ut non tam prædam & opima ſpolia, quam cædem, & lanienam internecivam anhelare viderentur: multoque ſitientius vitam & ſanguinem Babyloniorum, quam eorum gazas & theſauros haurirent. Appoſite ad rem *Claud.* de B. G. 605.

Inviſum miles ſitiens haurire cruorem
Per varias veſtes, oneraque plauſtra metallo
Tranſit, & argenti cumulos: & CÆDIS AVARUS
Contemtas proculcat opes. PRETIOSIOR AURO
SANGUIS *erat: paſſim neglecti prodiga lucri*
Ira furens ſtrictis odium mucronibus implet.

Exhaurirent tamen illi longa fortunæ indulgentia cumulatam opulentiam, ſed ſic, ut ea neutiquam ſatiati, miſere vexatos, laceratos, ſpoliatos, atque ad medullam usque exſuctos, dira tandem nece conficerent ac contrucidarent: atque, ut *Jeremias* alicubi dixit, *evacuatas lagunculas*, per ludum jocumque, madidorum inſtar, *manibus excuſſas confringerent*, & proculcarent. Hanc imaginem ob oculos ponit vſ. 15. verbis ſupra adductis; in quibus reddendis aqua hæret ſummis virorum. Vulgaris ſententia perfrigide exit, *Omnis qui inventus fuerit, configetur; & omnis qui aggregatus fuerit, cadet gladio.* Jacentem ſenſum erigere conatus eſt *Coccejus*, hoc pacto: *Omnis qui præſto fuerit, confodietur, & omnis affixus, cadet gladio.* Diceres ei *affixum* hunc, per *conjunctum, qui adeſt, qui accedit*, declarari, quod merum etiam frigus eſt. *Schmidius* נספה heic loci *abſconditum* ſonare ſuſpicatur, ut ſit oppoſitum τῷ נמצא *inventi*, quod eſt nodum ſecare, non exſolvere. *Kimchius* decurrit ad alteram illam, quam ſupra ex mente Rabbinorum propoſui, claſſem ſignificandi, laudatorem nactus & patronum Cel. *Vitringa*, qui edidit, *Quisquis deprehenſus fuerit, confodietur, & omnis deficiens, gladio morietur*, ac ſi diceret Propheta: „ Non *deprehenſi modo*, qui præſto adfuerint, robuſti, valentes, gladio configentur: ſed & *deficientes ac moribundi*, qui eo jam ſunt „ ſtatu, ut mortem alias etiam non effugerent, non tamen impetrabunt a „ truce victore, ut naturæ hoc perſolvant debitum: ſed ipſi quoque, barbara victoris ſævitia, ferro cadent ac proſternentur. Petitur hæc ſignificatio „ vocis נספה ex *Prov.* 13: 23." De loco illo *Proverbiorum* mox videbimus, nunc pro *deficiente*, & *conſumtis viribus exhauſto*, velim aſſumas, juxta indolem radicis patefactam, *raſum, abraſum, deraſum*, & *radendo excarnificatum*, atque pro נמצא *invento, exſuctum, expreſſum, extortum*, & *torquendo* exina-

exinanitum atque *exſpoliatum.* Integrum locum hoc conveſtimus lumine & inſigni figurarum. *Omnis* Exsuctus *confodietur: & omnis* Abrasus *cadet gladio.* נמצא/ ex viciſſitudine literarum *Ebevi*, poſitum eſt pro נמצה/ a verbo מצה *ſuxit*, *ſugendo expreſſit*, *& exhauſit:* item, *compreſſit*, & *humentem ſpongiam exſiccavit.* Sic נמצא ſubjicit *hominem ad medullas usque exſuctum*, & *cui opes ſuæ tormentis expreſſæ* ſunt. Adjungitur ei נספה *raſus*, *deraſus*, & *tondendo* probe *admutilatus*, quem *novacula* hoſtilis vexavit, *pilavit*, deglabravit, & fortunis ac divitiis *exuit*, non ſine multa *ſanguinis miſſione.* Nullis interim vexationibus & deprædationibus redemta atque expleta crudelitas, ad extremum victimas haſce furori ſuo immolaret, ſeque ferro in viſcera adacto exſaturaret.

Alia ejusdem loci Interpretatio.

XIII. Quod ſi religio inceſſerit, radicem מצא deferendi, & נמצא omnino *inventum*, vel *deprenſum* hic ſonare contendatur, nihil nobis deceſſerit, ſed contra multum per nos vulgari etiam interpretationi acceſſerit, ſi pro *adjuncto*, *aggregato*, quod mirifice languet, dedero *corraſum*, *radendo contractum:* ſive cum Belgis noſtris intelligas *militem auxiliarium* & *conductitium*, invidioſe & ſalſe *corraſi* nota adſperſum, ſive cum Rabbinis referas ad eos qui ex agro in oppidum *congregati* erant & *corraſi:* quod ſimiliter contemtum ſpirat: ſive cum *Hieron.* exponas *qui ſupervenerit:* ſive cum *Coccejo* denique, *qui ſuperacceſſerit*, quæ ad *corradendi* originem nullo negotio revocantur. Nihil tamen horum ſatis tutum: limpidius fluet נספה *corraſus*, pro eo qui eſt *ex fuga retractus*, *ex latibulisque extractus ad necem*, ſententia hunc in modum concinnata, *Fugerint quisque ad terram ſuam*, *& ſinguli ad ſuos reſpexerint; Omnis ecce deprehenſus confodietur*, *& omnis ecce corraſus occumbet gladio.* Nemo fuga elabetur, ſed vel palam *deprenſi*, vel ex latebris *protracti*, *corradentur* ad lanienam, & *cædis avaro*, ac ſanguinario hoſti, jugulum præbebunt hauriendum, ut ſine modo ac modeſtia graſſante gladio, omnes occidione occidantur, & cum pulviſculo, velut *radantur* atque *everrantur*.

Radendi Inſignis gravitas & venuſtas in loco *Geneſ.* eruitur.

XIV. Circumluſtremus jam porro locos illos, in quibus *conſumendi*, *perdendi*, *in perniciem auferendi* notionem adoptarunt interpretes, iisque figuræ illuſtris ſplendorem refundamus. *Gen.* 18: 23. האף תספה צדיק עם רשע *Etiamne juſtum cum improbo* Rades? Multo id potentius, & ſonantius, quam *perdes*, *conſumes*, *auferes*, adfert enim præterea graviſſimam imaginem vel *Novaculæ* divinitus *admotæ*, ad cunctos *eradicandos*, & e terra viventium *eradendos;* vel *venti raſoris*, *omnia* uno turbine *verrentis*, & in exitium aſportantis; vel, quod non multum abludit, *ſcoparum perditionis*, quas dixit *Eſaj.* 14: 23. quibus cuncta *everſa* & *exterſa* relinquerentur. Utrum horum arriſerit, *Radere* noſtrum non tantum fortius ſpirabit, verum etiam invidioſius, ut ne ipſa quidem Eloquentia opportunius vocabulum huc advocaverit.

Alia multa ejusdem coloris & luminis.

XV. Ejusdem elegantiæ & gravitatis ſunt, quæ cumulatim hic, & per ſaturam, in medium dabo. *Gen.* 19: 15, 17. פן תספה *Ne* Radaris *in Urbis hujus iniquitate:* vel, ſi placet, *pœna.* Num. 16: 26. פן תספו בכל חטאתם *Ne* Radamini *in omnibus eorum peccatis.* Coccejus, *ne una auferamini*, aut, *ne*

ne adjiciamini, *ne conſortes pœnæ fiatis*, quod eſſet, CORRADAMINI. 1 Sam. 12:25. גם אתם גם מלככם תספו *ſimul vos*, *ſimul rex veſter* RADEMINI, *Erademini*, *Everrimini.* 1 Sam 27:1. אספה יום אחד ביד שאול RADAR *aliquando per manum Saulus.* Nollem *Coccejo* excidiſſet, *includar in manus Saulis*, pro, אאסף. Pſalm. 40:15. *Qui quærunt animam meam* לספותה *ad* RADENDUM *eam.* Jer. 12:4. ספתה בהמה ועוף ERASA *ſunt animalia & volucres.* Intranſitive ut Eſaj. 7:20. ſupra vidimus. Iterum 1 Sam. 26:10. במלחמה ירד ונספה *In prælium deſcendet*, *&* RADETUR. Ex quibus omnibus, cum pernicie & interitu, emicat aliquid vel *invidiæ*, vel *atrocitatis*, quod cum univerſa ſerie mirum in modum concinit, eique ſingulare momentum adjungit.

Duplex facies, quam admittit *Raſus* in loco Chronicorum.

XVI. Seorſum inſpexiſſe pretium fuerit 1 Chron. 21:12. Ubi Davidi pœnas irato Numini daturo optio defertur, num *triennii famem* mallet, an *tridui peſtem*, & *gladium Divinum*, an vero *gladium humanum*, *trimeſtri ſpatio incubiturum*, ut qui victricia ſæpe arma circumtulerat, eſſet נספה מפני איביו. Vulgo, *deficiens coram hoſtibus*, vel *conſumtus.* Venuſtius multo & nervoſius eſt noſtrum *attonſus*, *adraſus*, *circumraſus novacula hoſtili*, & *multis cladibus attritus:* cui imagini reſpondet quod ſtatim attexitur, וחרב איבים למשגת *gladio hoſtili undiquaque aſſequente*, *infeſtante*, *deſæviente.* Poſſet etiam נספה *raſus* alia figura exponi *profligatus*, *fuſus*, *fugatus*, & *procella* velut *bellica*, ac *vento raſore* huc illuc *disjectus*; anſa ſumta ex derivato סופה in *ventis procelloſis* & cuncta *verrentibus* frequentato. quorum ſimilitudinem induit *exercitus victor*, omnia uno impetu ſternens verrensque.

Proverbiorum locus obſcuriſſimus illuſtratur.

XVII. Anceps eſt & involutum נספה Prov. 13:23. ſententiamque ſua ſponte obſcuram nova caligine offundit. רב אכל ניר ראשים ויש נספה בלא משפט Non vacat excutere, quæ huc congeſta te incertiorem dimitterent, quam acceſſeras. Plurimarum calculum abſtulit hæc verſio, *Multum cibi effert novellare pauperum: & eſt qui conſumitur defectu judicii.* Senſus hic conſtituitur, *induſtria* & *gnava agricolatione* etiam *pauperes* ſenſim *diteſcere*, atque ad lautas poſſeſſiones atque fortunas pervenire: *ignavia* contra, & *diſſolutione* vel *ditiſſimos pauperari*, *mergi*, *atteri*, *conſumi.* Ecquid hac in ſede admiſeris נספה *attonſum*, *raſum*, *deraſum*, pro *ſenſim ac pedetentim* ſuamet inertia *exeſum* & *abſumtum*? Mentem habes eandem, inſigni ſchemate illuminatam. Sed נספה RASUS, ex genio Orientis non tam exprimit *minutatim conſumtum*, quam, *ſubito & violenter opibus nudatum*, atque *eradicatum.* Demus itaque, *Et eſt qui* RADITUR, funditus eradicatur, *defectu judicii*, vel ut alii maluere, *juſtitiæ.* Non placet interim יש ſimplici illa notione ſumtum, quod oppoſitio utriusque membri hoc pacto deſideretur, & cogitatione veniat ſupplenda: ea vero apertiſſima reddetur, atque in oculos ſtatim incurret, ſi יש capiamus pro *divitiis*, & *fortunarum ſumma affluentia*, *Ipſaque*, ut ſic dixerim, *ſubſtantia*, *habentia*, *opulentia*; ex uſu ſignantiſſimo; quam præfert Prov. 8:21. להנחיל אהבי יש Non male tornatum hinc exibit dictum, *Novellare pauperum* pervenit *ad uberem proventum*, atque *abundantiam: At ipſa Subſtantia*, ac ſumma opulentia, RADITUR *defectu judicii.* Hoc eſt, diligens & attentus pafami-

Digitized by Google

familias, laboris ſudoriſque haud parcus, & tenui agello uberrimum ſibi victum comparat, atque ad amplas opes emergit: at *negligentis* & *diſſoluti* vel maxima *Opulentia*, nec opinato turbine *raditur*, *rapitur*, *verritur*, & cum pulviſculo *aſportatur*.

XVIII. Uniee equidem verum duco hunc ſenſum: non poſſum tamen quin mentionem injiciam verſionis *Vulgatæ*, poſtremum membrum edentis. *Et aliis congregantur abſque judicio.* Placuit id nonnullis, ex notione *addendi*, *aggregandi*, quam ספה ſubjecere. Explicatur de *opibus correptis* & *congeſtis* per vim atque injuriam, quibus opponatur *cibi abundantia ex juſto labore collecta, ac convecta;* quo pacto נספה *corraſum* multo appoſitiſſimum erit, ſententia ſonante, *At eſt corraſum abſque judicio*, vel plenius & uberius, *Et Opulentia* eſt, datur, exiſtit, *corraſa per injuſtitiam.*

Alia adhuc ejuſdem ſententiæ interpretatio.

XIX. Exquiſitiſſimæ elegantiæ eſt uſus verbi noſtri in *Hiphil*, unico illo exemplo ſalivam movens, & guſtulum relinquens complurium id genus formularum *Deut.* 23: 23. אספה עלימו רעות. Diſtinentur interpretes inter *conſumere* & *addere*, redduntque partim, *conſumam*, impendam, *in eos mala;* partim. *Addam*, cumulabo, *ſuper eos.* Utramque ſententiam egregie impleret Radere, ſic ſtructum, Corradam *ſuper eos mala.* Undique *aggeram*, *coacervabo*, *accumulabo*, & *acerbius conquiſita effundam.* Sed verſio iſta genuinam potentiam conjugationis Hiphil non ſervat, qua retenta, ſenſus emerget multo graviſſimus ac venuſtiſſimus, Radere Faciam *ſuper eos mala.* Calamitates & mala ſunt *venti*, *tempeſtates*, *procellæ*, quæ *radunt*, *verrunt*, & in exilium, exitiumque *aſportant*.

הספה *Radere fecit*, calamitates, ritu procellarum, inſigni figura *Deuteronomii.*

XX. Hanc interpretationem commendat derivatum סופה / *turbinis* ac *procellæ* notione pervagatum: id vulgo in ordinem cogitur ſub radice סוף *finiri*, & quæſitis frigidiſque etymis torquetur. Eſt procul dubio *ventus* Rasor, *omnia*, multa cum glomeratione pulveris, *ſternens verrenſque.* Hoſ. 8: 7. *Ventum ſeminarunt*, Rasorem *turbinem metent:* ubi ſimul habes *tempeſtatis calamitoſæ* figuram. Conjungi ſolet cum סער & סערה / cui ab *Urendo*, & peſtiferum æſtum viſceribus inſinuando, nomen inditum eſt, Nah. 1: 3. יהוה בסופה ובשערה דרכו וענן אבק רגליו *Jehovæ viæ in vento eſt* Rasore *ſimul* & Ustore, *Nubeſque ſunt Pulvis pedum ejus.* Alludi vides ad *pulveris glomerata volumina*, quæ ventus *Raſor* vehit verritque; cum quibus disjecta & glomeratim rapta nubila comparantur.

כזנה *Ventus raſor*, ut כזרה *Uſtor*

XXI. Ad ſignificationem *Radendi*, quæ internecionem portat, reduxerim quoque *Eſaj.* 29: 1. ספו שנה על שנה / Vulgo, *Addite annum ſuper annum.* Sententiam ſic in illuſtri luce locavit Cel. *Vitringa:* Vos profani & hypocritæ, qui vobis perſuadetis vos externo cultu, quo *annua* Feſta celebratis, & victimas feſtas magno numero offertis, Deo ſatisfacere, ejuſque jam placaviſſe iram, *addite*, ſi ita placet, *annum anno*, *celebrate feſta*, *procurate victimas*, quod ſtrenue ſatis agitis: attamen ſcitote, Deum in his ſibi neutiquam complacere, quod videlicet abſque fide & cum hypocriſi deteſtabili, alieno a Deo affectu, hoc externo Religionis ritu defungamini, &c. &c.

Radere pro *corradere*, vel potius *eradere* apud Eſajam.

&c. &c. Irriſio illa & contemtio, quæ ex oratione hac eminet, faſtidioſore, puto, vocabulo aculeum ſuum exeruiſſet, quem altius figi ſenties, ubi pro *Addite* poſueris *Radite*, *Corradite annum ſuper annum.* Aliam tamen noſtro quidem animo, mentem eſſe intricatiſſimi hujus Oraculi, capite præcedenti diſcuſſum eſt, cujus par. X. edidimus RADITE, *eradite*, *everrite*, ANNO SUPER ANNO: ut ſermo ad victimarios & laniones Romanos dirigatur, qui Judæos, iræ Divinæ piacula, per annorum longam ſeriem, atrociſſimis cladibus mactarent, eorumque *tenuiſſimas* etiam *reliquias occidione occiderent*, & *ſumma acerbitate eradicarent.*

Corradendi uſus contumelioſus apud Jerem.

XXII. Ceterum CORRADENDI faſtidium illud inſero *Jerem.* 7: 20. עלותיכם ספו על זבחיכם Flaccet vulgare, *Holocauſta veſtra addite ſacrificiis veſtris.* Illuditur populi carnalis ſtupor, in ſacrificiorum ſuorum paratu & pompa mirifice ſibi placentis, Deoque nidorem illum imputantis. *Indignationem* itaque, cum *contemtione* conjunctam requirit oratio, quam ſpirabit ſententia hæc, *Holocauſta veſtra* CORRADITE *ſuper ſacrificia veſtra: & comedite carnem. Atqui non locutus fui cum majoribus veſtris, quo die eduxi eos ex Ægypto, de rebus holocauſti & ſacrificii. Sed hanc ego rem præcepi eis; auſcultate voci meæ, &c.* Ubi vides usque eo indignationem exardeſcere, ut Deus neget ſe cultum illum condidiſſe, quæ graviſſima eſt figura Rhetorices, cujus vehementiam nihil æque ſuſtinuerit quam quod modo productum eſt.

Qui aliis adhuc exemplis adfirmatur.

XXIII. Cognati coloris eſt *Eſaj.* 30: 1. *Væ filiis refractariis, ait Jehova, qui ineunt conſilium, ſed non ex me: & texunt texturam, ſed non ſpiritu meo:* ספות חטאת על חטאת, *ut peccatum peccato addant.* Sic paſſim interpretes; dilute ſatis. Nervus apparebit & aculeus, ſi ſupponas, *ut* RADANT *peccatum ſuper peccatum*: id eſt, *radendo coacervent:* quo nihil invidioſius atque acerbius, hac in ſede, excogitari poteſt. Similiter *Num.* 32: 14. *Ecce loco patrum veſtrorum ſurrexiſtis progenies peccatrix:* לספות עוד על חרון אף יהוה אל ישראל *Ut addatis adhuc ad æſtum naſi Jehovæ adverſus Iſraëlem.* Refinge, *ut* CORRADATIS: ut *aggeſta*, velut ac *corraſa materia* ad acriorem flammam excitetis æſtum illum.

Vexatiſſimus & obſcuriſſimus Deuteronomii locus prolixe excutitur.

XXIV. Lucem adhuc opemque expectat *Deut.* 29: 19. ubi ſententia ſe objicit proverbialis, iis circumvallata tenebris, quas nulla adhuc Eruditionis aut Ingenii fax diſcutere, ad liquidumque perducere valuit. Si quis ex opinionum vago fluctu nactus eſt portum & ſtationem fidam, non equidem invideo, neque eum in altum retraxerim. Tantum dicam, ad quemcunque ſenſum quis animum appulerit, ei ſenſui haud parum ponderis ac gravitatis adjuncturam eſſe vim illam, quam ex longinquo exilio reduximus. Verba ſic reſonant, למען ספות הרוה את הצמאה / quæ trifariam converti video, partim *ad addendum ebriam ſitienti;* partim *ad perdendum ſaturam & ſitientem*, vel *cum ſitiente*; partim *ut perdat*, conſumat, *ebria ſitientem.* Prius illud multis magniſque auctoritatibus ſubnixum eſt, ſed diverſa in ſtudia ſciſſis, quibus omnibus ſatis fiet, ſi ſubſtituero, *Ad* CORRADENDUM *ebriam cum ſitiente.* Cogitarunt Rabbini aliqui, præeunte *Onkeloſo*, de *peccatis* novo identidem cri-

mine

Digitized by Google

mine *cumulatis*, ac præſertim de *carnali ſecuritate* שלותא / *ſuperbiæ & peccandi licentiæ* זדנותא *ſuperaddita*, ut *ebria* ſuſtineat imaginem *carnis vino ſomnoque ſepultæ*, & in utramvis aurem ſecure altumque ſtertentis, *ſitiens* autem repræſentet *carnem ſemet voluptatibus ingurgitantem*, & ſumma cum licentia ac libidine peccantem, quod ſtylo ſanctuarii eſt *bibere iniquitates inſtar aquarum.* Hæc mihi genuina mens videtur *Paraphraſeos*, לאוספא ליה חטאי שלותא על זדנותא. non ſane ut Cl. *Coccejus* cepit, *ad addendum ſibi peccata erroris ad malitiam;* quod haud immerito caſtigatum eſſet, & obelo confixum, ſi ex *Onkeloſi* calamo prodiiſſet: ſed *ad cumulandum ſibi peccata ſecuritatis &* Atheïſmi, *ſuper* elatæ manus *ſuperbiam*, *& profligatam* peccandi *licentiam.* In hanc ſententiam prolixiſſime ſe explicat Radere, quod ſe nobis iſtoc uſu jam approbavit in exemplis prægreſſis. Contende quæſo *Eſaj.* 30: 1. למען ספות חטאת על חטאת *Ad* corradendum *peccatum ſuper peccatum*, cum dicto quod præ manibus eſt, למען ספות הרוה את חצמאה *Ad* corradendum *ebriam cum ſitiente*, hoc eſt, *ad* peccandi *ſitim irreſtinctam*, Atheïſmi velut *temulentia* & *furore aggravandam* & *accumulandam:* quod ſane patrat ille, qui *verba execrationis audiens, ſibi in corde ſuo benedicit jactatque, Pax erit mihi, licet ex ſecreto cordis inſtinctu ambulavero.*

XXV. Huc oculos forte intendit etiam *Syrus*, quum dedit, *ut addat ebrietatem ad ſitim;* licet latius id ſumi poſſit, de libidine peccandi ſemet irritante, & crimina ſua quotidie exaggerante; dum *ſitis* illa continuam *ebrietatem & temulentiam trahit*, & mens dulci veneno conſopita ad ſanitatem redire non poteſt. Hæc imago obverſata fuit *Belgis* noſtris, aliiſque, qui ad peccandi *effrenatum* & *inſatiabilem æſtum* ſolenne hoc Proverbium tranſtulere: quibus omnibus mirum in modum adblandietur noſtrum Corradere, invidiam ferens & atrocitatem, toties jam ſimilibus in ſcenis inculcatam. Belgarum interpretatio laudata.

XXVI. Hanc *corradendi* vim ultro quoque invitat, atque ambitioſius amplectitur verſio & mens *Cocceji*, quæ multorum punctum tulit. *Ad addendum irriguam ſitienti:* quod declaratur, *ad Eccleſiam promiſſionis exhibitione exſatiatam, &, quoad conſcientiam, conſummatam, redigendum in ordinem Eccleſiæ ſitientis, id eſt, in metum mortis, & in ſervitutem elementorum mundi.* Cujus has in partes propendet animus, ei ſubminiſtrabo, *ad* corradendum *irriguam cum ſitiente;* ut ex iſto verbo pelluceat *violentia* & *acerbitas*, qua Cerimoniarum antiſtites Eccleſiæ jam irriguæ abundantiam & libertatem extinguere, atque ſub ſiticuloſæ inopiæ jugo attinere niterentur. *Cocceji conjectura.*

XXVII. Commendat tamen magnus interpres ſimul hanc explicationem, *Ad perdendam ſatiatam cum ſitienti.* Quo intelligi vult, *eos qui ſibi benedicunt, ambulantes in ſenſu cordis proprii, fieri inimicos fœderatorum Dei, & operam dare, ut eos aboleant, primo dum expectant ſalutem Dei; deinde, quum Euangelium ſalutis receperint.* Hæc Commentarius. Lexicon addit, *Nulla eſt recta explicatio, niſi illa, ad perdendum ſaturam & ſitientem, hoc eſt, credentes Euangelio, æque ac credentes promiſſioni: quaſi dicas, ut non tantum ſitientes, Prophetas, & Prophetarum Diſcipulos, ſed etiam ſatiatos fide Euangelii, filios Dei &* Alia Cocceji interpretatio.

filias ejus, perſequatur & perdere conetur.. Characterem cernis hominum ad impietatem & odium Dei tanto opere projectorum, ut omne ſemen religionis tum in ſe, tum in aliis deletum cuperent, & extinctum, ac proinde fideles & fœderatos utriusque Oeconomiæ *radere*, *eradere*, *everrere*, & perſecutionis *procella ac tempeſtate eradicare* adlaborarent.

Alia item Cocceji mens.

XXVIII. Longius adhuc *Cocceji* conatus nobis exequendi ſunt: ſubdit enim in *Comm. Hi duo ſenſus tam propinqui iisdem verbis innui potuerunt.* In *Lexico* triplicem ſenſum conglomerat, *Ad perdendum ſaturam & ſitientem*, nec non *Ad jungendam ſaturam ſitienti*, poſtremo, *ut ſatura perdat ſitientem.* Verbo ספות per ἀνταναάκλασιν ſumto, partim pro *perdere* ſive *conſumere*, partim pro *jungere & copulare*: & particula את partim pro עם *cum*, partim pro accuſativi nota. Ænigma hoc pacto nexuit, Labyrintheis ambagibus cæcatum, & implexum, é quibus vide num te ſatis filo hoc, artificis manu porrecto, explicare poſſis, „ Neceſſe erat, ut prius quidem haberent *ſitim*, deinde vero *ſatietatem* agnoſcerent. Si vero *ſitim* non haberent, nec *ſatietatem* & „ illius auctorem erant cognituri: & eum non cognoſcentes, ipſi, ut *ſaturi*, „ in tempore expectationis, *ſitientes* erant oppreſſuri: & deinde *ſaturatos* „ erant vexaturi, & *perdituri*, idque propterea, ut *ſaturatos in ſtatum ſitientium retraherent.*" Acumen hoc non ex ſolido relucet, ſeque ſua intricat ſubtilitate, quum tam diverſos ſignificatus contexere fatagit. Felicius viam illam tentare potuiſſet, ſi ad manum habuiſſet hanc ſententiam, Ad Radendum Saturam cum Sitiente: Ubi jam nihil paradoxi atque inſolentis oggereret, qui *Radere* illud ſimul *jungendi* ac *corradendi*, ſimul *perdendi* ac *eradendi* potentia fœtum eſſe contenderet.

Pfeifferi ſententia.

XXIX. Ex notione *conſumendi* hac conjectura nos impertivit Cl. *Pfeiff.* in *Dub. Vex.* per *ebriam* intelligi *terram fertilem*, *aridam* vero *terram* emblemate *ſitientis* proponi: ſenſumque eſſe, *donec omnia fuerint conſumta* ac *dilapidata*, & omnis poſſeſſio ac *terra*, qua præſtans ac *irrigua*, qua ſterilis ac *ſiticuloſa*, per viſcera fuerit trajecta ac decocta. Helluonis itaque, & Epicuri de grege porci, perditam ac profundam luxuriem perſtringeret hoc Proverbium, alta ventris voragine cuncta mergentis, quod ſi haud male conjectatum dixeris, en tibi Radere noſtrum, opportuniſſima ſede locatum, *Ad radendum ebriam cum ſitiente*, ut indicetur ſtrenuus decoctor, qui

Pernicies, & tempeſtas, barathrumque macelli
Quicquid quæſierat, ventri donabat avaro.

Haud pœnitenda verſio R. Jonæ.

XXX. Non indigna etiam eſt conjectatio R. *Jonæ*, quæ in hac ſerie compareat: is *conſumendi* potentiam paſſivam heic loci adoptavit, hanc in mentem, *Propterea quod conſumatur irriguus cum ſitiente*, hoc eſt *juſtus ſimul ac injuſtus pereat, & ad nihilum redigatur.* Sententiam ejus expoſuit *Kimchius* in *Lib. Rad.* בלומר שיראה הרשע כלות הצדיק עם הרשע ואין יתרון לצדיק על הרשע במותו אומר כי אין גמול ועונש *Id vult, improbo videri, pium ſimul ac im-*

Digitized by Google

impium conſumi, nullamque eſſe excellentiam juſti præ injuſto in morte ſua; nulla præmia, nullas pœnas. Intranſitivam iſtam vim gemino exemplo jam firmatam ſupra, adſtruet præterea, Pſ. 73: 19. ספו תמו מן בלהות RADUNTUR, *conſumuntur præ nebulis. Turbine radente verruntur.* Et Amoſ. 3: 15. *peribunt domus eburneæ*, וספו בתים רבים *& ædes magnificæ* RADENTUR. Non tantum *ſolo æquabuntur*, verum etiam omni cum *rudere & pulvere raſoribus ventis* aſportandæ & *everrendæ* permittentur. Similiter למען ספות *propterea quod* RADATUR *irriguus cum ſitiente*; ſeu, *iisdem ſcopis perditionis everratur, eadem* mortis atque interitus *procella diſſipetur, in nihilumque feratur.* Confer, amabo, Gen. 18: 23. האף תספה צדיק עם רשע / ad quem locum oculos reflexiſſe videtur Rabbinus; cujus expoſitio pulcre cum ſcopo & ſerie conſpirans quidem illa, aliorumque etiam magiſtrorum ſuffragio fulta, id habet incommodi, quod *irriguus* pro *juſto*, & *ſitiens* pro *injuſto*, hac utique in ſede, minus opportuna ſint, quamvis alibi prolixe figuram illam recipiant.

Verſio Septuagintaviralis examinatur.

XXXI. In omnibus hiſce verſionibus את valuit *cum*, non tamen a ſtructura abhorret, ut pro nota accuſativi ſumatur. Sic viſum fuit Alexandrinis, *ἵνα μὴ συναπολέσῃ ὁ ἁμαρτωλὸς τὸν ἀναμάρτητον.* Quid viderint non ſatis expuito: conjicio רוה ipſis fuiſſe *peccatis ebrium*, צמאה *ſiccum, ſobrium, hominem frugi.* Negandi particula, ab ipſis inſerta, turbelas movet; eam ſi furcillaverimus, tolerabilis emerget ſenſus, *ut* RADAT *irriguus*, luxuria & nequitia ebrius, *ſitientem*, ſiccum, ſobrium: & *peccator projectus ac profligatus*, trahat, *perducat*, auferat, iisdemque ſecum involvat *frugaliores*, dum profanas haſce voces jacit

Ede, bibe, lude; poſt mortem nulla voluptas.

Et

Hæc habui quæ edi, quæque exſaturata libido
Hauſit. ——— ——— ——— ——— ———

Et

Sapias, Vina liques, & ſpatio brevi
Spem longam reſeces, dum loquimur, fugerit invida
Ætas: Carpe diem, quam minimum credula poſtero.

R. *Jonæ* ſententia à nobis in mellius refecta.

XXXII. Poſſet etiam hæc *irrigui & ſiticuloſi* allegoria ad R. Jonæ opinionem accommodari, eamque gratioſiorem reddere, quum ſcrupulus, ſupra a nobis motus, levetur, ſi רוה pingere dicamus *uvidos, madidos, pulcre potos, largo* ſemper *mero irriguum corpus habentes*: צמאה autem, *ſiccos, aridos, jejunos, illuvie, incultu, ſqualore ſiticuloſos*: quorum prius, in ore *improbi & luxurioſi*, eam exprimat nationem, in qua ipſe nomen ſuum profitetur: poſterius gentem piam deſignet, ex ejusdem hominis profani ingenio, nota hac adſperſam. Hinc ſententia exſurgeret haud pœnitenda. *Pax erit mihi, quum ex ſecreto cordis inſtinctu ambulavero: propterea quod* RADENDUM *eſt irriguum ſimul cum ſitiente.* Nempe juxta peſtilentis hujus cordis שרירות *intimum ſecretum*,

Soles ire & redire poſſunt:
Nobis quum ſemel occidit brevis lux,
Nox eſt perpetua una dormienda.

Ergo, *Edamus*, *Bibamus*, *cras morimur.* Hilaria agitemus, genio indulgeamus, continuo nos mero *irrigemus*, curasque noſtras *diluamus*; irato ſuo Deo & malo genio relinquamus *ſiccos illos*, & *jejuna ſiti enectos*, qui ſemet fruſtra macerant, & venturi judicii metu fatigant; quum *irriguum ſimul & ſitiens ſit Radendum*; & πανωλεθρίᾳ involvendum. Adagium videtur ductum a *grege poto* & *irriguo*, qui רוה ſexu fœmineo abſolute dictus fuerit, ex ſtylo Arabum, nec non *grege laſſitudine ac ſiti enecto*, qui צמאה potuerit appellari: ut ubi *cuncta penitus deleta*, *extincta*, *everſa*, *exterſa*, & *ad internecionem evaſtata* indicare vellent, dixerint ספתה הרוה את הצמאה *irrigua ſimul & ſitiens Raſa eſt.*

F I N I S.

Digitized by Google

ORIGINUM HEBRAEARUM

LIBRI PRIMI

PARS ALTERA.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRAEFATIO.

Longe alia, quam deſtinaram, facie Volumen hocce in lucem prodit. Cauſam, conſpectumque ſimul Operis, paucis ſtrinxiſſe operæ fuerit. *Capite primo* recenſentur *Dialecti* quæ cum *Lingua Hebræa* conſanguinitatem habent. Harum tres primariæ *Chaldaica*, *Syriaca*, & *Arabica:* quibus ſororius gradus tribuendus. Secundariæ *Æthiopica* purior, & impurior *Samaritana:* quibus accedit impuriſſima ſartago *Rabbinico-Thalmudica*, ex reliquis fere conflata, atque commixta. Harum quæque quantum ferat vel auctoritatis, vel utilitatis, breviter indicatum. Oſtenſum quoque, quid *Dialectum* proprie dictam efficiat; quod ea res minus rite percepta multam Viris Doctis fruſtrationem injecerit, eorumque hac in parte judicia etiamnum non parum impediat. Hæc usque ad finem *Capitis Primi.*

Inde *Capite ſecundo* omnium *Dialectorum* conſenſione, ac conſpiratione, *Thema* קץ mire fluctuans in *Lexicis*, & *Verſionibus*, tuta, & undique munita, ſtatione augetur; atque locis aliquot obſcurioribus, nec pro dignitate explicitis, ea lux infertur, quæ ſe omnibus æquis arbitris facile ſit commendatura.

Ex illo autem luculento ſpecimine, unde judicium de reliquis noſtris conatibus fieri non recuſo, quinque, ſex, elicui, & adſtruxi, conſectaria, quæ ſtudii *Linguarum Orientalium* proram veluti ac puppim conſtituunt.

Primum eſt, ad unum Linguæ corpus pertinere quatuor *Dialectos* majores, *Hebraicam*, *Chaldaicam*, *Syriacam*, & *Arabicam*, ſub quibus reliquæ in ordinem redigendæ ſint.

Secundum, omnes illas *Dialectos* mutuam ſibi opem lucemque ferre, atque ſocias inter ſe præſtare operas; ſic ut nulla earum ſine aliquo intertrimento, atque incommodo, ignorari queat.

 Ter-

Tertium, omnium copioſiſſimam, citra controverſiam, eſſe *Dialectum Arabicam*, feliciſſime in ſolo patrio conſervatam, mutationumque graviorum, cladium, atque Fatorum, quæ in reliquas incubuere, expertem.

Quartum, primigenias præſertim poteſtates, Radicumque *Origines*, quæ in aliis *Dialectis* defectu Librorum maximam partem interciderunt, apud *Arabes* ob veteris Linguæ curam, cuſtodiamque, incredibilem, integras plerumque reperiri, eorumque ope *Hebræis* auſpicatiſſime, & ſolidiſſime, reſtitui poſſe.

Quintum, admota clavi *Dialecti Arabicæ*, etiam in *Chaldaicæ*, *Syriacæ*, ceterarumque *Orientalium Linguarum* adyta, felicius penetrari, atque ſuaviſſimam illam concordiam, & Harmoniam, inveniri, qua unius Stirpis primævæ late fuſi Rami inter ſe connexi ſunt.

Sextum, diſcrepantiam, quæ inter *Dialectos Orientales* intercedit, ex ſecundariis maxime uſibus exſiſtere, qui Stirpe immota, & manente uno Radicali ſucco, varie ſeſe inflexerint, atque propagarint.

Adtigi ibidem *ſeptimum* hocce, quod & hic conſpici velim, *merito quidem Veteribus Verſionibus grande ſtatui pretium, neutiquam tamen illarum ope primigenias Radicum poteſtates conſtitui atque definiri poſſe.*

In hiſce, §. XXXI. & XXXII. deductis, nihil poſui, quod non ſumma luce evidentiæ ultro ſeſe inſinuet omnibus, qui vel non hoſpites hiſce in literis verſantur, vel judicandi libertatem ſibimet præjudicatis opinionibus non ademerunt.

Ut interim Juvenibus, qui necdum ad hæc omnia ſatis forte promti, atque periti, aliquo modo ſubvenirem, eorumdemque hoc in genere judicium acuerem ſimul, ſimul firmarem, *Capite tertio* produxi *Originum Latinarum* ſpecimina quædam, ex quibus dignoſcere daretur, quid diſcriminis ſit inter *Primarias* & *Secundarias ſignificationes*; & quam abditi ſæpe ſint fontes vel familiariſſimarum notionum.

Primum eſt, *Callere ſcientiam*, *artem*, *rem*, vel & *Callere in re*, *arte*, *ſcientia*, pro *peritiſſimum eſſe*, metaphora deſumta a *Callo*, & *calloſa duritie*, qua quis velut *tritus*, penitusque *ſubactus* in hiſce intelligitur.

Secundum eſt *mactare*, cujus diverſiſſimæ illæ poteſtates ſecundariæ *Mactare victimam*, & *mactare quem honoribus*, atque *beneficiis*, ab *Origine* dependent, per eamque in pulcherrimam redeunt concordiam. Tertium eſt *hoſtis*, qui in Veteri Lingua *peregrinus*; poſtea demum *inimici* vim induit. Quartum *taminare* pro *polluere*, proprie *contrectare*,

ctare, mox *tractando fœdare;* a veteri *tago*, unde & *contages*, *contagio*, manarunt. Quintum *adipiſci*, quaſi *adapiſci;* ab obſoleto *apo*, *apor*, *apiſcor*, pro *nector*, *aſſequor:* unde & *aptus* cum *inepto* effluxere. Sextum *temnere*, *contemnere*, ἀπὸ τοῦ τέμνω *ſecare*, *præſecare*, tanquam *præſegmen vilipendere*, & *abjicere.* Septimum denique *confutare*, & *refutare*, quæ duo verba omnibus quidem uſu quotidiano contrita: ſed non omnibus æque notum, *futum* olim fuiſſe *vas coquinarium*, *quo ollæ ferventi frigida ſuffunditur:* eaque anſa *confutare*, & *refutare*, pro *æſtum*, aut *impetum bullientem*, *reprimere*, invaluiſſe.

His a §. II. ad VII. præmunitis, acceſſi ad *Thema* שלה, atque oſtendi, tum *Veteribus*, tum *Recentioribus*, *Interpretibus*, ſatis quidem perſpectam fuiſſe *ſecundariam* poteſtatem, *primariam* tamen adhuc omnium aciem, induſtriamque, fugiſſe. Eam demonſtravi ſitam fuiſſe in *Eliquatione;* unde *liquida* & *ſecura*, *tranquillitas*, itemque aliæ notiones prono alveo deſcenderint.

Hac occaſione iterum adſtrinxi omnia illa *Conſectaria*, quæ ſupra expoſui; atque etiam aliquid injeci adverſus *Metaphyſicum* illud artificium, quo *formales* Verborum *ſignificationes* in officina ingenii ſui ſibi procudunt nonnulli, easdemque pro genuinis vendere ſuſtinent. A §. VII. ad XLII. hæc procedunt.

Reſpiciebam in poſtremis iſtis ſtricturis ad audaciſſimum illum conatum Cl. *Boblii*, quo *Origines Hebræas ex ipſis Viſceribus textus eruendas eſſe* contendens, vexillum erexit ingeniis *Philoſophicis*, ad *Linguam Hebræam* ſub *Metaphyſices* imperium, & ditionem, ſubjungendam, ejusque *formales* ſive *primigenias·poteſtates*, repudiata *Dialectorum* auctoritate, ad arbitrium conſtituendas. Ejus viri veſtigia premens Cl. *Guſſet.* in *Comment. Ling. Hebrææ* iſtam viam ut unice veram, legitimamque, commendavit, atque argumentis ſic ſatis ſpecioſis uſum *Dialectorum* animoſiſſime impugnare, atque convellere, aggreſſus eſt.

Ne ergo temnere, & premere, velle videremur, quibus refellendis impares cenſebamur, *Capitis Quarti* honeſtum certamen ingrediendum fuit, atque cum Cl. *Guſſetio*, cujus *Hypotheſi* multos Viros doctos in *Belgio* & *Germania* favere cernebam, pes conferendus fuit. Non vereor ne quis me vel honorem Viro Eximio debitum minuiſſe, vel aciem *Argumentorum* ejus, quibus *Dialectorum* uſum penitus proſcribere conatus fuit, declinaſſe criminetur. Ea hic breviter teneri, e re communi fuerit.

 Pri-

Primum eſt, *Linguas Orientales Homonymiis laborare; unde nihil ſatis certi pro Hebræa Lingua hauriri queat.* Quid in hoc ratiocinio claudicet, & quidem utrimque, demonſtratum §. XVIII. XIX.

Secundum non firmiore talo conſiſtit. Eo tenditur, *per migrationes e gente in gentem, Linguave in Linguam, tantas fieri mutationes, ut vel Radix ignoretur, vel Notio atteretur.* Eum in finem collatio inſtituitur *Dialectorum Chaldaicæ, Syriacæ, & Arabicæ*, cum *Italica, Hiſpanica, Gallica, corruptelis Latinæ puritatis.* Talia cupidiſſime arripiuntur ab iis qui a *Dialectis Orientalibus* abhorrentes, in *Paralogiſmis* invictam ſeſe Arcem tenere opinantur. Vide quomodo Cl. *Drieſſen.* me inde verberet *in Cauſa Linguæ Hebrææ adverſus Arabiſmi abuſum*, qua *Vindiciarum* mearum *aciem* infauſtiore adhuc ſcriptione, quam qua prior *Diſſertatio* in orbem prodiit, prævertere feſtinabat. „ *Haud dubie*, inquit peritiſſimus horum Judex, *Dialectus* „ *illa Hebrææ Linguæ, quæ Arabica dicitur, Originem debet ho-* „ *minibus indoctis, ſermonis & morum cultum ignorantibus, inferio-* „ *ris conditionis plebeculæ, ruſticis: & an ab his ſignificatus primi-* „ *genius conſervatus ſit* &c? *Ergo Dialectus & Arabica, & aliæ* „ *Orientales omnes, initio ſunt Lingua Plebeja ruſtica* **baſtert-taal.** „ *Cui non obſtat majorem deinceps illis cultum adhibitum. Hoc &* „ *aliis Dialectis, Occidentalibus, accidit. Quis neget Linguam* Ita- „ licam, Hiſpanicam, Gallicam, *in ſua Origine eſſe Barbaro-Lati-* „ *nas, quamvis cura nitorque ipſis deinceps acceſſerint, ſuisque ipſæ* „ *ſuperbiant elegantiis. Idem, ſi placet, ſentire poteris de Dialecto* „ *Arabica.*" Nec publici, nec ſui adeo, reverens, qui talia chartis mandat. Omnia toto cœlo diſſimilia ſunt, & tamen hinc potiſſimum ut victores ſeſe inferre ſolent, quos boni judices eo ipſo victos eſſe decernunt, quod comparatione tam manca ſeſe defenſitare cogantur. Ita profecto eſt. Qui *Linguam Italicam, Hiſpanicam, Gallicam*, appellat *Linguæ Latinæ Dialectos*, vel ignorat, quid ſint *Dialecti*, vel prudens ſciensque commiſcet, quæ diſtinctiſſima; ut *Hypotheſi* velificetur. Iterum, qui *Dialectos Chaldaicam, Syriacam, & Arabicam*, ab *Hebræa* propagatas ſtatuit, ea ratione, qua *Italica, Hiſpanica, Gallica Lingua* per corruptelam, & miſcelam, derivatæ ex *Latino* fonte, vel materias haſce non ſatis intelligit, vel gaudet, ſi modo colore aliquo ad tempus uti queat ad labantem cauſam utcumque ſuffulciendam. Hoc ex iis quæ a §. XX. ad XLVII. adverſus Cl. *Guſſet.* diſputata, in oculis omnium, qui videre vel poſſunt, vel volunt, defixum.

Nempe

Nempe ſunt, qui videre non poſſint, quod ſuffuſiuncula quadam hac in parte laborent: ſunt etiam qui non velint; quod ſententiam mutare haud ſatis rebus, partibusve, ſuis utile forte videatur. Utrumque genus diſſentientium humaniter ſemper tuli, & ferre non deſinam.

Tertia inſtantia melius, credo, pro Eruditionis ſuæ dignitate, abſtinuiſſet Cl. *Guſſetius*, quum *credere ſe* negat, *Deum nos tot Linguis diſcendis onerare voluiſſe ad Eum in verbo ſuo intelligendum.* Ei paucis occurſum §. XLVII—XLIX.

Quarta item nihil infirmius; *Linguam Hebræam eſſe Matrem quæ a Dialectis fari non diſcat: quin ut Fons purioribus fluat aquis.* Iterum meri ſunt *Paralogiſmi*, ut §. L—LIII. evictum.

Omnium autem infirmiſſima, & ruinoſiſſima, Quinta, cui tamen *Hypotheſis* univerſa unice innititur: *Solem quendam Linguarum eſſe Hebræam, quæ inſito fulgore ſeſe manifeſtet, nullius auxilio indiga.* Magnifica enim vero verba. Vide quæ §. VII. excerpſi. Juſtam ad ea reſponſionem reperies *Cap. Sexto* §. XXIII. Itemque *Cap. Septimo* §. XV.

Huc usque Optimam cauſam defendendo evectus, in me ipſum arma ſuſcepi, atque *Capite Quinto* a §. I. ad XXII. quindecim aperui fontes *Argumentorum*, quibus *Methodus* noſtra gravari poſſe videbatur. Nempe quibus veritas a dextris adſtat, & animos facit, illi adeo niſus adverſantium non reformidant, ut iis quoque tela ſuggerere, & ſuppeditare, geſtiant.

Hæc argumenta, quibus non ut prævaricator cum memet ipſo colluſi, ſed ut indagator veri in veram adverſus memet pugnam deſcendi, reſumit, & refutat *Caput Sextum* a §. II. ad XXVI. Omnibus quidem, tum objectionibus, tum reſponſionibus iſtis, majus ſpatium, major debetur deductio; ſed copioſiſſima materia in brevem gyrum coacta, nunc utilior viſa, atque noſtra examinaturis opportunior.

Hiſce perfunctus, *Originibus* proſequendis me denuo parabam; quum ecce ad manus meas perfertur Cl. *Drieſſenii Diſſertatio de Veris Cauſis & Auxiliis interpretandi Linguam Hebræam Biblicam.* &c. Ea omnes meos conatus circa rem *Hebraicam*, cum præſtitos jam, tum ulterius, favente Numine, præſtandos, ſolo Titulo diffiabat.

Scriptio illa, quæ occulti quid coquebat, ingratiſſimam mihi impoſuit neceſſitatem *Vindiciarum*, quibus ſi ullo pacto ſuperſederi potuiſſet, feciſſem ſane. Cur parci non potuerit Cl. *Theologo*, in præfatione vindiciis iſtie præfixa ſatis expoſitum. Non dubito quin ubi eas perlegerit, expenderitque, Vir Cl., ſenſurus ſit, ſalem, quo uti debui, non

Digitized by Google

fuiſſe *virulentum* & nigrum illum, quem malevolentia ſpargit, ſed album, quem ipſa quoque benevolentia, & candor, inſpergit, quum inveteratis vitiis occurrendum, & mali humores expurgandi.

Eo conſperſum quoque *Caput ſeptimum*, quo defenſioni adverſus Cl. *Drieſſenium* ſuſcipiendæ præluſi; oſtendique, quam diverſis *Hypothesibus* oberrent, atque præcipites abeant, qui *Regiam viam*, cognitione *Dialectorum* communitam, deſerunt.

Qui hactenus cæca tulere judicia, jam oculata ferre poterunt, atque conſtituere quibus e *Fontibus* cognitio *Linguæ Hebrææ* haurienda ſit, atque ad uberiorem lucem, ac perfectionem, pervehenda. Copia jam datur optandi, velitne quis *Voſſianiſmum*, an *Tridentiniſmum*, quo vernaculæ cuique ſuæ ſacræ, & authenticæ: num purum putum *Rabbiniſmum*, an potius *Forſteri* & *Avenarii* ſuaviludia, vel & *Boblii Guſſetiique* delicias *Metaphyſicas*, aut *Neumanni Hieroglyphicas imagines*, atque *picturas*. Habet Cl. *Drieſſenius*, habent omnes, quibus noſtra *Methodus* non placet, quid ſibi præplacere declarent; ut *Orbis Eruditus* de controverſia noſtra Judex ſedere queat, atque litem nimis litigioſe tractam, & neſcio quibus cavillatiunculis obſcuratam, dirimere.

Eum in finem Volumini huic inſerendam duxi geminam Orationem de *Linguæ Arabicæ antiquiſſima Origine*, *Intima ac Sororia cum Lingua Hebræa adfinitate*, *nulliſque ſeculis præflorata puritate*.

In iis oſtendo *Linguam Arabicam* ex *Heberi* domo oriundam, iisdem cum *Hebræa* natalibus gaudere, ejuſque germaniſſimam eſſe ſororem, quæ *Radicalem* ſuam *Virtutem*, atque *vetuſtam indolem*, cum potuerit, tum debuerit, conſervare in interiore illo receſſu *Arabiæ Felicis*, in quem feliciſſime per *Joktanem* filium *Heberi*, & *Phalegi* fratrem, immiſſa fuit.

In *priore tres* expoſui *cauſas* externas illius integritatis, quæ tam longo ſeculorum decurſu ſemet ſuſtinere, atque corruptionem a ſe prohibere potuerit.

Primam miniſtrat ſitus *Arabiæ Felicis*, cujus interiores ſedes nec commerciis, nec connubiis, alienigenarum, unquam infectæ.

Alteram, idem ille ſecluſiſſimus receſſus, nec exercitibus, nec coloniis peregrinis, inundatus, atque oppreſſus.

Tertiam, perpetua ſucceſſio *Regum Joctanidarum*, qui *Heberi* ſanguine creti, interiorem *Arabiam*, ſive *Sabæam*, non interrupta ditione tenuerunt uſque ad tempora fere *Muhammedis;* per quem tantum religionis, ac firmitudinis, iſti *Linguæ* accrevit, ut quam diu *Muham-*

hammedaniſmus obtineat, nihil mutationis metuendum habeat.

In *poſteriore* expromſi *ſex cauſas interiores* ſeſe usque & usque ſuſtinentis *Linguæ Veteris.* Harum *prima* iterum, *Palma antiquitatis* ei ſemper ab *Arabibus* delata. *Secunda*, *religioſa* quodammodo *veneratio*, eidem tributa. *Tertia*, nationis *conſtantia*, & *gravitas*, a novationibus aliena. *Quarta* maximus ſemper honos veteribus loquendi formis, & ſignificationibus, additus. *Quinta*, ambitio publica totius gentis, mutuis ſtudiis ſeſe ad antiquæ Linguæ faciem conſervandam provocans, atque accendens. *Sexta* denique, fidele ſimul firmamentum, Literarum, quo *Jemanenſes* ab antiquiſſima inde memoria præ reliquis *Arabibus* floruiſſe traduntur.

Adverſus utramque hanc Orationem ſubita quædam, & inſubida valde, deproperavit Cl. *Drieſſenius*, in *Cauſa Linguæ Hebrææ adverſus Arabiſmi abuſum.* Et alia ex aliis quibusdam meis, nec non *Oratione Inaugurali Prima*, prima *Franequeræ* habita, quin & *Præfatione* ad *Comm.* in *Jobum*, iſti ſcriptiunculæ, quatuor admodum philyras implenti, quantum quidem me tangit, intexta, atque interluſa.

Ex ea deprendi, difficile eſſe tacere, quum doleas. Nempe ad *primam* meam *velitatiunculam*, *Vindiciis* gravioribus præmiſſam, quæ *Capite Septimo* hujus Operis continetur, totus in fermento eſſe, & aliquid laxamenti quærere, Cl. *Drieſſenius* ante, quam annunciatæ illæ *Vindiciæ*, quæ a tribus jam menſibus ſeorſim comparuere, prodirent.

Miratus ſui præcipitationem: neque enim ignorare poterat Cl. *Diſſertator Vindicias* meas brevi prælum liberaturas. Cur eæ non expectatæ? cur non firmo pede exceptæ? Videtur cor ſaluiſſe Viro Docto, jam ſero nimis ſentienti, ſe eam in arenam deſcendiſſe, ubi vix ſtare poſſet, nedum gradum tueri. Commodius ergo duxit, & glorioſius, ante congreſſum receptui canere; & ſpecie vincentis campum relinquere, ante quam ego copiolas meas eduxiſſem. Plura non addo, & quia nunc licet, parco veteri Amico, parco perſonæ *Theologi*, a quo nec ſpolia appeto, nec tropæa. Enim vulnera ſibi ſua conduplicaſſe indolui. Ego quidem ſatis jam cauſæ, ſatis Muneri, officioque, a me factum arbitror. Nebulas ab oculis *Academicæ Juventutis* depuli: Methodumque noſtram a ſuſpicionibus, & voculis ſiniſtris, ita vindicavi, ut non imprudentis & imperiti amplius eſſet, ſed inverecundi, & importuni, eam, ab illa quidem parte, impetere.

Liceat tamen mihi Cl. *Drieſſenio*, liceat & aliis Viris Doctiſſimis, diverſa a nobis ſentientibus, ante oculos proponere, quam parum liberalis

beralis ſit modus ille diſputandi, quo mecum utuntur.

Quum *Originum* primum volumen ederem, verbum nullum feci de *Linguæ Arabicæ Origine*, *Antiquitate*, nullisque ſeculis libata *puritate*, quia *Experimentali certitudini* neminem contradicere poſſe, aut velle, arbitrabar.

Objectari tunc cœptum ab iis, qui *Arabica* non amant, fieri haud potuiſſe, ut non *Lingua* illa majorem in modum ab integritate *Hebraica* degenerarit, atque per tam longa ſecula in diverſiſſimam & faciem, & vim, defluxerit.

Qui iſti objectioni præciſim, & ſimpliciter, reponere potuiſſem, fas non eſſe, ut in dubium revocetur, quod *Experientia* ipſa quemvis, qui ad hæc ſacra accedere volet, docere queat; ne reſponſio nimis ſuperba videretur, ſcrupulos illos, ex ſola ignoratione *Linguæ Arabicæ* injectos, levavi, diſſerendo tum de *Origine* & *Antiquitate*, tum de *cauſis externis*, & *internis*, *integritatis* ſeſe ſine depravatione, & degeneratione, tuentis.

Quod æquis judicibus dubitationem omnem dirimere viſum, iniquioribus iterum anſam præbuit cavillandi, quaſi *Syſtema* noſtrum ſolis iſtis principiis niteretur. O artes! Atqui vel ſine firmamentis illis cauſa noſtra ſtat, ſtabitque. Nempe evidentior eſt *conſanguinitas* ut aliarum, ſic in primis *Dialecti Arabicæ*, cum *Hebræa*, quam ut vel contentioſiſſimus eam negare auſit. Jam vero quod ipſa Natura dedit, & ab Origine inſeminavit, nullius contradictio *Dialectis* hiſce ereptum ibit, quantumvis, ut in reliquis diſciplinis, ſic & in hacce noſtra, cum ſtudia, tum ingenia, hominum, ſeſe ſcindant, atque in diverſiſſima abeant. Utinam modo tam felicibus nobis eſſe contingeret, ut non alii de rebus noſtris pronuntiarent, quam qui legitimam cauſæ cognitionem ſumere voluere. Dabam *Lugd. in Batav.* pridie *Kalend. Decembr.* 1737.

AD

A D

ORIGINES HEBRAEAS

LIBER PRIMUS.

FERME decennium eſt, ex quo in lucem emittere cœpi *Origines Hebræas*, in quibus primigeniam vim & indolem *Linguæ Hebraicæ*, antiquiſſimamque *Radicum* plurimarum poteſtatem, ad lucem *Dialectorum*, & præſertim copioſiſſimæ illius, quæ in *Arabiam Felicem* feliciſſimis auſpiciis commigravit, eruendam enucleandamque ſuſcepi. *Introductio operis.*

Id operis in quatuor partes a me deſcriptum ac digeſtum fuit, ſecundum quatuor *Defectus* majores, quibus Linguæ illius cognitio, quantumvis lætis aucta incrementis, adhuc laborare deprehenditur.

Primus eſt, quod bene multis necdum vel ſtabilis, vel ſecura ſaltem, ſignificationis ſedes contingere potuerit: in quibus videlicet *Lexicographi* ipſi, partim fluctuant, atque inter ſeſe diſcrepant; partim fundamento minus tuto ſolidoque nituntur; qualis eſt convenientia atque affinitas quædam literarum Radicalium; qualiſque vel *Chaldæi*, vel alterius alicujus Veteris interpretis, ſic reddere ſoliti, auctoritas.

Alterum incommodum, multo graviſſimum, ſitum eſt in diverſiſſimarum notionum agmine, unum ſub thema ita congruentium ſæpe, ut nulla copula, nulla plane concordia appareat; ſed contra diſcordia ac pugna potius: quæ ut ingeniis minus ſobriis anſam præbuit *Linguam Hebræam* macula adſpergendi inconſtantiæ, & confuſionis; ita modeſtioribus plurimum tamen faceſſit negotii; atque etiam peritiſſimorum calculos miris modis implicat & conturbat.

Tertius defectus latiſſime manat, & ad *Radices* quoque tritiſſimas, atque una tantum, eaque certa atque indubitata notione, præditas, ſeſe extendit: nam hæc notio ferme *ſecundaria* eſt, & *tranſlata*; quæ ex *primaria* aliqua *antiquiore*, & vere *Radicali*, ſuccrevit ac propagata eſt; ad quam inopia luminis idonei necdum penetratum fuit.

Digitized by Google

Quartum locum gradumque occupant integræ locutiones, formulæque, Orientali ſub Cœlo natæ, ejusque Genium unice ſpirantes, ad quas, niſi ejusdem Cœli geniique participes aditnm nobis patefecerint, omnis noſtra acies hebeſcat neceſſe eſt, vel & blanda forte ſpecie veri ſemet fruſtretur ac ludat.

Omnes hoſce *Defectus*, aliosque minores iisdem cohærentes, atqne innexos, peculiari opuſculo ante triennium eudavi, exemplisque palpandos præbui.

Ad has debiliores partes *Rei Hebraicæ* nonnihil jnvandas, ut cura noſtra ſeſe a longo acuit intenditque, ita etiam pignore non uno obſtricta tenetur: quo vinculo, ac ære veluti, ut memet exſolvam, *Originum* interruptam telam redordiar, atque mora omni ampntata, detextam dare conabor.

CAPUT PRIMUM.

Linguæ Hebrææ quinque fontes Lexicographis notandi. Quid auctoritatis cuique eorum competat. Dialecti luſtrantur. Thalmudica *duplex quid opis ferre poſſit, & juſti ejus fines. Dialecti* Chaldaicæ *uſus, & defectus.* Syriacæ *Conſpectus, uſus anguſtior adhuc quam Chaldaicæ, uberioris ſpes ſeculo huic affulgens.* Arabicæ *Dialecti ratio. Ea uſos eſſe Rabbinos & ſummos quosque Viros. Ejus inſigniores fructus. Dialectus* Æthiopica *luſtratur, & uſus ejus indicatur. Dialectus* Samaritana. *Perſica & Turcica. Perſicæ Natales & incrementa ex Arabica Dialecto. Turcicæ Natales & opes auctæ. Orientalium Linguar. Orbis & ambitus. Studii illarum curriculum ſtringitur. Premenda magnorum Virorum veſtigia.* Unam *tantum eſſe* Linguam Orientalem *quam commendamus. Quid* Dialectus *ſit declaratur, & tres claſſes Variationum per Dialectos indicantur.*

I.

Fontes rerum noſtrarum quinque.

Renovandum mihi in principio eſt, in memoriamque Lectori revocandum, quod alibi latius diſſerui, ex *quinque fontibus* ferme omnem *Linguæ Hebrææ* cognitionem ad noſtra tempora dimanaſſe. Horum *primum* recluſerunt cognatæ, iisdemque cum *Hebræa* radicibus nixæ *Dialecti*, *Chaldaica*, *Syriaca*, & *Arabica:* nonnullam in partem admiſſa quoque *Æthiopica*, *Samaritana*, & *Thalmudico-Rabbinica:* inter quas ſola *Arabica* communi *Linguarum* cladi exem-

excemta, etiamnum lætiſſime viget floretque. *Alterum* aperuere veteres Verſiones; *Judæis* quidem *Chaldaicæ* paraphraſes; *Chriſtianis* autem LXX., reliquique *Græci*, cum *Latino* & *Hieronymo*; itemque, creſcente Orientalis Literaturæ lumine, *Syrus*, *Arabs*, *Æthiopsque* interpretes. *Tertium* ſibi patefecit tum *Rabbinorum*, tum *Noſtrorum* præcipue acerrima induſtria, qua ex nexu, ſcopo, ſerie orationis, aliiſque domeſticis indiciis, vim vocum collegerunt. *Quartum* præbuit *alliteratio*, ſive ſimilitudo quædam ac vicinitas literarum radicalium. *Quintum* poſtremo ſuggeſſit ſuum cuique ingenium, conjectandique acumen.

II. Hos *Fontes* alios aliis eſſe limpidiores, ac mirum quantum auctoritate differre, in omnium oculos ſtatim incurrit. Utinam qui *Lexica* principes concinnarunt, verborumque ſignificationes nobis tradidere, religioſe adjeciſſent, unde ea hauſtæ, & qua auctoritate niterentur; ſic enim primo oculi conjectu patuiſſet, ex merane *conjectura* profluxiſſent, an ex *affinitate* aliqua Literarum; an potius ex *ſerie* ipſa contextus, locorumque inter ſe collatione eſſent elicitæ, haberentne præterea robur ſuum vel a *Veteri Verſione*, vel a *Dialecto* partim propiore, purioreque; partim remotiore ac impuriore. Hoc & mirificum lumen prætuliſſet poſteris, & facilem præbuiſſet dijudicationem Veri a falſo, certi ab incerto, integri ſanique ab eo quod adhuc interiore *Defectu* laborat. *Qui Lexicographis tenendi nelandique.*

III. Videlicet non eodem gradu locoque ſtare hos *Fontes*, nemo eſt qui non facile animadvertat. Etenim plus auctoritatis reſidet in *Dialectis*, quam in *Verſionibus* veterum: iisdem Verſionibus æquiparari non poteſt quod ex *collatione* locorum inter ſe, *ſenſuque* ipſo elicitur. *Literarum affinitas*, tanto fallacior ſæpe, quanto blandior, forte nunquam a prudentioribus captata fuiſſet, ſi adminiculis fidelioribus uti licuiſſet. *Conjecturæ* poſtremo vagæ fluxæque quantum ſit tribuendum, nil dicere attinet. Ergo quicquid ex *duobus poſtremis Fontibus* in *Lexica* & *Verſiones* recentiores eſt receptum, id ponderoſiori auctoritati unius vel plurium ſimul *Dialectorum* concedat neceſſe eſt. Quod ex *ſecundo* & *tertio Fonte* eſt admiſſum, ſi *minus rite* ſe habeat, vel ſemet ſua inconſtantia & fluctuatione prodat, utique ex *primo* defectus iſte, ſi pote, perſanandus: ſin *rite* & *recte* omnia proceſſerint, vel ſic tamen ad *Dialectos* erit redeundum, ut *primariæ* poteſtates Radicum inde eruantur: quandoquidem nec *Verſiones Veterès* id intendere vel debuerunt vel potuerunt, ut *proprias* & *primigenias* verborum *Hebraicorum* notiones examuſſim repræſentarent: nec etiam ulla humana ſagacitas per *ſolam* textus ſui *commeditationem*, *locorumque* inter ſe *collationem*, illuc penetrare valeat; quemadmodum tum alibi, tum in *Libello de Defectibus*, idoneis exemplis evictum. *Quid auctoritatis cuique eorum competat.*

IV. Apparet luce clarius non niſi *Dialectorum Clave* referari poſſe *Hebræas Origines*, id eſt *primævas*, *antiquiſſimas*, *proprias*, necdum in *metaphoras*, aliosque *uſus ſecundarios*, deflexas Radicum ſignificationes. Ad hanc autem inveſtigationem quid quælibet *Dialectus* conferre apta nata ſit, quove in pretio ſit habenda, non inutile fuerit paucis diſcuſſiſſe; quum & hic neſcio quid confuſionis, & præjudicii, optimam cauſam premat, ac ſuſpectam reddat im- Dialecti *luſtrantur.*

imperitioribus. Luſtremus itaque quicquid eſt *Dialectorum*, quæ cum *Hebræa Lingua*, ut *Rami* unius *Arboris*, proxime connexæ ſunt; quemque nobis fructum ferre queant, in *Originibus pandendis*, ſedulo perpendamus.

Thalmudica duplex. V. Incipio a Lingua *Thalmudicorum*, & *Rabbinorum*, *puriore* altera, altera *impura*, quam colluvies quædam, & mirifica multarum Linguarum mixtura conflavit. *Impura* illa conſcriptum eſt *Thalmud Hieroſolymitanum*, nec non *Babylonici Thalmudis Gemara*, paulo caſtigatior illa quidem, ſed tamen multam barbariem fæcemque trahens. *Puriore* conſignatæ ſunt conſtitutiones *Miſchnicæ*, quæ ad imitationem ſermonis *Biblici* ſeſe componens, in ſubſidium aſſumſit magnam copiam Vocabulorum *Chaldaicorum*, *Arabicorum*, aliorumque; iisque *Hebræam* quandam flexionem faciemque induit. Fabricavit quoque eadem multas novas Radices, multas phraſes, anſa tum per reliquias *Bibliorum*, tum aliunde, porrecta; atque ita in *Scholis*, in *Libris Rabbinorum*, obtinere cœpit, ut *Lingua Eruditorum Erudita*; quæ *Abramidarum Sanctiorem* illam *Dialectum* utcumque adumbraret.

Quid opis utraque ferre queat. VI. *Impuram*, & infinita peregrinitate lutulentam illam, parum utilitatis adferre poſſe nemo non cernit. Altera *defæcatior* magnam haud dubie præfert lucem ad generaliores uſus vocum *Biblicarum* dignoſcendos: ejusque ope *Linguam patriam*, ruinis *Hieroſolymorum* ſepultam, quodammodo reſuſcitavit natio *Rabbinica*, atque ad ſeram poſteritatem, noſtraque tempora, propagavit. Quum tamen *Lingua* tantum ſit *factitia*, ex intermortuis cineribus ac favillis excitata, perfacile eſt ad dijudicandum omnibus, languidam hancce lucem nec ſatis tuto ſemper ducere, nec unquam poſſe introducere in interiora adyta, *Originesque* vetuſtiſſimas verborum; quippe quibus omnino deſtituta eſt *Dialectus* hæcce *Rabinica*; & de quibus vel veſtigandis, vel adſciſcendis, ne ſomniavit quidem, nedum ut nobis eas recludere valeat.

Juſti fines indicantur. VII. Videor mihi ſat plane ſub conſpectum dediſſe, quos intra fines ſtet cadatve auctoritas *Rabbinica*. Sunt ex *Chriſtianis* qui nihil omnino eis deferendum pugnant; ſunt qui omnia; ſic ut temerarium pronuntient, vel tantillum a *Magiſtris* diffidere; aut ultra id quod ipſis viſum deciſumque, quicquam proferre velle. Dura enim vero utrimque ſententia! cujus injuſtitiam perſequi nunc non vacat. Mediam viam tenere res ipſa, & ratio jubent; neque enim ipſis adimendum, quod & præſtare potuerunt, & reapſe præſtiterunt, *ſemi-vivam* dicam an *ſemi-mortuam* aliquam *ſpeciem Linguæ avitæ* nobis conſervantes. Neque ex adverſo id illis tribuendum, ad quod neutiquam adſpirare valuerunt, omnibus adminiculis ſi non interius, exterius ſaltem defecti, quorum inopia de *Defectibus*, ſi eos forte ſenſerunt, *ſanandis*, nullam omnino ſpem concipere ac fovere potuerunt.

Dialecti Chaldaicæ uſus. VIII. Ex *Chaldaica* tamen *Dialecto*, ad cujus conſiderationem prævertor, non parum luminis hauſerunt illi *Rabbini*, qui ad *Vocabularia* conſcribenda animum appellere cœperunt, quum jam *Academiis* & *ſeminariis* omnibus in *Palæſtina*, in *Babylonia*, extinctis, præſentiſſimum periculum imminebat, ne *Linguæ Sanctæ* cognitio penitus quoque extingueretur. Hæc *Dialectus*, quæ in *Paraphraſibus Bibliorum*, aliisque venerandæ vetuſtatis monumentis, ipſis

ferme

Digitized by Google

ferme domeſtica erat ac familiaris, ut intimam cum *Hebræa* habebat cognationem, *Radicumque* communitatem, ita magnas ipſis opportunitates præbebat, ad faciem ſermonis patrii in bene multis accuratius noſcendam, atque exprimendam. Etenim niſi ea fuiſſet, ne dimidiam quidem partem *Linguæ Biblicæ* intelligere, nedum paulo preſſius enucleare, potuiſſent Doctores *Judæi:* quorum veſtigiis inſiſtentes deinceps principes noſtri *Lexicographi*, quicquid *ſcaturigo* hæcce fundere & ſuppeditare poterat, id omne ad illuſtrationem *Hebræarum* vocum inſigni cum fructu expromſerunt.

IX. Quum tamen nullus *Fons* plus reddiderit aquarum, quam ipſe continet, manifeſtum eſt cuivis attendenti, opem illam lucemque, quam *Chaldaicæ Dialecti* reliquiæ reliquiis *Biblicis* miniſtrant, ſeſe neutiquam extendere poſſe ad omnes *Defectus* ſarciendos, *Originesque* præſertim *primigenias* omnium *Radicum Hebraicarum* perveſtigandas. Eadem ſcilicet clades huic *Dialecto* incubuit, quæ *Hebraicæ*, maximamque illius partem eadem fatalis rerum converſio ita delevit, ut intra *paraphraſes* ferme *Bibliorum*, earumque fines peranguſtos, id quod ex ea genuinum cenſeri poſſit, conſtringatur. Ergo etiam iisdem fere *Defectibus* cognitio ejus hodierna laborat, quibus *Hebræa*, hoc eſt, & verbis crebro attributæ ſunt ſignificationes vel incertæ, vel perverſæ: & ubi *ſecundariæ* notiones ſatis feliciter & fideliter ſunt ſignatæ, *primariæ* tamen plerumque deſiderantur; ac proinde hac in parte adeo *Medicinam* non præſtat, ut ipſa eam adhuc flagitet atque expectet. *Ejusdem Defectus.*

X. Cum *Chaldaica* proxime cohæret *Syriaca Dialectus*, tam arctis ei vinculis innexa, ut *Aramææ* appellatione utramque complecti ſoleamus. Hujus quoque lumen, poſt renatas Literas, *Europæo* Orbi adſulgere cœpit in *Verſionibus* æſtumatiſſimis *Veteris ac Novi Teſtamenti*, nec non in aliis quibusdam ſcriptis Eccleſiaſticis. Illata etiam in *Europam* ſunt duo *Lexica Syriaco-Arabica* MSS. vel verius *Gloſſaria*; quorum alterum auctorem habet *Joſuam* ſive *Iſa Bar Bahloul*, qui medio ſeculo decimo vixit: alterum *Iſa* ſive *Joſuam Bar Ali*, qui ſub finem ſeculi noni claruit. Poſterioris partem dimidiam ad literam *Nun*, manu magni *Scaligeri* deſcriptam ex *Boreliano* exemplo, in theſauris ſuis Orientalibus reconditam eſſe gaudet Academia noſtra. Prius a ſummo noſtro *Erpenio* poſſeſſum olim, emigravit *Cantabrigiam*, indeque *Lexicon Polyglotton* haud parva acceſſione locupletatum. Utrumque opus MS. in Bibliotheca ſecreta *Medicæa* aſſervari diſco ex Cl. *Aſſemanno tom.* 3. *Bibliotb. Oriental.* pag. 257. *Syriacæ conſpectus.*

XI. Lætiſſimus fuit Rei Hebraicæ, & reliquo ſcripturarum ſtudio, exortus ille, & multa, quæ a *Rabbinis*, ad hæc ſacra nunquam admiſſis, illuſtrari haud potuerant, induſtria excellentium noſtrorum *Philologorum* in clariorem diem ſunt protracta. Eadem tamen ferme penuria & calamitas fundum *Syriacum* premit, quæ *Hebraicum*; nam quæ adhuc ad manus noſtras pervenerunt, & a Viris Doctiſſimis tractari potuerunt, ne decimam quidem partem *Veteris Linguæ* exhibent; quippe quæ & ipſa graviſſimam cladem, converſione rerum in Oriente, paſſa ſit; atque opibus, ſtirpibusque velut, acciſis, intermortua langueat. *Ejusdem uſus anguſtior adhuc.*

Digitized by Google

Uberioris ſpes ſeculo huic adfulgens.

XII. Lætius tamen hocce noſtro ſeculo reſurgere, atque ad uberiorem ſpem expectationemque noſtram effloreſcere incipit *Syrorum Dialectus*, opera & induſtria Cl. *Aſſemanni Syro-Maronitæ*, poſtquam auſpiciis *Clementis* XI. Pontificis Romani, nuper admodum, comportata *Romam* eſt magnifica ſane, cum aliorum *Orientalium*, tum præcipue *Syriacorum monumentorum* copia, quorum conſpectum, guſtumque quendam, præbuit nobis immortali laude dignus ille *Maronita*, in *Bibliotheca Orientali Clementino-Vaticana*, Egregio opere, in *quatuor tomos* digeſto, quorum primum occupant *Scriptores Syri Orthodoxi:* ſecundum *Syri Monophyſitæ:* tertium *Syri Neſtoriani:* quartum ſcriptores *Græci*, *Latini*, aliique, in *Syriacum ſermonem* converſi. Magno equidem redemtum vellem, ut ex hiſce fontibus copioſiſſimis novum *Lexicon Syriacum* adornaret laudatiſſimus *Aſſemannus*, quod nobis vetuſtam *Dialecti* hujus indolem & abundantiam daret hauriendam: nam profecto ut hactenus ſeſe res habet, *ciſternis* tantum utimur, & *Canalibus*, unde omnis illa ubertas ſubminiſtrari nec potuit, nec poterit unquam, quæ ad *Origines Hebræas* irrigandas, atque ab oblivione revocandas, deſideratur.

Arabicæ *Dialecti quæ ratio.*

XIII. Ad *Arabicam Dialectum* accedo, & quid illa ſuppeditare valeat penſitandum præbebo. Non eſt exiſtimandum longius eam ab *Hebræa* deflectere quam *Chaldaicam*, vel *Syriacam*. Contrarium plane haud difficulter poſſet comprobari. Sed in præſenti nil ſumam, quam quod ab æquis rerum arbitris & conceſſum fuit ſemper, & ſine ſtudio partium, diſpendiove veritatis, in dubium vocari nequit, *Arabum Linguam* eadem affinitate *Hebræam* contingere, qua *Chaldæorum* ac *Syrorum*; eandemque propterea habere auctoritatem, ad id quod vel *Mater*, ſi velis, vel *ſoror Hebræa* habet obſcuri, elucidandum.

Et uſi Rabbini.

XIV. Ad ejus utique uſum ab omni memoria recurſum fuit, ab iis qui ſacra noſtra tractarunt. Ipſi *Rabbini* quantumvis externa alias adjumenta ac præſidia reſpuant, ad hocce lumen, ubicumque modo tam felicibus ipſis eſſe licuit, faculam ſuam lubentiſſume accenderunt; ut qui *Novitatis* nunc forte ſuſpectam habent noſtram hypotheſin, methodumque, ignorare mihi videantur hanc eſſe *Veterem*, *Regiamque Viam*, a primis reſtauratoribus *Linguæ Hebrææ*, *Lexicorumque* conditoribus tritam, & haud dubie frequentius terendam, ſi uberiore cognitione *Linguæ Arabicæ* gaviſi fuiſſent.

Uſi ſummi quique Virorum.

XV. Eandem & nominis ſplendore, & Eruditionis pondere, & feliciſſimis ſucceſſibus, majorem in modum poſteris commendarunt principes in Literato Orbe Viri, qui quo penitius in *Arabicæ Linguæ* Vim atque indolem ſeſe penetrare valuerunt, eo promptiorem efficacioremque Medicinam laborantibus *Hebrææ Linguæ* partibus adhibuerunt. atque innumera *Rabbinis Rabbinizantibusque* ignorata, clariſſimam in lucem protraxerunt.

Ejus inſigniores, fructus.

XVI. Tam benigne autem Cultoribus ſuis reſpondiſſe *Dialectum Arabum*, tamque uberem tuliſſe fructum, nemo mirabitur, qui oculos conjecerit in incredibilem ejus opulentiam, cum illibata integritate, & puritate conjunctam, per quam ſinu ſuo etiamnum complecti deprenditur, quicquid ferme *Radicum*, inde a vetuſtiſſimis temporibus, & *Hebræi*, & *Chaldæi Syrique*, poſſederunt;

Digitized by Google

derunt: & quidem, quod infinitum hoc in ſtudio adfert momentum, non tantum in *ſecundariis* uſibus, quibus illæ *Radices* auctæ viguerunt, verum etiam in *primariis*, unde, tanquam e ſtirpe, reliquæ omnes pullularunt; quæ quidem *Primariæ* notiones quam diu latitant & abſunt, abſunt autem adhuc in maxima parte *Linguæ Hebrææ*, quin & *Aramææ*, tam diu & magnis incommodis *Defectibusque* laboretur neceſſe eſt, & permultum quoque de nativa pulchritudine, dignitate, ac gravitate ſenſuum in obſcuro remanebit; quod ſtatim hac luce infuſa ſponte effulgeſcit, prout in *Opuſculo* quod *de Defectibus* inſcribitur, evidentibus documentis eſt demonſtratum.

XVII. Hæ jam *primariæ* & *antiquiſſimæ* poteſtates, ipſas illas *Origines* conſtituunt *Verborum*, quas e penetralibus *Arabiæ* revocandas eſſe potiſſimum, tam fidenter aſſeverare ſuſtineo, quam unquam quicquam hoc in genere Literarum aſſeverari poteſt. Quorſum enim quæſo convertemur, ſi præſentiſſimam hancce opem aſpernati fuerimus? An cum *Avenario*, viro ingenioſiſſimo, ad alliterationes *Græcæ Latinæque Linguæ* recurremus, & neſcio quo fulgore vitrei acuminis nos duci patiemur? An cum Doctiſſimo *Boblio*, ejuſque æmulatore Clariſſ. *Guſſetio*, in officina cerebri noſtri *formales* nobis *ſignificationes* Verborum excudemus, & quam auctoritatem *Dialecto Sororiæ Hebræorum* derogamus, eam noſtris conjecturis arrogabimus? An cum ſubtiliſſimo *Loëſchero* & *Neumanno*, ex figuris Literarum *Hebraicarum*, earumque diverſo adſpectu, ac ſitu, *Radicales* illas *formas poteſtatesque* exſculpemus, nodo *Gordio* perplexabiliores, atque a genio omnium Linguarum nimium quantum abhorrentes? Hæc & alia a magnis ingeniis tentata, quemadmodum nihil habent, quo ſe ſuſtinent, præter mirificam quandam ſubtilitatem; ita ſimul ſubmonent ut in ſolido potius pedem figamus, atque *Origines Hebræas* non arenæ, non acumini, non imaginationi noſtræ inædificemus, ſed antiquis ſuis fundamentis & firmamentis ſuperſtruamus: quæ per *Dialectum Arabum* feliciſſime nobis ſuppeditari, ut hoc in opere ſupponitur, ita hypotheſin hancce & numero & pondere exemplorum me ſtabiliturum eſſe confido; ſi forte alicui nondum ſatis ſtabilis ac firma eſſe videatur.

Non aliunde opem atque certam eſſe.

XVIII. Perſpicere hinc poſſunt, qui de conatibus noſtris integrum ferre volent judicium, nihil a me *Arabicæ Dialecto*, in hoc opere moliendo, attribui, quam quod æquiſſima ratio, & exactiſſimus calculus ei deferre jubent. Hoc ut in oculis omnium defigam, contemplandas offero quatuor *Dialectos*, quæ Orientis meditullium olim tenuerunt, *Hebræam*, *Chaldaicam*, *Syriacam*, & *Arabicam*, tanquam quatuor grandiores ramos unius maternæ ſtirpis, ſeſe, ad inſtar Arboris τετραγώνου, per *Chaldæam*, *Syriam*, *Palæſtinam*, & *Arabiæ* receſſus interiores, latiſſime explicantis. *Lingua primæva* videlicet, veluti *Materna Stirps*, hos quatuor *Ramos*, quum ſeceſſio fieret familiarum, per regiones iſtas propagavit, iiſdemque ex æquo infudit, una cum diffuſa materie vocabulorum, eundem ſuccum, eandem ſignificationum indolem, *primigeniamque* ac *nativam* poteſtatem. Has *Origines* ſuas *Hebræorum Dialectus*, ad unius ſacri Codicis anguſtias redacta, exhibere nobis nequit. Itur ergo ad *Chaldaicam Dialectum*; ſuccurrit ea in quibuſdam; in longe plurimis opem ferre

Quod illuſtratur ſimili.

ferre haud valet, opis potius indiga, quippe quæ & ipſa jam extincta, atque ad ſummam adacta inopiam, *Origines* ſuas, una cum reliqua ſuppellectile, ſcriptiſque, ac monumentis ſuis, deperdiderit. Recurritur ſimiliter ad *Syrorum Dialectum:* laudo, plaudo, acquieſco; ubi ſat opis ea ſubminiſtrat; ſed, ut ſupra inſinuatum, & hicce *Ramus* jacet ſuccifus atque intermortuus: pauciſſimæ præſertim, id quod liquido confirmare poſſum, comparent ejuſdem *Origines*, & *Primariæ* Radicum *poteſtates*. Princeps ille Gloſſator *Iſa Bar Ali* altiſſimum de iis agit ſilentium; nimis aliunde etiam parcus & adſtrictus. Ut ergo quod res eſt, non partium ſane ſtudio, ſed veritatis, libere promam, *ſitit* adhuc *Syriaca Dialectus;* ipſaque copioſius rigari, atque ad *Origines* ſuas recuperandas fœcundari expetit.

Expreſſius urgetur. XIX. Eo rem hanc deduxiſſe mihi videor, ut cuncti, & oculis cernere & manibus palpare poſſint, vel *ſpem* omnem *Hebrææ Linguæ* ulterius inſtaurandæ, atque a *Defectibus*, quibuſcum adhuc colluctatur, vindicandæ, eſſe deponendam, vel decurrendum eſſe ad *Quartum* illum, omniumque maximum, *Veteris Trunci Ramum*, quem eandem cum ſuperioribus poſſidere indolem, iiſdemque *Radicibus* nixum eſſe, dubio vacat. Sed nec *ſpes* illa *abjicienda*, quæ tam evidenti principio ſuffulta, uberem & præbuit, & porro promittit fructum: nec arbitrii noſtri cenſendum, velimuſne *Dialectum Arabicam* conſulere, nec ne, in momentoſiſſima hacce indagatione *Originum:* nam ad eas tum *Hebrææ*, tum *Chaldææ* etiam, *Syræque* ſororibus reſtituendas, hæreditario & nativo gaudet jure, quod ut noſtra judicia ei non dederunt, ita nec eripere unquam poterunt; ob arctiſſimam cognationem cum ſuperioribus *Dialectis*, puritatem nullis ſeculis præfloratam, aliaſque rationes, quas gemina Oratione ſuper hocce argumento latius profecuti ſumus.

Dialectus Æthiopica luſtratur. XX. Ex *Arabia* in *Æthiopiam* trajiciendum, ut reliquias venerandas *Dialecti*, illuc quoque propagatæ ac transmiſſæ, paucis examinemus. Miraculi quid habet primo adſpectu, *Linguæ Hebrææ* genuinus *Ramus* in mediam ſeſe *Africam* explicans, aliumque ſub ſolem quodammodo dimiſſus. Sed mirari deſinet, qui perpenderit, *Joctanidas*, *Arabiæ Felicis* poſſeſſores vetuſtiſſimos, Regnique opulenti conditores, ſecum Linguam parentis ſui *Heberi* in interiores *Peninſulæ* illius ſedes intuliſſe, indeque per anguſtiſſimum fretum, *Babelmandel* vulgo dictitatum, eandem facile transplantare, atque per *Æthiopiam* una cum coloniis ſuis diffundere potuiſſe. Hos eſſe Natales *Æthiopicæ Dialecti* ſupra omnem dubitationis aleam collocatum cenſeri debet. Sed controverſia non vacat, quo ævo *Colonia* hæc & *Gentis* & *Linguæ* deducta. Ill. *Scaliger* eam rejicit ad tempora *Juſtiniani*, cujus calculum minus rite ſubductum eſſe oſtendit *Æthiopicæ Linguæ* conſervator unicus, *Job. Ludolfus*, in *Comm.* ad *Hiſt. Æthiop.* p. 58. & ſeq. magnis argumentis contendens *transfretationem* eſſe *vetuſtiſſimam*, quæ ætatem ferme *Moſis* attingat, vel & exſuperet. Hoc ut in medio relictum velim, ita pro certo aſſeverare poſſum, hancce *Dialectum Habeſſinam* præferre canam quandam antiquitatem, & tum *Arabicæ*, tum etiam *Hebraicæ Originis* manifeſtiſſima indicia, atque, ut ſic dixerim, lineamenta in Fronte gerere: ex quibus elucere queat, eam ex ſtirpe *Heberi* per

Digitized by Google

per *Joctanidas Arabes* proſeminatam eſſe a remotiſſima inde memoria, quandoquidem *Linguæ Arabicæ Priſcæ* expreſſum & eminentem characterem nobis repræſentat, qualis antiquitus viguiſſe fertur in Regno *Homeritarum*, ſive *Sabæorum*, quos a *Joctano*, fratre *Phalegi* minore, ex *Hebero* oriundos eſſe alibi eſt deductum.

Illius uſus.

XXI. Merito proinde magnum & huic *Dialecto* pretium ſtatuerunt, magni in Literatura Orientali Viri, *de Dieu*, *Bochartus*, *Hottingerus*, *Job. Ludolfus*, aliique; ejusque inſignem qnoque in *Hebraicis* quibusdam illuſtrandis uſum, fructumque, comprobarunt. Reſtant adhuc plura quæ refundere poſſit, non *Hebræis* tantum, ſed & *Arabibus*, *Æthiopia*; quippe quæ & *Radices* & *Origines* nonnullas *fugitivas*, ab ipſisque *Arabibus* deperditas, conſervarit. Quum tamen ea *Lingua* jam penitus emortua ſit, *Amharica* nunc per *Æthiopiam* regnante, & non niſi in verſione V. ac N. T. paucisque monumentis *Eccleſiaſticis* ſupervivat; unde exigua tantum portio ad noſtras oras manusque pervenit; cuilibet judicare promtum eſt, nullas *Divitias* a *Dialecto* tam *pauperi* poſſe expectari; donec ad majores copias ope MSS. provehatur, alterque exoriatur *Ludolfus*, qui curtam ejus ſupellectilem in ampliora ſpatia educat: quod ſane neutiquam pro deplorato habendum; quum ſuperioris ſeculi initia, de tam mirabili incremento cognitionis hac in *Lingua* οὐδ' ὄναρ quicquam ſuſpicari potuerint.

De Dialecto Samaritana quid ſentiendum.

XXII. Agmen *Dialectorum* cogat tandem *Samaritana*, quæ decem tribubus patria expulſis, novisque colonis a Rege *Aſſyriorum* vacuas in ſedes ſummiſſis, initium cepit, mixtura & impuritate Originem ſuam ſatis prodens, ex diverſarum gentium colluvione. *Chaldæo-Samaritanam* multi appellitant, quod *Chaldaicam* flexionem potiſſimum in nominibus verbisque imitari credatur. Sed, meo judicio, æquum ferme jus in eam ſibi vindicant *Hebræa*, *Aramæa*, & *Arabica Grammatica*, quarum normas formasque inter ſe commiſcuit, admiſta etiam peregrinarum vocum farragine. Non injucundum itaque has *Linguas* callenti, earum veſtigia *Dialecto* huic impreſſa agnoſcere; indeque etiam hinc illinc aliquid forte non plane pœnitendum arripuiſſe, ac tanquam ſcintillam e ſilice extudiſſe. Sed non eſt quod multum inde veri luminis nobis promittamus, tum alias ob cauſas, tum ob ſummam penuriam, qua nunc ad ſolam *Pentateuchi* verſionem, & *Liturgiarum* antiquam ſatis collectionem, omnes ejus res opesque reciderunt.

De Lingua Perſica & Turcica.

XXIII. Finem curſus hujus longioris nactus eſſem, niſi paululum adhuc moræ objicerent Lingua *Perſica*, & *Turcica*, quæ quia nunc Dominatum tenent in *Oriente*, & Charactere utuntur *Arabico*, a multis ambitu *Orientalium Linguarum* comprehendi exiſtimantur, quin imo cum *Arabica Dialecto* arctam colere conſanguinitatem. Error hicce anſam præbuit nonnullis opinandi, quum ad *Arabum* provocatur auctoritatem, in *Lingua Hebræa* enucleanda, neſcio quos *Barbaros*, quibuscum nihil unquam commune fuit *Veteribus Hebræis*, odioſe ingeri. Sciant ergo, quibus talis forte incuſſa religio eſt, tres haſce *Linguas* ratione Originis ſuæ toto, quod dicitur, Cœlo diſſidere, & tam

parum ſibi invicem reſpondere, quam *Latinæ Germanica*, aut *Germanicæ Hungarica.*

Perſicæ *natales.*

XXIV. Quod ad *Perſarum Linguam* attinet, ea *Europæam* præfert Originem, indolemque, quum omnes ejus *Radices*, forma infinitiva, exeant in *ten*, vel *den*, ut گرفتن *griften*, *capere*, داشتن *Daſten*, *tenere*, بستن *Beſten* quod & بندن *Benden*, *ligare*; مردن *Murden*, *mori*. Facile agnoſcas in hiſce noſtra illa, *grypen*, *taſten*, *binden*, *moorden*: quemadmodum & in خدا *Choda*, *Deus*, برادر *Broder*, *frater*; conſimilibusque bene multis, quæ ex *Scythia Europæa* repetere jubent natales *Linguæ Perſicæ*; alias tanto intervallo haud abituræ a *Linguis* illis vere *Orientalibus*, quas ſupra percenſuimus, ut ne minimam quidem cum iis retinuiſſet communionem.

Eam ſibi voces multas Arabicas *adſciviſſe.*

XXV. Adoptavit quidem *Perſica* gens, poſtquam ſub ditionem cecidit *Saracenorum*, infinitam quandam vim *Vocabulorum Arabicorum*, iisque pro domeſticis ac ſuis utitur, anſam præbente religione *Muhammedis*, & ſumma erga Linguam illam veneratione: ſed omnia illa æque facile diſcerni ſeſe patiuntur, quam *Latina* aut *Gallica*, *Belgico* ſermoni vel Stylo Curiæ, vel more & ore ſeculi politioris, immixta.

Turcicæ *origo.*

XXVI. Ut autem *Perſica Lingua* ab *Arabica* immane quantum differt; ita *Turcica* & ab hac, & ab illa immenſo dirimitur intervallo. Omnes ejus infinitivi in *Mak* vel *Mek* terminantur. In Conjugationibus, Declinationibus, reliquaque *Grammatica*, ex alio Orbe Sermonem huncce emerſiſſe credas. Molli ſuavitate *Perſica*, maſcula gravitate *Arabica*, horrida quadam & bellatrice aſperitate *Turcica Lingua*, velut nativo quodam charactere, conſignantur. Nec mirum; eſt enim, ut brevi omnia complectar, *Tartaricæ* Originis, ex *Turkiſtaniæ* regionibus *Tranſoxianis* prorupta, atque cum *Togrulbecho Selsjukida* in *Choraſanam*, *Perſiam*, aliasque provincias primum invecta; indeque porro cum *Othmanidarum* domo regnatrice ad ſummum in *Oriente* culmen evecta.

Ejusdem opes auctæ.

XXVII. Hæc *Dialectus* vere *Tartarica*, aſperitatem ſuam ſuavitate *Perſica* temperare cœpit, quum ſub *Selsjukidis* in *Perſia* ſedem fixiſſet; adſcitaque religione *Muhammedis*, univerſam ferme *Linguam Arabum*, præſertim in formis *infinitivis* & *participialibus* ſenſim ac pedetentim, ſibi *accorporavit*, tamque ſcite admiſcuit, ut quid Origine ſit *Arabicum*, quid *Perſicum*, quid *Turcicum*, e veſtigio dignoſci queat: qualis temperaturæ imaginem quandam in *Anglorum Dialecto* cernere eſt.

Orientalium Linguarum orbis & ambitus genuinus.

XXVIII. Abunde jam liquere autumem, qui fines ſint harum *Linguarum*, quæ *Orientalium* nomine ſalutantur, ad quarum cenſum nec *Turcica* nec *Perſica* proprie pertineant: nedum ut eundem cum *Arabica* gradum obtineant, in *Linguæ Hebrææ* vetuſtiſſima natura ac indole nobis recludenda. Majore ſpecie, ſolidiore etiam fundamento, contendere poſſem *Græcas Latinasque Origines* verborum e *Scythia* & *Tartaria* eſſe retrahendas. Prudentius itaque Viri Doctiſ-

Digitized by Google

Doctiſſimi, qui *Turcica* & *Perſica* calluerunt, ab iis hoc in genere ſtudiorum commendandis temperaſſent; neque enim peregrinas iſtas auctoritates fas eſt inſerere rebus *Hebraicis*, a quibus tam immani diſſident intervallo. Si quid ex *Arabum* vetere & illibata opulentia hauſerunt *Perſæ*, hauſerunt *Turcæ*, ut ſane admirabilem inde copiam & vim in ſuas Linguas derivarunt, id utique limpidius dulciusque ex ipſo fonte bibi poterit; atque ita ſcrupulus ille levabitur, quo multi Viri Cordati, ſcripturarum reverentes, adhuc forte gravantur, quo minus conatibus hiſce, ad *Hebræam Linguam* ope *Dialecti Arabicæ* potiſſimum illuſtrandam, vel favere, vel ſubſcribere ſuſtineant.

XXIX. Sat dilucide, tanquam in tabella *Genealogica*, expinxiſſe mihi videor, quænam ſint *Linguæ* illæ *Orientis* antiquæ, & genuinæ, quæ cum *Hebræa* eundem ſuccum Radicalem imbiberunt, atque ad *Origines* ejus *enucleandas* non tantum legitime poſſint, ſed etiam neceſſario debeant adhiberi. Eluceſcere quoque putem *Linguarum Orientalium* culturam, quam ſapientiſſimi quique & graviſſimi Virorum ſemper Theologiæ ſtudioſis commendarunt, nec tam diffuſam eſſe, nec tam arduam moleſtamque, quam plerique juvenes ſibi imaginantur. Qui enim *Hebrææ Linguæ* fundamenta paulo profundius ſolidiusque jecerit, haud magno labore magnos in *Chaldaicis Syriacisque* capiet progreſſus; atque emirabitur, ſe tribus menſibus plus profeciſſe, quam tribus forte annis ſe facturum ſperarat. Idem de *Dialecto* puriori *Miſchnico-Rabbinica* pronunciare auſim: quod ad alteram impuriorem & *Gemaricam* attinet, atque vaſtum illud mare *Thalmudis* utriusque, id ut a præſtantibus ingeniis cum fructu eſt navigatum, atque etiamnum enavigari poterit; ita ſufficere autumem, ſi perpauci, quos illuc ſingularis rapit amor ardorque, curſum arduum emetiri haud recuſent, atque *Judæos* ſuis jugulare armis, & condiſcant, & condoceant. Porro qui cum ſuperioribus illis *Arabicæ Linguæ* mediocrem modo cognitionem conjunxerit, in *Samaritanis Æthiopicisque* non magnopere ſudabit; & cum Literarum novitate, diverſitateque vægrandi, colluctandum ſibi eſſe potiſſimum experietur.

Curriculum Studii Ling. Orient. *ſtringitur.*

XXX. Delineavi curriculum *Linguarum Orientalium*, quod intra *Academica* ſpatia, cum reliquis ſtudii *Theologici* partibus non difficulter conjungi, & ad præclaram ſpem expectationemque Eccleſiæ ſolide fundari poſſet, ſi quotquot ad *Verbi Divini Interpretum* munus ac decus adſpirant, vel ſatis erectam adferrent indolem ingenii, induſtriæ, virtutis; vel legitimum tempus arduæ huic paleſtræ impenderent, neque cruda in cathedram ſtudia propellerent: vel bonas horas religioſa quadam ac diligentiſſima parſimonia redimerent: vel denique ſat imperii ſibi ipſis inhibere poſſent, ad incudem hanc lentis quidem, ſed certis, ictibus tundendam, ſub fideli aliquo manuductore. Quod tamen ab omnibus *Miniſterio Sacro* ſemet deſtinantibus expectari nunquam poterit, id iis ſaltem, quibus tum externæ, tum internæ facultates largiter ſuppetent, jure meritiſſimo commendatur, & ad Egregium publicum augendum publica *Eccleſiæ* voce injungitur; ut ita lux illa quæ cum purioris Doctrinæ aurora adfulſit, atque duobus jam ſeculis continua cepit incrementa, in-

Premenda nobis eſſe magnorum virorum veſtigia.

Digitized by Google

duſtria & labore excellentium ingeniorum, non retro ſublapſa feratur, ſed novis identidem gradibus creſcat, atque ad meridiem, ſplendoriſque culmen, provehatur.

Unam tantum eſſe Linguam Orientalem, *quam commendamus.*

XXXI. Ceterum quando tot *Dialectorum Orientalium* cum nomina, tum elementa diverſa, neſcio quid vertiginis, & mali metus multis offundunt, etiam atque etiam tenendum, omnia hæcce *membra unum* modo *Corpus*, *unam vetuſtam* conſtituere *Linguam*, quæ *ad inſtar* ramoſæ *Arboris*, *quatuor majores propagines* emiſerit, *Hebraicam*, *Chaldaicam*, *Syriacam*, *Arabicam*; quas qui divellunt, diſſociantque, eodem jure *quatuor majores Dialectos Græcorum* diſſociare poterunt, atque irata *Minerva* contendere, haud opus eſſe ad *Græcam Linguam* penitus intelligendam, ut omnes illas ſimul complectamur: ſed ſuperſederi poſſe reliquo labore, ſi *unam* tantum ex illis, eamque ambitu breviſſimam, non indiligenti opera conteramus. Quouſque ſeſe hæc juſtiſſima comparatio extendat, cuique dijudicandum relinquo: concludoque, ut ad *Græcæ Eruditionis* faſtigium non eſcenditur, niſi per quatuor illas, ut ſic dicam, ſcalas, *Atticam*, *Ionicam*, *Æolicam*, *Doricam*, alias aliis ſubnixas injunctasque; ſic ſupremum Culmen cognitionis *Linguæ Primævæ* attingi non poſſe, niſi *quatuor adminiculis* hiſce ejuſdem *Dialectorum* ſuffulti, illuc impigre enitamur.

Id planius exponitur.

XXXII. Quo autem omnis ſcrupulus, circa rem maximi ſane momenti, eximatur iis, qui ad Veritatem indagandam ſanctiſſimis vinculis obligantur, *Dialectorum*, quæ vocantur, ſive *Orientis*, ſive *Græciæ*, ſive quarum tandem cumque aliarum iiſdem radicibus nixarum, conditionem, naturam, & originem paucis declarabo, atque ita, quemadmodum *una* tantum *Græca Lingua* ab omnibus agnoſcitur, ſic *Unam* ſtricte dictam *Linguam Orientalem* ſtatuendam eſſe, evincam.

Quid Dialectus *ſit*, *declaratur.*

XXXIII. *Dialectus* nempe nihil aliud eſt, nec eſſe poteſt apud omnes qui accurate loqui amant, quam *Unius Linguæ variatio* quædam *externa & accidentalis*, quæ ad *internam* ejus *ſubſtantiam* non pertingit, ſed *fundamentum* integrum illibatumque conſervat; hoc enim labefactato, alterato, corrupto, non jam amplius *Dialectus* erit, ſed corrupta & adulterina ſoboles, qualis eſt *Italorum* aliorumque populorum, qui *Latinam Linguam* invaſionibus *Barbarorum* tanquam a fundamentis ſuis convulſam, plus minuſve corruperunt atque adulterarunt.

Tres Claſſes Variationum *per* Dialectos *indicantur.*

XXXIV. Hæ *variationes externæ*, quæ in *veram Dialectum* cadunt, commodiſſime ad tres claſſes poſſunt referri. *Prima* verſatur circa *elementa literarum*, *ſonos*, ac *pronunciandi modum*. *Altera* ad *ſignificationes* ipſas verborum ſeſe extendit. *Tertia* complectitur *conſtructionem*, *loquendi formas*, totumque *orationis ambitum*.

Primæ claſſis fontes aperiuntur.

XXXV. Dixi *primo*, *Dialectum* effici per *mutationem* quandam, quæ, *medulla intacta*, circa *corticem* ludens, aliquid diſcriminis inducit in *Literas*, *vocales*, *vocumque pronuntiationem*. Diverſis e fontibus omnem hanc varietatem derivare licet. *Primus* eſt temperies aëris in quo vivitur, qui ſi craſſior ſit, aſpe-

Digitized by Google

aſperiorque, aſperi ac rudiores adſciſcentur ſoni; ſin ſubtilior delicatiorque, in delicatam quandam mollitiem vel tenuitatem ſponte devenietur. *Secundum* addit, ipſorum quoque hominum temperamentum, iiſdem ex principiis ſeſe in partem vel politiorem, vel impolitiorem exerens. Accedit *tertio*, linguæ lubrica mobilitas, quam procliviſſime delabens in Literarum, vicinarum præſertim, aut *unius organi*, commutationem abſque ulla intentione. Succedit *quarto* intentio, cura, induſtria, qua hoc ipſum jam captatur, & tanquam vel dignius, vel venuſtius, vel commodius, adoptatur. *Quinto* mirifice influit in hæc omnia *Accentus*, quem *Regem* appellare poſſum univerſæ pronuntiationis, a cujus nutu ſic omnia pendent, ut ſi vel tantillum in eo figendo variaverit conſuetudo publica alicujus gentis, diverſæ & peregrinæ mox appareant *Linguæ*, quæ iiſdem natalibus, iiſdem cretæ radicibus, germana conſanguinitate junguntur.

XXXVI. *Secundo* exiſtunt ſæpiſſime in *Dialectis*, eaſdemque ſimul conſtituunt, *diverſitates* quædam tum verborum, tum ſignificationum iis ſubjectarum, quarum aliæ aliis graviores, plus minusve pariunt diſſidii ac divergii. *Graviſſimum* eſt *divortium*, quum in *propria* ac *primaria notione* alicujus Verbi non conſpiratur. *Secundum* efficit, vocabulum aliquod in una *Dialecto* frequentatum, in altera plane non occurrens: ſive prior aliquid novaverit, ſive poſterior id emori ſiverit. *Tertiam differitatem* ſatis grandem formant *Secundariæ* & *Metaphoricæ* notiones, quæ ex *primaria* aliqua enaſci ſolent; ſæpe enim fit ut in *ſecundariis* iſtis *uſibus* pugna quædam ac diſcordia oriatur inter *Dialectos ſororias*; atque, verbi gratia, *triſtitiam* & *ægritudinem* deſignet apud *Atticos*, quod apud *Iones* ſonat *lætitiam exultantem*. Aliquando etiam in una *Dialecto* plures propullulant poteſtates *ſecundariæ*, in altera pauciores. Reperio denique quaſdam *Dialectos* ſic uſibus *ſecundariis* indulſiſſe, ut *primariæ* penitus in oblivionem iverint; quæ in alia magno ſtudio conſervatæ fuerunt, & recenti ſemper memoria viguerunt. *Secunda claſſis.*

XXXVII. Per *conſtructionem* quoque *tertio* mirabilis introducitur diverſitas, quum phraſes aliter in hac, aliter in illa *Dialecto*, conceptæ, conformatæque, in ſummo conſenſu *Radicalis* verborum *materiæ*, incredibilem pariunt diſſenſum, quoad univerſum ambitum orationis, *formamque*, ac veluti *faciem* domeſticam *Dialectorum*. *Tertia claſſis.*

Digitized by Google

CAPUT SECUNDUM.

Ad rem acceditur, Radix קרץ *illuſtranda ſumitur. Notiones a Rabbinis ei tributæ. Quid noſtris Lexicographis placitum. Quid opis quæſitum in Dialectis. Uſus Thalmudicus hujus thematis. Arabum fontes recluduntur. Genuina notio figitur & finitur. Quæ aptiſſima Jobi Cap. 33: 6. Aptiſſima quoque ad nictus & nutus. Phraſis Aramæa* אכל קרצא *enucleatur, ex ambiguo duplicem vim exercens. Conatus ad illuſtrationem Prov. 6: 13.* Figura eadem, *vellicare oculos in Pſalmis*, & in alio loco *Proverbiorum.* Formula *vellicare labia* in Proverbiis. De verbo עצה anquiritur. Profundius quid in *vellicatione labiorum* indicatur. Figura *vellicantis œſtri*, vindicatur Jeremiæ. Diritas hujus mali. Salſa & venuſta alluſio. קרץ abſolute uſurpari in *vellicatione* inſectorum. Locus *Miſchnicus* illuſtratur. Divitiæ *Arabum* ſub verbo قرض promuntur. Eadem proprietas *ſervata ſub* قرش. Uſus *Æthiopicus bujus* radicis. *Conjectura de Chald.* קריצא pro *aurora. Sex Conſectaria. De Verſionibus Veterum Obſervatiuncula.*

I.

Ad rem acceditur. Exhibito conſpectu *Fontium*, ex quibus *Origines Hebrææ* ſunt hauriendæ, eorundem verum legitimumque uſum rebus ipſis declarare aggredior; atque omnia illa, quæ capite præcedenti ſummis faſtigiis delibavi, totius operis progreſſu detextuque, copioſius evolvam atque exponam: quando fieri non poterit, quin crebræ nos occaſiones ſint invitaturæ, ad ea, quæ modo præmiſi, ac velut ex *Hypotheſi* præſtruxi, ulterius communienda, & ſupra omnem dubitationis aleam collocanda.

Radix קרץ *illuſtranda ſumitur.* II. Multam nobis anſam ad hæc porrigere poterit thema קרץ, tenuiſſimis tantum veſtigiis in *Lingua Biblica* inveniendum; atque in *Chaldaicæ Syriacæque Dialecti* reliquiis haud ſane frequens; unde in ejus ſignificatione conſtituenda laboratum hactenus, nec ſatis ad nativam vim & elegantiam aliquot locorum penetratum.

Notiones a Rabbinis ei tributæ. III. A *Rabbinis* bifariam *Radix* hæcce exponitur. *Primo* per כריתה *exciſionem* &c. *ſecundo* per רמיזה תרנוד בעין *nictationem, motionemque oculi.* Ad

prio-

priorem claſſem profertur *Job*. 33: 6. מחמר קרצתי גם אני *E luto exciſus ſum & ego*; nec non *Jerem*. 46: 20. קרץ מצפון בא *Excidium aquilone venit*, vel ut aliis placet, *mactatio*, *laniena*; quibusdam *lanionem*, *mactatorem* ipſum potius aſſumentibus. *Secunda claſſis* iuſtruitur quatuor textibus *Pſalm*. 35: 19. יקרצו עין *movent oculum*, quæ ſtructura ſervatur *Prov*. 10: 10. At *Prov*. 6: 13. habemus קורץ בעינו *Nictans oculis*. Denique *Prov*. 16: 30. extat קרץ שפתיו, quod *Rabbinis* eſt *motitans labia*; aliis *nutans labiis*; aliis, ſenſu duce, *mordens*, *comprimens labia*: nonnullis tamen ex prima illa notione *abſcindens*, *amputans labia* & *ſermonem ſuum*: quod interpretamentum adoptavit etiam Clar. *Guſſetius*; cui קרץ עין ſimiliter eſt *amputavit oculum*, hoc eſt, *nutus* ejus *malignos* callide *occultavit* & *ſubtraxit*.

Quid noſtris Lexicographis placitum.

IV. Rabbinos ſecuti præſtantiſſimi *Lexicographi*, *Mercerus*, *Pagninus*, *Buxtorfius*, alii, duplicem ferme ſignificatum quoque ſiſtunt, *ſcindere*, *excidere*; itemque, *annuere*; niſi quod *Avenarius* more ſuo captans affinitatem literarum dederit *breviter* & *raptim movere*, nec non *vellere*, *evellere*, quia cognatum קצר eſt *decurtare*. Hoc arriſiſſe videtur Cl. *Coccejo*, qui in ſolo *motu* pedem figit, tum *oculorum*, tum *labiorum*: & *Jobi* 33: 6. tentat *e luto emotus ſum*; ſive, *per agitationem effictus*: ut & *Jerem*. 46: 20. *Motus a borea venit*; monens in *Lexico* ex *verſ*. 21. ſe *conjecturam* facere, per קרץ non notari *jugulationem*, ſed *agitationem*, qualis ſtimulante œſtro vel aſilo exſiſtit in juvencis.

V. Præterire nequeo conatum Cl. *Stockii* tres ſignificationes ſtatuentis, *Movere*, *ſcindere*, *annuere*; addita quarta *contrahere*; quas ſic in ordinem redigit, ut principem locum teneat vis *commovendi*; ſecundum *ſcindendi*, quia quod *ſcinditur* e loco ſuo *commovetur*: tertium *nictandi*, quia qui oculis *nictat* eos *commovet*, & viſum quaſi *ſcindit* ac *interrumpit*; quartum *contrahendi*, ſi transferatur *ad labia*, quia quicquid *contrahitur movetur*.

Quid opis quæſitum in Dialectis.

VI. Hæc ut parum limpide fluunt, ita *Defectum* arguunt *Originis* adhuc deliteſcentis, quæ quidem quæſita fuit in *Dialectis* cognitis, ſed non inventa. Apud *Chaldæos* & *Syros* derivatum קרצא redditur *criminatio*, *delatio*, *accuſatio*, in formula ſolenni *Dan*. 3: 8. & 6: 24. אכלי קרצוהי διαβάλλοντες apud LXX. prout ὁ Διάβολος in N. T. *Syriaco* ܐܟܠܩܪܨܐ אכלקרצא paſſim appellitatur, duabus vocibus in unam conflatis. Hanc *Criminationem* alii a *ſcindendo* ductam volunt, alii a *nutando*. Sed precariæ ſunt hæ *Etymologiæ*; aliudque ſubjicere potuiſſet verbum אכל *comedit* in hac phraſi perpetuum.

Uſus Thalmudici hujus thematis.

VII. Eſt etiam in *Dialecto Thalmudica* ſervatum קרץ *mactare pectus*, *occidere* ut putatur, in *Cod. Joma*; quæ auctoritas a *Kimchio* citatur in *Lib. Rad*. ad *mactationem* & *lanienam* adſtruendam *Jer*. 46: 20. At in *Cod. Mikvaot* eſt *comprimere* labia; in *Peah*, uvam *avellere a* botro, & in *Kelim cap*. 25. *par*. 2. de *Piſtore*, *maſſam compreſſione digitorum divellere*; ad quem uſum ſi ſatis attendiſſet *Kimchius*, ejusque lumine rite uſus fuiſſet, multo felicius cum ipſe,

cum

Digitized by Google

tum noſtri ipſum ſecuti, in *themate* hocce enucleando verſari potuiſſent; quum loca omnia *Compreſſionem Vellicantem* apertiſſime præ ſe ferant.

Arabum *fontes recluduntur.* VIII. Hanc *Compreſſionem Vellicantem* plenius copioſiusque reſtituit nobis *Dialectus Arabum*, in qua *Radix* קרץ قرص multo tritiſſima, lateque fuſa per omnem formam *metaphorarum*, quarum præcipuas ita perſtringit *Phiruzabadius* in *Camuſo.* القرص اخذك لحم انسان باصبعيك حتي تولمه ولسع البراغيث والقبض والقطع وبسط العجين والقوارص من الكلام التي تنغضك وتولمك والقارص دويبة كالبق ولبن يحذي اللسان لو حامض يحلب عليه حليب كثير حتي تذهب الحموضة —— والقرصة الخبز كالقرص وعين الشمس *Kerets* קרץ *vocatur, quum prehenſam alicujus carnem digitis comprimis ad dolorem usque: item punctio pulicum: comprehenſio; ſciſſio; expanſio maſſæ.* קוארץ *Vellicantes ſermones dicuntur qui te vexant cruciantque.* קורץ *Vellicans cum articulo ſpeciatim quoque ſignat animalculum culici ſimile; nec non Lac quod linguam pungit, ſive acidum, cui recens bene multum ſupermulgetur, ut acor decedat.* קְרָצָה *ut &* קרץ *tum orbem panis, tum ſolis, deſignat.*

IX. Non abſimilia exhibet *Sjeubarius* inſerta etiam una alterave auctoritate veteri. القرص بالاصبعين وقد قرصه يقرصه بالضم قرصا وقرص البراغيث لسعها والقارصة الكلمة الموذية قال الشاعر

قوارص تاتيني ويحتقرونها
وقد يملا القطر الاناء فيفعم ✿

وفي الحديث ان امراة سالته عن دم المحيض فقال اقرصيه بماء اي اغسليه باطراف اصابعك ويروي قرصيه بالتشديد قال ابو عبيدة اي قطعيه به والقرص والقرصة من الخبز وقرصت المراة العجين تقرصه قرصا وقرّصته تقريصا اي قطعته قرصة قرصة والتشديد للتكثير وقرص الشمس عينها والقارص اللبن الذي يحذي اللسان وفي المثل عدا القارص فحزر اي جاوز الي ان حمض يعني تفاقم الامر واشتد والقرّاص البابونج وهو نور الاقحوان اذا يبس الواحدة قراصة.

Kerets eſt compreſſio & vellicatio inter duos digitos; habetque verbum קרץ *fut. Dammatum, cum infin. kerts**. Uſurpatur & in punctione pulicum, quin* קורצת *form. part. Vellicans abſolute eſt dictum lædens, ut in illo Poëtæ*

Velli-

Vellicantia mihi veniunt dicta, quæ contemnunt illi;
Quod pluvia receptaculum aquarum largiter impleat.

In traditione etiam extat Eum (Muhammedem) rogatum a muliere de ſanguine menſtruo, reſpondiſſe אקרציה במאי *hoc eſt extremis digitis eum ablue. Legitur &* קרציה *cum dageſh forti ad mediam, valetque, ſecundum Abu Obeida, eum vulſim reſcindito in aqua. Porro* קָרֶץ & קרצה *orbiculum panis ſignant, & fœmina vellicavit maſſam* קרצת אלענין *in forma* 1. *conj. cum fut. & infin. ordinario: nec non in form.* 2. *conj. inſerto Teſdyd ad intendendam notionem; quum maſſam digitis concerpit & in panes conformat. Transfertur a pane ad ſolis orbem. Participium* קורץ *etiam abſolute denotat Lac linguam pungens: unde in proverbio, Exceſſit Lac pungens ad ſummum uſque acorem, in Rebus miſeris anxiiſque. Denique Kurrats notat flores anthemidis ſiccos; quorum unus Kurratſa appellatur.*

X. Elucet ex omnibus hiſce *Gloſſis*, quæ particulam tantum Linguæ prædivitis adſpiciendam præbent, conſtantiſſima poteſtas *vellicationis*, ſive *compreſſionis vellicantis*, quæ ſeſe pro diverſa materia diverſimode applicari patitur. Hæc ut in ſedem priſtinam merito a nobis reponitur, ſic ſeſe omnibus veritatem ſine contentione quærentibus facile inſinuabit, commendabitque, per inſignem lucem quam locis S. Scripturæ refundet; vertendique rationem multo venuſtiſſimam, quam revocata hæc *Origo* ſubminiſtrabit. *Genuina notio figitur & finitur.*

XI. Nil pulchrius ſane figura *Jobi* 33: 6. adhibita, מחמר קרצתי גם אני ubi LXX. ſenſum utcumque adumbrantes ἐκ πηλοῦ διήρτισαι σὺ ὡς καὶ ἐγώ, mutata minus commode perſona. Commodius *Hieron. de eodem luto ego quoque formatus ſum*. Similiter *Syrus* ܐܬܓܒܠܬ, & *Arabs* جبلت *plasmatus ſum*, tanquam *a plaſte fictus ac formatus*. Non incommode etiam *Chaldæus* אתלשית *revulſus ſum*; tanquam *a communi maſſa* videlicet: idemque voluere qui *exciſus* vel potius *reſectus ſum* dederunt, metaph. a *figulo* deſumta, ut monuit Doctiſſ. *Mercerus*, qui de luto vas fictūrus particulam aliquam *excidere* ſolet e reliqua maſſa. Idem quoque intendebat Cl. *Cocceji* illud, *e luto emotus ſum*; quamvis paulo obſcurius & incommodius id dictum nemo non ſentiat. Nativa ſententiæ facies hæc eſt: *E luto compreſſione vellicante decerptus ſum & ego.* Comparatur Deus *Figulo* aut *Plasmatori* maſſam manibus tenenti, & *compreſſione vellicante digitorum eam concerpenti* in fruſtula, ut inde vel *vas*, vel *plasma* aliquod effingat. Hoc *Arabibus* eſt قرص العجين *Vellicavit maſſam ſubactam* piſtor, *eamque concerpſit in orbiculos*, ad panes inde formandos. Hoc ad *figlinam*, omnemque aliam *plasmationem*, quæ fit *digitis vellicantibus*, uſum quoque ſuum diffundit. Non de nihilo eſt, quod a *Zjauhario* annotatum vidimus, *dageſſata forma* dici قَرَّص العجين, ad ſignificationis vim amplificandam, nam & קֹרַצְתִּי noſtrum in *pyhbal* conformatum. *Quæ aptiſſima Jobi cap. 33: 6.*

Aptiſſima quoque ad nictus & nutus.

XII. Hanc *compreſſionem vellicantem* multo pulcherrime ad *oculos* quoque *nictantes* & *nutantes* transferri, nemo non animadvertit. Ut *Prov.* 6: 13. קורץ בעיניו, *Annuit oculis* quod *Vulgat.* habet, ex LXX. ἐννεύει ὀφθαλμῷ. *Syrus* & *Chaldæus* ſimiliter רמז בעינוי *Nictat oculis ſuis.* Potuiſſet & *Arabs* يرمز بعينه, ſed maluit يغمز بعينه, quod غمز duplici ſignificatione polleret *innuendi* & *diffamandi*, ut ita ad *ſanniones* dictum hoc pertinere ſubinnueret. Accuratius tamen Veritatem *Hebraicam*, more ſuo, repræſentavit *Aquila*, κνίζων reddens, unde apparet *Vellicandi* ſignificationem tum temporis nondum penitus oblitteratam fuiſſe. Idem κνίζων *Vellicans* ab *Aquila*, *Theodotione*, & *Symmacho* expreſſum *Prov.* 16: 30. ubi LXX. habebant ἐπιδάκνων τοῖς χείλεσι, quod ſervatum ab *Hieron. mordens labia ſua.* Ex quibus dubium nullum relinquitur, quin קרץ *in oculis*, *labiisve* eleganter *compreſſionem vellicantem* deſignet, quæ *ſannis* ſeſe aliosque oblectare geſtiat; quem ſenſum tria ſaltem loca, in quibus hæc figura occurrit, palam præferunt.

Phraſis Aramæa אכל קרצא *enucleatur.*

XIII. Suſpicor tamen adhuc profundius quid in illis contextibus abditum eſſe, quod ut eruam, formulam illam *Chaldæis* & *Syris* pertritam אכל קרצא *obtrectavit*, *calumniam exercuit*, quam ſupra adduxi, ad *Originem* ſuam revocabo. Quum אכל ſit *comedere*, & קרץ *piſtorium* ſit *verbum*, in *maſſulis*, *orbiculis*, *cruſtuliſque formandis* frequentatum, ipſumque קרצה *Arabibus* conſignet *cruſtulum* panis; omnino videtur proprie & primario אכל קרצא inferre. *comeſorem cruſtuli*, παράσιτον *paraſitum*, *ſcurram buccellarium*, qui vel *adulationibus*, vel *ſannis*, vel *delationibus* victum ſibi quærit, & *aliena quadra paſcitur.* Sic pro אנשי רכיל *obtrectatores Eſech.* 22: 9. *Chaldæus* exhibet גברי אכלי קורצא *Viri comedentes cruſtulum. Buccellarii.* vel ſi mavis, *Sycophantæ*, diverſa quidem illa, ſed non abſimili Origine; unde poſſes *Dan.* 3: 8. אכלו קרציהון convertere, *Sycophantas eorum egerunt.* Vel *Sycophantati ſunt.* Eſtque *Sycophantæ* vocabulum multo commodiſſimum ad אֲכַלְקַרְצָא exprimendum, quippe quod duplicem quoque ſignificationem obtineat, alteram *Adulatoris* & *paraſiti*; alteram *calumniatoris* ac *maledici Delatoris*, ut ex *Plauto* nemini non obvium.

XIV. Quum interim קרץ in *Origine* ſit *Vellicare*, *carpere*, *rodere*, quod & ſub قرض regnat; id etiam directe ad *maledicentiam* ſeſe transferri ſinit: nam *maledictum*, *convicium*, *dictum Vellicans* קוֹרֶצֶת قارصة abſolute *Arabibus*: & قرضه cum *Dad* ſive *Tzade punctato*, præſertim in *Conj.* octava, *Roſit eum*, eſt *vituperavit.* Proinde derivatum קרצא *maledicentiam vellicantem* per ſe etiam ſignare poteſt, & אכל קרצא *comedit vellicantem roſionem* pervenuſte dictum erit, pro *fama* aliorum *vellicanda* ac *radenda ſeſe paſcit* atque *oblectat*: quod etiam a Cl. *Gutbirio* obſervatum reperio in *Lexico Syriaco Novi Teſtam.*

XV,

XV. Dubius, credo, pendebit Lector meus, ex duobus hiſce quid præfe- *Ex* Ambi-
rendum cenſeat. Ipſe utique, ſi alterutrum mihi optandum foret, tanquam guo *dupli-*
bilance paribus ponderibus examinata, judicium ſuſtinerem. Sed utrumque, *cem Vim*
ni fallor, rectius conjungetur, & per *Figuram ex Ancipiti*, multum *Orienta-* *exercens.*
libus, nec minus *Græcis Latiniſque*, adamatam, אכל קרצא concinne valebit ſimul *comedit cruſtulum*, ſimul *comedit vellicationem*, ad *maledicentiæ* turpiſſimum characterem decenter & graviter expingendum. De hoc genere *Ambigui*, duplici aculeo ferientis, alibi data opera conſcripſi, quorſum eos remitto, quibus color hicce Orationis haud ſatis forte cognitus.

XVI. Hiſce præſtructis accedo ad *Prov. 6: 13.* ubi *Vir nequam incedens* *Conatus*
in perverſitate oris, tribus hiſce characteribus notatur קורץ בעיניו מולל ברגלו *noſtri ad*
מורה באצבעתיו. Verti ſolet, *Nutat oculis, loquitur pedibus, docet digitis ſuis.* *illuſtratio-*
Refertur a Doct. *Mercero* aliisque ad hominem perdite improbum ac ſcele- *nem* Prov.
ſtum, cujus *omnia membra malitiam ac improbitatem cordis eloquantur* veluti. 6: 13.
Aliis ſenſus eſt, *Hunc hominem nihil rotunde eloqui, ſed omnia membra componere ad falſitatem.* Cl. *Cocc.* ad *Aſſentatores* applicat, qui *oculis*, *pedibus*, *digitis* ipſis *adulentur*, & *adblandiantur*. Plurimi cogitant de *Sannionibus*, & *Scurris* qui *nutibus*, aliisque *geſticulationibus* qua pedum, qua digitorum, probis illudunt, eosque deridendos propinant. Poſtremum hocce haud dubie palmam fert, quamvis *paraſiticam adulationem* ſimul complectar; nam graphice pingitur *Scurra buccellarius*, & quidem triplici imagine, ex interiore ſinu Eloquentiæ Orientalis depromta, *Vellicat oculis ut piſtor; coquit panes ſubcinericios pedibus; & tonſorem agit digitis.* Ne *novitatis* nomine verſio hæc ſuſpecta ſit, *antiqua* Linguæ *facies renovanda.* Primo quum קרץ *Vellicavit*, ſpeciatim teri amet in *arte piſtoria*, atque *in cruſtuli formatione*; nec non translate in *Vellicatione famæ alienæ*; ſententioſe admodum *Buccellarius ſcurra* dicitur קורץ בעיניו *oculis exercere compreſſionem vellicantem*; ipſosque ſuos *nictus*, *nutus*, *ſannas* exerere, ut *vellicando* alios, *cruſtulum* quoque ſibi paret atque venetur. Secundo מולל ברגלו nimis dilute redditur; *loquitur pedibus ſuis*, quamvis LXX. dederint σημαίνει ποσί. Secutus eſt *Arabs* يدل برجله *indicat pede ſuo.* Maluit *Hieron. terit pede*, *Aquilam* imitatur qui τρίζων habet, & *Symmachum* qui προσρίζων. At *Chaldæus* & *Syrus* תכם ברגלוי *taxans*, *perſtringens pedibus ſuis.* A nonnullis etiam noſtrorum tentatum *ſecans pedibus ſuis*, pro *noxam inferens*, vel *male urens.* Deſumta iſta vis ex cognato מול *ſecuit*, *circumcidit.* Sed figuratius quid ſuppeditat مل מלל *cineribus calidis* aut *prunis ſuppoſuit coquendum* panem: item, *ſe verſavit de latere in latus*, *præ inquietudine*, veluti *cineribus calidis coctus* videlicet; ſive ex *languore febrili*, ſive ex alia quavis *ægritudine.* Hoc eſt *Origo* Verbi אמלל, quod per *Languidum*, *debilem* exponitur; quaſi tu dicas *lento igne coctum*, *excoctum*, *ſucco exhauſtum.* Hinc & illud *Pſ. 90: 6. Ad auroram floret & revireſcit; ad*

veſperam ימולל ויבש *ſe excoquit & areſcit.* Vulgo *ſucciditur*; quaſi eſſet *Pybal* a מול. Noſtrum *excoquitur*, *excoctum elangueſcit*, aptius ad *mortalitatem*, quæ *ſua ſponte ſemet conſumit*, ſignandam. Itaque non *Arabica* tantum, ſed & *Hebræa* phraſis eſt, מלל הקרצה مل القرصة *ſub cineribus coxit orbiculum panis*, qui 1 *Reg.* 19: 6. עגת רצפים *Torta* ſive *placenta prunarum*, pro quo ibidem *Arabs* قرص مليلة .קרץ מלילה. Abſolute quoque مليل מליל, & مملول ממלול *panem ſubcinericium* denotant. Hinc jam מולל ברגלו convertere licet, *Coquens panes ſubcinericios pedibus ſuis*, ad *ſannæ* aliquod genus expingendum, quo *Buccellarius ſcurra motu pedum* aliis *illudit* & *inſultat*. Tertium membrum מורה באצבעתיו, tanquam a ירה, plerique qua Veteres, qua Recentiores, *Docens digitis* reddidere, Δακτυλοδεικτῶν, *Symmachus*; διδάσκει ἐννεύμασι δακτύλων LXX., & *Arabs.* רמז *innuens* cum *Chaldæo*, *Syrus*. Poteſt id utcumque aptari ad *geſticulationes* & *ſannas poſticas*, quas *Perſius* tetigit *Sat.* 1. 5.

> *O Jane, a tergo quem nulla ciconia pinſit:*
> *Nec manus auriculas imitata eſt mobilis albas.*

Quales *digitos ſubſannatores* merito *argutos* & *loquaces* dixeris. Attamen dignius videtur verbum הורה *Docuit*, quam ut ſic traducatur. Quidni, ſi Radix ירה, altera potius ſignificatio obtineat *jaculans digitis ſuis?* ut *ſannæ* cum *jaculis* & *telis* comparentur. Hoc video tentatum a Cl. *Guſſ.* in *Comm. L. H.* qui & a Radice מרה *Rebellavit* conjiciebat *Rebellans*, *contumacius nocens digitis ſuis*: vel & *novacula vulnerans* ex ſignificatione derivati מורה pro *cultro tonſorio.* Nos in Opuſculo *de Defect. L. H.* oſtendimus verbum מרה in Origine eſſe *preſſius ſtrinxit*, indeque מורה *Novaculam* nomen inveniſſe. Nihil itaque pronius hac vertendi ratione, *tonſorio more ſtringens digitis ſuis*: ut ſubſannator ridiculariis ſuis geſticulationibus dicatur *tonſtrinam* quandam *exercere*, quemadmodum & nos *tondere* pro *Ludificari* frequentamus. Confer *Origin. Hebr.* ſupra *Cap.* XIII. §. 7.

Figura eadem Vellicare oculum *in* Pſalmis.

XVII. Huic expoſitioni noſtræ favet, & ſuccenturiatur *Pſalm.* 35: 19. *Odia habentes me gratis* יקרצו עין: ubi pro *nictant*, *nutant oculo*, figuratius hocce exhibeo *vellicando comprimunt ocellum*, citra ellipſin; vel ſi elliptice malis *vellicant oculo.* Habes ſic *primo* cum *oculo compreſſo*, *ſannam vellicantem*; intra quam ſubſiſti poſſet: ſed ex *verſ.* 16. videtur præterea aſſumendus *uſus* ille *piſtorius*, quem indicavi, quia diſertim ibi חנפי לעגי מעוג *Sycophantæ irriſionum placentæ*, *ſcurræ buccellarii* notantur; vel & a *ſegolato* חנף, præeunte *Coccejo*, *Sycophantiæ buccellariæ*; ad *placentulam venandam* comparatæ: de quo tamen judicia libera ſunto.

Et in alio loco Proverbio.

XVIII. Talis etiam *Sycophanta*, ac *ſcurra placentarius* depingitur *Prov.* 10: 10. קרץ עין יתן עצבת, ubi magna ſententiarum varietas & fluctuatio: *Nictatorem* enim huncce alii explicant de *adultero oculos emiſſitios quaqua verſum*

ſum circumferente; alii de *adulatore*; alii de *ſubſannatore clandeſtinis nutibus & nictibus graſſante.* Diffidetur etiam in עצבת יתן *Dat dolorem*, & ambigitur ſitne hoc *ſibi ipſi*, an *aliis*, an *utrumque* ſimul. Ego in *Lib. de Defect.* §. 159. conjecturam protuli, in qua quidem non plane acquieſco, ſed cujus tamen necdum pœnitet, ut nempe עצבת ſecundum *Originem*, ibidem productam, ſonet *funem ſtringentem*, & ſpeciatim *eum qui admovetur femori* vel *uberi camelino ad lac copioſius emulgendum*; unde hæc emergeret ſententia, *vellicatim comprimens ocellum*, vel *ocello nictante vellicans ſcurra buccellarius apponit*, *iſta ſua ſcurrilitate Sycophantica*, & *paraſitica*, *funem*, *quo copioſius emulgeat*, & *emungat.* Nos quoque eum qui ſe ita *emungendum* & *mulgendum* præbet ſannionibus proverbialiter appellamus *Vaccam fune conſtrictam.* Sequens membrum, quod & *verſ.* 8. comparebat, ואויל שפתים ילבט, hanc ſiſtit imaginem, *At ſtolidus labiorum inſtar Cameli luſcitioſi claudicans corruet*; cujus Verſionis fundamentum alio in capite adſtruam.

XIX. Magna obſcuritas premit etiam dictum *Prov.* 16: 30. עצה עיניו לחשב תהפכות קרץ שפתיו כלה רעה. in formula קרץ שפתיו pro *innuens* **Formula Vellicare labia in**
labiis nemini ſane diſplicere poterit *vellicans labiis*; vel & citra ellipſin, **Proverbiis.**
vellicatim comprimens labia ſua. Hoc intenderunt LXX. ἐπιδάκνων δὲ τοῖς χείλεσιν αὐτοῦ ὁρίζει πάντα τὰ κακά: ut & *Vulgatus*, qui *mordens labia* dat. Οἱ τρεῖς habebant, κνίζων, ut ſupra monui. Hactenus ergo ſic ſatis tuta & firma noſtra ſignificatio. Sed anquirendum, quorſum pertineat *compreſſum* hocce *labellum*; & num forte aliquid interioris elegantiæ & heic ſubſit.

XX. Hoc certius dijudicari poſſet, ſi prius membrum עצה עיניו penitius **De Verbo**
perſpectum foret. Eſt ἅπαξ λεγόμενον, variantibus obnoxium conjecturis, **עצה**
thema עצה. LXX. dederunt στηρίζων ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ διαλογίζεται διεστραμμένα: cum **anquiritur.**
quibus *Aquila* & *Theodot.* ſtant, qui habebant στερεῶν: nec non *Arabs* من يصلب عينيه *qui indurat oculos ſuos*; itemque *Vulgatus* paulo liberius, *Qui attonitis oculis cogitas prava.* Diverſo adſpectu *Chaldæus* & *Syrus* רמז בעינוי *Annuens oculis ſuis*, quod Recentiores nonnulli calculo ſuo comprobarunt. Receptiſſima tamen opinio fert, *Claudens oculos* eſſe vertendum, notione aſſumta ex cognato עצם, unde *Eſaj.* 29: 10. יעצם את עיניכם *Clauſit oculos veſtros*; & 33: 15. עוצם עיניו *claudens oculos ſuos*, proprie *firmans*, ut *Bochartus* obſervavit *Hieroz. part.* 2. p. 32. adducta *Apulejana* phraſi *firmare*, *obfirmare fores* pro *claudere*, unde & *Gallorum fermer.* Sic revolvimur ad στερεῶν ſive στηρίζων, niſi quod poſterior hicce uſus pro *apertis* & *rigida acie fixis oculis*, exhibeat *firmiter clauſos*, quam notionem ex *Æthiopica Dialectico* confirmari poſſe monuerunt Clariſſ. *De Dieu* & *Ludolf.* ubi ዐጸወ עצו *ult. Vav* eſt *concluſit* januam; quod *ſecundarium* arbitror, a *primario* στηρίζειν, vel potius στερεοῦν *firmare*; omnino enim τῷ עצה videtur tribuenda poteſtas *firmi*, *durique*, prout *Arabibus* عص eſt *dura*, *firma*, *valida fuit* radix, nec non عصي *ult. Je* & *Vav*, cujus اعتصي exponitur *induruit* os dactyli, quaſi frangenti

 conta

contumax fuit, ait Cl. *Golius;* mihi contrario ordine *contumacia*, *rebellio*, *inobedientia*, quam عصي creberrime exprimit, a *duro* ſubnata videtur. Hinc & עֶצָה, *Arabibus* per geminationem عصعص *Orrhopygium. Coccyx. Spondylium.* Adiſis *Hieroz. part.* 1. p. 497, 498. Hinc præterea עֵץ *Lignum*, quod *Arabibus* عصا עֵצָה *fuſtis*, *baculus.* Hinc denique *Syris* & *Chaldæis* עצא *contradixit*, *obſtitit*, *oppreſſit ;* ex quibus omnibus Origo *firmæ duritiei* ſatis eluceſcit.

Profundius quid in Vellicatione labiorum indicatur.

XXI. Nec dum tamen ſatis liquet, quid valeat phraſis עֹצֶה עֵינָיו, vertendumne ſit *firmiter claudens oculos*, ad intentius cogitandum videlicet, & machinationes quærendas: an *firmiter figens oculos*, & *aperta immotaque acie perſtans:* nam & is ſtatus habituſque quadrat in *machinatorem perverſitatis.* In quamcumque partem inclineris, opportunum ſenties קֹרֵץ שְׂפָתָיו *Vellicans labia ſua*, pro *crebro commordens;* nam ut *rodere ungues*, ita *mordere labra* conſpiciuntur intenſiſſima cogitatione in aliquid defixi; ac præſertim *mali* aliquid *machinantes;* quale genus *maleficorum* quum hic depingatur, haud alluſum putem ad *Vellicationem maledicentiæ* ob *cruſtulum*, more paraſitico ac ſycophantico; ſed ad *Vellicationem œſtri ſtimulantis*, & *ad veſaniam adigentis*, quam verbum קרץ haud dubie admittere potuit: ut hicce *Machinator malorum* jam dicatur *labia ſua Vellicare*, quia hoc pacto ſemet quodammodo *pungit*, *ſtimulat*, & magis magisque ad perniciem aliorum *irritat*, haud ſecus ac ſi *œſtro Vellicante inſtigaretur.*

Figura Vellicantis œſtri *vindicatur* Jeremiæ.

XXII. Hanc *Oeſtri vellicatim ſtimulantis* imaginem admirabiliter locatam ſiſtet quoque *Jerem.* 46: 20. *Vacca pulchro ore prædita eſt Ægyptus:* קֶרֶץ מִצָּפוֹן בָּא בָא, *Chaldæus* ſenſum utcumque adumbrans עַמְמִין קָטוֹלִין מִצְּפוּנָא יֵיתוּן עֲלַהּ לְמִבְזַהּ *populi interfectores ab aquilone venient ſuper eam ad deripiendam eam.* Dilutius *Syrus*, *exercitus veniet.* LXX. habent ἀπόσπασμα, obſcuriuſcule. *Vulgata* ad mentem noſtram *ſtimulator ab Aquilone veniet ei.* Cernis veſtigium veri, poſtea oblitterati; nam præeuntibus *Rabbinis* receptum deinde, *excidium*, *laniena*, *mactatio*, vel *mactator*, ut indicatum ſupra *par.* III. & VII. Clar. *de Dieu* novo tentamine dedit *Inciſio ab Aquilone venit*, quaſi *pulchri iſtius oris inciſio* denuntiaretur, *qua forma ejus deturparetur*, quia nempe קרץ non tam *excidium* ſonet, quam *inciſionem*, adducto etiam uſu *Arabum* in *concidendo*, ac *mordendo.* Si ingenii aciem acrius intendiſſet, penetraſſet utique ad *Morſum Vellicantem Oeſtri* Divinitus immittendi, quem Cl. *Coccejus* ſagaciſſime motus, quantumvis proprietatem Verbi minus feliciter finiviſſet in *motu*, vi ſententiæ deprendit, ut ad finem *par.* IV. indicatum. Sane præcedentia & ſequentia non *jugulationem* hujus *Vaccæ Ægyptiacæ*, ſed *trepidiſſimam* ac *velut œſtro impulſam ejusdem ſugam* exigunt; ut vertere nullus dubitem, *Morſus Vellicans Oeſtri a Septentrione venit*, *venit.*

Diritas hujus mali.

XXIII. Ne levem nimis credas peſtem pro atrocitate comminationis *Propheticæ*, adſpice hoc Poëtæ *Georg.* 3. 147.

— *Voli-*

—— —— Volitans, quoi nomen aſilo
Romanum eſt: Oeſtrum Graji vertere vocantes.
Aſper, acerba ſonans: quo tota exterrita ſilvis
Diffugiunt armenta: furit mugitibus æther
Concuſſus —— —— —— —— ——

Advertas quoque velim, quod ibidem ſubnectitur;

Hoc quondam monſtro horribiles exercuit iras
Inachiæ Juno peſtem meditata juvencæ.

Notiſſima fabula τῆς οἰστροπλῆγος Ἰνάχυ κόρης, in qua paratragœdiatur *Æſchylus* in *Prom. Vinct.* ubi ipſa *Jo* ſic inducitur *verſ.* 569.

Χρίει τίς αὖ με τάλαιναν οἶστρος.

Rurſum me miſeram œſtrus ſtimulat.

Ubi pulcre χρίει *ungit* pro κεντρίζει *pungit*; quia *ſtimulo* compuncta membra cruore illinuntur ac perunguntur. Iterum *verſ.* 582.

Οἰστρηλάτῳ δὲ δείματι δειλαίαν
Παράκοπον ὧδε τείρεις;

Per Oeſtrum incuſſo terrore miſeram
Amentem itane vexas?

Porro *verſ.* 598.

Θεόσσυτον δὲ νόσον ὠνόμασας
Ἃ μαραίνει με χρίουσα
Κέντροισι φοιταλέοισι.

Divinitus immiſſum vero morbum nominaſti;
Qui me tabefacit unguens i. e. pungens,
Stimulis furialibus.

Ubi *Schol.* λέγει τὸν τῆς πλάνης οἶστρον; ἥτις μαραίνει καὶ καίει με κεντῦσα βέλεσι φοιταλέοις. Denique *verſ.* 675.

—— —— —— ὀξυστόμῳ
Μύωπι χρισθεῖσ᾽ ἐμμανεῖ σκιρτήματι
Ἤσσον —— —— ——

—— —— —— Acutiſſimo
Peruncta œſtro, ſaltu lymphatico
Ruebam —— —— ——

Ex

Ex quibus omnibus efficitur aliquid ipſa *laniena* dirius *juvencæ Ægyptiacæ* intentari, quum ei *Oeſtri Vellicantis ſtimulus*, in fugam & furorem acturus, ex ſeptentrione imminere oſtenditur.

Salſa & venuſta alluſio. XXIV. Ad hanc ipſam fabulam *Inachidos* venuſte alluſum videtur a *Jeremia*; *Iſidem* enim *Ægyptiorum* tutelarem Deam ſanctiſſimis cerimoniis coli ſolitam, eandem habitam fuiſſe cum *Jo* in *Vaccam nitidam* converſa, quæ ex furiatis ſuis erroribus, in *Ægypto* tandem quietem & Divinitatem ſimul invenerit, nemini incompertum. Salſe itaque Vates *Gentem Ægyptiacam Pulcherrimæ Vaccæ* comparat, eique denunciat *furibundam & lymphaticam fugam*, per *Oeſtrum Divinitus admovendum e ſeptentrione*, id eſt *formidoloſa Babyloniorum arma*; prout *Aſſyriorum terror bellicus Eſaj.* cap. 7: 18. confertur cum *aculeo apis.* Ingeminatum verbum קרץ מצפן בא בא *Morſus Vellicans Oeſtri a ſeptentrione venit, venit*, pertinet ad diritatem mali; quamvis forte elegantius adhuc verti poſſet *venit, intrat*; ut prius *Oeſtri adventum*, poſterius *aculeum* ejusdem conſignet *infeſtius intraturum*.

קרץ *abſolute uſurpari in* Vellicatione *inſectorum.* XXV. Hunc uſum abſolutum verbi קרץ *Arabum Lexicographi* enotarunt in *part.* קורץ قارص *Vellicans*, quod in *Camus* ſpeciatim exponitur *inſectum Culici* vel *Cimici ſimile.* Uterque etiam *Gloſſator Arabs* habebat قـرص البراغيث لسعها *Vellicatio pulicum eſt eorundem punctio.* Liquet קרץ ex genio Linguæ datum & dicatum fuiſſe potiſſimum *Morſibus Vellicantibus culicum, pulicum, cimicum, tabanorum*, idque genus peſtium ac tædiorum; nec dubium quin *formidoloſus* ille *aſilus* ſub appellatione קורץ قارص *Vellicantis* κατ᾽ ἐξοχὴν intelligendus veniat, ὁ κνίζων jure meritiſſimo dictus.

Locus Miſchnicus *illuſtratur.* XXVI. Lubet hiſce ſubtexere pro ſpecimine, quam parum tribui poſſit *Rabbinis* in hocce genere *Originum*; quamque in tenebris ſæpe micent, & divinent. Eſt in *Cod. Joma Cap.* 3. *par.* 4. uſus rarus & inſignis verbi קרץ, quem ſi recte intellexiſſent, tantam fruſtrationem non peperiſſent, ſed indolem noſtri thematis rite conſtituere atque enucleare valuiſſent. Dicitur ibi, *Quum Pontifex M. laviſſet, veſtesque aureas ſumſiſſet* —— הביאו לו את התמיד קרצו ומרק אחד שחיטה על ידו *adduxerunt ad eum ſacrificium, juge,* ——, *& alius perfecit jugulationem poſt eum.* In *Gemara* rogatur, *Quid ſibi vult* קרצו? & reſpondetur לישנא דקטלא הוא *ineſt ſignificatio occidendi.* Iterum quæritur, unde conſtet? regeritur, ex *Jer.* 46: 20. quia ibi קרץ in *Targum Rab. Joſeph* convertitur עממין קטולין *populi occiſores.* Ex hoc fonte univerſa hauſit ſchola *Rabbinica*; atque hac eadem auctoritate nixus *Kimchius* in *Lib. Rad.* notionem *occidendi* in noſtra quoque *Lexica* transſudit. Atqui vertendum fuerat in *Miſna* iſta, *Vellicavit illud. Vellicantibus digitis preſſit jugulum* ſacrificii; *jugulationem* vero *alius peregit*, ut diſertim additur. Non debuiſſent notionem iſtam ignorare *Gemarici Doctores*, qui in *Miſchna* ſua habebant קרץ pro *carpere, decerpere;* nec non *Vellicatione concerpere maſſam* ut *Piſtor*; itemque מקרצות *Orbiculi, fruſta maſſæ farinaceæ*, quæ *Arabibus*

Digitized by Google

libus قرض & اقراض & قرضة. Poſſet tamen iſtud קרצו paulo fortiore etiam ſenſu exponi *incidit* ei *jugulum*, ex poteſtate Verbi قرض *ſecuit*, *incidit*; nam τὸ κνίζειν *Vellicare* amplectitur & *inciſionem*, indeque מקרץ مقراض *forfex* dictus; ut Pontifex M. admoto ſeceſpite jugulum primus *inciderit*, ſed alius poſt ipſum *jugulationem* confecerit.

XXVII. Non inutile fuerit L. L. O. O. Cultoribus, ſi hac occaſione ſubſeruero thematis قرض varios uſus, quod in *Origine* ſua idem plane eſt cum قرص, ſecundum fundamenta in *Clavi Dialect.* p. 279, 280, 281. poſita; quamvis *Dad punctato* affecta Radix novas adhuc, ſibique privas, metaphoras induerit. *Primo* exponitur a *Sjeubario* & *Phiruzab.* per قطع *ſecuit*, *incidit*; & قرض رباطه *incidit vinculum ſuum* per مات او اشرف علي الموت *Mortuus fuit*, *vel morti imminuit*. Apud *Sjeubarium* reperio *ſecundo* الفارة تقرض الثوب *Mus* תקרץ *rodit veſtem*. Sic in *Hiſt. Tamerl.* p. 432. Utrumque præfert derivatum قراضة *quod ſecando rodendove decidit*: *Ramentum* auri. *Nummulus* quoque in *Roſar.* p. 178, 284. *Tertio* قرض الشعر eſt *panxit carmen*, quaſi *ſecuit*, *incidit*; ipſumque *Carmen* قريض dictum, quaſi *ſectum*, *inciſum*. Confer ad *Hariri conſ.* 2. p. 82. *Quarto* valet *retribuit*, *penſavit* apud Cl. *Golium*; quæ notio propagata eſt a قَرْضٌ & قِرْضٌ, *Quod fœnerato datur*: *Æs alienum*; a *mordendo rodendove* ſic appellatum. Allusum illuc in *Nawabig*

Divitiæ Arabum ſub verbo cognato قرض *promuntur.*

في قرض الاعراض قرض الاعراض ☼

Quum fœnerato dantur utenſilia; roduntur famæ.

Pulchre etiam *Haririus Conſ.* 26. in deſcriptione *Literati inopis*, ثم شربه برض وقوته قرض وفلقه غسق وجلبابه خلق وقد قام لنوغر غريم غاشم يستحثه بحق لازم *Potus quidem ejus*, *guttula aquæ eſt*; *cibus*, *roſio æris alieni*: *aurora ejus*, *primæ noctis tenebræ*: *amiculum*, *tritus pannulus*: *atque interiore æſtu concutitur uriturque ob Creditorem importunum*, *qui ipſum exagitat propter incumbens debitum*. Quam late vis hæc invaluerit docebit *Sjeubari*. والقرض ما تعطيه من المال لتقضاه والقرض لغة فيه حكاه الكسائي واستقرضت من فلان اي طلبت منه القرض فاقرضني واقترضت منه اي اخذت القرض والقرض ايضا ما سلفت من احسان ومن اساءة وهو علي التشبيه قال الشاعر

كل امري سوف يجزي قرضه حسنا اى
سيئا ومدينا مثل ما دانا

وقال تعالي واقرضوا الله قرضا حسنا وقرضته وقارضته اي جازيته والتقريض مثل التقريظ يقال فلان يقرّض صاحبه اذا مدحه او ذمه وهما يتقارضان الخير والشر قال الشاعر

ان الغني اخو الغني وانما
يتقارضان ولا اخا للمقتر

والقرنان يتقارضان النظر اذا نظر كل واحد منهما الي صاحبه شزرا والمقارضة المضاربة وقد قارضت فلانا قراضا اي دفعت اليه مالا ليتجر فيه ويكون الربح بينكما علي ما تشترطان والوضيعة علي المال.

Kards eſt quod de opibus tuis das fœnori, Kirds etiam dictum ex Dialecto quam adfert Kiſaæus. Inde in 10. אסתקרצת מן פלן *petii ab aliquo ut fœnori daret, & אקרצני fœnori dedit mihi in* 4. *In* 8. *autem* אקתרצת מנה *fœnori accepi ab eo.* קרץ *etiam eſt quicquid vel beneficii vel maleficii confers; eſtque figuratus iſte uſus; ſic Poëta.*

Rependendum cuilibet ſuum creditum eſt, ſive bonum
Sive malum, idemque quod fœnori dederat.

Sic & in Alcorano; fœnerate Deo æs alienum bonum. Hinc in 1. *&* 3. *etiam repenſare. Et* תקריץ, *ut* הקריט, *eſt laudatio hominis Vivi ſive merentis ſive immerentis; diciturque in* 2. *Conj. fœnerat ſocio ſuo, quum eum vel laudat, vel vituperat. Sexta conjugatio in duobus adhibetur fœnerantibus inter ſeſe,* id eſt, *par pari referentibus, qua in bono, qua in malo. Ut in illo Poëtæ*

Dives diviti frater eſt, namque illi
Inter ſe fœnerant: at pauperi nullus frater.

Uſurpatur eadem conjug. in pari pugnantium, qui torvo ſe invicem viſu intuentur. Tertia conjug. continet etiam concertationem & pugnam cum inf. مقارضة, *ſed cum inf.* قراض *eſt, tradere te alicui pecuniam ut ea mercaturam exerceas, cujus lucrum ad vos ambos redundet ea conditione quam conſtitueritis, detrimento ſorti tantum incumbente.* Habes ampliſſimam ditionem τῦ قرض *fœnerare, a rodendo mordendove,* prout נשך *momordit* apud *Hebræos* ad *fœnerationem* quoque

que traductum. *Quinta* porro poteſtas eſt *Declinavit in dextram ſiniſtramve*, unde *Alcor. Sur.* 18. 16. واذا غربت الشمس تقرضهم ذات الشمال *Quumque occideret ſol relinquebat eos a ſiniſtra.* Audi *Sjeubarium* وقوله تعالي تقرضهم ذات الشمال قال ابو عبيده اي تخلفهم وتجاوزهم وتقطعهم وتتركهم عن شمالها ويقول الرجل لصاحبه هل مررت بمكان كذا وكذا فيقول المسوول قرضته ذات اليمين. *Alcorani illud* תקרצהם זאת אלשמאל *ſecundum Abu-Obeida* eſt, *poſt ſe relinquebat, præteribat, & ſecabat illos: dicit enim quis ſocio ſuo, num hunc illumve locum tranſiviſti; at is reſpondet, ſecui eum a dextra.* Sic *Latinis* notum *ſecare viam; carpere iter*, & alia. *Sexto* قرض abſolute valet *Mortuus fuit*, vel *morti imminuit*, quod plenius ſupra erat قرض رباطه *incidit, reſecuit vinculum ſuum:* atque hinc in 7. انقرض *nullo ſuperſtite periit* familia; quaſi *inciſa* nempe & *reſecta ſerie poſteritatis.* Sic *Hiſt. Sar.* p. 271. انقرض ملك بني بويه *finitum eſt imperium Bojidarum*, proprie *inciſum, reſectum fuit.* Adde *Hiſt. Tam.* 420. احفاده غالبهم انقرض *Ad Nepotes ejus quod attinet, maxima pars eorum nullam familiam reliquit*; proprie *inciſa eſt.* Hic eſt genuinus illius conjug. uſus. *Septimo* denique in *Camus* 8. *conj.* اقترض عرضه exponitur اغتابه *Obtrectavit ei, arroſit famam ejus*; ut ſupra quoque ex *Nawabig* قرض الاعراض adductum.

XXVIII. Mirabilem cernis copiam Sermonis *Arabici*, quo קרץ cum *Dad* auctum fuit, retenta ſemper *primigenia indole* τοῦ κνίζειν; quæ & ſub *Radicem* קרן قرن commigravit, ut עלן pro עלץ dicitur. Vide *Clavim Dialect.* p. 282. Rarior tamen eſſe debet, nam apud *Sjeubarium* deſideratur; & in *Camuſo* pauciſſimis hiſce perſtringitur القرن قبضك التراب باطراف اصابعك *Kerz* קרן *dicitur, quum extremis digitis terram capis vel pulverem.* Habes *Gallicum Pincer*, quod item *vellicare* ſonat. Veriſimile eſt cum mutatione *elementi*, aliquid Varietatis invectum in uſibus *ſecundariis*, quos vel vetuſtas delevit, vel ſaltem *Literatorum* diligentia necdum eruere valuit ex vetuſtis monumentis. *Eadem proprietas ſervata ſub* قرن.

XXIX. Indicanda mihi reſtat *Harmonia* & convenientia *Dialecti Æthiopicæ*, quam *propaginem* eſſe *Arabicæ*, & quidem *pervetuſtam*, *cap.* 1. oſtenſum. Siſtit ea ቀረፀ קרץ *totondit* lanam, capillos; קרוץ *tonſus*; קראצי *Tonſor*; מקרץ *forfex*; مقراض, ab *incidendo* & *reſecando* omnia: ſive jam *attonſio* iſta ab *Æthiopibus* novata ſit, invitante indole Verbi; ſive etiam in Veteri *Arabum* Lingua obtinuerit, quod a vero haud abhorret; quum ne nunc quidem peccaret, qui قرض ad *circumtonſionem lanæ* vel *crinium* transferret; præſer- *Uſus Æthiopicus hujus Radicis.*

 tim

tim in ſtylo ſublimiore; quemadmodum & قراضة rite appellari poſſet *quod ex tonſura decidit.*

Conjectura ad Chald. קריצא *pro aurora.*

XXX. Poſtulat etiam aliquid opis, ſi forte ferri queat, *Dialectus Chaldaica*, in qua קריץ, & *fœm.* קריצא, nec non *emphat. form.* קריצתא occurrit pro *Ortu ſolis*, *Aurora.* Sic in *Targum Jobi* 41: 9. עיני כתימרי קריצתא *Oculi ejus ut palpebræ auroræ.* Plura dabit Cl. *Buxt.* in *Lex. Thalm.* ubi invenies etiam ex *Thalmude Hieroſolym.* קרץ ונפק *Mane ſurrexit & exiit.*. Extat idem hic uſus in *Pentat. Samaritano Gen.* 21: 14. [illegible] וקרץ בצפרא. *Et ſummo mane ſurrexit Abraham.* Si *ſolem*, & quidem *Orientem*, vox קריץ deſignaret, ſcrupulum omnem tolleret *Arabum* قرص in قرص الشمس *Orbis diſcusve Solis*; quam phraſin reperies in *Hiſt. Tamerl.* p. 311. Sed neutiquam ad *Solem Orientem* ea reſtricta; ut patet ex *Roſario Sadii* p. 50.

قرص خورشيد در سياهي رفت
يونس اندر دهان ماهي رفت

Orbis ſolis in tenebras ivit;
Ut Jonas os ceti intravit.

Conjicio itaque a קרץ quatenus notat *punxit*, formatum קריץ *aurora*, plane ut apud *Gallos*, *la pointe du jour*, & *le jour commença a poindre.* In hac formula *pungere* eſt *emicare*, *metaph.* deſumta a *germine emicante*, quod eleganter dicitur *poindre pungere*, quum *primulum prodit* & *erumpit.* Hinc & *Samaritanis Chaldæisque* קרץ pro *emicuit*, non tantum de *ſole*, ſed etiam de *homine mane ſurgente.* Si copioſior ad nos utraque *Dialectus* perveniſſet, certius de hac *Origine* judicium ferri poſſet.

Sex conſectaria.

XXXI. Deſino in *Conſectariis* quibusdam, ſponte manantibus ex iis quæ hactenus diſcuſſa ſunt. *Principe loco* liquere jam poteſt evidenti ſpecimine, *unum* tantum *Linguæ Corpus conſtituere quatuor Dialectos Majores*, *Hebraicam*, *Chaldaicam*, *Syriacam*, & *Arabicam*, ſub quibus tres Minores, *Æthiopica*, *Samaritana*, *Thalmudica* comprehenduntur, atque in ordinem rediguntur. *Secundo* elucet, omnes illas *Dialectos* ſibi invicem opem lucemque ferre, atque ſocias præſtare operas in mutua illuſtratione, ac proinde nullam earum ſine aliquo incommodo ac detrimento ignorari. *Tertio* in oculos incurrit omnium *Dialectorum copioſiſſimam* eſſe *Arabicam*; quippe quæ cladem illam paſſa haud ſit, per quam reliquæ omnes adflictæ jacent, & emortuæ; ſed felicioribus auſpiciis in patrio ac nativo ſolo, per omnium ſeculorum decurſum a præſtantibus ingeniis exculta, veteres divitias illibatas aſſervet, atque infinitis in libris expromat. *Quarto* apparet, *ditiſſimam* & *affluentiſſimam* hanc *Dialectum* feliciter plerumque, ob rationes alibi indicatas, *conſervaſſe Origines* & *primigenias poteſtates Radicum*, quæ e reliquis ferme *Dialectis* interciderunt, & amiſſæ

Digitized by Google

amiſſæ ſunt. *Quinto* maniſeſtiſſimum eſt, admota *Clavi Arabicæ Dialecti*, non tantum *Hebrææ Linguæ penetralia* fideliter reſerari poſſe, ſed uberrimum quoque lumen ceteris *Dialectis* infundi, ad *uſus* illos *ſecundarios*, qui ſeſe in earum reliquiis offerunt, ex *primævo* ſuo *Fonte* rite derivandum, atque ſic quæ diſcordare videbantur, in amiciſſimam concordiam revocandum. Videlicet *ſexto* clariſſime cernere eſt, *Varietatem* illam ac *diſcrepantiam* quæ primo adſpectu inter *Dialectos Orientales* deprehenditur, verſari ferme circa *ſecundarias notiones*, quæ, *ramorum* inſtar *flexibiles* ac *ſequaces*, ſeſe miris modis omnem in partem, etiam contrariam ſæpe, explicant ac diffundunt, *immota ſtirpe* hoc eſt *primario ſignificatu* in omnibus *ſtante*, atque *indolem ſuam ſervante*.

De Verſionibus Veterum obſervatiuncula.

XXXII. Deproperabo etiam ſtricturas quaſdam, & obſervationes Criticas, *circa auctoritatem Veterum Verſionum*, quæ ex diſputatis ſub manu ſubnaſcuntur. Summum enimvero pretium iis ſtatuo; atque ad earum facem candelabrum hodiernæ cognitionis accenſum lætius reſplendere, cum gratiſſimis gratus agnoſco. Sed adfirmare tamen, re rite examinata ac perpenſa, ſuſtineo, ope Veterum *Origines*, quas veſtigamus, ſive *primigenias* Radicum *poteſtates* nunquam ſatis liquido tutoque poſſe finiri. Non eſt *boni interpretis*, etiamſi *proprietates* illas omnes in promtu habeat, eas in *verſione ſua* exprimere; ac ſuperſtitioſe, quin imo odioſe, inculcare. Sequendus eſt genius Linguæ, in quam *Hebraica* transfunduntur; & pro varietate conſtructionis, rerumque, infinite variandum. Hinc diverſitas illa omnium Veterum interpretum, tum a ſe invicem, tum a ſemet ipſis; quippe qui unam eandemque *Radicem* ſæpe decem diſcrepantibus notionibus converterint. Solus *Aquila* captans *Etymologias*, & *Verborum Origines*, eo ipſo vapulavit; & *Contentioſi interpretis* notam meruit. Sed de his alias locupletius.

CAPUT TERTIUM.

Linguarum *origines* abſtruſæ fere. Latinorum *callere* pro ſpecimine adductum & illuſtratum. Verbum *mactare* ſub conſpectu ponitur. Locus *Horatii* aliqua luce perfuſus. Alia exempla vocum *Latinarum*, quarum *origines* per uſus *ſecundarios oblitteratæ*. Verborum *refutare & confutare* origo. In Bibliis maximam partem *ſecundariæ notiones regnant*. Verbi שלח uſus Biblici. Ejuſdem notiones *Chaldaicæ & Syriacæ*. *Arabicæ Dialecti* uſus inſigniores. Tentatur locus difficilis *Jobi* 27: 8. Originem שלה non eſſe quærendam ex alliteratione ad Græcam vel Latinam vocem. Princeps & formalis notio verbi שלה producitur. *Eliquari*, *liquere*, *liquidus*, ad *tranquillitatem* traducta. *item* defæcari. שלה ſignificat *eliquatam & defæcatam puritatem*. Præſertim *in butyro & pinguibus*. שלוה *fortunas opimas & intactas* deſignat. Specialius adhuc *inſolentiam ex fortunis opimis*. *Uſus hinc peculiaris in* ſecuritate & negligentia. An vox של huc pertineat. שלי *diverſimode* tentata. Notiones *Aramææ* ex *liquida ſecuritate* decurrentes. Defectus primariæ poteſtatis in *Chaldaicis Syriacisque reliquiis*. Quomodo defectus hicce ſanandus. Uſus radicis in *demulcendo* aut *lactando applicatur ad* 2 *Reg*. 4: 28. *Vocula* שלו *luce augetur*. *Nomen* שלה *Schylo*. *Jeruſchalaïm hinc derivatum*.

I.

Linguarum Origines abſtruſa fere.

Profundiſſimæ in omnibus Linguis ſunt *Origines* verborum, quorum *ſecundariæ*, & per metaphoras deflexæ ſignificationes, tantopere invaleſcere ſolent tractu temporis, ut *primariæ* vel obſcurentur, & in oblivionem fere eant, vel etiam penitus oblitterentur.

Latinum callere pro ſpecimine adductum, & illuſtratum.

II. Ajo primo *primarias* notiones ita obſcurari, & tanquam præumbrari ſæpiſſime uſibus *ſecundariis*, ut etiamſi *Origo* remanſerit, certiſſimaque ſui veſtigia atque indicia reliquerit, a perpaucis tamen agnoſcatur, atque, ut par eſt, ad interiorem Linguæ intelligentiam pandendam applicetur. Exemplo uno alterove res fiet clarior. *Callere* eſt omnium ſermone tritum vocabulum, pro

rei

Digitized by Google

rei alicujus eſſe *intelligentem ac bene peritum*. Sic *callere artes*, *linguas* &c. &c. pro *pulchre ſcire*, doctis indoctiſque juxta gnarum; ſed prioribus forte tantum rarius illud *callere in arte*, quo *Livius* utitur: nec non *Plin.* 8. 25. *Callent in hoc cuncta animalia:* & 9. 29. *Polypus alioquin brutum animal in re quodammodo familiari callet: omnia in domum comportat &c.* Omiſſa præpoſitione *Val. M.* 8. 12, 1. *Ab his id negotium aptius explicari poſſe, qui quotidiano ejus uſu callebant*; ut & *Juſtin.* 24. 24. *Nam augurandi ſtudio Galli præter ceteros callent.* Friget ibi, quod a quibuſdam ſubſtituitur, *Calent*. Quæ ratio ſtructuræ? *Origo:* quæ eſt intranſitiva, a *callo*, & *calloſa duritie* manuum pedumve; unde *callere in re*, eſt *bene tritum ac ſubactum* in ea *eſſe*, *ex longa* ac diuturna *exercitatione*. Alluſum ſæpius; ex *ambiguo*, ad hoc *Etymon* a *Plauto:* ut *Perſ.* 2. 5, 4. *Magis calleo, quam aprugnum callum callet.* Hoc *Comicum* & *Ridicularium:* ſed graviter & decenter *Lyricus* 4. *Carm. od.* 9. *Qui duram callet pauperiem pati.* Nec ambigendum, quin & *Cic.* L. 4. Ep. 5. huc reſpexerit, *Qui non in illis rebus exercitatus animus callere jam debet?* ubi rectiſſime quidem *Manut: quaſi callo ex conſuetudine facto ſic obduruiſſe ut novum dolorem non ſentiat*, prout alibi *prorſus occallui* dixit, & *conſuetudo callum obduxit ſtomacho meo.* Sed tamen quum præcedat *exercitatus*, fieri nequit ut in τῷ *callere* non ſimul alluſerit ad *habitum animi* in hac palæſtra miſeriarum *tritiſſimi*, ac *ſubactiſſimi*, ita ut jam *calleat*, atque adeo *percalleat*, dura atque adverſa forti pectore ſuſtinere.

III. Aliud ſpecimen præbebit verbum *Mactare*, quod in *Origine* eſt *magis auctare* vel *augere*; & quidem, uſu ſacrificali, *mola ſalſa* capiti inſperſa, quod proprie *immolare* vocitabant: utroque mox vocabulo *ſecundariam vim*, quæ eſt *Cædere* victimam, tam frequenter exerente, ut princeps notio ferme deleta eſſe videatur. *Verbum Mactare ſub conſpectu ponitur.* Ea tamen evidenter elucet ex formula *Mactus eſto virtute tua*; vel quod malebant, *macte eſto;* quæ tranſlata eſt a Sacrificiis, ubi dicebant, *Jane pater*, *Mars pater*, *mactus vino inferio eſto*, ut *Arnob.* effert; vel *macte vino inferio eſto* apud *Caton.* de R. R. cap. 134. & 141. *Macte hiſce ſuovetaurilibus lactentibus immolandis eſto:* & 139. *Haruncce rerum ergo macte hoc porco piaculo immolando eſto.* Hinc *mactare* etiam valuit *Macte dicere*, ut in illo *Caton.* 134. *Ferctum Jovi moveto, mactatoque ſic &c.* Hoc eſt *dicito mactus eſto &c.* qua ratione *Mactare victimam* nihil aliud in *Origine*, quam *dicere macto eſto hac mola ſalſa.* Anſam hanc tenuere ad varios uſus inſigniores non in *malum* ſolummodo, ſed & *in bonum*, ſecundum illud poetæ.

—— *Meritos aris mactabat honores.*

Ita *Cic.* de *Rep. Ferunt laudibus*, *mactant honoribus.* Et *Accius*, *patera Neſtorem mactavit aurea.* Pulcre *Lact. Animas immortalitatis conditione mactatas*, pro *auctas.* Nempe non tantum dicebant *Mactare diis victimas*, ſed & *deos victimis;* quo adſpectu *Arnob. L.* 1. *Quos odiis acrioribus conveniebat a vobis carpi*, *pulvinaribus*, *aris*, *templis*, *atque alio mactatis cultu.* Imitatur *Ciceron.* in *Vatin. C.* 6. *Quum puerorum extis deos manes mactare ſoleas.* Argutus hinc luſus *Plauti* in *Amphitr.* 4. 2, 15. *Sacrifico ego tibi. Qui, quia enim te macte infor-*

Digitized by Google

infortunio. Ambiguitas in eo reſidet, quod *Mactare Deum hoſtia*, ſit *ei ſacrificare: eum honore augere:* jam vero contrario & malo ſenſu, præter expectatum, infertur *macto te infortunio*, ex formula *Enniana*, *quin illum dei deæque magno mactaſſent malo.* Confer. *Muret.* ad 1 *Catil.* 11. & *Abram.* ad Cap. 6. *Vatinianæ.*

Locus Horatii *aliqua luce perfuſus.* IV. Dixi ſecundo notiones *ſecundarias*, tantas ſæpe vires, tantum ſumere ditionem, ut *primariæ* in totum expellantur, & quaſi ſolum vertere cogantur. Inſignis in hanc rem eſt locus *Off. Cic.* 1. 29. *Etiam illud animadverto, quod qui proprio nomine* perduellis *eſſet, is* hoſtis *vocaretur; lenitate verbi triſtitiam rei mitigante.* Hoſtis *enim apud Majores is dicebatur, quem nunc* peregrinum *dicimus. Indicant* XII. *Tab. Aut ſtatus dies cum* hoſte. *Quid ad hanc manſuetudinem addi poteſt, quieum bella geras tam molli nomine appellari? quamquam id nomen durius jam effecit vetuſtas, a* peregrino *enim receſſit, & in eo qui arma contra fert remanſit.* Vere *Horat. A. P.* 60.

> *Ut ſilvæ foliis pronos mutantur in annos,*
> *Prima cadunt: ita verborum vetus interit ætas;*
> *Et juvenum ritu florent modo nata, vigentque.*

Inſolens loquendi genus vocat *ὁ πάνυ Bentlejus*, *ſilvæ foliis mutantur*, quodque nullo exemplo defendi aut excuſari poſſit. *Livius* tamen non refugit *mutari finibus* L. 5. *cap.* 46. pro *mutare fines.* Probæ etiam ſunt phraſes *mutari ſententia*, pro *ſententiam mutare: mutari odore* pro *mutare odorem:* ipſeque *odor*, ut copiam cernas Linguæ, dicitur *mutari* non tantum ſed & *mutare* abſolute. *Veſtem mutaverunt* ſimplex eſt ſtructura, quam ſic invertas licet, *mutati ſunt veſte*, & *veſtem*, per *Græciſmum.* Ad eam rationem *ſilvæ foliis mutantur:* ubi *ſilvæ* comparationem præbent *Linguarum*, ut *folia Verborum;* ac proinde in caſu recto ſat belle efferuntur, ſecus ac *Ill. Critico* videbatur. *Pronos in annos* etiam belliſſime hic dictum, præ quo languere putem *privos*: non tamen pro *vergentes in autumnum*, quod recte improbatur: non etiam *morato ſenſu*, qui hic parum quadrat: ſed pro *annis volventibus; in annos labentes; annorum orbe circumeunte.*

Alia exempla vocum Latinarum, *quarum* Origines *per uſus ſecundarios oblitteratæ.* V. Hæc quod ſcopo meo ſubſervirent, & in rem præſentem deducere poſſe viderentur, paulo enucleatius exſecutus ſum. Defluxit ſane ad hunc modum, vel & decuſſa eſt, e *Latinitatis ſylva*, copioſiſſima *materies*, tum *verborum* tum *ſignificationum. Taminare* nuſpiam reperitur: quum *intaminati honores; attaminare;* ac præſertim *contaminare*, in *honore* manſerint, ac *gratia vivaci.* Et quid notavit olim illud *taminare? polluere* inquiunt Lexicographi, aut *maculare.* Recte vero. Sed unde? ſummus noſter *Voſſius* in *Etymol.* ſubſcribit iis qui ad *Hebræum* טמא *Tame* decurrunt. Affert & דמן *domen* quod eſt *ſtercus.* Quam vellem nunquam talia magnis ingeniis placuiſſent. *Taminare* venit a *Tago* veteri, quod eſt *tango*, unde *Tagimen*, *contagimen:* & contracte *tamen*, *taminare; contaminare;* ut *examinare* ab *examen* pro *exagimen* profectum. Ergo *taminare* proprie fuit *multum tangere*, *attrectare*, *contrectare;* habeſ-

Digitized by Google

habeſque non abſimile in *contage* & *contagione*, itidem a *tangendo* dictis, quamvis diverſa adhuc ratio ſubſit. Poſſes etiam a *tago*, *tagi*, vel *taxi*, (unde *taxim*, & *taxare*;) *tactum*, *tacmen*, & mox *tamen*: ut *momen* a *motum*, vel a *movimen*: *nomen* a *notum*, vel a *novimen*. Quicquid horum ſequare, habes & *verbum*, & *veriverbium* Latiniſſimum, quod tamen, quia ſic voluit uſus, penes quem loquendi & norma eſt, & arbitrium, ita fuit obliteratum, ut Doctiſſimi etiam viri illud in Oriente quæſitum iverint. Ceſſavit quoque penitus, & ex omnibus libris exulat, primigenia vis τοῦ *Adipiſci*, *Adeptus*; quæ eſt *necti*, *annecti*, & inde porro *aſſequi*. Ne *apiſci* quidem pro *necti*, ſed tantum pro *aſſequi* proſtat. Radix ipſa *Apo* vel *Apio* plane interiit; quamvis particip. *Aptus*, proprie *nexus*, hanc ſuam *Originem* per ſecundariam notionem obrui, & extingui, non ſiverit; propter lumina illa: *cœlum ſtellis ardentibus aptum*. Et, *non amo fortunam rudentibus aptam*, aliaque ejusdem naturæ. Nuſpiam etiam locorum extat *temnere*, *contemnere*, pro *ſecare*, *reſecare*; quæ tamen ſatis certa videtur Originatio ἀπὸ τοῦ τέμνειν.

VI. Sexcenta talia proferri poſſent. Deſino in pervagatis vocabulis *Refutare*, *confutare*. Thema *Futare* apud *Feſt.* exponitur *Arguere*. Sed acceptionem eſſe Metaphoricam monuit *Voſſ.* ex eoque *Dacier.* a *futum*, quod eſt *vas coquinarium*, cujus ope *fervens abenum* infuſa aqua *reprimitur* & *ſedatur*; ſecundum illud *Titinii.*

Verborum refutare & confutare Origo.

Coquus abenum, quando fervit, paula confutat trua.

Quanto opere ipſi ſæpe veteres hoc in genere cæcutierint, vel *Feſti* exemplo diſcere eſt, qui *Refutare* ſuo loco reddens *Redarguere*, a *fando* ait ductum *a* in *u* verſo, quaſi *refatare* ſcilicet. Id *confutatum* ab Ill. *Scalig.* hoc ipſo loco *Titinii* producto, & *Origine* certiſſima a *Futo* vaſe indicata. Hinc pulchra, & per ſane commoda, metaphora *Cic. Tuſc.* 5. 31. *Dolores confutare* adhibuit pro *reprimere*, *compeſcere*, *ſedare*. Uſus rarior induxit Magnum criticum, ut mallet *compenſare*; ſed locum rite expendenti apparebit *Epicurum maximos ſuos dolores* non tam *compenſare*, quam quidem *confutare*, id eſt *vim æſtuantem* eorum *minuere* & *ſedare* voluiſſe *inventorum ſuorum memoria ac recordatione*: quorſum etiam nos vocat verbum ἀντιπαρατάττεσθαι, quo utebatur *Epicurus*; quod eſt *vim aciemque reprimere acie oppoſita*. Hoc *Cicero* per *confutare* jam reddens, elegantiſſime ſimul *æſtum dolorum ſævientium* ſub conſpectu poſuit, quos *quaſi aqua adfuſa* voluerit *reprimere*. Eodem modo alibi dixit *vi vim oblatam frangere ac refutare*: & *Gallos refutandos potius bello, quam laceſſendos putavere noſtri imperatores.* Hinc vulgatiſſima illa notio *Refutandi adverſarium*; &c. &c. profluxit, quaſi dicas *comprimere ejus impetum*, *redarguendo & refellendo.* Latius deinde manante uſu *Refutare* pro *repellere*, & *rejicere* invaluit; ut 2 *Tuſc.* 23. *inprimisque refutetur ac rejiciatur Philoctetæus ille clamor.* Et *Epiſt.* 1. 9. *Præſertim cum ſine ſuſpicione tuæ cupiditatis non poſſis illius cupiditatem refutare*: in his locis tantundem valet ac *repudiare*, *reſpuere*, *abnuere*; & quidem *majore* quodam *conatu*: quod ſequiori ævo aſſignatur a viris doctis, cal-

culo minus dextre poſito. En & *Ciceronis* æmulum *Lib.* 10. *Cap.* 6. ubi de *Extemporali* facultate: *ut primum eſt domo adferre paratam dicendi copiam, & certam; ita* refutare temporis munera *longe ſtultiſſimum eſt*. Antiquior fundus eſſet *Lucr.* L. 3.

Si quis corpus ſentire refutat.

Sed ibi *renutat* non immerito forte prælatum.

In Bibliis maximam partem ſecundariæ notiones regnant.

VII. Si jam tanta circa *Origines* obſcuritas *Linguam* premit *Latinam*, cujus in copia uberrima verſamur: ſi *Græcam*; quæ copioſior adhuc ad noſtras manus pervenit: quantas incumbere neceſſe eſt tenebras, circa hanc partem antiquiſſimam & primævam, in *Linguæ Hebraicæ* tenues illas reliquias; quæ unius tantum Codicis ſacri cancellis clauduntur? Nonne ſecundum omnium Linguarum naturam conditionemque eveniſſe neceſſe eſt, ut *Secundariis ſignificationibus* longe lateque regnantibus, & ſatis claro in die ſe offerentibus, *primariæ* tamen, partim nuſquam in tam parvæ molis libro conſignatæ extent; partim non ſatis lucida atque expreſſa ſui veſtigia reliquerint?

Verbi שלה *uſus Biblici.*

VIII. Hiſce præmunitis accedo ad illuſtrationem Thematis שלה / quod triginta circiter locis occurrit, & quidem ſignificatu diverſiſſimo, altero *ſalvum, felicem, fortunatum, tranquillum eſſe*, altero *Obliviſci, errare*. Priorem illum LXX. per σωζεσθαι, εἰρηνεύειν, ἡσυχάζειν, εὐσταθεῖν, εὐφραίνειν, εὐθηνεῖν, expreſſerunt: *Symmachus* & *Aquila* per εὐπαθεῖν. Poſteriorem πλανᾷν & διαλείπειν reddiderunt. Hæc omnia *ſecundaria* eſſe, & *primigeniam* poteſtatem non ſatis enucleate definire, quilibet vel leviter literis tinctus facile perſpicit. Et qui quæſo ea *figi* ac *finiri* potuiſſet, quæ nuſquam omnino in ſacris literis compareat?

Ejuſdem [...]*ationes Chaldaicæ & Syriacæ.*

IX. In *Dialectis* quoque *Chaldaica* & *Syriaca*, quamvis ſat tritum ſit verbum, non alias tamen quam *Metaphoricas* offert ſignificationes; quinque claſſibus diſtinctas; quarum prima adfert *tranquillitatem* & *quietem*. Altera *ceſſationem* & *omiſſionem*. Tertia, *oblivionem*. Quarta *aſpernationem*. Quinta *errorem* ex *negligentia* & *ſecuritate* oriundum.

Promuntur & Arabicæ Dialecti uſus inſigniores.

X. Ad hoc poſtremum ſuſpicio inceſſere poſſet, *Originem*, quam circumſpicimus, in *ſecuro* ſitam fuiſſe, unde tum in *malum, error, oblivio, ceſſatio*: tum in *bonum, quies* & *tranquillitas* ſponte emanarint. Promamus interim, antequam hac de re decidatur, quid ferat *Arabum* Dialectus. Horum سلا *ult. Vaw* & *Je* שלו & שלי ne tantillum quidem ab *Hebræo* uſu degeneravit; ſed nativam vel *Matris* vel *Gemellæ ſororis* faciem repraeſentat, ex hiſce *Gjaubarii* lineis conſpiciendam. سلوت عنه سلوا وسليت عنه سليا مثله والسلوي
طاير قال الاخفش لم يسمع له بواحد والسلوي العسل قال الهذلي

الـــذ مـــن الـسـلـوي اذا مـا نـشـورهـا

ويقال

ويقال هو في سلوة من العيش اي في رغد عن ابي زيد والسلا
مقصور الجلدة الرقيقة التي يكون فيها الولد من المواشي ويقال
سلّيت الناقة اذا نزعت سلاها فهي سلياء وفي المثل انقطع السلا في
البطن اذا ذهبت الحيلة كما يقال بلغ السكين العظم وسلّاني فلان من
همي تسلية واسلاني اي كشفه عني وانسلي عني الهم وتسلي بمعني
اي انكشف والسلوانة خرزة كانوا يزعمون انها ان صب عليها ماء
المطر ثم شربه العاشق سلا واسم ذلك الماء السلوان قال روبه

لو شرب السلوان ما سليت ✿
ما بي غني عنك وان غنيت ✿

قال الاصمعي يقول الرجل لصاحبه سقيتني منك سلوة وسلوانا اي
طيبت نفسي عنك وقال بعضهم السلوان دواء تسقاه الحزين فيسلوا
والاطباء يسمونه مفرج *Dicitur* שלותי *ab eo, cum inf.* שלו, & שליתי *cum inf.* שלי *eodem ſignificatu.* (Non adjecit ſignificationem *Arabs*, *Arabibus* ſcribens, utpote nemini non notiſſimam, *ſecurus*, *quietus*, *tranquillus*, *omni ſollicitudine vacuus fui*) *derivatum* שלוי *eſt volucris. Achphasjus auctor eſt non uſurpari poſſe niſi collective. Notat etiam mel. Sic Hudeilita.*

Selva dulcius, quum illud ex alveari eliquamus.

Porro auctore Abuzeydo dicitur, eſſe in שלוה *quoad vitam, id eſt in affluentia omnium rerum; & fortunis lautiſſimis. Quieſcente autem tertia, ſelan, pro ſelawon & ſelajon notat membranam tenuem fœtus pecudum involventem; inde in 2. Conj. exiſtit, camelum* שליתי, *pro ſecundinam ejus evulſi; & camelus* שליא, *cui id factum. Proverbiale hinc dictum, abrupta eſt ſecundina in ventre, quum res ſunt deſperatæ: in quam mentem dicitur etiam, culter ad oſſa penetravit. Eadem Conj. 2. format* שלאני פלן מן המי, *cum inf.* תשליה, *nec non in 4.,* אשלאני, *pro curam mihi deterſit, ſive ſecurum me reddidit: quibus reſpondet paſſiva* אנשלי *deterſa eſt a me cura, &* תשלי *eodem ſenſu. Derivatum* שלונה *ſulwana eſt conchula, cui infunditur aqua pluvia; qua ab amatore epota, ajunt curas ei omnes decedere. Etiam ſulwana uſurpatur in ipſa illa aqua; ſic enim Rouba.*

Etiamſi Sulwanam bibam, non אשלו *curis liberor.*
Non contentus ſum fruitione tui, etſi te usque perfruar.

Asmaæus auctor eſt dici שלוה שקיתני מנך & שלון *potionaſti me remedio amoris;*

ris; pro animam tranquillaſti, miſſis ob te curis. Nonnulli tradunt שלון *ſulwani eſſe remedium quo potionatur mœrens, ut tranquilletur. Hoc medicorum filii vocant Mupharrisjoh, Exhilaratorium.* Nennbic.

X. Gemina germani, ſed contractius paulo, dabit *Camus.* سلاه وعنه
سلوا وسلوانا وسلوانية واسلاه عنه وتسلي والاسم السلوة ويضم والسلوانة
بالضم العسل كالساوي وخرزة للتاخيذ ويفتح كالسلوان وماء
يشرب لبسلي وهو ان يوخذ تراب قبر ميت فيجعل في ماء فيسقي
العاشق فيموت حبه او دواء يسقاه الحزين فيفرحه والسلوي طاير
واحدته سلواة وكل ما سلاك والسلي جلدة فيها الولد من الناس
والمواشي وسليت الشاة انقطع سلاها فهي سلياء وسلاها تسلية نزع
سلاها واسلت طرحته ووقعوا في سلا جمل امر صعب لان الجمل لا
سلي له وانقطع السلي في البطن مثل كبلغ السكين العظم
Radix שלו *cum accuſ. nec non præp. ab conſtruitur.* (Et hic omittit ſignificationem, *tranquillus, ſecurus, omni cura vacuus fuit,* tanquam compertiſſimam omnibus) *ejus infin. formæ ſunt* שלו, *&* שלון *&* שלתיה; *in 4. exiſtit* אשלאה *tranquillavit eum ab aliqua re; cui reſpondet paſſive* תשלי *tranquillatus eſt. Subſtantivum* שלוה *tranquillitas, ſelwa, & ſulwa per damma ſcribitur. Sulwana vocatur mel; ut & ſelwa: itemque conchula faſcino philtrove diſcutiendo. Ea & ſulwan: quod & nomen aquae, quæ bibitur ad tranquillandum. Nempe capitur de ſepulcro mortui terra, qua aquæ indita potionatur amans; moriturque tunc amor ejus. Eſt etiam pharmacum quo potionatur mœrens, ad detergendam ægritudinem,* שלוי *ſelwa porro eſt volucris collective;. unitatis forma ſelwat. Itemque omne illud quod tranquillum, curisve vacuum te reddit.* שלי *appellatur membrana qua involutus eſt fœtus, qua hominum, qua pecudum; unde in prima dicitur ovis* שלית *rupturam paſſa eſt ſecundinæ: &* שליא *talis ovis. in 2. Conj. cum inf.* תשליה *notat ſecundinam ejus extraxit: in 4.* אשלת *ipſa ejecit. Adagium, inciderunt in ſecundinam maris cameli, difficile & arduum quid indicat: quod maſculus careat ſecundina. Et rapta eſt ſecundina in ventre, aliud proverbium, ut culter ad oſſa penetravit.*

Tentatur locus difficilis Jobl 27: 8. XI. Cave hanc *ſecundinam membranam*, ejusque inter *Arabes* uſum, qua *proprium*, qua *improprium*, extra oleas adductam putes. Ab iſto quippe שְׁלִי, ſive שִׁלְיָה *Maſcul.* extat *Deut.* 28: 57. fœminina forma שִׁלְיָה, pro *fœtu ſecundis adhærenti adhuc, & recentiſſime edito.* שליתה היוצאת מבין רגליה Ad hanc poteſtatem reductum fuit a *Rabbinis* quibusdam 2 *Reg.* 4: 28. לא תשלה אתי, quod exponunt לא תוליד *Ne parere facias me.* Id merito רחוק *longe petitum* pronunciatur a *Kimchio.* Vera loci facies infra pandetur. Felicius

licius ad שליה noſtrum revocare potniſſent inſignem figuram *Job.* 27: 8. כי ישל אלוה נפשו. Vulgo datur, *extrahet animam ejus;* tanquam a נשל, repugnante *Analogia.* A שלה noſtro *Cocc.* minus limpide, *fruſtrabitur animam ejus.* Me ſuſpicio tenet *Jobum* audaci metaphora voluiſſe, *quum ruptis ſecundis ejiciet animam* ejus Deus, velut *abortivo partu.* Agitur de *exitio immaturo*, in Hypocritam *divinitus immiſſo.* Præcedens יבצע non eſt *Lucrabitur;* ſed ad Deum ſeſe refert, qui dicitur improbi illius vitam *Abrumpere* ante diem, quo adſpectu idem בצע deprendes *Job.* 6: 9. & *Eſaj.* 38: 12. *Secundas* transferri ad *exuvias corporis* ab anima *relicti*, ne mireris in homine *Arabe*, quum ſimile quid *Senecæ* adblanditum fuerit *Epiſt.* 92. *Divinus ille animus egreſſurus hominem, non curat quo receptaculum ſuum conferatur: ignisne exurat illud, an feræ diſtrahant, an terra contegat, non magis ad ſe judicat pertinere, quam Secundas ad editum infantem.* Quidni ſic *Ruptas ſecundas*, cum *abrupta* immaturo fato *vita*, conjunxerit *Jobus*, proverbiali etiam formula invitante, *Rupta eſt in ventre Secundina*, quam non poſſum quin ex *Gjeubario* enucleatius adhuc proponam, وان شقت عن وجه الفصيل ساعة ينتج والا قتلته امه وكذلك اذا انقطع السلا في البطن فاذا خرج السلا سلمت الناقة وسام الولد وان انقطع في بطنها هلكت وهلك الولد يقال ناقة سلباء اذا انقطع سلاها *ſi diffinditur a facie fœtus camelini membrana hæcce, quum partu editur*, bene res habet. *Sin minus necat eum mater ejus. Similiter quum rumpitur ſecundina in ventre. At quum ſecundæ ſimul exeunt, & Camelus & pullus ejus ſervantur: ut contra ruptis ſecundis, & mater & fœtus pereunt. Talis camelus, cui rumpitur ſecundina abſolute vocatur* שליא. Hac occaſione ergo natum illud proverbium, *Ruptæ ſunt ſecundinæ*, quod de *rebus deſperatiſſimis* uſurpari amat. Extat apud *Ibn Doreid.*

ولا اقول ان عرتني نكبة قول القنوط انقد
في البطن السلا ✡

Neque dico, ſi me oppreſſerit infortunium, Dictum
Illud deſperati: Ruptæ in ventre Secundinæ.

Ubi *Scholiaſtes* هذا عبارة عن الباس التام *Eſt hæc figura deſperationis ſummæ.*

XII. Hiſce jam *Secundinis* quomodo nomen ſit inditum a שלה anquiritur. Sunt qui a *tranquillo* derivent, quod embryo membrana iſta involutus ſit *in ſecuro. Avenar:* edidit nobis *fœtum felicem;* quod ego infelix dixerim moſtellum. Idem vir ingenioſiſſimus, more ſuo, alliterationes *Græcas* & *Latinas* captans, שלו contulit cum *ſalvus fuit:* & שלה cum σχολίω, σχολάζω, indeque exſculpſit *Primariam notionem*, ab aliis viris Doctiſſimis adoptatam, & pro-

Originem שלה *non eſſe quaerendam ex alliteratione ad Græcam vel Latinam vocem.*

Digitized by Google

propagatam, *Vacavit, in ocio tranquille aut ſecure vixit.* Quorſum hoc pacto non devenietur, ſi ex affinitate quadam Fortuita litterarum, ex *Latio*, & *Græcia*, *Origines Hebræas* venari licebit? σχολάζειν, & σχολὴ, a σχῶ, aut ἔσχον, producta, nihil commune habere poſſunt cum שלה. A luſibus, ubi cauſa agitur veritatis, temperandum. Non decent viros crepundiæ, & tamen talibus bracteolis maxima ingenia præſtricta ſæpe videmus. τὸ *Vacare*, tanquam princeps poteſtas, ex σχολάζειν exſculptum, ut ſcintillula e ſilice excuſſa, ſponte evaneſcet, ſi nullus ei fomes ſubjiciatur imaginationis, in officina ſua fabricantis, quod non niſi ex Antiquis Linguis & ideis *Orientalium*, diſerta ac ſolida cum auctoritate, aſſumere par erat & verum.

XIII. Ut hanc mihi legem in *Originibus Hebræis* perveſtigandis præſtitui, ita eam religioſiſſime obſervandam duco, ab omnibus illis, qui hac in palæſtra elaborare volent. Quis ferret, in *Græcis*, in *Latinis Originibus* pandendis, ſignificationes in cerebro tantum cuſas, ſine ullo antiquitatis veſtigio, teſtimoniove? ſi *Futum*, vas illud coquinarium, unde *futare*, *refutare* derivavit *Joſ. Scaliger*, non extaret apud *Varronem*; nec *Titinii* ullum compareret fragmentum, ubi *confutare ahenum* in ſimplici & primævo uſu poſitum cernere eſt; ecquis Principi Literatorum id accredere nunc vellet, etiamſi forte multam ſpeciem *Originationi* iſti aliunde addere potuiſſet? Ex uno hocce reliqua ejuſdem naturæ intellecta velim. Quod ergo ſumma ingenia ſibi nunquam in profanis literis arrogarunt, quodque ab omnium *Linguarum* legitima tractatione eſt alieniſſimum; quo tandem jure, ad *Linguæ Hebrææ* vetuſtiſſimas ſignificationes eruendas, aſſumetur? *Formaleſque* conflabuntur & *Primigeniæ* poteſtates, quarum omnis auctoritas in ſubtili acumine eaſdem ***efformantis***, & dextre ſatis accommodantis, eſt fundata?

XIV. Sed longius ferme eveherer, quam par eſt. Redeat illuc, unde deflexit, diſputatio. Ex iis quæ adhuc diſcuſſa ſunt nullum relinquetur dubium iis, qui aliquid hoc in genere vident, & judicare valent, quin de Radicis שלה Principe illa, & vetuſtiſſima *Forma*, quæ ſecundario uſu dedit *Tranquillitatem*, *felicitatem*, *lautitiam*, *opulentiam*; item *Securitatem*; indeque porro *negligentiam*, *oblivionem*, *errorem*; quin inquam, de *Fonte* unde omnia hæc dimanare potuerint, hactenus haud ſatis *liqueat*; neque unquam *liquido* conſtare poſſit, niſi major lux nobis adfulgeat, id eſt *amplior* adhuc *pateſcat conſpectus illius thematis*, ac præſertim *uſus* aliquis *proprius* ab oblivione longa revocetur, unde acceptiones illas *improprias* & *Metaphoricas* ductas eſſe, *liquidiſſime* appareat.

Princeps & formalis notio verbi שרה *producitur.*

XV. Talem *fontem*, *formamque Primitivam* ſubminiſtrant nobis *Arabes*. quum dicunt سلا السمن שלו השמן *Liquavit butyrum*; & quidem *depurandi* ergo. Eadem vis 8. *conj.* اسنلي אשתלי utrumque ex *Maruphide* adductum a Cl. *Golio*; ſimul admonente ultimam tunc potius eſſe *Hamzatam*, id eſt, per *Aleph* radicale & mobile, שלא. Ita ſane in *Camuſo* سلا السمن طبخه שלא אלשמן وعالجه كاسنلاه والاسم سلاء جمعه اسلية *notat conquendo eliqua-*

quavit & concinnavit butyrum: ut & אשתלא *in 8. Subſtantive* שלא *eſt butyrum excoctum & depuratum; cujus plur. fr.* אשליה. Similiter *Gjeubarius* سلات السمن واستلاته وذلك اذا طبخ وعولج قال الفرزدق

كانوا كسالية حمقا اذ حقنت
سلاها في اديم غير مربوب ۞

prima & octava conj. thematis שלא *teruntur in butyro excoquendo, & eliquando. Hinc Pherezdacus*

Similes ſunt Liquatrici ſtultæ quum mittit
Eliquatum butyrum in utrem haud rite præparatum.

Habes ibi *formam part. præſentis* abſolute pro *Liquans butyrum* mulier, ad fæces ſordesque demendas; qualiter *eliquatum & depuratum* iterum abſolute vocatur שלא. In *Samachsjarii Lexico* laudatur & hocce veteris poëtæ:

انتم سوالي لا تحسنوا السلا تصربوا ۞

Vos eſtis Liquatores, qui butyrum non rite
defæcatum facitis aceſcere.

In *Comment. Tebrizii* ad *Hamaſa* reperio de *Koraisjitis* veteribus, eos quum ſacra *Meccana* obirent, cum alia rigidiora obſervaſſe, tum ان لا يسلاون السمن لي يصغونه من الزبد *ut non eliquarent butyrum, hoc eſt repurgarent a ſpuma & ſordibus.*

XVI. Patitur porro natura Linguæ, ut pro سلا tranſitive *Eliquavit Butyrum*, med. *Keſrata*, ſubſtituas سَلِيَ, intranſitive *Eliquatum fuit;* quod *ultima Aleph* in *Vaw* vel *Jod* commutata, ex *Eliquato & defæcato butyro* mox dedit *tranquillitatem, liquidam ſecuritatem*, & alia, quæ ſupra vidimus, quæque inferius nova adhuc luce ac gratia perfundentur. Præmittam autem neceſſe eſt conſimilem plane *Metaphoram* τῦ *Liquere & Liquidus* apud veteres *Latinos.* Luculentiſſimus hanc in rem eſt locus *Plauti Moſt.* 2. 1. 65.

Eliquari, Liquere, Liquidus *ad Tranquillitatem traducta.*

Tranquille cuncta, & ut proveniant ſine malo,
id videndum eſt mihi.
Sicut ego efficiam, quæ facta hic turbabimus,
Profecto ut Liqueant *omnia &* Tranquilla *ſint:*
Neque quicquam nobis pariant ex ſe incommodi.

Sic

Sic in *Epid.* 5. 1. 36. *Animo liquido & tranquillo es.* Et *Pſeud.* 1. 2. 3. *Tu ne curaſſis, Liquido es animo; ego pro me & pro te curabo.* Cernis *Liquidum opponi turbato, turbido, & curarum pleno.* Notabis & hanc tranſlationem, *Mil. Glor.* 3. 1. 71.

> —— *Leniorem dices, quam mutum eſt mare.*
> *Liquidiuſculusque ero, quam ventus eſt Favotus.*

Huic conſonat *Moſt.* 3. 2. 94.

> *Tam liquidus eſt, quam liquida eſſe tempeſtas ſolet.*

Hoc eſt, *tranquillus, ſedatus, quietus, ne tantillum* quidem *turbatus.* Eodem adſpectu iterum poſitum *Pſeud.* 2. 4. 70.

> *Quicquid incerti mihi in animo prius aut ambiguum fuit;*
> *Nunc liquet, nunc defæcatum eſt: cor mihi nunc pervium eſt.*

Senſus eſt, *non amplius ipſum fluctuare, aut anxiis curis huc illuc jactari;* ſed *liquido & tranquillo eſſe corde, inſtar aquæ non turbatæ,* ſed *claræ, pellucidæ, perviæ.* Hoc ſenſu videlicet *cor pervium* figuravit facetia Comica. Si quis, *nunc liquet,* caperet uſu illo vulgari tantum, omnem ſermonis *Plautini* virtutem non aſſequeretur.

Item defæcari. XVII. Eadem figura auctum quoque verbum *defæcare*, patet iterum ex *Aulul.* 1. 2. 1.

> *Nunc defæcato demum animo egredior domo.*

Potuiſſet & *Liquido animo* ibidem dici, vel junctim *liquido & defæcato*, ad ſummum *tranquillitatis* gradum indicandum. Pulcre etiam traductum *purgata & effæcata animi voluptas*, apud *Apul.* quæ *Lucretio* eſt *liquida puraque voluptas.*

שלה ſignat eliquatam & defæcatam puritatem. XVIII. Inſignis ex hiſce exiſtit Metaphora in verbo שלה, *Liquidam & defæcatam tranquillitatem* exprimente, & quidem *qualis* eſt *eliquati butyri*, alteriusve *eliquaminis pinguioris;* unde quicquid eſt *Spumæ, ſordiumve*, quod *acorem, rancoremve*, parere poſſet, ſedulo eſt expurgatum. Simpliciſſimo illo uſu ponitur *Prov.* 17: 1. טוב פת חרבה ושלוה בה *Melius fruſtulum ſiccum, cum tranquillitate liquida, quam domus plena Victimarum cum contentione.* ריב. Id vocabuli ex *Origine* ſignat *conturbationem & concuſſionem* ex injecto ſcrupulo oriundam, unde jucunda emergit oppoſitio. Confer. *Job.* 3: 26. ubi tria verba *tranquillitatem & quietem* ſignantia, שלו, שקט, & נוח, junctim comparent, elegantemque offerunt gradationem, quam in præſenti enucleare haud licet. Similiter *Eſech.* 16: 49. שלות הלקט *Tranquillitas ſedationis liquidiſſi-*

Digitized by Google

diſſimæ: nullis curis turbatæ: quamvis ibi ad *ſecuritatem* nimiam, *ex opulentia* & *lautitia* bonarum rerum enatam, ſimul quoque reſpiciatur.

Præſertim in butyro & pinguibus.

XIX. Nempe εὐθηνίαν *Abundantiam bonorum*, cum *defæcata* & *liquida* illa *tranquillitate* conjunctam ſæpiſſime adſciſcit noſtra Radix, proprietate ejus in *eliquato butyro* uſum illum ſuggerente. Sic habes *Jobi* 12: 6. ישליו *Liquida proſperitate gaudent* improborum tentoria. Liceat potius dicere *Pingui*, *Opima*, & *defæcata re gaudent.* Hunc conſpectum nobis aperit formula *Arabum* هو في سلوة من العيش *Verſatur in* שַׁלְוָה *eliquatione vitæ:* id eſt, *lauta & opima re utitur*, cum *ſumma tranquillitate.* Hoc etiam abſolute eſt سلا عيشه *Eliquata eſt vita ejus.* ſic πίων οἶκος *opima domus*, & λιπαρὴς *pinguis*, pro *beata* ac *divite.* Sat clarum nunc veſtigium hujus proprietatis interlucet 1 *Chron.* 4: 40. *Et invenerunt paſcuum* שמן *pingue; & regio illa erat* שקטת ושלוה *fidens, & opimitate eliquata gaudens.* Eadem amplitudine dictum *Zach.* 7: 7. *Quum Hieroſolyma* ישבת ושלוה *floreret opimitate tranquilla;* vel *tranquilla opimitate.* Parili modo *Job.* 21: 23. *Pſ.* 73: 12. שלוי עולם *inde ab ævo opimi, omni opimitate circumfluentes:* & *Pſ.* 122: 7. שלוה בארמנותיך *opimitas defæcata ſit in palatiis tuis.*

Vocabulum שלוה *Fortunas opimas & intactas deſignat.*

XX. Mirifice & uſum huncce, & *Originem*, quam dedi, amplectitur locus *Dan.* 11: 24. בשלוה ובמשמני מדינה יבוא: verti ſolet, *In tranquillitate etiam in pinguia provinciæ veniet;* quod exponitur *clanculum*, *ſine magno ſtrepitu.* Rectius Cl. *Cocc. in tranquillitatem, & in opima regionis veniet.* Quid intellexerit Propheta, ipſe mox explicat, quum ait *illibatas intactasque* ab aliis regibus *fortunas* hunc hominem eſſe direpturum. Tales *fortunas* venuſtiſſime appellat *Opimitatem liquidam, & pinguia regionis*, שלוה ומשמנים; quas voces amice hanc in mentem convenire, ac conſpirare, ſignata illa locutio שלה השמן *Eliquavit butyrum* evidentiſſime demonſtrat.

Speciatim Fortunas Regales.

XXI. Idem vocabulum שלוה ibidem *Cap.* 11: 21. faceſſit aliquid negotii; quum de eodem *Antiocho Epiphane* in regnum ſubrepenti dicitur, *ſpretus, cui non tribuerant Majeſtatem regiam*, בא בשלוה והחזיק מלכות בחלקלקות *venit in tranquillitate, & occupavit regnum per blanditias.* Sic iterum verti video; & τὸ בשלוה *tranquille*, capi, *ſine ſtrepitu armorum*, aut *vi bellica;* ſed *nomine tutoris*, ac *ſpecie pacis.* Id ex *liquida tranquillitate* noſtra, adhuc *liquidiorem* ſumere poſſet adſpectum. Magnopere tamen addubito. Sequens בחלקלקות *per blanditias*, proprie *per glabra* & quaſi *butyracea verba*, adduxit me ferme ut שלוה etiam ſic eſſe figuratum crederem, quippe quod ex genio Linguæ deſignare poſſit *Eliquatum butyrum;* & ſublimiore ſtylo *eliquata e blando ore verba*, quam imaginem pinxit *Pſ.* 55: 22. חלקו מחמאות פיו *Glabra ſunt butyracea oris ejus.* Sed ne in hoc quidem conatu acquieſco. Verius puto, quod nunc dabo. בא בשלוה *Venit in opimitatem, & occupavit* *regnum*

Digitized by Google

regnum per glabra & butyracea verba. Nempe *Spretus* ille, cui *deſtinata non* fuerat *Majeſtas Regni*, illam tamen *Opimam* & *opulentiſſimam fortunam* adeptus eſt: ac propterea *inſoleſcere* cœpit. Neſcio an aliquid acuminis & luminis exerat iſta poſitio, בא בשלוה בחלקלקות *Venit in opimitatem per butyracea*, ſeu *glabra verba*. Id in medio relictum malim; quum ſentiam talia ut *blanda*, ſic nimis forte eſſe *lubrica*.

Specialius adhuc Inſolentiam parientes fortunas opimas.

XXII. Tertium in eodem *Epiphane*, vel dicam *Epimane*, adhibetur שלוה *Dan.* 8: 24. *Faciet ſuccedere fraudem per manum ſuam: & cum corde ſuo audaci inſoleſcet;* ובשלוה ישחית רבים *& in tranquillitate perdet multos.* Et hic plurimis *clanculum*, & *per dolos* placere video, propter præc. מרמה. Poſſem, ut ſupra, *bolum blandum* quo *os ſublinitur* ex meo שלוה, in eandem ſententiam, elicere. Alii *in tranquillitate* conſtitutos *multos diſperdet*; quod non ſperno: & confero tunc *Cap.* 11: 24. Offero tamen בשלוה *in Opimitate liquidiſſima fortunarum* conſtitutus, indeque inſoleſcens, *multos diſperdet; atque in Deum ipſum inſurget*, ejus ſanctuarium profanaturus.

Alia illius uſus exempla.

XXIII. Hanc vim vocabuli שלוה, qua inclinat in vitium, & *inſolentiam* ex *lautis opimisque rebus* ſecum trahit, reperies *Jerem.* 22: 21. ubi שלוות *form. plur.* adfert *fortunas opimiores* quæ pariant cum *ſecuritatem*, tum *faſtum* & *luxuriam inſolentiæ plenam.* Similem uſum indicavi jam Par. XVII. ex *Eſech.* 16: 49. Adde *Eſech.* 23: 42. וקול המון שלו בה, quod *Belgæ*, aliique, dederunt, *quum* autem *ſtrepitus multitudinis ſedatus eſſet* in eo lecto, tum adducti novi adulteri: commodius *Cocc.* exhibuit, *vocem multitudinis tranquillæ;* quod exponit, *felicis & nullum malum metuentis.* Cernis *opimitatem* quæ *luxuriam* ſimul, ſimul *ſecuritatem*, ejus fere comites, trahat; de qua amplitudine dubitare non ſinit *vſ.* præced. qui graphice expingit *Adulteram lautiſſimæ menſæ accumbentem in lectulo ſuperbo, & mæchos invitantem omni genere deliciarum.*

Uſus hinc peculiaris in ſecuritate & negligentia.

XXIV. Affine *Jer.* 49: 31. גוי שליו יושב לבטח *Gens liquida gaudens opimitate, ſedens ſecuriſſime:* quam anſam ſequentes uſurpare cœperunt noſtrum שלה *eliquatum eſſe*, pro *ſecurum eſſe* & *negligentem* rerum ſuarum; *nihil omnino curare.* In *Niphal* iſta vis occurrit 2 *Chron.* 29: 11. ubi *Cocc.* dat, *ne committatis errorem.* Alii *ne ſitis tardi*, *ignavi*, *deſides.* Alii aliter adhuc, ita tamen ut ad *negligentiam otioſam*, *remiſſam*, *ſecuramque* cuncta redeant. Vim *paſſivæ conjug.* אל תשלו hunc in modum exprimendam duco, *ne conjiciamini*, vel *ne conjiciatis vosmet*, *in liquidam ſecuritatem.* Ne *ſecuro* illo, & *liquido animo* ſitis, qui *officii ſui negligens*, admittit in ſe *incuriam*, *oblivionem*, *errorem.* Ita jam שלו pro שלות deſignat *errorem* ſive potius *negligentiam* & *incuriam*, *Eſræ* 4: 22. & 6: 9. nec non *Dan.* 3: 29. & 6: 5. Radix quoque ipſa in *Targumim* paſſim pro שגה & שגג *erravit ex incuria:* ut *Pſ.* 119: 21. דאשתליו מפקודיך *Qui incurioſi ſunt præceptorum tuorum*, qualia huc congerere nimiæ foret curæ ac diligentiæ.

XXV.

XXV. Huc referri etiam ſolet 2 *Sam.* 6: 7. de *Uzza Arcam fœderis tangente, quem percuſſerit Dominus* על השל. *Propter incogitantiam*, aut *incurlam*, non male quidem quadraret; attamen *præcipitantiam* ibi magis quadraturam apparet. Eam mihi ſuggerit Radix שלל, cujus primariam vim in *raptim educendo & extrahendo* alibi aperiam, eòque, citra anomaliam, hoc derivatum revocari poſſe monebo. *An vox* של *huc pertineat.*

XXVI. Aliud ſolitarium, ad שלה haud dubie pertinens, proſtat 2 *Sam.* 3: 27. ubi de *Joabo* obtruncate *Abnerum* machinanti, *Seduxit eum ad mediam portam*, לדבר אתו בשלי, *ad loquendum cum ipſo ſubdole*, ſive *per errorem, dolumque ei ſic ſtructum*, ut putant multi. Alii maluerunt *in tranquillo;* id eſt *ſecreto*. Non deſunt, qui *in tranquillitate*, pro *in pace, pacifice*, acceperint. Mihi, ut verum fatear, haud liquet; niſi quod ad omnes illos ſenſus *Origo* noſtra ſeſe præbere queat. *In Liquido* utique poteſt eſſe, *vultu voceque compoſitis* ad pacem & amicitiam; ac ſi nullus *rancor* ſubeſſet. Poſſet etiam capi pro *in puro, in ſecuro, in loco ſolo, & ab arbitris remoto;* ut *Latinis* ferme *purus locus* pro *vacua*. Quin *in liquido*, ſi ad *Abnerum* referatur, ſive *in ſecuro*, notare poterit, dum *ſecurus* admodum *periculi* eſſet *Abnerus*, & nihil minus quam fraudem ac necem ſibi ſtrui crederet. In hanc mentem melius forte redderetur, *ad Machinandam necem ipſi, in illa ſecuritate.* Hoc eſt, ad *necem* ei *ſtruendam*, dum *incurioſius*, & *ſecurius* quam par erat, agere videt *Abnerum*. τὸ דבר *ſtruere, longa ſerie nectere*, quæ primigenia eſt notio, non tantum valet *ſtruere verba, loqui:* ſed etiam *ſtruere fraudem, machinari necem.* Sic ſumendum videtur *Gen.* 34: 13. Et intercedente *præpoſ.* את 2 *Chron.* 22: 10. *ſtruxit, machinata eſt, necem adverſus ſemen regium.* *Vocula* שלי *diverſimode tentata.*

XXVII. Si nec notio, nec conſtructio iſta τῦ דבר diſpliceat, dabo aliquid rotundius adhuc, *Ad machinandam necem adverſus illum nec opinato. De improviſo.* Eo ſenſu tritiſſimum opud *Syros* ܡܢ ܫܠܐ, מן שלי, *de tranquillo*, proprio *de liquido*, mox *de ſecuro*, &, ut fit, vires eundo acquirente phraſi, *de improviſo, de repente.* Dicunt etiam מן שליא, & מן תחת שליא *de ſub tranquillitate liquida:* hoc eſt, *dum nihil minus* vel *metueretur*, vel *expectaretur.* Apud *Chaldæos Paraphraſtas*, pro *Hebræo* פתאם & פתע *deſubito*, fere ſemper ſubſtituitur מן שליא, & בשעיא *in ſecuritate*, id eſt, *dum plane ſecurus quis* eſt *rei illius. Ex improviſo.* In contextu quoque noſtro *Chaldæus* exhibet למללא עמיה בשליא; quod tamen parum commodum fundet ſenſum, ſi reddatur, *ad loquendum cum ipſo derepente:* quum *Machinari necem derepente*, commodiſſime dicatur.

XXVIII. Alios adhuc uſus in *Dialectis Chaldæa, & Syra*, ex *ſecuritate* eadem deflexos, breviter attingendos eſſe video, & luce aliqua adſpergendos. Frequentatur utrobique pro *ceſſare, abſiſtere* ab aliquo; aliquem *omittere* vel *miſſum facere*, quaſi tu dicas *non curare* aliquem, *ejuſve* plane *eſſe ſecurum* ac *negligentem*. Conteritur item pro *oblviſci*: ex eodem fonte *ſecuræ negligentiæ*. Denique pro *aſpernari* ac *rejicere*, fortiore adhuc ſignificatione, adhi- *Notiones Aramææ ex liquida ſecuritate decurrentes.*

 betur,

Digitized by Google

betur, prout *non curare*, aut *incurioſe habere* dicimur ea quæ contemnimus: quæ ſi quis exemplis deducenda ſuſciperet, haud pœnitendam operam phraſibus ſane quam elegantiſſimis *Chaldæorum* ac *Syrorum* impertire poſſet, iisque novum quaſi addere florem & honorem.

Defectus primariæ poteſtatis in Chaldaicis & Syriacis reliquiis.

XXIX. Repetendum hac occaſione, quod alibi jam inſinuatum, interiorem vim, *Originesque* adeo, Linguæ *Chaldaicæ* & *Syriacæ* ſimili fato premi, quo *Hebrææ*; hoc eſt, quam rariſſime occurrere principes & venuſtiſſimas illas notiones, quæ anſam præbuerunt *Metaphoricis* uſibus, longe & late omnem in partem ſeſe fundere ſolitis, per miros flexus, & tanquam canales. Tales *acceptiones Metaphoricas*, quarum *Scaturigo* vel exaruit penitus, vel alicubi clauſa delitеſcit, nemo mortalium ſola vi ingenii, & acuminis, ad concordiam poteſt revocare; atque ita ad *primariam* ſuam *formam* reducere, ut tuto acquieſci ac ſubſcribi queat.

XXX. Non diffiteor in nonnullis mirabili ſagacitate virorum Doctorum id detectum, quod poſtmodum diſerta auctoritas *Dialecti* comprobavit. Tale eſt כהן a Cl. *Cocc.* auctum proprietate *appropinquandi*, unde *ſacerdotis* ſimul, ſimul *miniſtri aulici* ſecundaria poteſtas. Egregie enimvero! ſuccinit enim *Arabum* vetuſta radix גהן جهن, quæ in *Camuſo* exponitur قرب קרב *appropinquavit*, & دنا *propius acceſſit.* τὸ כ in ג mutari *Clavis Dial.* oſtendit. Fieri ergo poteſt, ut ſagax conjectator, haud ſecus ac jaculator, *caſu* quodam *fortuito* ſcopum feriat. Sed nec ipſe certus eſſe poteſt, ſe rem acu tetigiſſe; nec cuiquam ulla in talibus certitudo ac firmitas, niſi firmamentum evidens, ex priſca Lingua productum, acceſſerit. Nollem ſane vel ipſe *Eliquationem* noſtram *defæcatam*, ſub themate שלה, in publicum expromere, vel ab aliis eandem propagari ac commendari, tanquam *Formalem ſignificationem*, ad omnes uſus liquidiſſime reſpondentem, niſi eam extra dubitationis aleam collocaret *Hebraicæ Dialecti* ſive *propago*, ſi *Antediluvianam Linguam* jam ante *Heberum*, ſic appellare placeat: ſive *ſoror*, ſi ab *Hebero* conſervatam eandem, & ad poſteros transmiſſam concipiamus, per *Phalegum* quidem ad *Hebræos*, per *Joctanum* autem ad *Arabas*.

Quomodo defectus hicce ſanandus.

XXXI. Hanc opem, & *Originis* ex eadem domo *Heberi*, & ultimæ *Antiquitatis*, & ſuaviſſimæ *Harmoniæ* ſolidis ſubnixam fundamentis, qui vel ſpernunt, vel ſaltem minus neceſſariam ducunt, quid tandem ejus loco ſubſtituunt offeruntque, in quo pedem figamus? *Alliterationem* quandam non jam ex *Sororia Dialecto*, ſed ex *Græca* vel *Latina Lingua* arceſſitam, ut vidimus noſtro שלה ſubjectam fuiſſe proprietatem *Vacandi*, ob convenientiam literarum fortuitam cum σχολάζω. Alii, quibus hoc adminiculum haud ſatis fidum firmumque videtur, ſtatuunt ſecundarias ſignificationes rite expenſas ſat lucis præferre bono ingenio ad primigeniam vim veſtigandam; quin imo *Linguam Hebræam* hac in parte, ſolis inſtar, ſuis lucere radiis, neque *Dialectorum* mutuaticio lumine indigere.

XXXII. Hæc jam neſcio quid imaginationis introducunt in ſtudium, quod

illi

Digitized by Google

illi malo penitus inacceſſum, ſua natura, videbatur. Quomodo, quæſo, ſolis inſtar ſat lucis ipſa ſibi ſubminiſtrat illa Lingua, qua nulla in orbe terrarum eſt antiquior, nulla, quoad *Origines*, profundior, nulla ad majores anguſtias redacta, ac propterea difficilior ad percallendum? non ſane in nudo cortice, quod facillimum, ſed in interiori medulla, omnique illo nativo tum pondere, tum decore, quod ipſi a prima ſtirpe inſeminatum fuit. Hoc maximam partem ne in ipſis quidem *Bibliis* inveniendum, ubi *ſecundarias* & *metaphoricas* fere ſignificationes verborum regnare certiſſimum eſt, qui tamen in ipſis *Bibliis* ſe reperire poſſe dictitant, repugnantia loquuntur, & ex Fonte id hauriri poſſe contendunt, quod ipſe non poſſidet. At, inquiunt, *Chaldaica* & *Syriaca Dialectus* ſuccurrent, ubi aqua hæſerit: *Arabica* nulli egemus. Et quid ergo ſi ipſæ illæ *Dialecti*, eidem cum *Hebraica* fato ſubjaceant, atque *primariis Poteſtatibus* deficiantur? ob rationes in *primo Capite* expoſitas. Nuſpiam utique in reliquiis *Chaldaicis Syriacisve* שלא, & שלי pro *eliquari ad defæcatiſſimam puritatem* conſervatum: ſola *Arabia* veterem illam *Formam* nobis reſtituere valuit. Eadem eſt conditio plurimarum Radicum in utraque iſta *Dialecto*: quod mihi ab exemplis, omni exceptione majoribus, ſatis parato & inſtructo, has veras exprimit voces, ut *Hebraicæ*, ita *Chaldaicæ*, & *Syriacæ* Linguæ *nativam faciem* ex collatione cum copioſiſſima & veterum *Formarum* retinentiſſima *Arabum Dialecto*, partim illuſtrandam, partim quoque, ubi a genuina notione aberratum eſt, renovandam eſſe.

XXXIII. Magnum hic, novumque, multorum induſtriæ campum aperio, in quem ſi ſe immittere volent Linguarum Orientalium Cultores, habebunt, in quo ſe feliciſſime exerceant, ad *Origines* non *Hebraicas* tantum, ſed & *Chaldaicas* & *Syriacas* referandas: atque ita *Harmoniam* perficiendam quatuor *Principum Dialectorum* quæ quam amice conſpirent, ſeque invicem illuſtrent, oſtenſum quidem evidenter a Viris Doctiſſimis, qui *Lexica Harmonica* concinnarunt; attamen quam plurima adhuc perpolienda ſupereſſe, vel ex *Clavi Dialectorum* abunde poteſt conſtare; in qua demonſtrare occœpi, ne ipſam quidem *Copiam* illam, quæ ex *Dictionariis Arabum* hauriri ſolet, ſufficere, ad *intimam* iſtam *convenientiam* demonſtrandam.

XXXIV. In primis vero animum adverti velim ad illud monitum, quo Opuſculi illius pag. 303. 304. inſinuavi, *Gjaubarium* & *Phiruzabadium*, principes Arabum *Gloſſatores*, diverſis ſignificationibus congerendis unice intentos, de iiſdem digerendis, & Critico judicio in ordinem naturalem redigendis, parum ſolicitos fuiſſe, indeque effectum eſſe, ut Linguæ *Arabicæ* nativa facies, pulchritudo, conſtantia, cum reliquisque *Dialectis* conſonantia, hactenus in debita luce collocari non potuerit. *Gjaubarium* cum *Suida* comparaverim; *Phiruzabadium* cum *Heſychio*. Et hi tantum *congeſſere*, non *digeſſere*. Hinc compertiſſimum, obſcuram, confuſam, imperfectam fore cognitionem *Linguæ Græcæ* penes eum, qui ex ſolis illis *Gloſſatoribus* ſaperet; neque ex ipſis *Fontibus*, ex quibus illi ſua hauſerunt, bibere condidiciſſet. Quid, quod, ut *Heſychius*, & *Suidas*, ita *Arabum* quoque *Lexicographi* illi, quam plurima

Digitized by Google

in ſuis *Lectoribus* ſupponant, & bonam magnamque partem vulgarium uſuum magno ſilentio prætereant?

XXXV. Documento eſſe poterit vel ipſum noſtrum سلا, ſub quo in *Dictionariis* non exhibentur ſignificationes *incuriæ*, *negligentiæ*, *oblivionis &c.* quas a *liquido* & *ſecuro* ſupra *Hebræis*, *Chaldæis*, ac *Syris* vindicavi. Eas tamen *Arabibus* quoque protritas eſſe *Haririus* doceat *Conſ.* 28. والله ما ادري العجب من تسليك عن اناسك ومسقط راسك ام من خطابك مع ادناسك ومدام كاسك *Per Deum, haud ſcio, mirerne magis quod ita* ſecurus obliviſcaris *gentis tuæ, ſolique natalis: an quod ita concionatorem agas cum turpibus tuis vitiis, & frequentibus poculis.* Iterum *Conſ.* 4. البن مقالي للقالي واديم تسالي من السالي *Mollibus dictis utor ad oſorem; & inſtanter rogito ſecurum mei neglectorem.* Ubi *Scholiaſtes* السالي الناسي لما يحب يقال سلا عنه *part.* שולה *hic valet* נושה *obliviſcens amicum*, ejusve incurioſus, *prout* שלו *ſecurus fuit cum Præp. ab, amat uſurpari.* Dicerem potius, fortiore adhuc ſignificatu, السالي cum القالي *oſore* conjunctum, ſonare *aſpernatorem*, prout שלא *Chaldæis Syriſque.*

Uſus Radicis in demulcendo aut lactando.

XXXVI. Eſt alius adhuc uſus *Arabum*, non ſatis clare conſignatus in Lexicis, quo *tranquillitas* & *liquida ſecuritas* noſtri thematis, adhibetur in *ſecura* nimis *ſpe* qua quis *ſeſe lactat.* Hanc vim exerit etiam phraſis سقاني سلوة שקאני שלוה *propinavit mihi eliquationem*; pro *animum lactavit & demulſit mihi bona ſpe.* Eodem quoque transferri ſe patiuntur voces سلوان, & سلوانة, & سلوانية, *Selwan*, *Selwana*, & *Selwanya*, itemque *Sulwan* &c. &c. quæ ſignant *Remedium curis* veluti *eliquandis* propinatum: φάρμακον ποτικὸν. Hinc in 2. سلي & in 4. اسلي, formis *Hebræis*, *Pihel* & *Hiphyl*, exiſtit ſignificatu *demulcendi* animum, & vel *re* ipſa *liquidam* reddendi, vel *ſpe*; quod eſt *Lactare.*

Applicatur ad 2 Reg. 4: 28.

XXXVII. Suaviſſimum hunc uſum ſibi vindicare videtur ſingularis locus 2 *Reg.* 4: 28. *Nonne dixi tibi* לא תשלה אתי. Verbo, *Ne fallas me*, ne *facias* me *errare*. Sic præiverat *Kimchius*, ex notione illa *Chaldaica* haud ſatis intellecta, quam ſupra illuſtravi. Alii arripuerunt שליה *ſecundinam*, & *fœtum ſecundis involutum*; unde תשלה per תוליד *parere facias*, converterunt; ſenſu coacto non tantum, ſed & veritati adverſo. *Vulgatus* ſic ſatis commode, *Ne illudas me*, vi ſententiæ ductus: incommodius LXX. οὐ πλανήσεις μετ' ἐμοῦ. Non diſplicebit, credo, præ hiſce, *Ne me lactes; ne me demulceas; ne me ſecuro & liquido animo eſſe jubeas; ſpe filii oblata, quem mox iterum ſim perditurus forte.*

XXXVIII. Hinc apparet ſimul, ſtare non poſſe interpretamentum illud

Job.

Digitized by Google

Job. 27: 8. ubi יֵשֶׁל pro יֵשְׁלָה magnus Interpres reddebat, *quum Fruſtrabitur* Deus *animam ejus.* Teneo ibi figuram *Tragicam* & *Cothurnatam*, qualibus refertum hoc antiquiſſimum monumentum, a *rupta ſecundina* deductam, ut explicitum par. XI. Sed unde jam poſtremo τοῖς ὑστέροις id nominis factum? Exiſtimem שִׁלְיָה *eliquationem* dictas eſſe *ſecundas*, quæ *partum* ſequuntur, quod tum demum omnia *in liquido*, *ſecuroque* cenſeantur, *purgamento* ejecto.

XXXIX. Finem nunc capiti huic imponerem, niſi vocabulum שְׂלָו *Exod.* *Vocula* שלו
16: 13. *Pſ.* 105: 40. aliquid adhuc lucis requireret. *Coturnicem* deſignat *luce auge-*
Eruditorum conſentiente ferme calculo: quorum alii a *ſecuro* & *tranquillo* nomen illud derivant; alii ab *abundanti* & *uberi*. Ab *opimo* & *pingui* haud dubie directius duxiſſent, ſi *Originem* τῆ שלה in promtu habuiſſent: quam mirifice firmat alterum *coturnicis* vocabulum inter *Arabes* سماني *Sumana*, & سماني *Sumani*, a שמן سمن *Pinguem eſſe*, eſt enim *avis pinguicula*. In *Pentat. Erpen.* pro השלו habes אלשמן السمان. Similiter سلوي *coturnix* exponitur, vel potius *coturnices* collective, a سلا, apud Cl. *Golium*; quod ſignificationem iſtam dubitationi omni eximeret, niſi obſervatum eſſet ab Ampliſſ. *Ludolf.* in *Comm.* ad *Hiſt. Æthiop. p.* 169. & ſeq. non liquere ſatis ipſis *Arabibus* quid *Sur.* 2. 55. per السلوي intelligatur, quum alii *mel* exponant, alii *avem*, non expreſſa ejusdem ſpecie. Addit, ſe vix putare in tota Lingua *Arabum* hoc vocabulum alibi reperiri; ſive pro *Melle* ſive pro *Coturnice*. Prius revincitur ex allegato apud *Gjauharium* loco poëtæ. Poſterius paulo ſpecioſius adfirmatur quum uterque *Lexicographus* السلوي dicat notare طاير *avem quandam*, non addito *quamnam*, unde *coturnicem* ipſis ſub hac voce incognitam fuiſſe omnino colligendum. Multis dein rationibus vincere conatur vir ſummus, שלו apud *Moſen* potius deſignare *Locuſtas*. Ego hanc litem meam nunc non facio, atque rem in medio relinquo. Id tantum dicam, opinioni receptæ aliquid forte accedere per *Originem* noſtram, ſi recte שלו ad שלה revocatur; ut ex collatione cum altero vocabulo *Coturnicis* a שמן *præpinguis fuit* modo viſum. Monere etiam debeo in *Camuſo* ſub Radice שלא سلا ult. *Aleph* extare, السلاء طاير *Selaa avis quædam*, quam eſſe eandem cum سلوي *Selva*, illa ignorata avicula, ambigi vix poteſt. Ea appellationem accepiſſe videtur, quod *eliquationem butyri* offerat oculo & guſtui *ob* miram *pinguitudinem*; unde *coturnicem* juſtior forte calculus præferret.

XL. Ad noſtram Radicem multorum judicio referendum quoque nomen *Nomen* שלה
Myſticum שִׁילֹה *Schylo*, *Gen.* 49. qui *Forſtero* eſt *Salvator*, quia שלו ei ex Schylo.
alliteratione erat *Salvare*. Caſtigandum hoc genus univerſum ab omnibus qui ſolida amant, & a ſacris hiſce procul habendum. *Eliquatorem* exhiberet noſtra *Origo*, qui *turbata* omnia & *confuſa* ad *Liquidiſſimam* iterum ac *defæcatiſſimam tranquillitatem*, *pacemque*, cum *opimitate* & *opulentia* conjunctam revocaret.

Ad

Ad hoc *Etymon* vocabuli vexatiſſimi commendandum, multa conferri poſſent, quæ nunc perſequi haud vacat, Fontem uberis meditationis indicaſſe ſatis habenti.

Jeruſa-laim hinc derivatum.

XLI. Ad nomen ירושלם *Hieroſolyma* etiam aliquid *liquidioris lucis* ex noſtro themate redundare poteſt; ſi teneatur, quæ multis haud dubie tutiſſima videbitur, *Maſoretharum* lectio. Ea neglecta, maxime rideret Cl. *Relandi* ירוש שלם *poſſeſſio pace & perfectione* omni *aucta*, ultimo *Tſeri* pinguiuſcule enunciari forte cœptum. Vulgatum veriverbium, *videbant duplicem pacem* a יראו & שלום haud fluit ex facili & limpido: quum *Radicalis* ultima ֵ שלם non debuiſſet abeſſe. Tentatum ab aliis *videbunt geminatam tranquillitatem*, a שלה, ejusque derivato שלי. Id longe commodius: nec tamen שלים omnino *ἀναλογῶς* a שלי. Malim non *Dualem*, ſed *Pluralem* terminationem, a *ſing.* שלה, *Part. Præſ. Kal*, unde cum ירוש emerget *Hæreditaria poſſeſſio Liquida tranquillitate & opimitate gaudentium*. Notus ille pluralis in *Dialecto Chaldaica* ad omnia *partic. Verborum quieſcent:* 3. *rad.* quæ pro גלין dant גלין; ad quam normam reducenda tum alia, tum שמים *Cœli*, a *Sing.* שמה, cujus thema שמה *Altus fuit*, *ſupereminuit*. Hæc notatio ut uberrima, ita *punctationi Maſorethicæ* præ reliquis inhæret.

XLII. Luculentiſſimo ſic exemplo iterum pervicta dedi ſex illa *Conſectaria*, quæ *Cap.* II. *par.* XXX. inſinuata ſunt. Eluceſcit quoque plane fieri non poſſe, ut vel LXX. vel reliqui Veteres *Originem* nobis præſtent, quam veſtigamus: quicquid enim verborum LXX, quicquid alii Veteres, Recentioresque adhibuerunt, quamvis ſecundarium uſum plus minusve exprimat, *Fontem* tamen *Primigenium* non repraeſentat. Ponamus etiam, quod aliquando ſane factum, aliquem Interpretem vetuſtum, inter plura, quibus uſus fuit, Vocabula, unum aliquod exhibere, quod *Originem* redoleat; unde tandem dignoſcetur, & certa fide decernetur, hanc *eſſe Radicis proprietatem?* Eadem eſt ratio, quum acumini ſuo ſe permittentes Docti Viri, notionem aliquam *Primævam* & *Formalem*, quam vocant, excudunt. Decies, pluries, fruſtra erunt: ſemel ferient: ſed unde eos ſcopum tetigiſſe cognoſcetur? & quis character erit veritatis? Limpida, dices, deductio & digeſtio omnium notionum. At quis neſcit in Philoſophia, in aliis Scientiis, iſto obtentu multimodis eſſe turbatum. Non omne Syſtema bene tornatum, rotundatumque, eo ipſo verum. In Linguis nihil fluxius, fallaciusque, illa circinatione, quam dexteritas fabri efficit, non *Natura* ipſa, & *Origo:* quæ ſane citra antiquam antiquæ *Linguæ*, & quidem *Sororiæ*, ac intima cognatione connexæ, auctoritatem, in *Radicibus Hebraicis* nunquam ſolide conſtabilietur.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT QUARTUM.

Ad cognata duo verba pergitur. Origines noſtræ in ſe ſpectandæ, ſepoſitaque auctoritate Dialectorum ponderandæ. *Coccejo* id datum, datum & *Boblio.* Ejus Methodus: Methodus *Guſſetii*, qui ſufflamen injecit ſtudio *LL. O.* Ejus rationes præcipuæ. Inſtantiæ ejusdem. Ad eas *prima* obſervatio. Obſervatio *altera*, *tertia*, *quarta*, *quinta*, *ſexta*. Acceditur ad rationes Cl. *Guſſetii.* Primum ejus argumentum. Quod nimis imbecillum. Alterum fortius & firmius. Primum ejus robur enervatur. Error vulgaris arguitur. *Arabum* Lingua invariata & ultimæ antiquitatis. Alterum argumenti *Guſſetiani* robur. Quod infelicius conceptum. Nec ſcopum ferit. *Et* limites excedit. Confundi ſolet ſtatus Quæſtionis. Dialectos non ſine numine ſervatas. Renaſcentis Literaturæ Hebrææ conſpectus ſeculo XV. & XVI. *Forſteri* Nova Methodus. Methodus *Avenariana.* Quid ſeculo XVII. ſit præſtitum in re Orientali. Uberrimi fructus inde ad nos redundantes. Harmonia LL. O. extra dubitationis aleam evecta. Cl. *Boblii* & *Guſſetii* Syſtema. Linguarum Orientalium lumen feliciſſime exortum Europæ. Quod non extinguendum, ſed ad culmen ſplendoris provehendum. Earum Linguarum harmonia ulterius perpolienda. Tertium robur argumenti *Guſſetiani* enervatum. *Elementorum* mutationes juſtis fieri certisque Legibus. *Significationis* diſſidium apparens. Ex ignorantia ferme noſtra oriundum. Tertia Cl. *Guſſetii* difficultas. Refellitur ut viro docto haud digna. Quartum ejusdem argumentum, omnium ori inerrans. Quod refutatur cum aliunde, tum ex abſurdo. Quae ex Dialectis revocantur, ea vere Hebraicum fuiſſe peculium. Diſſentientes rogantur, ut in ſtatum quæſtionis prudentius inquirant.

I.

Ad cognata duo verba pergitur.

Radici שלה præcedens Caput *liquidiſſimam* reſtituit *Originem*, quam duobus quoque verbis שאנן, & שלאנן, *tranquillum*, *quietum*, *ſecurum eſſe* ſubjiciemus, cum incremento ſignificationis ex Radice deperdita אנן redundaturæ.

daturæ. In ea ineſt *fuſio*, *effuſio*, quæ cum *eliquatione defæcata rerum pinguium* conjuncta, cumulatam præbebit notionem vel *tranquillitatis*, & *quietis*, vel *felicitatis* & *opulentiæ*, vel *luxuriæ* & *inſolentiæ*, vel *ſecuritatis* denique & *negligentiæ*, ut ita dicam, *effuſæ*, & *ſibi prolixe indulgentis*.

Origines noſtræ in ſe ſpectandæ.

II. Hanc *Formalem Notionem*, ut & reliquas *Origines*, quas ex *Dialectis* jam publicavi, atque copioſius hoc in opere expromere decrevi, ſi quis ex ingenio ſagaciore, atque acumine mentis, elicere poſſet, plauſum haud dubie auferret, & plerique judicarent optime ſic conſultum iri Linguæ *Hebrææ*, ad ejus nativam pulcritudinem, dignitatem, gravitatem, reliquasque dotes, pandendas; quas injuria temporum ſimul, ſimul vetuſtate, multimodis obſcuratas fuiſſe, nemo non agnoſcit, nemo non dolet.

Sepoſitaque auctoritate Dialectorum ponderanda.

III. Non ergo nimium mihi ſumere videor, ſi ab iis, quibus hæc Sacra curæ cordique, id expetam, id expectem, ut ſi forte ſuſpectam adhuc habeant *Dialectorum*, & præſertim *Arabicæ*, auctoritatem, ea tantiſper ſepoſita, *Rem* ipſam *per ſe* ponderent, & *Principem*, quam profero, *ſignificationem* eo loco graduque ſtare patiantur, quo illas, quas ex ingenio, conjectandique artificio, protulerunt quam plurimi Magni Nominis viri, interque eos Magnus noſter *Coccejus*, qui *Radicibus* bene multis ſubjecit in *Lexico* ſuo, palmam omnibus reliquis præripienti, *Notiones* nec verſione Veteri, nec *Dialecto* ulla, ſuffultas, ſed ſoli innixas ſpeciei, ſeſe ex circumſtantiis aliquibus locorum offerenti, & ſatis blande inſinuanti. Sic בקק *ablaqueandi* poteſtate a celebri Interprete auctum: ſic נקף *deſtringendi*; ſic alia aliis novis ſignificationibus; quibus, cum applauſu, aſſenſus quoque tributus a Doctiſſimis virorum.

Coccejo *id datum.*

IV. Idem Vir ſummus diſcrepantes unius Thematis notiones, in concordiam, & harmoniam; revocare tentat, quam ſæpiſſime, per *Formam* aliquam *Primigeniam*, ac *Originem*, conſimiliter vi & *ſagacitate* ſola ingenii procuſam, quod genus a *Forſtero*, *Avenario*, aliisque, immodice & luxurioſius tractatum, ſobrie, modice, prudenter, a *Coccejo* eſt adhibitum.

Datum & Bohlio.

V. Præiverat ei *Sam. Bohlius*, Academiæ *Roſtochienſis* lumen, in Diſputationibus *pro Formali eruendo Significationis*, in quibus indicato defectu per *Lexica* regnante, circa *Significationes Formales*, id eſt *Origines*, ad quas omnes notiones diverſæ reduci queant, *ſe tentaturum* profitetur, *numne Remedium inveniri, atque ex ipſa Sacra Scriptura erui queat illud Formale, unde diverſi Radicum uſus explicari poſſint.*

Ejus methodus.

VI. Ut viri Methodus penitius intelligatur, exempla quædam ſubjungam, quibus *Acumen* ſubeſſe, quin & *Lumen* nonnunquam, non inficias iverim. Themati קדש *Sanctum eſſe*, pro *Forma generali* ſubjicit, *Separatus fuit ab uſu communi ad uſum quendam ſpecialem.* אהב *Amavit* ei in *Origine* eſt *præpoſuit*: שנא *odio habuit* contra *poſtpoſuit*. אנף *iraſci*, & אף *ira*, *Naſus*, eidem venit a *ſuperintendendo*, *viſitando*. ברא *Creare* ait eſſe *Producere aliquid novo*, *Mirabili*, *imo captum tranſcendente modo*. שמים *Cœlis* reſtituit *Thema* deperditum שמה, quod valuiſſe debere cenſet *excelſum*, *evectum eſſe*, unde & שם *Nomen*, *excellentia: decus*, *dignitas*, *fama*. Satis candide apponit, *Non hoc confir-*

firmabo ex Lingua Arabica, in qua verbum سما *dicitur ſignificaro* excelſus fuit, *quia etiamſi res forſan vera ſit, ego tamen ex probatis auctoribus id probare nequeam. Et inſuper ſufficit mihi ipſa ſacra Scriptura, in qua deprehendo* שמים *ſignificare ipſum Deum verum.* Laudanda *ingenuitas*, qua ſe propterea non provocare ad auctoritatem *Linguæ Arabicæ* profitetur, quia eam ignorat. Sed eo ipſo jam ſuſpectum quod alibi ponit, *Linguas vicinas Chaldaicam, Syriacam, & Arabicam, lubens prætereo, cum ſibi ſoli ſufficiat Mater.*

VII. Plura excerpere nil attinet, quum *Diſputationes* hæ *Boblianæ* in *Theſauro differt:* poſt *Biblia Critica*, principem locum occupent. Ejus veſtigia ingreſſus Clar. *Guſſetius* in *Comment. Ling. Hebraicæ* conatus iſtos ita dilaudat, & commendat, ut quam plurima in iis deſideret, corrigat, reformet, atque in *Addendis* etiam data opera refutet *Formas* illas τῷ אהב *præpoſuit*, & שנא *poſtpoſuit;* nec non אנף *ſuperintendit*, aliasque ibi viſendas. Ad vocem שמים autem, *Cœlorum* novam fabricat *Etymologiam* a נשה & מים, cui ſubdit ex ingenio hauſtam ſignificationem *transferendi rem ex loco proprio*, ut *Cœlum* vocitatum ſit *ab uſu transferendi aquas e proprio earum loco, eas attollens & ſurſum retinens.* Ne mentione quidem ulla dignatur *Boblianum Etymon* ab *Excelſo*, quod tamen multo commodius eſſe nemo non ſentit: concinente *Dialectorum* auctoritate: & forma *Arabica plur. fæm.* שמות سموات luce meridiana clarius thema שמה præferente. Siccine tandem *Erudito Orbi* perſuadebitur, *Linguam Hebræam propria luce, ſolis in modum, ſe ipſam nobis dare cognoſcendam. Solem quendam Linguarum jure habendam eſſe Hebraicam, quæ ut ſol ſiderum primum emicuit, ita & ipſa ante alias extiterit; & ſolis inſtar, inſito fulgore ſeſe manifeſtet, nullius auxilio indiga. Significandi munere functam eſſe eandem, prius quam ulla alia Lingua, atque ut independens nata ſit, ſic manere ſemper independentem. Quin quemadmodum ſol aliis facibus cœleſtibus communicat quidem ſplendorem ſuum, qui interim in ipſo purior, vividior, conſtantior cernatur; ſic Hebraicam Linguam alias illuſtrare, non ab aliis illuſtrari.*

Guſſetiana methodus.

VIII. Ad hanc periodum, Oratorie ornatam a *Clar. Guſſet.* in *Præf. Commentarii* ſui, reſpiciebam *Cap. præced. par.* 31. 32. quam Judices boni facile deprehendent plus *declamationis* habere, quam *demonſtrationis.* Talia quum Adoleſcens admodum legerem, mirabar equidem, nonnihil, dicam enim, & indignabar, potiſſimum tamen dolebam, quod quem in *Academia Patria* ut ſplendidum Eruditionis ſidus ſuſpiciebam, quemque ut Virtutis ac pietatis quoque ſingulare ſpecimen colebam ac venerabar, illum Tantum, tamque amandum mihi virum, implicitum fuiſſe cernerem, non dicam *ſtudio partium*, ſed *nimis acri zelo veritatis Hebraicæ* a *Dialectorum*, ut putabat, *blande* quidem, ſed *fallaci ope* ac *luce*, defendendæ.

Qui ſufflamen injecit ſtudio LL. O.

IX. Hunc *Zelum* expreſſiſſimis verbis declaravit in eadem Præfatione, rationem reddens ſuæ Methodi. „ *Significationem Principem*, inquit, non *e-*
„ *mendicavi* ex aliis *Linguis Orientalibus*, quia enim & ipſæ laborant *Homony-*
„ *miis*, nulla ſpes eſt certitudinis, qua carent, ab iis accipiendæ. Præterea
„ video *Dictiones* migrationibus, ex gente in gentem, Linguave in Linguam,

Ejus rationes præcipuæ.

 „ vix

„ vix ullas evadere incolumes, quin vel *permutent elementum* aliquod *Radicale*, ſicque Radix ignoranda ſit; vel *Notio alteretur;* quæ incommoda animadverſa reperies ſi quæras in indice rerum voce *Arabiſmus*, &c. &c. Nec „ crediderim Deum, ut a populo ſuo, nobisque, intelligeretur, onerare „ nos tot Linguis diſcendis voluiſſe. Denique illa eſt Mater iſtarum, nec „ ab iis verba vocesque deſumſit aut fari didicit. Fons eſt, & purioribus „ proinde aquis fluit. Hinc evenit ut illas raro attingam; idque non in *Linguæ Hebraicæ* gratiam, ſed ipſarum, ut ipſas per eam illuſtrem. „ Deinulterius progreſſus, *Rabbinicam* quoque *Linguam* nil juvare poſſe diſputat: verſionibusque veteribus *Græcis*, *Orientalibus*, *Latinæ*, parum aut nihil relinquens, concludit tandem diſcuſſionem hanc *periodo* ſuperius adducta, atque *Linguam Biblicam* appellat iterum *Luminare Magnum*, *quæ Sibi Nobisque ſol, ſeſe nobis præbeat cognoſcendam vi nativæ ſuæ proprietatis.*

Inſtantia ejuſdem. X. Hæc *imago* quantopere adblandita fuerit Cl. *Guſſetio*, ejusque oculos præſtrinxerit, intelligi poteſt ex adjecta Pericopa, in qua illuc revolvitur, præcipuam, quam ſibi obmoveri poſſe autumabat, difficultatem ſic reſoluturus. „ Ne regeras *Biblia* parvum Librum eſſe. *Luminare* non ex mole, ſed „ ex vi, cenſeri debet. *Sol* plus ignium continet, quam millecupla aliorum „ corporum amplitudo. Præterea liber an parvus ſit, ex rebus eo explicatis „ eſt judicandum. S. Scripturæ materia redit ad unam Doctrinam ſalutiferam, cujus omnia documenta, incitamenta, fomenta, Hiſtoriis, ritibus, „ & ſimilibus, bene digeſta, poterant, quantum ſatis eſt, tali volumine comprehendi, ut *liceret* inde percipere *Proprietates locutionum* ea exprimentium. „ Huc facit quod in ea ſunt *Libri diverſorum* ſupra vigenarium numerum *Auctorum*, quas, ad rerum ſibi dicendarum expoſitionem complendam, res „ ab aliis dictas tangere, partimque repetere, oportuit; quique ſinguli peculiari ſuo ſtylo eas exſequuntur, ſicque *copiam dant* nobis comparationis „ ſtyli cum ſtylo inſtituendæ, quæ Linguis perdiſcendis adeo accommodata „ eſt. *Facilis* autem eſt inter iſtos Auctores *collatio*, quia Lingua Hebraica „ in iis, plus quam MC. annorum intervalla occupantibus, ſemper ſui ſimilis, eademque eſt. Ex his *emicant*, in Scripturarum mole exigua, ſed „ pura, *Plures ignes*, quam in mille Verſionum & commentariorum Libris, „ humanas cogitationes permiſtas ingerentibus. Sic Deus in *hoc Lucis theſauro* ſervavit nobis unde proficeremus, *in recta* ſinceraque *Linguæ*, qua „ nos virtutem docet, *intelligentia.* Itaque age ſane eſto nobis S. Scriptura „ *fax*, cujus ope & ductu *ejus ipſius Naturam* ac *Vires* Studioſi deprehendant. „ Hæc mens mihi fuit, hic animus, cum *intra Scripturarum Templum* me recepi; & in iis *Hebraiſmum*, quoad ejus a me fieri poſſet, undiquaque contemplandum mihi, *deque ſeipſo*, tanquam *fidiſſimo Magiſtro*, *conſulendum* „ propoſui.

Ad eas prima obſervatio. XI. Quum omnia hæc in primo ſtudiorum meorum curſu mirabundus lectitarem, ſenſi opinionem, quam a Magnis viris partim auditione, partim lectione, hauſeram, de *utilitate*, quin & *Neceſſitate Dialectorum Orientalium*, ad intelligentiam interiorem Sacri codicis, adeo non minui debilitarive, ut con-

Digitized by Google

contra irroboraret, altioreſque ageret radices; cernebam quippe jam tum *Ratiocinia* hæc non feliciſſime eſſe *inſtituta*, ac multimodis laborare, quamvis iis refutandis adhuc impar forem. Deprehendebam præterea, *tantum* ſibi aliiſque *Lumen* promittens præclarum hocce ingenium, ex *Nativo fulgere Linguæ Hebraicæ;* ingentem *Sylvam Radicum*, materiamque haud ſane facilem, alto ſilentio tranſmiſiſſe. Excuſat quidem ſeſe in *Præfat.* id *ideo eveniſſe, quia nihil de iis peculiare habebat dicendum; atque exempla curarum circa voces a ſe tactas, excitatura eſſe deſiderantem ad intactas quoque novis curis excolendas.* Sed cur, quæſo, intactæ abierunt, quas ut *Magnum Luminare* ac *ſolem*, *ſuis* ſeſe *radiis*, attendenti manifeſtare, & ultro ingerere, vir Doctiſſimus contendebat.

Obſervatio altera. XII. Obſervabam inſuper tam magnifice oſtenſum nobis *Lumen*, ubi *prælucere* debebat ad indagandam eruendamque *Formam* ac *Originem primævam* Thematum, ſæpe ſubito evaneſcere, & in neſcio quas *quæſitas*, *precarias*, & *obſcuras ideas* converti. Iſtud נשה verbi gratia, unde nobis שמים ſupra conflabat vir Clariſſimus, cujus notiones ſecundariæ ſunt *oblivisci*, *fœnerare*, ex ejus ſententia denotat *Rem moveri ex loco occupato, eoque proprio, vel natura, vel conſuetudine, vel jure.* Si hæc videantur *Lucida*, neſcire me quid ſint *Linguæ*, earumve *Origines*, profiteor. Ad *Radicem* גרה *miſcuit lites*, *bellum*, recte monens *miſcendi* ideam *Latinam* in hac phraſi, non evincere eandem fuiſſe proprietatem verbi *Hebraici*, ejus loco ſubſtituit *Bellicam aggreſſionem* aut *conflictum.* Ecquid lumine nunc auctus es? imo incertior es, quam dudum, quum te *miſcendi* metaphora oblectabas. Certiora tibi dabit *Libell.* de *Defect.* ubi hanc Radicem ab hallucinationibus conjectantium vindicatam reperies. Quis dicat porro claram eſſe *Originem*, vel *Formam* quam ſubjicit τῷ חפש *apprehendit*, quod tradit eſſe *Alicujus rei ſe compotem reddere arte & dexteritate utendi, ac ut libet tractandi, & diverſa effecta inde eliciendi.* Talia bene multa paſſim per magnum, Doctumque ſane, opus, ſparſa: e quibus, jam tum temporis, *Syſtema Guſſetianum* non præſtare poſſe, quod promittebat, merito mihi colligere poſſe videbar.

Tertia. XIII. Notabam quoque virum qui *Dialectos Orientales* proſcripſerat, & ſtudium *Linguæ Hebrææ* ſola lectione Biblica circumſcripſerat, indulſiſſe perſæpe alliterationibus & apicum cavillationibus, ad Formalis ſignificationis, vel *Originis*, ſpeciem quandam inde extundendam. Tale eſt חשך *tenebroſus fuit*, proprie, prælucente Dialecto *Arabum*, *horruit*, *inhorruit*, *aculeis erectis* quaſi; ab ipſo collatum cum חשה *ſiluit.* Item חשק *amavit*, conflatum, ut vult, ex חש *feſtinavit* & שקק *cucurrit*, ut ſit *Amor feſtinanter tendens ad amatum.* Iterum מעל *prævaricatus* eſt, & מעיל *pallium*, *toga*, reducuntur ex conjectura ad עלה *adſcendit*, præpoſito מ; ut מעל *peccatum Voluntarium* ſpectetur tanquam *adſcenſus*, & *inſurrectio contra Legem:* מעיל *pallium*, *quod ſemper aliam veſtem inſcendat.* Hæc, & alia ejuſdem indolis, indicio mihi erant evidenti, per *Hypotheſin* iſtam *Linguam Hebræam* in eas cogi anguſtias,

Digitized by Google

unde emergi nequeat, eosque qui *Fontes* copioſos *Dialectorum* deferunt, in captandis literulis ſterileſcere.

Quarta. XIV. Percipere etiam tunc temporis ſatis clare mihi videbar, quidquid a Magnis ingeniis ex *acumine* ac *ſolertia* conjectandi proferri poſſet, quantumvis *ſpecioſum*, hactenus tamen nihil aliud eſſe, aut cenſeri poſſe, quam *feliciſſimam conjecturam*, cui *applaudere* liceat, *acquieſcere penitus* non liceat, quamdiu Veteris Dialecti non detur auctoritas; quæ vel præcipua, vel ſola, hoc in genere, ſolidum ſubminiſtrare queat fundamentum, in quo pes figatur, atque a plauſibili ſimilitudine veri, ad veritatem exploratam adſcendatur. Hoc *Cap. primo par.* 3, 4. & *Cap. Tert. par.* 30. obiter inſinuatum, aliquando capite uno, alterove, data opera, latius adſtruam, atque *Linguarum omnium naturam non aliam admittere demonſtrationem*, quod ad *Origines*, & antiquiſſimas *Formas* Verborum, tum Rationibus, tum Exemplis, evictum dabo.

Quinta. XV. Poſtremo graviorem apud me futuram ſentiebam auctoritatem *Guſſetianam*, utpote viri in palæſtra hac ſubactiſſimi, ſi eas, quas repudiabat, Dialectos, calluiſſet, atque ita non ex præjudicio, ſed certo judicio, viam a Maximis Virorum commendatam, felicique ſucceſſu comprobatam, improbaſſet, erroriſque revincere aggreſſus eſſet. Nunc videbam Eum humani multum pati in eo, quod quæ ipſe vel non attigiſſet, vel non excoluiſſet, *haud utilia* pronunciaret, quum utique de *utilitate* vel *inutilitate* harum *Dialectorum judex ſedere* nequeat, niſi qui eas *cognitione*, & *cauſæ inquiſitione*, dignatus fuerit.

Sexta. XVI. Accedebat haud levis momenti res, & obſervatio, jam tum intime me movens & adficiens, quod omnes in univerſum Eruditos, qui *Dialectis Orientalibus* operam navaviſſent, præclare de iisdem & ſenſiſſe, & teſtatos eſſe, cernerem, ratione *ſummæ* earundem *utilitatis*, quin & *Neceſſitatis*, ad *Linguæ Hebrææ* cognitionem promovendam & conſummandam. Contra, inter omnes eos, qui adverſus hanc *Neceſſitatem* ſeſe vel ore, vel ſcripto, oppoſuerunt, ne *Unum* quidem comparere, qui *Dialectis* iſtis perdiſcendis ſeſe ſedulo applicuiſſet, atque ita Legitimus cognitor judexque cenſeri poſſet. Agnoſcebam quidem, ut hos poſteriores, ita & priores illos, ſuo laborare forte præjudicio, & ut hos inſcientiæ, ita illos ſcientiæ ſuæ, ſtudioſius favere: ſed tamen non veri ſimile autumabam, tot ſummos viros in re tam magni momenti, tam amice, tam conſtanter, conſpirare potuiſſe, & ne *Unum* quidem, *Alterumve* ſaltem, inter eos extitiſſe, qui inſtar *Ulyſſis* hos *Sirenum ſcopulos* remis veliſque fugiendos eſſe monuiſſet, ni *Naufragium veritatis* facere velimus.

Acceditur ad Rationes Cl. Guſſetii. XVII. Quando autem huc diſputando ſum provectus, haud ſatis candide adverſus candidiſſimum Virum agerem, niſi *Rationes*, quibus ſe deterritum fatetur a *ſtudio Dialectorum*, earumdemque *uſu*, ad illuſtrandam Linguam *Hebræam*, expendendas ſumerem: eo magis, quod *una* earum mihi, in prima mea palæſtra, tantopere ſtringere videretur, ut ferme impetum, quem ceperam, vel retardaſſet, vel penitus extinxiſſet.

XVIII.

Digitized by Google

XVIII. *Argumenta primo* negat *emendicandam eſſe ſignificationem principem ex aliis Orientalibus Linguis, quod & ipſæ laborent homonymiis, ac proinde nullam ſpem eſſe certitudinis, qua carent, ab iis accipiendæ.* Per *Homonymias* intellige *diverſas diſſonasque ſignificationes* ſub una Radice, quas *vitium Linguæ* merito ſemper arbitratus Vir Clariſſimus, ab *Hebraica* abeſſe debere, & ſumma ſibi cura removendas propterea eſſe rectiſſime exiſtimabat. Sed cur addit? *Ut præſtantiſſimæ Linguarum perſonam ſuſtineret?* Nullam in eo praeſtantiam agnoſco *Linguæ Hebrææ.* Habet hoc omnis Lingua, *Latina*, *Græca*, quæcumque, ut *unius vocis unica ſit ſignificatio, princeps* nempe & *propria;* ut *ibidem* ex *Scalig.* de C. L. L. fuerat adductum. Habent ergo & *Chaldaica*, *Syriaca*, *Arabica*, *Linguæ*, ſine quo ne *Linguæ* quidem forent; quippe quæ *certis* utuntur omnes *ſignis*, *ſonisque*, ad certas *ideas* excitandas. Omnis *homonymia* per accidens tantum ſeſe admiſcuit; atque præſertim turba illa diſſonantium ſignificationum in omnibus Linguis, invecta eſt vel per *imperitiam* eorum, qui *Gloſſas* varias collegerunt, vel per *ignorationem* & *amiſſionem primigeniæ poteſtatis*, ſive *Originis*, per quam diſcrepantiſſima quæque in concordiam quam facillime revocari ſe patiuntur. Hæc ſi *Libellus* noſter *de Defectibus Hodiernis Ling. Hebr.* conſulatur, nemini dubium relinquent: *Originibus* hiſce idem illud omni Capite confirmantibus.

Primum ejus argumentum.

XIX. Elucet ſtatim ex hoc *primo argumento* Cl. *Guſſetii*, nec tutum, nec æquum eſſe, ut de incognitis Linguis judicemus. Inſpexerat vir Doctiſſ. *Lexica Harmonica* forte, aliave, quæ vel *Arabicæ*, vel *Syriacæ*, vel *Chaldaicæ Dialecti* copiam pandunt. Deprendebat ibi *Homonymias* incommodas, *Lexicographorum* vitio, vel & temporum injuria, introductas, latitante hactenus *Origine;* quod incommodum etiamnum *Lexica Hebraica* vel maxime quoque premit. An inde jam concludemus *certitudine carere* Linguam *Hebraicam;* ſaltem *ſpem* eſſe *nullam* ejusdem recuperandæ? Abſit, enimvero, abſit, & cum Cl. *Guſſetio* maculam *incertarum* & *fluitantium* notionum ita a *Lingua Hebræa* depellamus, ut ne eam vel *Filiabus*, vel *Sororibus* ejus adfricemus. Habent & illæ ſimilem *Certitudinem;* atque *Spes* eſt conſimiliter, Easdem ad ſuaviorem *Harmoniam*, & cum ſemet ipſis, & inter ſe, fore promovendas, ſi non perfunctorie & a Limine Sacra hæc ſalutentur, ſed in eorum adyta penetretur, & quidem ab iis, qui & *judicio Critico* pollebunt, & *Literatura Græca* ac *Latina* probe erunt inſtructi: quo quis enim ab his Literis paratior huc acceſſit, eo plus Luminis per eum acceſſiſſe animadverto.

Quod nimis imbecillum.

XX. *Secundum* Cl. *Guſſetii argumentum* ſic habet. *Video præterea dictiones migrationibus ex gente in gentem, Linguave in Linguam, vix ullas evadere incolumes, quin vel permutent Elementum aliquod Radicale, ſicque Radix ignoranda ſit; vel Notio alteretur; quæ incommoda animadverſa reperies in indice ſub voce Arabismus. &c. &c. &c.* Hac ratiocinatione, prima fronte, nihil validius: triplici enim ariete ferit, & arcem cauſæ noſtræ ita quatit, ut eam funditus ſubvertere poſſe videatur. Haud diffitebor quoque, me inter initia ſtudiorum meorum non tantum, quum videndum mihi eſſet alienis oculis, ſed ulterius etiam progreſſum, quum meis oculis uti jam poſſem, & in quam plurimis

Alterum fortius & firmius.

mis *Harmoniam mirabilem* ac *conſtantem* harum *Linguarum* cum *Hebræa*, tam clare perſpicerem, quam ſol meridie lucet, ſæpiuſcule tamen neſcio quid dubitationis & confuſionis eſſe expertum, quum ad argumenti hujus triplex robur reſpicerem, quod retundi & refutari vix ac ne vix quidem poſſe opinabar. Mediam itaque tenere viam apud animum meum conſtituebam, *nec diffidere Dialectis*, cum contemtu lucis, opisque præſentiſſimæ: nec iisdem ſane *in totum confidere*, ob difficultates quas putabam inſolubiles. Vere dicere poſſum me plus quam decennium, in ipſo vigore ætatis meæ, quum aliquid maturitatis judicio accreviſſet, ſuſpenſum hæſiſſe Lucem inter, ab hac parte invitantem, & Caliginem oculis offuſam, ab illa parte; quam commune præjudicium omnium ferme *Literas Hebræas* ſalutantium in Academiis, haud parum adaugebat. Addere inſuper debeo, me jam Profeſſioni L. L. O. O. admotum, diffidentius ſæpe, quin & obſtinatius, radiolos, ex *Dialectis*, ac præſertim *Arabica*, utpote omnibus ſuſpectiore, ultro emicantes, inter docendum, repuliſſe, ſi ſe ultra terminos, quos mihi deſcripſeram, efferrent, ſeſeque ingererent, non in Radices tantum rariores, obſcurioresque, verum etiam in uſitatiſſimas, & ut creditur, liquidiſſimas, quales ſunt גדל *Magnus fuit*, חכם *Sapiens fuit*, מרה *Rebellavit*, aliæque, quas in *Opuſculo de Defectibus* illuſtratas dedi. Tandem tamen lumine undique adſulgente circumfuſus, & vi veritatis, cui fruſtra obluctabar, victus, umbris modo difficultatum, non veris difficultatibus, me territum fuiſſe perſenſi, atque ad *triplicem* illum *ſcrupulum* a Cl. *Guſſetio* injectum, tamdiu me adhæſiſſe ipſemetemirabar.

Primum ejus robur enervatur. XXI. *Primo* ſane, quod de *Migratione ex gente in gentem* objicitur, quæ paſſa non ſit ut *Dialecti* manſerint *incolumes*, haud facile dixerim, quid Viro Docto ante oculos fuerit obverſatum in iſta *migratione*. Vultne *Chaldæos*, *Syros*, *Arabas*, relicta veteri ſede, in alias *regiones*, *genteſve demigraſſe*, una cum eorum *Linguis?* vultne *Linguas ipſas* eorundem, ex *gente* in *gentem* eſſe *devolutas*, prout videmus *Linguam Latinam*, una cum imperio, in *Hiſpanias*, *Galliasque* immigraſſe; atque inde etiam ſerius per *Angliam* radices ramosque propagaſſe? Sane *Lingua Arabica*, poſtquam *Secundo* a diluvio *Seculo* in *Arabiam* e Domo *Heberi commigraſſet*, atque in *peninſula* illa ſub *florentiſſimo imperio Joktanidarum* illibata ab exteris gentibus, penitusque intacta, viguiſſet, *ultra duo millia annorum;* ſeſe cum Religione & potentia nova *Muhammedis*, ſeculo ſeptimo æræ Chriſtianæ, diffundere cœpit per *Palæſtinam*, *Syriam*, *Ægyptum*, *Chaldæam*, *Meſopotamiam*, *Perſiam*, *Choraſanam*, totumque adeo *Orientem*, quin & *Occidentem;* per *Africam*, in *Hiſpanias* quoque, fulminis ritu, penetrans; in ampliſſimoque imperio *Maroccano* etiamnum durans.

Error vulgaris arguitur. XXII. Has *Linguæ Arabicæ migrationes* reſpexiſſe Cl. *Guſſetium* veri ſimile eſt: nam & præcipue *hanc ſuſpectam* habet; & *Chaldæa*, ac *Syriaca*, non adeo longe unquam *emigrarunt*. Adhæſiſſe etiam putem Viro Doctiſſimo vulgarem illam opinionem, *Linguam Arabicam* ſenſim ac pedetentim degeneraſſe, atque hinc cum *Perſica*, illinc cum *Turcica Lingua* coaluiſſe. Errorem, quantumvis magnum, nil eſt quod miremur; quis enim vel Literatiſſimus, illa-

Digitized by Google

illarum tamen Literarum expers, *confuſionem* iſtam evitare queat, quum legit, quum audit, tum *Perſas*, tum *Turcas*, cum *Religione*, & *Linguam*, & *ſcriptionem Arabicam* ſuſcepiſſe. Sic videlicet *Linguam Latinam* tandem in *Italo-Gothicam*, in *Hiſpanicam*, in *Gallicam* degeneraſſe ſecum reputabit. Atqui ſciendum, primo *Perſicæ*, dein *Turcicæ Linguæ* ita infuſam eſſe & immiſtam copiam *Linguæ Arabicæ*, ut ipſa manſerit *inturbata* atque *impermiſta*, haud ſecus ac *Fons*, a puritate Venæ ſuæ non deſciſcens; etiamſi *aquæ* ejus a turbidis *lacubus* excipiantur. Sciendum præterea in *Meſopotamia*, in *Syria*, in *Palæſtina*, in *Chaldæa*, quæ *Iraca Arabum* hodieque vocitatur, in *Ægypto*, quum illuc potiſſimum magna *Arabum* examina, relictis patriis ſedibus, immigrarint; atque *Chalyphæ* tum *Dumaſceni* ac *Bagdadenſes*, tum *Alcairenſes* ſive *Ægyptii*, ſedem ibi tenuerint, *Arabicam Linguam* tantas radices egiſſe, ut etiamnum pro *Vernacula* Regionum iſtarum habeatur, quæ voces quidem aliquas peregrinas adſciverit per tot invaſiones *Tartarorum*, *Turcomannorum*, *Perſarum*, *Turcarumque*, neutiquam tamen temerata ac corrupta cenſeri queat, quippe quæ *fundamenta Linguæ puræ & immota* conſervet; *Alcorano* videlicet perpetuam normam præſtante, cujus puritatem æmulari & exprimere conentur.

Arabum *Linguæ* *invariata.*

XXIII. Omnia hæc interim ex *ſuperabundanti* diſputata eſſe ſciatur: ut appareat æquis arbitris quam diſſimile ſit illud ſimile, quod a *Latina Lingua*, in *Italicam*, *Gallicam*, *Hiſpanicam*, *Anglicam*, degenerante, ab Eruditis etiam hominibus adferri ſolet: Sed detur, in illis *migrationibus de gente in gentem*, *Linguam Arabicam* traxiſſe contagionem: an ergo inde conſequetur eam in *Patria* ſua *ſede*, *in centroque interiore Arabiæ* fuiſſe contactam? Cupidus foret, & partium ſtudioſus qui id contenderet, invitis Experientia & Ratione manifeſta. Experientia, nam in *Hisjaza* provincia, ubi Sacræ Urbes *Mecca* & *Medina*, itemque in *Arabia Felice*, ſumma etiamnum viget puritas *Dialecti Arabicæ*, eademque plane, quæ *Muhammede* oriente vigebat. Accedit ratio evidentiſſima, quod *Arabiæ* interiores iſtæ ſedes ſemper *intactæ* manſerint ab alienarum gentium inundationibus, partim *ſitu* inacceſſo defenſæ, partim *ſacroſancta* locorum *religione*. Ergo & Lingua ibidem *intacta* ac *intemerata* conſervari potuit, quin imo debuit, longorumque ſpatia ſeculorum edurare.

XXIV. Sed, inquies, ſint iſta: *Muhammedes* tamen *ſeculo* demum *ſeptimo* ortus fuit, atque *Alcoranus*, ut ut *Linguæ Arabicæ* ſcaturigo limpida, ſeriorem tamen præbet auctoritatem, quam *Origines Hebrææ Linguæ* requirunt. Specioſa objectio; quam oculos præſtringere poſſe video eorum, qui *res Arabicas* e longinquo tantum notas habent. Centies, inde a quo Linguas Orientales docere cœpi, hæc mihi difficultas mota a Doctis indoctisque. Horum nonnulli eo laborant præjudicio *Linguam Arabicam* tam recentem eſſe, ut cum ipſo *Muhummede* nata ſit. Alii id nimis abſonum intelligentes, *Libros* tamen *ante Muhammedem* nullos extitiſſe, unde de *Natura* & *Proprietate* hujus *Linguæ* judicium ferri queat, ſerio ſibi perſuadent, & bona etiam fide aliis perſuaſum cupiunt. Habeo *domi*, habet *Bibliotheca Academiæ* hujus, habet in-

genti copia *Oriens*, quo geminus error revincatur, atque ita refutetur, ut ne umbra quidem dubitationis cuiquam relinquatur. Officii ergo mei, muneriſque ſimul, rationes flagitant, ut tantum iſtum errorem, qui tamen ſub venia erratur, propter *Rerum Arabicarum*, in noſtris regionibus, ignorationem, ab Eruditis hominibus prohibeam, eoſque in penitiorem cauſæ cognitionem intromittam; ut ita de Methodo noſtra, quæ ſeverius examen non reformidat, ſed propius cognoſci, & explorari prudentius, avet, juſtos agere poſſint judices, atque legitime tandem aliquid pronunciare.

Et ultimæ antiquitatis.

XXV. Interim, ne ſuſceptum abrumpamus filum, abſolvenda nobis ante eſt diſcuſſio, veritatis, & viri ſimul, amica, quam adverſus Cl. *Guſſetium* inſtituimus. Is de *Antiquitate*, *Ortu*, & *Natalibus Linguæ Arabicæ*, & *Docte*, & *liberaliter* ſenſit; atque *pag.* 2. *Comm. L. H.* adverſus *Ill. Huetium* diſputans, qui *Demonſtr. Euangel. Prop.* 4. *Cap.* 13. *Par.* 8. inſinuarat *Chaldaicam*, & *Arabicam*, Dialectos, *ipſa Hebraica* forte eſſe antiquiores, ita ad calculum ſedet „ *Chaldaicam* ſane quidem eſſe majorem natu *Arabica*, plus „ quam probabile eſt, cum *Arabica* ab *Iſmaële ejusque Poſteris* orta, vel ipſo, „ quo claret *Iſmaëliticæ* nomine, perhibeantur. " Non me nunc in hoc certamen immiſceo, in quod alias, dedita opera, deſcendendum mihi eſſe video, ut quæ de *Lingua Primigenia* ſive *Antediluviana*; deque oriundis inde *Hebraica*, *Chaldaica*, *Syriaca*, & *Arabica*, ſub idem ferme tempus, non ſatis accurate & diſtincte cognoſcuntur, clariore in luce locentur. Non etiam dicam, nunc, haud ſatis in memoria fuiſſe Doctiſſ. *Guſſetio antiquiorem* multo *coloniam*, ex *Heberi* Domo *immiſſam* in *Arabiam Felicem*, per *Phalegi* fratrem *Joctanum*, cum tredecim *Filiorum Populo*, ut *Gen.* 10. annotatum. In præſenti conceſſis tantum utar, *Guſſetianumque* nutare *Syſtema* arguam ex eo, quod quum *Iſmaëlitas* iisdem in ſedibus, inde a Conditore *Iſmaële*, omne ævum agnoſcat, non debuiſſet *migratio de gente in gentem*, adverſus *Arabicam* ſaltem *Linguam* obmoveri, quaſi *illa* cum *gente Iſmaëlitica* in alias regiones transplantata, a puritate ſua deſciviſſet, ac degeneraſſet.

Alterum Argum. Guſſetiani *robur.*

XXVI. Sed forte per *Migrationem ex gente in gentem*, nihil aliud intellectum voluit *vir Celeberr.* quam quod mox innuunt ſubnexa verba e *Linguave in Linguam*. Quidnam ea ſibi velint, clarius pateſcet ex *pag.* 6. *Comment. L. H.* ubi hoc argumentum reſumitur, & urgetur. *Oportet ut quicquid certi Lingua Hebraica habet, ipſa id in ſuo ſinu, inque propriis viſceribus, ſervaverit. Ac proinde ſi illud videre volumus, ab ea impetrare noſtro ejus in ſe examinandæ ſtudio debemus, ut ea peregrinis abſtracta, redeat in ſe ipſam, & ſemet ipſam interpretetur. Enimvero ſi attentius rem ſpectaverimus, intelligemus temere ſperari aliquid melius a Linguis Derivatis ex Hebraica, vel eo ſolo nomine, quod derivatæ ſint. Radices enim migrantes in illas, ſolumque vertentes, ſæpe nativæ indolis jacturam facere coguntur. Exempla citavi ad finem Rad.* כרת, *& aliis horum Commentariorum locis. Imo id confirmatur, eo quod idem accidere comperiatur Linguis occidentalibus, & hodiernis, vocem unam*, inquam, *migrantem in Linguam aliam, aliam mentem capere. Unum vel alterum exemplum dabo. Ex Latinorum* Noxa, *fit Gallicum* Noiſe, *jam differens ſenſu*, *nam* noiſe *eſt jurgium;*

Digitized by Google

gium; multæ tamen noxæ fiunt ſine jurgio, quia clam. Poſt a Gallis hæc dictio ad Anglos trajecit: ſed ut ea ipſis ſignificet Strepitum *quemvis in genere, cum contra & multæ noxæ fiant ſine ſtrepitu: & Strepitus non in noxis tantum aut jurgiis ſed etiam in rebus lætis edatur. Si ergo aliquis reperiens apud Anglos vocabulum* noiſe, *ex eo judicare ſatagat quid ſit vel Gallis* noiſe, *vel Latinis* noxa, *quantum aberrabit? Iterum Gallis* Lande *eſt ipſa Germanica vox* Land, *omnem terram, patriamque, ſignificans. At Gallis ſonat* terram incultam *& relictam præ ſterilitate innata: quare ſi fiat ex Gallica Lingua regreſſus in Germanicam, huc nihil illinc adferetur niſi error in voce iſta interpretanda. Quodque ad rem facit, haſce* variationes degeneres *non potuit prohibere iſtarum ſimul Linguarum, Gallicæ, Anglicæ, & Germanicæ cognitio, ſemper vigens ac familiaris, aſſidua earum ab amatoribus cultura, commercia, libri lecti, peregrinationes ultro citroque crebræ, & diuturnæ, ad eas probe addiſcendas. Jam vero quod ad* Hebraicam Linguam *attinet, quantum deeſt, quominus talia & tanta auxilia, ad genuinam vocum ejus in exteras gentes translatarum ſignificationem tuendam, reſtituendamve, appareant? inde igitur mihi ſublata eſt fiducia, dignoſcendæ proprietatis* Hebraïſmi *collatis aliis* Linguis Orientalibus.

XXVII. Prolixiorem periodum huc transſcribendam duxi, ne vel minimum roboris *argumentationi* iſti, in qua proram puppimque cauſæ ſuæ conſtituunt *Linguarum Orientalium* contemtores, ſubtraxiſſe viderer. Univerſa autem hæc ratiocinatio tam imbecilla eſt, tam caduca, tam neſcio quibus cavillis implicata ſimul, ſimul implicans Lectorem, ut a tam docta manu profectam eam nollem, quemadmodum nec proficiſci potuiſſet, ſi per *Hypotheſin* ſuam in eas anguſtias non incidiſſet *Vir veritatis* haud dubie *Amantiſſimus*, ut quum *vera* & *ſolida arma* non adeſſent, plumbeo pugioni tantam committere debuerit pugnam, quam adverſus *Scaligeros*, *Salmaſios*, *Bochartos*, *Hottingeros*, aliosque Viros principes pugnandam ſuſceperat. *Quod parum feliciter conceptum.*

XXVIII. Sane quid primum tangam, quid extremum, haud invenio. Quorſum enim iſtæ *peregrinationes* crebræ ad *Linguas* addiſcendas? Quorſum *Latinæ*, *Gallicæ*, *Anglicæ*, *Germanicæ* cognitio ſemper vigens? Quorſum *Germanicæ* cum *Gallica* collatio. Quorſum, in quo *acies* conſiſtit hujus argumenti, vocabulum *Noxa* e *Latio* in *Galliam* migrans ſub *Jurgium*; indeque in *Angliam* ſub *Strepitum* omnem. Quid ſi *Belga* Doctiſſimo *Gallo* aliud etymon aperirem ſui *Noiſe?* Eidemque indicarem ſub *Nuire*, & *Nuiſance* permanentem etiamnum vim *Nocendi* in *Galliis?* ſed non amo *velitatiunculas*, ubi *gravi armatura* eſt decertandum. Concedimus quicquid contenditur, & *Latinas Voces* in *Galliam*, *Hiſpaniam*, *Angliam* quoque, translatas, ſenſim ac pedetentim degeneraſſe, & tum *ſono* tum *ſenſu* vitiatas eſſe per temporum injuriam, gentiumque diverſarum commixtionem, ita ultro largimur, ut hoc ipſum clarioribus exemplis adſtruendum, aliquo capite peculiari operis hujus, in me recipiam; quippe qui *Veritatem* unice ſectans, nihil metuendum habeam ab iis qui adverſus me ſtant, ſed vel tela ipſis ſuggerere paratus ſim, ſi forte Vincere queant: qnod ut in aliis meis curis ſemper fui profeſſus, ſic in hocce conatu, quo maximam partem *Linguæ Hebrææ* *Nec ſcopum ferit.*

 circa

Digitized by Google

circa *Origines* ſuas uberiore luce augendam ſuſcepi, denuo profiteor, atque reapſe confirmatum dabo.

Et limites excedit. XXIX. Sed quid tandem, ſi vel ſexcentis ſpeciminibus oſtendatur, vocabula ex una Lingua in aliam transfuſa, poſſe adulterari, inde exſculpetur? An tam fidenter propterea pronunciare licebit *temere Linguas Orientales conſuli de antiquo Genio Linguæ Hebrææ?* & an ea propter *omnem fiduciam ſublatam easdem conferendi*, ad *proprietates* & *ſignificationes Hebraicas veſtigandas*, audiente Univerſo Orbe Erudito, contendemus. Non agnoſcetur a *prudentibus* & *Cordatis Viris* tam grande poſtulatum, etiamſi *ſimile* Cl. *Guſſetii* a *Lingua Latina*, in *Galliam Anglicamque* migrante, quam *ſimillimum* foret; præſertim quum eundem viderent *Linguæ Arabicæ Natales* referre ad *Iſmaëlem Abrahamidasque* ex eo oriundos, & *Chaldaicam* ſtatuere adhuc antiquiorem. Quanto minus agnoſci poteſt aut debet μέγα λίαν αἴτημα, quum *diſſimillima* omnia reperiantur, atque *Linguæ Orientales* a *Scaligeris*, *Bochartis*, aliisque Magnis Nominibus, magno numero, in omnibus Regionibus cultæ, commendatæ, ſummo cum fructu illuſtrandis Sacris Literis admotæ, non ſint *Degeneres Propagines Linguæ Hebrææ*, quod nimis cupide urgeri & inſinuari ſolet, ſed *germanæ* vel *Sorores*, ſi *Hebræam Dialectum* ab *Hebero* denomines; vel *Filiæ*, ſi *Hebræum nomen* ad *Linguam Antediluvianam* & *primævam* extendas.

Confundi ſolet ſtatus quæſtionis. XXX. Ecquid apparet luce clarius, Statum quæſtionis, neſcio quo fato, fere ſemper obſcurari, quando de *Dialectis Orientalibus* agitur. Repudiantur pro *peregrinis*, *corruptis*, *novis*, atque a *Stirpe antiqua degenerantibus*, etiamſi *ſignatiſſimos* & *indelebiles* gerant *Characteres* intimæ conſanguinitatis. *Novatorum* nomine ſuſpecti ferme fiunt, qui inde *veterem* & *veram faciem Linguæ Hebrææ* reſtituere conantur, quam ignoratio harum *Dialectorum* obnoxiam reddidit hallucinationibus, Scripturarum auctoritati non ſatis decoris, quibus ad hoc usque tempus fluctuatur & in verſionibus, & in commentationibus, & in Lexicorum conſcriptionibus, ubi ſi vel *Robertſonium* quis inſpicere voluerit, ſæpe quot capita, tot reperiet ſenſus: *Criticorum* quoque *Synopſi Polana* largiſſimam talium ſegetem cuivis miniſtrante.

Dialectos non ſine Numine ſervatas. XXXI. Hic vero non poſſum quin invitante materia, aliquid conſpiciendum præbeam, ad quod pauciſſimos attendere animadverto: videlicet *ſingulari providentia Numinis* conſervatas nobis eſſe *Veteres Dialectos Orientales*, ut ex iis *Lingua Hebræa*, longum occaſum cum *Republica* ſubitura, atque ad oblivionem ferme ventura, in ſolidum reſtaurari poſſet, atque ab omnibus tenebris, quibuſcum haberet luctandum, tandem vindicari. Non ignotum Eruditis, quid magnum in orbe Literato nomen contenderit de *Lingua Hebræa ita extincta* ut nunquam *reviviſcere* poſſet. Hic *Rabbinos* omnes una litura delebat cum ſua ſibi cognitione Linguæ patriæ; atque ex ſolis LXX. ſapere jubebat. Sic erectum vexillum omnia *incerta*, *vaga*, *fluxa* eſſe clamantibus in *Linguæ Hebrææ naufragis* illis *reliquiis*, quæ ad manus noſtras pervenerunt; in quibus *Rabbini* & *Chriſtiani* ſuam magis *ignorantiam* prodiderint, quam

Digitized by Google

quam *ſcientiam* approbarint, quum omnes ferme a ſe invicem diſſideant, & quod unus ædificavit mox ab alio convellatur ac deſtruatur.

Renaſcentis Literaturæ Hebrææ conſpectus, ſec. XV. & XVI.

XXXII. His malevolis criminationibus anſam præbuit varietas *Hypotheſium* & *Methodorum*, quibus inde a renatis Literis, *Lingua Hebræa* culta & tradita fuit. Qui Principes in hac palæſtra deſudarunt, *Rabbinorum* ferme *placita* ſequebantur, ac ne latum quidem unguem inde diſcedebant. Teſtis *Joh Reuchlinus*, magnus ille *Capnio*, qui *fumum craſſæ ignorantiæ* primus, vel inter primos, fugavit, nam ante eum *Laur. Holockius* fertur *Dictionarium Hebraicum* edidiſſe; nec non *Honorius* quidam *Ordinis Ciſtercienſis Monachus*, qui & *Synopſin* L. L. O. O. quandam ſeculo decimo quinto volvente dediſſe dicitur. *Reuchlinus* ex *Kimchii Libro Radicum* pleraque hauſit, admiſtis etiam ſignificationibus quibusdam e Verſione Vulgata, aliisque. Cardinalis *Ximenii* opera dein *Bibliis Polyglottis Complutenſibus* ſubnexum *Lexicon Hebr. & Chald.* quod *Vulgatæ Verſionis* auctoritati religioſius adhæreſcere nemo mirabitur. Eum excepit *Sebaſt. Munſterus* per eadem ferme veſtigia incedens; in prima præſertim editione *Lexici Hebraico-Chaldaici*, cujus defectus & nævos altera detergere editione adlaboravit, auctus abſolutiore *Grammatica*, & *Commentariis Rabbinorum*, quibus antea fuerat deſtitutus. Hujus viri laudabiles conatus æmulatus *Xantes Pagninus*, eosdem multo ſuperavit intervallo, in *Theſauro Linguæ Sanctæ* longe *locupletiore*, atque deinceps quoque *ditando a Mercero*, *Cevalerio*, *Bertramo*, Clariſſimis in hac palæſtra Nominibus. Huc congeſtum & conſtipatum, quicquid *Rabbinorum Lexica* aut *Commentarii* ſubminiſtrabant; aſſumta etiam luce *Paraphraſium Chaldaicarum*, & *Verſionis Hieronymianæ*; ut adeo hoc *Opus* & tunc tempeſtatis habitum fuerit *abſolutiſſimum*, & deinceps quoque, ut unica Norma *Hebraizandi*, a plerisque meruerit concelebrari.

Forſteri nova Methodus.

XXXIII. Adverſus illud tamen, ut & omnes omnium prægreſſos Labores, *medio ſeculo decimo Sexto* inſurrexit *Joh. Forſterus*, *Ling. Hebr. Profeſſor Vitebergenſis*, qui quum animadvertiſſet *Pagninum*, reliquosque, in *Rabbinorum* fere verba juraſſe, atque de *primariis* ac *propriis* verborum *ſignificationibus* veſtigandis vix ac ne vix quidem cogitaſſe edidit *Dictionarium Hebraicum*, *non ex Rabbinorum commentis*, *nec noſtratium Doctorum ſtulta imitatione deſcriptum*, *ſed ex ipſis ſacrorum Bibliorum Theſauris*, & *Eorundem accurata locorum collatione depromtum.* Ad verbum expreſſus a me *Titulus*, *galeatus* ſane, cujus *criſtam* merito quis improbet, etiamſi forte conatum probet. Docti *Lutherani*, *Pfeifferus*, *Majus*, alii, judicant *Forſterum* eo in labore *omne punctum laturum fuiſſe*, *niſi a Linguæ Arabicæ ſubſidio fuiſſet imparatus.* Nempe *Ling. Orientalium* expers, in *Alliterationibus* præſidium ſuum collocat; & *ſolido* deſtitutus *fundamento*, in arena ædificat, *vitreoque* ſæpe *acumini* ſe permittit. Nonnulla tamen feliciter & dextre enucleavit; de quibus alio in Capite diſſeram, & *Viri Methodum*, ejusque tum *Vitia*, tum *virtutes*, plenius ſub conſpectum dabo.

Methodus Avenariana.

XXXIV. Illius veſtigia, preſſit *Avenarius*, *Pagnino*, *Munſtero*, *Reuchlino*, eorumve Magiſtris *Rabbinis*, aliquid tamen pretii ſtatuens; niſi quod *nativam*

Digitized by Google

& *propriam* Verborum *vim* eos ignoraſſe arguat. Ei *defectui* ſupplendo dedit impreſſum *Vitenbergæ* prima vice *A°.* M. D. LXVIII. *Librum Radicum*, cujus *titulus* promittit *Omnium Vocabulorum Biblicorum propriam ac certam ſignificationem*. Sed hoc revera fuit, *Parturiunt montes;* nam quum *Linguas Orientales* haud calleret homo ſane quam ingenioſus, partim ex alliteratione, & adfinitate Radicum inter ſe, partim ex collatione *Græcæ*, *Latinæ*, *Germanicæ* etiam Linguæ, partim ex ſubtilitate conjectandi, iſtud *proprium*, ac *certum*, quod quærebat, ita exſculpſit, ut *incertiſſima* omnia reliquerit, atque evidenti exemplo comprobarit, nihil eſſe infelicius, quam felix ingenium, ubi aliquid ex Principiis male jactis exædificare molitur.

Quid ſeculo XVII. *ſit præſtitum in re* Orientali.

XXXV. Hæc ferme ſeculo decimo ſexto geſta, quum *Linguarum Orientalium*, *Syriacæ* præſertim & *Arabicæ* parca adhuc copia, parcior foret notitia. Felicius *Hebrææ Linguæ* exortum *ſeculum decimum ſeptimum*, quod harum *Dialectorum* pleniore lumine infuſo, *rem Hebræam* lætis incrementis auxit, atque *Rabbinis* etiam debitam reſtituit auctoritatem. Nempe *Valent. Schindlerus* L. L. *Or.* in præcipuis *Germaniæ* Academiis Profeſſor, *Lexicon Pentaglotton* ineunte eo *ſeculo* concinnarat, quod immaturius extincto Auctore, poſt ejus fata editum *Francof. ad Mœn.* MDCXII. Ubi jam cum *Hebraica Lingua* habes conjunctas & collatas *Chaldaicam*, *Syriacam*, *Arabicam*, *Thalmudico-Rabbinicam:* additis etiam hinc inde *Æthiopicis*, *Perſicis*, *Turcicis*. Melius duæ poſteriores abſuiſſent, quippe quæ toto cœlo hinc diſſident, ut *Cap. primo* monui. Non magnos quoque progreſſus facere potuerat in *Arabicis* vir eximius, ſtudio illo adhuc in cunis jacente, & necdum per *Erpenios*, *Goliosque* ad pulchriorem maturioremque ſpeciem perducto. Quid ulterius in opere, quod Auctorem ſuum immortalitati conſecravit, deſiderari queat, illibata Viri laude, alibi indicabitur. Habeat interim hocce Utiliſſimi Laboris præmium, quod *Lexicon* ejus *Pentaglotton* tanquam *Phoſphorus* aliquis *Auroram lætiorem* & annunciarit, & maturarit, ſummis ingeniis ſummo jam ardore ſemet applicantibus ad hæcce ſtudia, quæ cernebant præferre lucem, & fideliorem, & uberiorem, diligentius, quam fieri hactenus potuerat, excolenda.

Uberrimi fructus inde ad nos redundantes.

XXXVI. Vidit ergo ſeculum ſuperius in *Linguarum Orientalium* ſtadio decurrentes, in eoque ad palmam quandam Eruditæ Famæ adſpirantes, cum Literati Orbis principibus, agmina excellentium Virorum, in *Belgio*, in *Germania*, in *Britannia*, in *Gallia*, in *Helvetia*, in aliis oris regionibusque, ubi *Veritati* & *Luci* aditus non præcluſus. Præclarus hicce curſus impetusque tot tantorumque Virorum, per Univerſam *Europam* ſe invicem provocantium quaſi, & incitantium, peperit nobis ea præſtantiſſimorum ingeniorum monumenta, quæ nulla unquam delebit oblivio, & quidem tanta copia, ut nulla ſit Emendatæ religionis regio, ne *Pontificios* quidem excipio, ſuave laude fruſtro, quæ non celebrare poſſit ſua *Decora*, & *Ornamenta*, ſive *Lexica* velimus *Arabica*, *Syriaca*, *Chaldaica*, *Thalmudico-Rabbinica*, *Æthiopica*, *Samaritana*, cum *Hebraicis* elucubratioribus vel ſeorſim, vel per *Harmonicam collationem*, conjuncta. Sive *Commentarios* quæramus in ſacram Scripturam,

lu-

Digitized by Google

lumine *Critico* ad genuinum ſenſum prælucentes. Sive eandem Scripturam malimus verſionibus vetuſtis expreſſam in *Chaldaica* non tantum *Lingua*, ſed & *Syriaca*, *Arabica*, *Æthiopica*, *Samaritana*, aliisque. Sive *Corpora* ſpectemus rite digeſta *Antiquitatum Judaicarum*; *inacceſſosque* antea *fontes Thalmudicos*, nunc ex facili adeundos. Sive ſingulares tractatus reſpiciamus, *Animalia Sacra*, *Geographiam Sacram*, aliasque partes eruditionis Biblicæ complexos. Mitto *Hiſtoriam Orientalem* tum Veterem, tum Recentiorem, ex Manuſcriptis *Arabum* erutam, & claro in die collocatam. Mitto *Alcoranum*, in ipſo Fonte nobis recluſum, *Religionemque Muhammedicam* propius oculis ſubjectam fidelibus, non credulis auribus male perceptam amplius. Mitto *Arabiæ* antiquitates ultimas, in notis ad ſpecimen *Hiſtoriæ Arabum* jucunda promulſide appoſitas, quæ ſalivam moverunt omnibus Eruditis, ad *res ignotas* fere *gentis vetuſtiſſimæ* penitius cognoſcendas. Mitto denique pulcherrimam ſupellectilem MSS. *Orientalium* in *Europam*, præcipuasque *Bibliothecas*, invectorum, ut fata inveniant viam, utque Magnum illud opus, quod *ſeculo prædicto* tam ſplendida cepit incrementa, a poſteris non deſtituatur, ſed ſenſim ac pedetentim culmen perfectionis attingat.

Harmonia L. L. O. extra dubitationis aleam ejecta.

XXXVII. Inprimis *præcedentis ſeculi* perpetuum erit *Decus*, quod *Harmoniam* amiciſſimam quatuor *Dialectorum principum* ad illuſtrem provexerit evidentiam, quam nemo, quod ſciam, in dubium revocare auſus fuit, nedum impugnare, etiamſi *Linguarum Orientalium* auxilio parum vel faverent, vel crederent forte, ſat multi: ſive quod, præjudiciis obſeſſi, in partem laudis venire nollent; ſive etiam labore deterriti, vel occaſione deſtituti, non poſſent. Ajebant tantum, quum nihil aliud haberent, *Linguam Hebræam*, ut *Matrem*, non indigere ope *Filiarum*. Hanc *Matrem* ſua forte, ſua luce, contentam, *illuſtrare* poſſe *Dialectos* ex ſe propagatas, (quod ſane lubentes agnoſcimus) non autem ab iis *illuſtrari*. Ad iſtam conſequentiam aliqua ſpecie colorandam, inſinuari debuit *Dialectos*, præſertim *Arabicam*, nam de *Chaldaica* & *Syriaca* paulo mitius adhuc ſentitur, & pronuntiatur, eſſe *Recentiores*; eſſe *vitiatas*, eſſe *peregrino aëre* & *colore* ita *inquinatas*, ut puriori *Linguæ Hebrææ* nullum præſtare queant auxilium. Hanc *Solis* inſtar ſuis relucere radiis &c. &c. &c. &c.

Cl. Bohlii & Guſſetii *Syſtema*.

XXXVIII. Apparet *Syſtematis Bohliani* & *Guſſetiani* origo ac fundamentum. Vide jam quo tandem egreſſio hæcce longior tendat, & quorſum cuncta collineent. Exploſas cupiunt hi viri Doctiſſimi *Dialectorum* auctoritates, quia iis uti nequiverunt. *Verſionibus Veterum*, *Rabbiniſque* ſe carere quoque poſſe gloriantur. Nihil aliud pro *ſolida* & *interiore* cognitione *Linguæ Biblicæ* relinquunt, quam *Collationem* & *contentionem* locorum inter ſe: ut quid *Analogia fidei*, & *circumſtantiæ* pati poſſint, quod non, ſedulo expendatur. Ex iſta *collatione* quilibet, ſine periculo erroris, colligere poterit *ſecundarias* non tantum & *metaphoricas ſignificationes* omnium verborum, quæ ſub manibus adſunt, verum etiam *Primarias*, id eſt, *Antiquiſſimas* earundem *Formas* & *Origines*, quæ abſunt, & longis ſeculis in oblivionem ipſius *gentis Judaicæ* iverunt. Has *Formas* quilibet *Acumine* pollens & *Sagacitate* tuto poterit & tenere,

Digitized by Google

nere, & aliis tradere pro *genuina Notione*, & *Norma*, ad quam interpretatio Sacræ Scripturæ ſit dirigenda. Id a Cl. *Boblio* in centum circiter Radicibus tentatum, & cum plauſu exceptum ab iis, quibus *Orientalium Linguarum Fontes* clauſi erant, a Cl. *Guſſetio* pro *Regia Hebraizandi via* eſt ſuſceptum, & magna fiducia commendatum, quamvis ipſe *Boblium* in plerisque redarguat & refutet. Venient alii, qui viciſſim Cl. *Guſſetii Syſtema* amplectentes, pro ejus *Formis*, ſæpe *intricatis*, & *obſcurioribus*, ſubſtituent *planiores* atque *dilucidas*, quas *ingenio* forte *acutiori* adhuc & *feliciori* debebunt. Atque ſic tandem quilibet ſibi *Clavim* arrogare poterit, qua interiora *Linguæ Hebrææ* penetralia reſerare valeat.

L. L. O. Lumen feliciſſime exortum Europæ.

XXXIX. Repetam proinde quod ſupra poſui, iterumque monebo, non ſine Numine Lumen *Linguarum Orientalium Eccleſiæ*, & *Europæ* adfulſiſſe, ut ad earum radios certa ab incertis, antiqua a novatis, ſolida ab imaginariis, rite diſcerni poſſent. Id in magna parte *Linguæ Hebrææ* feliciſſime præſtitum *ſeculo ſuperiore*, ſive *Grammaticam* ſpectemus, ſive *Syntaxin*, ſive *Verborum legitimas ſignificationes*, ſpuriis inſiticiisque ao abire juſſis, unde malum pedem intulerant. Nondum temen ad Culmen perventum; neque *conſtantia*, *gravitas*, *pulchritudo admirabilis* ſacri ſermonis, pleno die enituit. Non *unius* erat *ſeculi* tantum opus. Plura, ni falſus augur ſum, labentur, antequam eo faſtigii eſcendat *Sol* Linguæ Hebrææ, vere *Sol*, ſi *propius* ac *nativus* ejus *ſplendor* non ex *Occidente*, ſed ex *Oriente*, nobis *illuceſcat*.

Quod non extinguendum, ſed ad culmen ſplendoris provehendum.

XL. Ne *ipſas* quidem *Dialectos* illas *Orientis* interim *ad culmen* lucis *pervectas* fuiſſe, etiam atque etiam mihi commonendum. Luctantur & illæ cum ſuis ſibi tenebris, quas vel *Gloſſatorum* incuria, vel *ignoratio Originis* iisdem offudit. *Primariæ* inquam *Significationes* vel abſunt, & exulant, a plerisque *Chaldaicis* & *Syriacis Radicibus* eandem ſortem expertis cum *Hebræa Lingua*, vel ita inter *ſecundarias* ſunt commixtæ & confuſæ, ut vix inveniri ac dignoſci queant. Incommodum hocce maxime regnat in *Arabum Lexicis*, in quibus copioſiſſima *congeſtio*, ſed vix ulla *digeſtio*. Hoc ſæpiuſcule jam a me inſinuatum, & *Cap. Præc.* etiam illuſtratum exemplis *Suidæ* & *Heſychii*, non tam *digerentibus*, quam *congerentibus*, & ſine ullo *lumine Critico* in medium dantibus, ab iis qui contextus ex *Gjauhario* & *Phiruzabadio* a me productos examinare volent, facile deprehendetur, atque ex bene multis aliis, procedente opere expromendis, quam clariſſime perſpicietur. Ip ipſi *Linguæ* imprudentius adſcriptum, & *vitio datum* a Clar. *Guſſetio*, ut ad primum ejus Argumentum vidimus. Nil mirum itaque ſi *Origine* vel abſente, vel non ſatis oculis manibusque præſente, in ſumma *Harmonia Linguarum Orientalium*, & *concordia* vere *ſororia*, aliquid tamen *diſcordiæ* & *diſſonantiæ* reperiatur. Hoc ſtatim atque *Origo* illuxerit, ſponte evaneſcet, *Linguæ primævæ* antiquum illud *decus* & *pondus*, per *quatuor Dialectos principes*, ſeſe magnifice exereret, ac præſertim *Hebrææ*, jucundioribus radiis oculos animosque mulcebit.

Earum Linguarum Harmonia ulte-

XLI. Ad hanc *Harmoniam* porro perfectius adhuc elaborandam, & omni ex parte complendam, prælucere forte poterit *Clavis Dialectorum* a nobis cum in finem edita, ut quam *ſuavis* eſſet *conſenſio* ac *conſpiratio* quatuor *Linguarum*

guarum inter ſe, ac præſertim *Arabicæ* cum *Hebræa*, penitius introſpiceretur; perrupta illa *apparenti ſpecie* cujusdam *diſſenſionis*, quam vel *Elementi permutatio*, vel *Notionis alteratio*, ac *diverſitas*, oculis imperitorum objicere, & poteſt, & ſolet. Sic rediiſſe me ſentio, poſt egreſſionem ſatis longam, ſed neceſſariam, ad ſuperioris diſcuſſionis filum, tantisper interruptum; atque *Secundi argumenti Guſſetiani tertium robur;* ex iſta videlicet *migratione Linguæ in Linguam vix ullas dictiones evadere incolumes, quin vel permutent Elementum aliquod Radicale*, quando *Radix ſit ignoranda*, vel *Notio alteretur*: ut *Par.* xx. viſum. *rius perpolienda.*

XLII. Ad hæc obſervo *generatim*, non prudentiſſime nexam videri geminam conſequentiam, a viro conſummatæ Eruditionis, qui cum *Theologia*, ac *Philoſophia*, *Græcæ Linguæ profeſſionem* ſumma cum laude ſuſtinuit, ornavitque. *Græcia* utique, ejusque *quatuor Principes Dialecti*, contraria omnia ei ſuggerebant, ac demonſtrabant. Quis ex *Atticis*, *Jonicis*, *Æolicis*, & *Doricis mutationibus Elementorum*, tam *variis*, unquam colligere ſuſtinuit, *Radicem* verbi reddi *ignorabilem?* Quis ex peculiari & domeſtico uſu *Radicum Græcarum* in *Atticis*, *Jonicis*, *Æolicis*, *Doricis*, regionibus, urbibusve, inferre auſus eſt, nullam lucem opemque ſibi invicem ferre poſſe has *Dialectos*, tantamque eſſe hanc *alterationem notionis*, ut totum *corpus Linguæ communis* inde convellatur? Quis ex *Gloſſis* privatis *Provinciarum Belgii Fœderati*, orarumque circumjacentium, concludere jubeat, diverſas plane Linguas eſſe gentium quæ *Belgico* nomine cenſentur? Si vicinum nimis, & ſuſpectum hoc exemplum, quis ex differentia majore *Linguæ Germanicæ*, & in Elementis trajectis, & in ſignificatione variante, in animum induxerit, eam cum *Belgica*, nulla conſanguinitate, nullo cognationis tali vinculo contineri, quo mutuum ſibi invicem auxilium in *antiquiſſima Origine*, & *Natura Linguæ*, veſtiganda, præſtare queant? Jam vero claris vinci poteſt documentis, non *Arabicam*, non *Aramæam Linguam*, quæ duplici nomine *Chaldaico* & *Syriaco* diſpertitur, longius diffidere ab *Hebræa*, quam *Germanicam Inferiorem*, *Superioremve* a *Belgica*, vel *Jonicam*, *Doricamve*, ab *Attica*. *Tertium robur argumenti Guſſetiani enervatur.*

XLIII. Intelligo interim, quid præpediverit Cl. *Guſſetium*. quo minus lumine *Eruditionis* ſuæ *Græcæ* uſus fuerit, ad has difficultates, nubecularum inſtar, ſponte diſcutiendas. Suam ſic cauſam jugulaſſet, ſuamque funditus pervertiſſet *Hypotheſin;* ad quam conſtabiliendam blandus ſane, & nimium quantum potens, atque, ut ſic dicam, faſcinator opinionis ſemel conceptæ amor, ei ſuggeſſit *Gallicæ Linguæ* e *Latina* corruptelam, adjecta etiam *Anglica* diverſarum linguarum *miſcela*, ubi aliquando tanta incidere poteſt *Elementorum* non *commutatio*, ſed *confuſio;* tanta notionum non *alteratio*, ſed *convulſio*, ut nec *caput*, nec *pes*, compareat; atque *membra* miſere *diſtorta* & *diffracta* jaceant.

XLIV. Quod autem *ſpeciatim* attinet ad *Elementi* ex *Dialecto* mutati inveſtigationem, eam non negaverim perdifficilem arduamque eſſe, quamdiu ad interiorem harum Linguarum vim ac rationem non penetratur: ſed eadem eſt conditio *Dialectorum Græcarum*, a quarum ſtudio nemo ad *Eruditionem* il- *Elementorum mutationes juſtis fieri certisque legibus.*

 lam

Digitized by Google

lam adſpirans ſeſe propterea deterreri patietur. Conceſſerim quoque, omnem illarum permutationum *formam* & *normam* necdum ſatis patuiſſe *ſeculo præcedenti*, ac propterea in *Lexicis Harmonicis Schindleri*, *Hottingeri*, *Caſtelli*, aliorumque, multa ad ſuaviorem concentum poſſe perduci. Sed quid tum poſtea? Non ſane propterea elangueſcendum in præclaro curriculo, ſed potius ad perfectionis metam contendendum. Calcar ſubdidit *Clavis Dialectorum*; ſimulque *Elementorum commutationem* non eſſe *vagam* & *incertam*, ſed juſtis legibus adſtrictam, tum quoad *Literas*, tum quoad *vocales*, demonſtrat.

Significationis *diſſidium apparens.*

XLV. De *Alteratione notionis* quoque *ſpecialius* ſubmoneo, ſæpe minus perito videri aliquid *diverſum* non tantum, ſed *adverſa fronte pugnans*, quod tamen amiciſſime conſentit, eandemque *Originem* præfert. *Hebræis* עלז, & עלץ valet *exultare*. Quantum hinc *Arabum* diſcrepant uſus? *Avidum eſſe præ ægritudine corporis, animive, inquietum & impatientem eſſe.* Ita Cl. *Golius* in *Lexico*. Pleniorem conſpectum dabit *Camus.* العلز محركة قلق وخفة وهلع يصيب المريض والاسير والحريص والمحتضر. وقد علز كـفـرح وهو علزٌ اي وَجِعٌ قَلِقٌ لا ينام والعلّوّز وجع البطن والجنون والموت الوحي *Vox gnalaz, media phatata notat agitationem & levitatem, atque impatientiam, quæ invadit ægrum, aut captivum, aut cupidum, aut moribundum. Radix* עלז *in his omnibus viget, diciturque* עָלֵז *ægritudine adfectus & jactatus, ut dormire nequeat. Forma* עלוז *trita pro dolore ventris, pro furore, pro morte repentina.* Habe & quæ *Gjaubarius* dat العلز قلق وخفة وهلع يصيب الانسان وقد عَلِزَ بالكسر يَعْلَزُ عَلَزًا وبات فلان عَلِزًا اي وجعا قلقا قال الشاعر

وإذا له علز وحشرجة مما يجيش

في الصدر

والعلوز لغة في العلوص وهو من اوجاع البطن. *ſubſtantivum* עלז *eſt jactatio, & levitas, & magna impatientia, quæ hominem corripit: isque tunc dicitur Aliza med. Keſrata, in fut. Jalazo, in infin. Alaz*[illegible]*. Dicitur etiam pernoctavit ó* [illegible] עָלֵז, *ægritudine jactatus & irrequietus. Sic poëta.*

Quumque ei irrequieta adeſt jactatio, & agon moribundi,
præ æſtu bulliente pectoris.

Forma

Digitized by Google

Forma עלית *ex Dialecto idem cum* עלוץ, *eſt inter voces quibus tormina ventris ſignantur.*

XLVI. Ecquid jam pugnantius, primo adſpectu, quam *Hebræa gaudii, Arabica ægritudinis* & *doloris* notio, cum *furore* etiam & *morte repentina?* Ad talia adhæreſcitur, quum particulam tantum callemus *Linguæ* alicujus, nec omnem ejus amplitudinem & vim ſub oculis habemus. Græcis πηδᾷν *ſalire, exilire*, & *gaudentis* eſt, & *vehementius commoti* ac *dolentis*. Latinorum *exilire*, & *exultare*, ferme omnibus ſolam movet ideam *lætitiæ*; quum tamen ad *metum*, *pavorem*, omnemque *graviorem commotionem* extendatur. *Cic.* 5. *Verr. Cap.* 29. *Exſiluit, conſcientia ſceleris, & furore, ex maleficiis concepto, excitatus.* Iterum pro *Flacc.* 23. *Cum illud Caſtricianum vulnus refricuiſſet, exiluerunt principes, neque in illa concione adfuerunt.* Id valet, *dolore, ægritudine, ira commoti fuerunt.* Lectio rarior, non intellecta, pro *exiluerunt* peperit *ſiluerunt*, quod valde ibi friget. Conf. Lucan. 1. 487. *ſedibus exiluere Patres.* Ibid. *Curia exiluit.* nam textus ſic ſe habet. *Ex ignorantia ferme noſtra oriundum.*

—— —— Nec ſolum vulgus inani
Percuſſum terrore pavet, ſed curia & ipſi
Sedibus exiluere Patres. —— —— ——

Adde Sil. Ital. 2. 378. Sic *exultare cor pavidum* aut *commotum* rite dixeris, ut in illo *Virg.*

—— —— —— Exultantiaque haurit
Corda pavor pulſans —— —— ——

Ibi tamen *alacritatis* aliquid admirabiliter admixtum. Sed *Lucr. L.* 3. 141.

Hic exultat enim pavor ac metus ——

Nempe *in media regione pectoris*, ut *exultat* tantundem ſit ac *palpitat*. Ne dixeris licentiam eſſe *Poëticam*, nam ſic Veteres locutos fuiſſe, diſcas ex eorum imitatore *Gellio* N. A. 12. 5. *Cum petulantia morbi, dolorisque exultantia colluctantem vidiſtis philoſophum.* Etiam *exultatio* pro *furore* & *furens exultansque* apud *Cicer.* de Haruſp. Reſp. cap. 1. & 18. Alia alias, ſi hæc non ſufficiant. Iterum σκαίρειν *tripudiare, ſaltitare*, & σκαρθμὸς *tripudiatio*, transferuntur in malum, & non *Lycophroni* in *Caſſ. vſ.* 101. tantum σκαρθμὸς στόλου eſt *jactatio Claſſis*, quod figuratius putem, a *ſaltatione* ductum, ut *Pſalm.* 107: 27. verum etiam *Heſychio*, σκαρθμοὶ ſunt σκαρισμοὶ & λακτισμοὶ *Palpitationes, jactationes pedum e dolore, calcitrationes*, ut quum *moribundus* λακτίζει ποσὶ γαῖαν formula *Homerica*. Hinc productiore forma σκαρίζειν ab *Heſychio* exponitur ταράττεται. βράζει. *Conturbatur, æſtuat.* Quin & σκιρτᾷν *exultare*, ab *Eurip.* in *Phœniſſ.* 1132. & alibi ad *metum*, ad *dolorem*, & alia traducitur. Hæc adjungas iis, quæ ex *Gloſſis Heſychianis* produxi in *Clavi Dial.* ſub lit. *Tzade*, II. 1. ad σφαδάζειν, quod in

Digitized by Google

Communi Lingua valens *Exultare Gaudio*, ex *Atticis* ſerme *Scriptoribus* declaratur per *Æſtuare. Ægre ferre. Irrequieto motu jactari. Indignari. Furere. Sub valnere bulliente conflictari. Duram pati mortem.* Addo hic quæ *Etymolog. Magnum* exhibet. Σφαδάζειν. Ἀττικοὶ μὲν ἐπὶ τοῦ χαλεπῶς φέρειν καὶ σχετλιάζειν λέγουσι. Ξενοφῶν ἐπὶ τὸ ἀλγεῖν, ἔνιοι δὲ τὸ σπαίρειν ἐκδέχονται, οἱ δὲ τὸ χαλεπῶς φέροντα πηδᾷν, οἱ δὲ ἁπλῶς τὸ δυσφορεῖν, ἢ πᾶν τὸ μετὰ βίας, ἐν δὲ τῷ ῥητορικῷ λεξικῷ εὗρον τὸ σφαδάζειν σημαίνειν τὸ δυσθανατεῖν, ματαίως σπᾶσθαι, χαλεπαίνειν, μετ' ὀργῆς στενάζειν, ὡς Εὐριπίδης καὶ Πλάτων. *Attici* σφαδάζειν *adhibent pro ægre & dolenter ferre. Xenophon pro dolere. Nonnulli ſumunt pro jactatione pedum ægri aut moribundi. Alii pro exilire præ indignatione, Alii ſimpliciter pro indignari, aut pro omni motu violentiore. In Lexico autem Rhetorico inveni* σφαδάζειν *ſignificare duram pati mortem; item convulſionibus temere diſtrahi. Graviter indignari. Iratius ingemiſcere. Ut Euripides & Plato.* Conf. *Nonn. Dionyſ.* 590. & 594. Non ovum ovo ſimilius, quam *Gloſſæ* hæ, *Gloſſis Arabicis* ſupra τῷ עלץ additis, a *Gjaubar.* & *Phiruzab.* quas & *Hebræis* fuiſſe uſitatas vivente Lingua, dubitare non patitur Natura Thematis, *irrequietam corporis*, *pedumve jactationem* ſignantis, quæ non *gaudium* tantum *tripudians* admittit, verum etiam *dolorem*, *furorem*, *mortem difficilem* cum *convulſione corporis*, & *pedum jactatione*, conjunctam. Utrumque uſum tum *bonum*, tum *malum*, admirabiliter complexus eſt *Jerem. Cap.* 51:39. *Quum incaluerint, compotationes ipſis apponam; ut* יעלזו *exultent, & dormiant ſomnum æternum: neque evigilent.* Hoc eſt, *Convivantibus, mero incaleſcentibus, & inter pocula exultantibus, alia apponam pocula, Calicem* mortis nec opinatæ, *quo hauſto in furorem agantur, & moribundi terram pede pulſent* &c. &c. &c. Eſt figura ex ambiguo, qua nihil illuſtrius legiſſe me memini.

Tertia Cl. Guſſetii *difficultas.* XLVII. Longius evectus ſum, in ſecundo Cl. *Guſſetii* præſidio ac firmamento ſubruendo; quod mihi diu validiſſimum viſum fuiſſe, & ſæpe dubias peperiſſe curas, ſupra confeſſus ſum. Nunc quam infirmæ ſint hæ argumentationes, quamvis inſtent triplici acie, ut a longo ſenſi, ita omnes arbitror ſenſuros, qui non obſtinare amant ſententias ſuas, ſed juſtis concedere rationibus. Ut autem neſcio quid gravioris præjudicii pellucet ex ſuperioribus illis ratiociniis Viri Doctiſſimi, ita *Tertium*, quo præclaram cauſam impetivit, *argumentum*, quo nomine appellem, neſcio. *Nec crediderim*, inquit, *Deum ut a populo ſuo, nobiſque, intelligeretur, Onerare nos tot Linguis diſcendis voluiſſe.* Primo ſcire velim quorſum ſpectet illud *a populo ſuo?* ad veteremne *Judaicum*, an ad *Chriſtianum?* Poſterius putem, quia uno *Nos* omnes omnium temporum *Chriſtiani* comprehendi videntur. Prius nimis abſonum foret, quoniam *Lingua Hebræa viva* ac *florente*, nihil cuiquam obſcurum eſſe poterat, circa regnantes *in communi ſermone* ſignificationes verborum: alias *Hebræos Veteres* doctos, indoctos, pariter, *Linguæ ſuæ* abſtruſiores *Origines* quoque *omnes* calluiſſe, abſurdiſſimum foret aſſeverare; quum domeſtica experientia nos monere poſſit in *Originibus Belgicis* parum aut nihil videri a longe plurimis *Belgarum*. Idem de aliis populis, quin imo *Latinis Græciſque*, nemini non conſtat, inter quos quum ſtudium *Criticum* viguerit, in *Originibus* tamen miſerrime fuit hallucinatum a *Varronibus*, aliiſque Literatorum principibus: quos

Digitized by Google

quos *Scaligeri*, *Voſſii*, *Salmaſiique* noſtri longo ſuperant intervallo.

XLVIII. Ergo vel *vivente Lingua Hebræa* hocce, quod nunc tracto, quodque tractandum quoque poſt *Boblium* ſuſceperat Cl. *Guſſetius*, genus, profundioris fuit indaginis, ad quod veſtigandum & eruendum, confirmare auſim *ipſos Hebræos Veteres*, ſi huic ſtudio unquam incubuere, adhibuiſſe *Dialectorum* haud perfunctoriam cognitionem; quam facili tamen negotio ſibi poterant comparare: haud ſecus ac *Attice* ſciens, *Jonismum* aut *Dorismum* ex facili acquirere poterat: aut *Belga* vel difficillimas *Germanorum Dialectos* brevi ſpatio ſibi reddat pervias.

XLIX. An jam quod ne *Hebræi* quidem priſci, in *Vernacula* ſua *Lingua*, ſine ſubſidio *cognatarum Dialectorum* unquam feliciter præſtare potuiſſent, a *Chriſtianis*, iſta ope ac luce excluſa, vel prudenter tentari, vel cum ſucceſſu poterit expediri? Stupeo enim vero, quum talia ab Eruditis Viris urgeri cerno: atque a longo perſpicere cœpi eos materiam hanc non ſatis intellexiſſe, quemadmodum ne nunc quidem intelligitur a multis, qui *Linguas Orientales* deſpiciunt. *Boblius* in officina ſua fabricans *Formas* Radicum, ſub iis ſæpe complectitur tales *notiones ſecundarias*, quæ vel per *Metaphoram*, vel per *Metonymiam*, vel per *Synecdochen*, longo deinceps uſu Radici accreverunt. Idem fere ſemper peccatur a Cl. *Guſſetio*. Sed hæc alias: nunc quod inſtat. Nempe *credibile non eſt Linguæ Græcæ Profeſſori*, *Deum nos tot Linguis diſcendis voluiſſe onerare*. Qui fieri potuit, ut ſecurim hanc injiciens *Linguis Orientalibus*, eam recidere non ſenſerit in *Græcam*, cum ſuis ſibi *Dialectis*? nec paucioribus ſane, nec ad condiſcendum facilioribus. Non captabo hic laureolam in muſtaceo, neque Virum Eruditum cujus veneranda mihi memoria, & adverſus quem invitus in arenam deſcendi, premam, oſtendendo latam ſic inertiæ aperiri feneſtram, ruinæque omnis Eruditionis. Dixiſſe ſatis habebo, *Unam* fuiſſe *Linguam*, *unam* magnam *Arborem*, *quatuor* majoribus *Dialectis*, tanquam *Ramis* diffuſam, quos *Ramos* ſi quis colere pigretur, nunquam *Origines*, & *Radicalem*, ut ſic dicam, *ſuccum* ac *vigorem Linguæ Hebrææ*, vel ipſe guſtabit, vel aliis guſtandam præbebit. Hoc ſi nunc credi nequeat, ab homine veritatis ſtudioſo, & materiæ hujus non penitus imperito, adfirmatum fuiſſe, credet ſentietque poſteritas. Prout jam ante ſexcentos annos a *Rabbinis* creditum; deinceps a principibus in orbe Literato Viris, magno conſenſu, inculcatum fuit. *Refellitur, ut viro Docto haud digna.*

L. Reſtat *Quartum* Cl. *Guſſetii argumentum*, ſic conceptum. *Denique illa*, Hebræa, *Mater eſt iſtarum*, Dialectorum, *nec ab iis verba voceſque deſumſit*, *aut fari didicit. Fons eſt*, *& purioribus proinde aquis fluit*. Hæc more translaticio ubique ferme legere, ubique audire eſt; quamvis inde a quo *Linguæ Orientales* conſuli cœptæ, cavillatiuncula hæc ab omnibus Earundem Defenſoribus ſæpiſſime caſtigata & confutata fuerit. In hac autem *Capitali*, ut vulgo putatur, *objectione*, tam parum eſt roboris, tam multum confuſionis, & *Ignorationis*, quæ dicitur, *Elenchi*, ut qui eo deinceps uti volet, ſcire debeat, ſe jam non *plumbeo pugione* pugnaturum, ſed *pictis* luſurum eſſe *armis*. *Quartum Ejuſdem argumentum omnium ori inerrans.*

Digitized by Google

Quod refutatur tum aliunde, tum ex abſurdo.

LI. Rogo primum omnium, an *Filiæ Divites*, *pauperiem Matris* ad anguſtias redactæ, nequeant ſublevare, eique copiam, ab Ea hauſtam refundere? Idem *Fontis purioris* adſpectus, qui ſi ſcaturire ac fluere cœperit tenuiore vena, aquas ſuas merito repoſcat ab amnibus, fluviisque, inde derivatis, ut quanta olim ubertate abundarit, teſtentur, atque ſimul *Originis* ſuæ indolem præbeant cognoſcendam. Sed abſtineo imaginibus & metaphoris, ſemper anſam cavillationi relinquentibus. Simpliciter diſpiciamus quid ſit *Matrem eſſe*, quid *Fontem*, ex mente Cl. *Guſſetii*. Hanc diſerte expreſſit *pag.* 6. *Comm. L. H.* verbis ſupra *par.* XXVI. adductis. *Quicquid certi Lingua Hebraica habet, ipſam id in ſuo ſinu, inque propriis viſceribus ſervaviſſe: ergo a peregrinis abſtractam, redire in ſe ipſam, & ſemetipſam interpretari poſſe ac debere.* Nunquam quicquam, ſpecioſo ſub colore, repugnantius, & ab omni ſpecie veri abhorrentius dictum. Tantundem hoc eſt, ac ſi quis rotundis verbis aſſeveret, *univerſa Lingua Hebræa in Bibliis continetur. Nihil* nec injuria temporis, nec fatis gentis *ex Dialecto Hebræa deperditum. Nullæ* in ea ſignificationes *oblitteratæ*. Etiam *primariæ omnes Notiones* in textu Vet. Teſt. *occurrunt*. Hoccine appellabimus materiam ſuam intelligere? an potius *prima* ejusdem *principia negare?* contra quos diſputare vetat commune dictum. Diſputavi tamen, & ſæpiuſcule idem mihi faciundum eſſe prævideo, quod *Ignoratio* hæc *Elenchi* indoctis non tantum oculos ſuffudiſſe videatur, verum etiam doctis, & in literatura *Hebraica* verſatis, identidem inſinuantibus *Chaldæos*, *Syros*, *Arabas*, *ab Hebræis verba ſua deſumſiſſe*, Linguamque hauſiſſe, *non autem Hebræos ab illis*; ac proinde *Dialectos* non poſſe *illuſtrare Matrem Hebræam*, ſed potius *ab ea* debere *illuſtrari*.

Quæ ex Dialectis revocantur, ea vere Hebraicum *fuiſſe* peculium.

LII. Ad hæc haſce repono ſtricturas, alia occaſione pleniorem ſub conſpectum dandas. *Primo*; nemo eorum qui lucem e *Dialectis* adferunt, unquam cogitaſſe potuit, nedum dixiſſe, *Hebræos* ab *Arabibus*, *Aramæisque fari didiciſſe*. (Ill. *Huetius Aramæam*, *Arabicamque Linguam* ipſa *Hebræa* antiquiores ſtatuit; ſed hanc opinationem merito ſeponimus.) *Secundo* omnes mente ac voce conſona tenent, tendunt, inculcant, re & ratione jubente, olim, quum *Lingua Hebræa Viveret* ac *Vigeret*, *Hebræis* quoque in uſu Domeſtico fuiſſe, quæ jam *eadem intermortua*, ex *Dialectis conſanguineis* vel *Matri*, vel *Sorori*, reſtituuntur. *Tertio* aſſeverare ſuſtineo, ut Nemini jus competit pro *Hebraicis antiquis* venditandi, quæ ex *Syria*, *Chaldæa*, *Arabia* producuntur, niſi *characterem antiquitatis* ſervent, & ſua ſeſe luce commendent: ita imprudens ſimul, ſimul iniquum eſſe, ut hæc unquam *Hebraica fuiſſe* aut *eſſe potuiſſe* negetur, non aliam ob rationem quam quod *Dialecti* ſenſim ſine ſenſu deſciſcere ſoleant ab *Origine*, & tanquam *a ſtirpe ſua degenerare*. Hoc effatum excluderet *Jones* ab omni communitate cum *Atticis*; atque *Hippocratem*, *Homerumque* adeo ipſum, nullius pretii redderet auctores, pro *genio* & *ingenio Linguæ Græcæ*. Hoc *Dores*, *Æolesque* pariter, ſuas ſibi res habere, omnemque gratiam ac lucem inde oriundam procul faceſſere juberet.

Diſſentientes rogantur ut

LIII. Elucet, credo, legitimo opus eſſe examine, ad perpendendum, ac decidendum, quid cuique *Dialecto* inſit majoris vel minoris puritatis luciſque: ne-

Digitized by Google

neque pro *impura* ac *degenere* eſſe damnandam aliquam vel *Filiam*, vel *Sororem Linguæ Hebrææ*, ab iis qui ſimul profiteri coguntur, cum Clariſſimis *Bohlio* & *Guſſetio*, ſe *Dialectis* iſtis addiſcendis vel exiguam, vel nullam operam impendiſſe. Impetrent a ſeſe hi Viri Docti, vel dicam *Veritas* & *Religio*, pro qua ſtare ſe putant, ab ipſis impetret, ut ne judicent de hiſce noſtris conatibus, quibus *cognitionem interiorem Linguæ Hebrææ* promovere ſtudeo, antequam *accuratiorem*, quam habere hactenus videntur, *Cognitionem Cauſæ* hujus ſibi compararint. Non poſtulo, quod importunum videri poſſet, & ſuperbum, præſertim in *Profeſſore Publico Ling. Orient.*, ut qui diſſentiunt, *Dialectos illas*, quas deſciviſſe ajunt *a puritate Hebraica*, prius *condiſcant.* Illud tantum exigo, *ut ſtatus quæſtionis non penitus ignoretur*, vel etiam *non calidiuſcule obſcuretur;* nam profecto jam per Vicennium mihi contradicitur ferme ab iis, qui vel exiſtimationi ſuæ, & auctoritati, aliquid deceſſurum ſubverentur, ſi *ſyſtema* meum ſit recipiendum: vel *quo de agatur*, ac diſputetur, ne dicere quidem haberent, ſi preſſius ad examen *circa Statum Quæſtionis* vocarentur. Omnes candidiſſime adverſus me ipſum fortioribus, quam quæ hac diſputatione refutavi, armis, ipſemet inſtruam, &, quod *in opuſculo de Defectibus*, ac *prima parte Originum* harum jam profeſſus fui, nunc denuo profiteor, me pro *Optima Cauſa certamen honeſtum ac generoſum* lubentiſſime eſſe ſubiturum, ut *Orbis Eruditus*, ut *Univerſa Eccleſia*, deprehendat, me non *rerum mearum ſtudio*, ſed *Verbi Divini ſincero amore animari.* *in ſtatum Quæſtionis prudentius inquirant.*

F I N I S.

Digitized by Google

CAPUT QUINTUM.

Inter Dialectos princeps Arabica, quæ reliquis opem ferre apta. Bocharti *ſimile judicium, improbatum a Cl.* Guſſetio, *a nobis propugnatum; nunc a memet impugnandum. Argumentum primum. Secundum. Tertius nodus implicatus. Quartus non minus intricatus. Quintus ſcrupulus. Sextus multo gravior. Septima difficultas haud exigua. Octava inſtantia. Nona. Decima objectio. Undecima. Duodecima ſcrupulorum congeries. Cl.* Guſſetii *querelæ ſimiles. Decima tertia criminatio. Decima quarta. Tandem ultima inſtantia proponitur.*

I.

Inter Dialectos princeps Arabica.

Capite primo conſpectum pandens *Linguarum Orientalium*, quæ cum *Hebræa* nomine & titulo *Dialectorum* ſociantur; & quid *Chaldaica*, quid *Syriaca*, quid *Arabica Dialectus* ſigillatim poſſit, polleatque, indicans; ſimul inſinuavi, ex *Arabum* fontibus, utpote copioſiſſimis, maximas redundare utilitates, ad *Defectus* hodiernos, quibus in cognitione *Ling. Hebr.* laboratum fuit, atque etiamnum laboratur, reſarciendos.

Quæ reliquis opem ferre apta.

II. Quanta hic ſit, & quam diffuſa materia, quæ novam curam, limamve, deſideret, percipere licet ex *Octo* illis *Claſſibus Defectuum*, quas *Libro ſingulari* perſtrinxi. Has ſi quis attento oculo dignetur luſtrare, perpenſis quoque exemplis, quibus quamque *Claſſem* ſpeciminis gratia inſtruxi, non poterit quin deſcendat in *Hypotheſin* illam, quæ ex *penetralibus Arabiæ* idoneum lumen promittit, ad tenebras haſce maximam partem evincendas, non tantum in *Hebraicis*, verum etiam *Chaldaicis* & *Syriacis*; quippe quæ iisdem incommodis ac *defectibus* premi deprehendantur, ſi non, ut ferme fit, a primo tantum limine ſalutentur, ſed interiora eorundem adyta penetrentur.

Bocharti *ſimile judicium.*

III. Hoc pro magnitudine ingenii, & Eruditionis copia, ut exploratiſſimum habebat ſummus *Bochartus*, ita ad poſteritatis induſtriam honeſta æmulatione accendendam conſignatum voluit in fine *Præfat.* ad *Hierozoicon;* in quod exemplum, tanquam in ſpeculum, inſpicere deberent omnes, qui ad *Linguæ Hebraicæ* ſtudium ſerio ſeſe accingere volunt, atque veram ex hac nobili palæſtra laudem reportare. *Cum a teneris*, inquit, *unguiculis Hebraicas literas ardentiſſimo ſtudio amplexus ſim, ut ex ipſo fonte biberem, tantum in iis brevi profeci, quantum erat neceſſe, ut non ſolum Prophetarum textum, ſed & Magiſtrorum*

Digitized by Google

rum in illum commentaria magna ex parte intelligerem. Sed cum Linguæ ab annis bis mille intermortuæ multas voces ab ipſis Hebræorum Magiſtris ignorari deprehendiſſem, Syriacæ quoque, Chaldaicæ, & Arabicæ linguæ notitiam adhuc adoleſcens mihi comparare conatus ſum, Celeberrimis uſus doctoribus, Capello *Salmurii, &* Erpenio *Lugduni Batavorum. Quibus abhinc aliquot annis acceſſit etiam Æthiopica, duce* Ludolfo &c. *His præſidiis inſtructus, non ſolum veteres Scripturæ verſiones in locis difficilibus diligenter contuli, ſed & ipſas inter ſe Linguas, ut ex hac collatione aliqua lux oborir etur; & quod Hebræos fugerat, in Babylonia, Syria, Arabia quærerem, quin extremos inter Æthiopas. Nec inutilis mihi fuit ille labor. Quasdam enim voces tanquam ex Babylonica captivitate in Judæam poſtliminio reduxi. Quasdam etiam ex intima Æthiopia arceſſivi, ut cum Eunucho Candaces Hieroſolymam venirent adoratum. Sed ut dicam quod res eſt, nihil mihi tam profuit quam Arabicæ Linguæ qualiſque cognitio. Cum enim in reliquis Hebraicæ linguæ Dialectis, præter aliquot Scripturæ verſiones aut paraphraſes, vix quicquam habeatur, quod ſit alicujus momenti, Arabes abhinc annis fere nongentis omnes omnino ſcientias magna cura excoluerunt; & de ſingulis multa ſcripſerunt, iis plerumque verbis, quæ vel mere Hebraica ſunt, vel cum mere Hebraicis magnam habent affinitatem. Itaque ſi quis Arabum ſcrinia ſedulo excuteret, plura ex iis eliceret ad ſolidam ſacræ Linguæ cognitionem pertinentia, quam vel ex vaſta illa Thalmudicorum farragine, vel ex Magiſtrorum commentariis omnibus. Id expertus ſum in hoc ipſo Libro quem de Animalibus ſcripſi: quamvis enim Arabicos libros paucos habeam, & pauciores legerim, tamen ex paucis illis mihi multum lucis adfulſit.*

Improbatum a Cl. Guſſet.

IV. Hæc interim copia & ubertas *Linguæ Arabicæ* intra fontes ſuos clauſa atque obſtructa maneat neceſſe eſt, quam diu ſacrarum Literarum ſtudioſis non eximuntur ſcrupuli illi, qua juſti, qua injuſti, qui adverſus hujus potiſſimum *Dialecti* auctoritatem vulgo moveri ſolent. Eum in finem capite præcedenti ſub examen revocavi argumenta illa, quibus Cl. *Guſſetius* uſum *Dialectorum* impugnavit, atque inprimis *Arabicam* excluſam voluit; nominatim *Scaligeros*, *Salmaſios*, *Bochartos*, *Hottingeros &c.* taxans, ob ſplendidas lucis hinc fœnerandæ pollicitationes.

A nobis propugnatum.

V. Quid in iſto certamine, contra viri in *Hebraicis* pervolutati rationes ſuſcepto, præſtitum ſit, ad optimam cauſam defenſandam, alii judicabunt; mihi tantum profiteri licet, nihil aliud me intendiſſe, quam ut hac *Quæſtionis* momentoſiſſimæ diſcuſſione, ejusdem *ſtatus* planius cognoſceretur; atque ſic ab iis, quibus Sacra noſtra curæ cordique ſunt, dijudicari poſſet, qua tandem via ad conſummatam *Linguæ Hebrææ* cognitionem perveniri tutiſſime queat; & quicquid hactenus *defectuum* interpretes Doctiſſimos implicat, diſtrahitque, ſolidiſſime expleri.

Nunc a memet impugnandum.

VI. Huc omnem meum laborem conniti, atque tanquam ad unicum ſuum ſcopum collineare, in oculis mentibusque omnium defiget præſens diſputatio, qua meam ipſius *Hypotheſin* gravioribus forte, quam hactenus factum fuit, armis oppugnare decrevi; nihil callide acturus, ſed cordate, ſed animoſe, adverſus me ipſum tela deſtricturus, quippe qui ſacramentum dixerim Veri-

tati, ac tum vere me viciſſe judicem, quum veritas vincit & triumphat.

Argumentum primum.

VII. Adverſus *Methodum* ergo, qua ex *Arabica* inprimis *Dialecto* Linguam *Hebræam* illuſtrandam, ulteriusque percolendam eſſe contenditur, *Primum* deſumo *argumentum* ex conſtanti ſententia Eruditorum, Linguam *Arabum* longius ab *Hebræa* deflexiſſe cenſentium, quam *Chaldæorum*, ac *Syrorum*; ut ſi jam *Dialecti* nomen ei relinquatur, ſaltem non æque *pura* ſit habenda, quam duæ reliquæ. Hanc *impuritatem* arguit longe major numerus *conjugationum*, tum *Activarum* tum *paſſivarum*. Confuſa *pluralium fractorum* turba. *Caſuum* variatio, *Hebræis*, *Chaldæis*, *Syris* penitus ignota. *Nunnatio*, quæ dicitur, *vocalium* ad finem; ipſorumque adeo *ſonorum diſcrepantia per omnem* ferme *Syllabam*, quum *Arabia* tres tantum *vocales* agnoſcat, easque *breves*, quibus *Hebraicæ voces*, ſecundum *puritatem* ſuam, pronunciari & conſervari nequiverint. His cauſis adducti multi Viri Doctiſſimi *peregrinam* appellare *Linguam* hanc non dubitarunt; quorum ſi ſuſpectior auctoritas, propterea quod eam ignoraverint, vel ſaltem neglexerint; credendum utique Magno horum ſtudiorum anteſignano, *J. H. Hottingero* in *introduct.* ad *Gramm. Harmon.* quatuor *Ling. Orient.* ſtatuenti, *differre ab Hebraismo Chaldaismum*, *longius recedere Syriasmum*; *longiſſime abeſſe Arabismum*.

Secundum.

VIII. *Secundo* idem hocce grandius diſcrimen evinci poſſe videtur ex immenſa verborum copia, qua *Arabum* Lingua, tanquam *Oceanus* circumfluit, qualem opulentiam *Hebræos* olim poſſediſſe minus ſit veriſimile. Hinc uſu venit, ut integræ periodi *Arabice* enunciari poſſint, in quibus vix ullum *Hebraicum* vocabulum occurrat. Specimen eſto principium *Geneſeos* اول ما خلق الله السماء والارض وكانت الارض غامرة مستبحرة وظلام علي وجه الغمر אול מא חלק אללה אלשמא ואלארץ ובנת אלארץ עומרה משתבחרה וטלם עלי ונה אלעמר *primum omnium creavit Deus* &c. *& tenebræ ſuper facie abyſſi.* Pleraque vides diverſa abire ab *Hebræo* ſermone, qui quatuor tantum voces ex omnibus hiſce ſuæ agnoſcit ditionis. Si differentia tanta in Sacris ſe exerit, quantam non in profanis deprehendere eſſet? Nimis ergo liberale illud *Bocharti* ſupra poſitum, *Arabes uti verbis quæ vel mere Hebraica ſunt, vel cum mere Hebraicis magnam habent adfinitatem.*

Tertius nodus implicatus.

IX. Accedit *tertio*, quod *Arabes* non tantum poſſideant *Radicum* multitudinem ingentem, qua *Hebræi* careant, verum etiam ipſas *Hebræas Radices* ſæpe frequentent longe alia ſignificatione, vel una, vel pluribus, ita ut in iis, in quibus *Harmonia* ſaltem amica, ac ſororia, conſtare debuiſſet, aperta pugna vel diſſonantia deprehendatur. *Hebræis* שמח *Lætatus fuit*, at *Arabibus* سمح eſt *Beneficus*, *liberalis*, *facilis*, *clemens fuit*, in 1. & in 2. *conj. Rectam & æqualem fecit* haſtam. *Hebræis* שער *horruit*, at سعر *Arabibus* eſt *accendit*, bellum; *occaſionem præbuit* ei *ac poteſtatem* ad malum. *Dolorem intulit* atque *uſſit* ſagittis. *Percuſſit* eum fervidus ventus. *Huc illuc movit ſe* in obeundo negotio. Denique paſſive, *furore correptus fuit*. Sic a שבר *fregit*

toto

Digitized by Google

toto cœlo diſtat شبر *ſpithamis dimenſus fuit. Donavit.* Ab אסף *collegit*, اسف *mœruit, cum ſollicitudine dolorem aut iram concepit.* Ab אלם *manipulos colligavit* in *pih.* itemque in *Niph. obmutuit*, الم *doluit.* A קהל in *Niphal, congregari, convocari in cœtum*, قهل quod eſt, *Exaruit* cutis. *Ingratus fuit* in benefactorem. *Inhumaniter aliquem excepit. Squaluit. Sordidus fuit.* Et in 7. انقهل quod eſſet נקהל *debilis fuit conciditque.* Talia complura recenſeri poſſunt, unde ſane non parum turbari videtur concentus ille amiciſſimus *Linguæ Arabicæ* cum *Hebræa*, qui tanto opere a Fautoribus ejus jactatur.

X. *Quarto loco* magnam obmoveo difficultatem *ex confuſanea* illa *ſignificationum multitudine*, qua *Radices Arabicæ* luxuriant, & tanquam ſilveſcunt. *Quartus non minus intricatus.* Confuſio iſta ex uno alterove themate, quo *par. præc.* uſus fui, ex parte percipi potuit. Dabo adhuc aliud indigeſta mole, velut cœcum chaos, territans, ſub צרב, quod in Bibliis eſt *urere*, ut *Prov.* 16: 27. איש צרבת *ignis adurens*; & *Eſech.* 21: 3. נצרבו כל פנים *Aduſtæ ſunt omnes facies.* Habes unum, certum, conſtans; quum *Arabum* ضرب incerto atque inconſtanti fluctu te nunc huc, nunc illuc, circumagat. *Verberavit. Icit. Punxit. Amputavit* collum. *Natavit* in aqua. *Pulſavit* citharam. *Aufugit. Abiit. Feſtinavit.* Et contra, *Conſtitit. ſubſtitit. Prebendit; Retinuit; probibuit:* addito علي يد. *Tetendit vergitque* ad nigrorem. *Inivit* admiſſarius camelum. *Caudam jactavit*, & *abiit* camelus. *permiſcuit* rem rei. *Multiplicavit* numerum, per numerum. *Formavit* adagium. *cudit* monetam. *Fixit* tentorium. *Profectus fuit* per terram, *victus, lucri, prædæ quærendæ ergo. peragravit. Evolavit ad eſcam quærendam* avis. *Pulſum arteriarum incitavit* vulnus. *Percuſſus fuit frigore. Pruinam paſſa fuit terra Egregio ictu polluit* manus. Hanc notionum *Sylvam* ſola *conjugatio prima* offert. In aliis alia adhuc luxuries, quam amputo. Jam vero *centenæ*, atque adeo *millenæ Radices*, conſimili ratione luxurioſiſſimam quandam profundunt materiem ſignificationum, in quibus nec primigenia *ſtirps*, nec *rami* ad juſtas leges digeſti compareant. Jure ergo Cl. *Guſſetius* principe loco objiciebat, *nullam ſpem eſſe certitudinis accipiendæ per Ling. Orient. qua ipſæmet deſtituantur*; ut *par.* XVIII. *cap.* IV. vidimus. Repoſui quidem omnem *Homonymiam*, per accidens exſtitiſſe, atque *turbam* illam *diſſonantium poteſtatum* invectam eſſe vel per *imperitiam* eorum, qui diverſas *gloſſas* collegerunt, vel per *ignorationem amiſſionemve primigeniæ notionis.* Sic tamen nodus non reſolvitur, ſed arctius adſtringitur. Quis enim ſibi majorem hic arroget *peritiam*, quam habent ipſi *Arabes?* & ſi ipſimet vel *ignorant*, vel *amiſerunt* antiquiſſimam vim, & *Originem*, utique Nobis ejuſdem inveſtigandæ nulla ſpes poteſt eſſe relicta: ac proinde fruſtra *Origines Hebrææ*, ex tam conturbatis & confuſis fontibus, promittuntur.

XI. *Quintum* hinc ſubnaſcitur *Argumentum*, quo *Originum indagatio*, tum *Quintus ſcrupulus.* ex reliquis *Dialectis*, tum præſertim ex *Arabica*, ſuſpectiſſima redditur, quod *univerſa* iſta *ratio* videatur eſſe *arbitraria, imaginaria*, nullis ſolidis principiis

Digitized by Google

ſuperſtructa. Videlicet non ignotum in *Orbe Erudito* quam *vagum*, quam *vanum* ſæpe & *ridiculum*, ſit *ſtudium Etymologicum*, in quo quot capita ferme, tot ſenſus: quum in campo lubrico quilibet acumini ſuo indulgens, pro gemmis vitrea fracta, proque Theſauro plerumque obtrudat carbones. Jam vero quod in *Latinis*, *Græcisque*, tam male firmum, male tutum, cenſetur; quidni in *Hebræis Originibus* ex *Arabia* revocandis, ut parum liquidum, a puriſſimis Scripturarum fontibus procul abeſſe jubeatur? Exemplum præbeat nomen שטן شيطن *Satanæ*, quod Scholiaſtes *Haririi* derivari poſſe tradit vel a شطن *procul abſuit*, quod *longiſſime diſtet tum a bono, tum a Dei gratia:* vel ab eodem themate, quatenus valet *ſpurcus & improbus fuit:* vel denique a radice שיט شاط *med. je*, quæ in *butyro*, *oleove*, eſt *excoqui ita ut aduratur:* itemque in *olla*, *ſic aduri ut particula rei coctæ adhæreſcat:* unde *Satanas* cum *Nun* ſervili dictus ſit, quod *uratur igne diſcidii & expulſionis* a Deo *urendus* deinde in gehenna. Noviſſimi illi luſus in *uſtione*, *merum* ſpirant *frigus*. שוטן شاطن pro *improbo & ſpurco*, ab ipſo *Satana* potius proceſſit. Prius a *diſtando* nimis tenue. Non eſt ergo quod ad tales duces recurratur, qui te incertiorem faciunt, quam eras dudum.

Sextus multo gravior. XII. *Sexto* auctoritatem *Dialecti Arabicæ* in elucidandis ſacris noſtris majorem in modum debilitat magna *diverſitas gentis, genii, ritus, religionis, vitæ generis*, in quibus omnibus parum aut nihil commune habent, habuerunt, *Arabes* cum *Hebræis*. Jam vero omnia hæc ita in *Linguas* ſolent influere, ut inde colorem trahant, in verbis, in phraſibus, in univerſo apparatu orationis, in forma ac norma loquendi, quæ ubique locorum attemperata eſt ad mores tum publicos, tum privatos alicujus populi. Non poteſt ergo non *Lingua Arabum* majorem in modum diſſonare ab *Hebraica*, etiamſi eosdem cum ea habeat natales; omninoque neceſſe eſt, ut tam magis a puritate *Heberi* deſciverit, & degenerarit, quam magis ab *Hebræorum* gente non ſedibus tantum, ſed & moribus, cerimoniis, ſacris, profanis, publicis, privatis, gens *Arabum* per omnem ſeculorum memoriam fuit diremta.

Septima difficultas haud exigua. XIII. *Septimo* ſubnectam *loco*, quod quum omnis *Lingua* ſit *volubilis*, & ſua natura tendat ad mutationes, fieri nequeat ut *Dialectus Arabica* pura, integra, illibata permanſerit, etiamſi omnes illæ *novationum* cauſæ, quas modo percenſui, abfuiſſent; atque communitas morum cum *Hebræis* perpetuo obtinuiſſet. Retinuerit ea nativum florem honoremque per aliquot ſecula; ad *Moſis*, ad *Davidis*, ſi tendas, tempora: quin ad *Chriſti*, ut liberaliſſime agamus: nullam ſaltem ſpeciem veri habet, deinceps quoque eandem integritatem conſervari potuiſſe, tot novis cauſis mutationum undique confluentibus, & facie *Arabiæ* penitus innovata, ac converſa, per exortum *Muhammedis*, *Religionisque* ac *potentiæ Muhammedicæ*.

Octava inſtantia. XIV. *Octavo* non parum auctoritatis *Dialecto Arabum* detrahit, cum omni illa quam oſtentat opulentia, novitas *Auctorum*, *Librorumque*, quorum demum copia extare cœpit longiuſcule poſt *Muhammedem*, conſarcinatumque *Alcoranum*,

Digitized by Google

ranum, quum in *Orbe Saracenico*, ſubjugatis pacatisque omnibus, ſtudia literarum exarſere, atque ad Eruditionem, quæ inter ſtrepitum armorum jacuerat, reſuſcitandam, fuit conſurrectum. Horum jam *Librorum Scriptorumque* ſerior & ſubleſtior fides, quam *Origines Linguæ Sanctæ* requirunt. *Speciosiſſimam objectionem* tetigi *ὡς ἐν παρόδῳ cap. præc. par.* XXIV. eamque *obiter* quoque ſolummodo removi; pleniorem ejus diſcuſſionem rejiciens in commodiorem occaſionem. Nunc inſtans, *Bochartum*, principem *Arabizantium*, mihimet oppono, in loco ſupra adducto ſcribentem, *Arabes ante annos ferme nongentos ſcientias magna cura excolere cœpiſſe.* Ultra *Muhammedis* ætatem ergo ne *Bochartus* quidem adſcendit; totumque ejus *Hierozoicon* nititur *auctoritatibus* longe *Alcorano inferioribus*. Quid? an non *Lexicon Golianum* hauſtum eſt, & compoſitum, ex *Scriptoribus* qui poſt *Muhammedem* vixerunt? *Gjauharius*, ille *Lexicographorum* ſummus, ex calculo *Abulfedæ* anno *Hegiræ* 398. diem ſuum obiit. *Phiruzabadius*, *Camuſi* auctor, tempeſtates attingit *Bajazedi & Tamerlanis*, eorum muneribus honoratus, & fato functus anno 817. *Hegiræ*. An hi nunc fontes, unde & ipſe haurire ſoleo, ſat limpidi, ad Linguam *Moſis & Prophetarum* illuſtrandam? Nec erat fortaſſe quod gloriarer, habere *Bibliothecam Academiæ* hujus, habere me ipſum *domi*, *Libros* ante *Muhammedem* conſcriptos, unde de *natura* & *proprietatis* veteris Linguæ judicium ferri queat. Quæſtio manet, quousque vetuſtatis monumenta illa aſcendant: & num cum *Syriacis* aut *Chaldaicis* hac in parte poſſint æquiparari; ut non tantum cum iis, ſed & præ iisdem, *Origines antiquiſſimas Hebrææ Linguæ* recludere ac reſtituere poſſe, cenſeri debeant.

XV. *Nono* contra *Methodum*, quam ſequor, hæc naſcitur difficultas, quam & a præſtantibus ingeniis mihi objectam commemini, quod *Originibus* meis ſemper aliquid ulterius reſtet, earundemque aliæ iterum *Origines* deſiderari poſſint. Verbi gratia Radix שלה *Cap. Tert.* a me aucta fuit *proprietate Eliquati*, ſive *liquide defæcati*, unde *tranquillitas*, *abundantia*, *ſecuritas*, & aliæ notiones ſecundariæ profluxerint. Sed unde jam ipſum illud *Eliquatum*? Hoc noſtra *methodus* nec promittit, nec ſane præſtare unquam poterit. Ergo fruſtra in iis veſtigandis opera conſumitur, quæ ſemper aliud quid perveſtigandum relinquunt; neque *Arabica Dialectus* apta nata cenſeri poterit, ad *Antiquiſſimas Hebrææ Linguæ Origines* reſerandas. *Nona.*

XVI. *Decimo* proponam judicioſiſſimam argumentationem, nuper adverſus *Syſtema* noſtrum inſtitutam in publico, ab erecti ingenii juvene, pulchra quæque & præclara minanti. Contendebat ille, jam ante *formatam*, atque ex *Heberi* familia per *Joctanum* propagatam, *Linguam Arabicam*, pleraſque, ſi non omnes, *Origines Hebræas*, id eſt *primævas poteſtates* Radicum, intercidere debuiſſe: ac proinde eas ad facem *Dialecti* iſtius non poſſe recuperari; etiamſi in priſtina ſua puritate conſtanter perſeveraſſet. Eam propoſitionem urgebat, & adſtruebat, hiſce ratiociniis. *Primo* quod *Lingua Hebræa*, ſive potius *Antediluviana* jam 1800. ferme annis viguiſſet, ante quam *Phalegi* frater *Joctanus*, *Arabum Jemanenſium* parens, & conditor, *Dialectum* iſtam no- *Decima objectio.*

 vis

vis in ſedibus condiderit. *Secundo* quod durante tanto temporis ſpatio ipſa *Lingua primæva* ſuas *Origines* vix ac ne vix quidem conſervare valuiſſe videatur; nedum eas in *Arabiam* transfundere; quum in omnibus *Linguis primigeniæ ſignificationes* ſenſim ſine ſenſu vel obſcurentur, vel intermoriantur, quotidiani ſermonis uſu eas negligente, atque in *ſecundarias poteſtates* potiſſimum inclinante. *Tertio* quum ſtudia literarum tunc vel rara, vel nulla fuerint; atque fidiſſima talium cuſtos, ſcribendi ars, necdum inventa: omnino neceſſe eſſe, ut memoria *primigeniarum poteſtatum* defluxerit, & aboleverit ante, quam *Arabicæ Linguæ* colonia ex *Heberi* domo deducta fuit.

Undecima. XVII. *Undecimo* graviorem adhuc arietem admovebo meæ *Hypotheſi*, ejusque fundamenta ipſa concutiam. Nempe quæ de *Joctanidarum* regno in *Arabia Felice* narrant Hiſtorici gentis, ultra duo millia annorum edurante, & florente; fabulis forte accenſenda, ſaltem non ſupra dubitationis aleam poſita. Ipſa illa *Joctanis*, cum numeroſa progenie, commigratio in *Arabiæ Felicis* interiorem receſſum, non ab omnibus admittitur; quin imo noviſſime in dubium revocata fuit a Cl. *Vitringa*, ſolide & candide omnia diſceptanti, in *Comm.* ad *Eſaj. cap.* 20. *pag.* 587. *Forte*, inquit, *Arabia Felix ex poſteris Cuſchi præcipuos ſuos incolas accepit, quod enim Doctiſſimi Viri pertendunt, eam inſeſſam fuiſſe a poſteris Joctanis, fieri poteſt illos hic minus feliciter divinaſſe. Semitarum ſedes cum terris Chamo ortorum non debent confundi.* Idem plenius ad *Cap.* 43: 3. inſinuatum. *Equidem verum eſt Cl.* Bochartum *Arabes illos Sabæos, incolas Arabiæ Felicis, cenſuiſſe ortos Joctane, Heberi filio: ſed nullo modo mihi perſuadeo, rem ita ſe habere. Arabia tota tam Felix, quam Deſerta, ceſſit poſteris Chuſi, eſtque id rationi, & analogiæ rerum conſentaneum. Poſteri Joctanis ſedem ſuam habuerunt ad ortum ſinus Perſici, & quidem Sabæi Joctane orti, in Carmania.* In hac jam manifeſta magnorum virorum diſſenſione, nimis ſecure illa *Colonia Joctanidarum* in *Arabiæ Felicis* ſedes immiſſa inculcatur, atque tanquam certiſſimus fundus *ſororiæ* duarum Dialectorum *conſanguinitatis*, identidem oggeritur.

Duodecima ſcrupulorum congeries. XVIII. *Duodecimo* mea ipſius vineta cædam, atque viam hanc *Hebraica* ex *Arabicis* novo lumine perſundendi, iniquam, imprudentem, & periculoſam eſſe, arguam. Utique per eam anſa porrigitur hominibus profanis cuncta luxandi, & ſusque deque miſcendi. Per eam quodammodo delibatur, quicquid eſt præſtantiſſimarum, atque in Eccleſias receptarum, verſionum Sacri Codicis, quaſi non ſatis accuratæ ſint, magniſque ac multis *defectibus* & ipſæ laborare debeant, quum *Hebraicæ Linguæ cognitionem hodiernam* tantis adhuc *defectibus* premi contendatur. Per eam detrahitur & derogatur meritis Excellentium virorum, qui nobis *rem Hebraicam* egregie ornatam & percultam dederunt. Per eam *Novaturientibus* ingeniis lata porta panditur, ad quidvis ex quovis eliciendum, & ſine modo ac modeſtia graſſandum.

Cl. Guſſ. querelæ ſimiles. XIX. Non poſſum quin hic ſubſeram querelas a Cl. *Guſſetio* jam motas adverſus illos, quorum ſectam me ſequi profiteor. „ Revera ab exteris illis „ linguis, inquit, ut ut propter Radicum affinitatem magnas auxilii ſpes ex„ citantibus, tenue vacillansque ſubſidium advenit; quin, ſi nimium fideris,

„ *fal-*

Digitized by Google

„ *fallacia ingens*, *frequenſque*. Hæc querela quam vera ſit, nimis longum „ eſſet ſigillatim oſtendere. Sed tu ipſe experiaris. Reſpice libros ab *Antiſtitibus* Linguarum Orientalium, *Scaligeris*, *Salmaſiis*, *Bochartis*, *Hottingeris*, *Hinkelmannis* editos, cum ſplendidis lucis ex iis *Hebraicæ* fœnerandæ pollicitationibus; excute eorum indices, & ſingula perpende: deprehendes quæcumque ex aliis Orientalibus huc applicant, ea eſſe fere ubique „ *ſuffragia emendicata ad privatum* aliquod *propoſitum conficiendum*; prælatas ex „ multiplicibus ſignificationibus eas, quæ *rariores* ſunt, & magis *accidentariæ*; „ vel *minus certæ*: tum *homonymias fortuitas*, *fluctuationes*, *baiolationes*, in „ quas ipſum *Hebraiſmum* ſecum *rapiunt*."

XX. Hæ cenſuræ, & querelæ, *Decimum tertium* mihi ſubjiciunt *argumentum*, quo cauſam noſtram valide impeti poſſe nollem ſane, atque magnopere doleo. Scilicet *ex fulgore ſæpe fumum* dediſſe reperiuntur *Orientalium Dialectorum promi condi*; atque poſt *ſplendidas pollicitationes*, nil niſi *tenebras* offudiſſe. Exempli gratia, זהב *aurum* a Cl. *Hotting.* aliiſque arceſſitur ab *Arabum* ذهب *præſtrictos habuit ex intuitu auri oculos*; præſertim, *ingreſſus de improviſo micantem mineram auri*. Item זפת *pix*, a *rad.* زفت *pice illivit.* קיץ *æſtas*, a قاظ *æſtatem exegit*, *æſtiva habuit* in aliquo loco. Conſimiliter Magnus *Hierozoici* auctor, τὸ ליש *Leo* derivat ab *Arabum* لايث *retulit leonem*: & تليث *Audacem ſtrenuumque ſe geſſit*. Atqui nil evidentius, quam has *ſignificationes* non eſſe *primitivas*, quæ *Originem* præſtent vocum *Hebræarum*, ſed *ſecundarias*, ab ipſis illis *Hebraicis* propagatas. Talium ſeges congeri poſſet ex *Lexicographis Arabizantibus*. En aliud infelicius moſtellum. *Pſalmo* 76: 4. רשפי קשת Cl. *Hotting.* illuſtrat in *Smegm. Orient.* ex *Arabum* רשף رشف, quod ait ſignificare *petivit vibrata ſagitta*, unde رشف ſit *jactus rapidior*, vel *vibramen teli*, & رمينا رشفا *jecimus omnes uno veluti telorum nimbo*. Atqui omnia hæc *Arabes* habent ſub *Radice* رشق רשק, ut Cl. *Golium* evolventi luce liquidius parebit; unde hæc hauſta: quum רשף رشف *ibidem* valeat, *Sorbillavit*, *extremis labiis bibit ſorbendo*, quod toto cœlo differt ab *Hebræo* רשף, quum per *ſcintillam*, vel *prunam* exponatur in *Lexicis*. Apparet properantem Viri Docti manum in ק & ף lapſam: vel in ف & ق. Recentavit interim errorem, & pro illuſtri ſpecimine utilitatis *Linguæ Arab.* commendavit Cl. *Hinckelm.* in *Præfat.* ad *Alcoran.* ubi e ſuo quoque penu compluſcula expromit, ſalivæ movendæ, quorum nonnulla ſtomachum facere queant. Utique dilutum quod חלמות revocetur ad حالومة *ſpuma lactis*: caſtigatumque hoc ipſum a Cl. *Guſſ.* ſub חלם. Nec concinnior ibi حلمة *Papilla*. *Capitulum uberis*, quod Cl. *Capell.* ſuggeſſit. Dilutiſſimum quoque *Hinckelmanni* תפל iterum *Job.* 6. ex تفل auctum notione *craſſi leguminis*, omniſque *rei guſtu & fragrantia carentis* ex تفل. Ex poſteriori thematc etiam *Hotting.* dederat, *minime*

Decima tertia criminatio.

Digitized by Google

nime fragrans, peculiariter, *propter neglectum aromatum*. **Et hoc merito re**prehenſum a Cl. *Guſſ.* in חפל; nam nec quadrat *res inodora*, *craſſumve legumen*, in loco illo *Jobi*, & aliis in locis adhuc incommodius eſſe deprehenditur. Aliud male coctum, & juſtæ reprehenſioni obnoxium, idem *Hinckelm.* apponit; *Jobi cap.* 6: 15. verbum בגדו *perfide egerunt* contendens male verti, quia nemo *perfidiam fluvio* tribuat; attendendum ergo eſſe uſum in *Arabiſmo*; ubi بجد בגד *ſubſtitit*, ut ita vel *ironice* uſurpetur: vel ipſa Radix, quod in plurimis aliis animadvertitur, contrariam quoque habuerit ſignificationem. Sic vertendum foret, *Fratres mei ſubſtiterunt ut torrens; ut alveus torrentium qui prætereunt*. At nullus ibi locus *Ironiæ*. *Contraria ſignificatio* eſt κωφὸν φάρμακον: admirabili autem Elegantia figuratum, *Fratres mei perfide egerunt ut torrens*; quum *Aquas fidas* pro *perennibus* det *Eſaj. cap.* 33: 16. quæ לא יכזבו *nunquam mentiantur*, ut idem Vates *cap.* 58: 11. Laudatus tamen infelix hicce conatus a Cl. *Cromaj.* ad *Jobum*, qui & ipſe ſimilia peccaſſe coargui poſſet; una cum reliquo *Arabizantium* choro; quorum *novæ res* neutiquam *meliores* ſæpe numero. Liberrime diſputo. Veritatem quæro. Cauſam Eccleſiæ ago. Veteres limites minus prudenter nonnunquam motos ipſe conqueror. Me ipſum quoque in *juvenilibus* ſuper *Jobum* fuſis, & prælufis, multa tentaſſe agnoſco, & palam profiteor, parum ſolida, quæ *exagitari* & poſſent ab acri cenſore, & merentur. Hæc ergo *novationis* feneſtra claudenda potius in perpetuum, quam ut perpetuis *dubitationibus*, *hallucinationibus*, & *conjecturis*, latior præbeatur introitus, ſub quibus tandem *Scripturæ Sacræ*, haud ſecus ac *profani Scriptores*, cum gemitu velut ſint laboraturæ.

Decima quarta. XXI. *Decimo quarto* ſaturam dabo lancem difficultatum leviorum, quæ *Methodum* meam gravant. *Arabica* videlicet *Lingua*, qua præ ceteris *Dialectis* utor, præ iis tamen *impurata* fuit, non *Græcis* tantum & *Latinis*, ſed etiam *Perſicis* vocabulis bene multis, quin & *Turcicis* in eam infuſis. Ante ſeculum decimum ſextum nemo etiam Noſtrorum *Arabice* ſcivit; aut *Linguæ* iſti aliquid detulit, ad *Hebraicæ* illuſtrationem. Qui deinceps eam in ſubſidium advocarunt, ad ἅπαξ λεγόμενα, ad *rariora*, ad *obſcuriora*, ad *deperdita*, ad *Jobi monumentum*, *Arabiæ* genium, & ingenium, ſpirans, ejus uſum reſtrinxerunt. At nemo *Dialectum Arabicam* in tam late patentem ditionem immittere, uſumque illius per univerſum corpus *Linguæ Hebrææ* diffundere ſuſtinuit. Hæc *Hypotheſis* præterea, *Rabbinos*, quorum plerique *Linguam Arabicam* parum admodum, aut nihil omnino intellexerunt, detruderet, & excluderet, cognitione ſermonis patrii; quo nihil abſurdius, ingratius, iniquius. Eadem *Methodus* ſtudium *Linguæ Hebrææ* nimis redderet operoſum, moleſtum, difficile, inſuperabile quin imo, vel ſaltem inacceſſum pleriſque eorum, qui ad ſacra hæc accedere debent; quum pauciſſimis vel lubeat, vel liceat, tam longum ſuſcipere curſum, atque in tam vaſtis & diffuſis Linguis ingenium, tempuſque, conſumere. Denique dantur aliæ *Hypotheſes*, ut commodiores, ita tutiores quoque; per quas multo brevioribus ſpatiis curriculum hocce queat abſolvi; atque *Linguæ Hebrææ Defectus*, ſi qui etiamnum reſtent, feliciter expleri.

XXII.

Digitized by Google

XXII. Finiam in animadverſione, quæ & mihi ipſi ſæpe in mentem venit, & ab aliis crebro objecta eſt, adverſus *Rationem* illam *Operoſiorem*, qua *Origines verborum venandas*, & tanquam ex *abdito* quodam *cubili indagandas* ſuſcepimus. Nempe vix videtur *operæ* eſſe *pretium*, tantum *laboris*, & *horarum*, impendere in ſtudium diffuſiſſimum *Dialectorum Orientalium*, unde pro emolumento, ac præmio omni, nihil aliud reportes, quam *verbi* alicujus *Originationem*, & *notationem*, non injucundam illam quidem, ſi forte, ſed tamen ſupervacuam, qua carere abſque diſpendio poſſit interpres verbi divini; quippe qui *medullam* quærat, non *corticem*; ſeque *fructu paſcere* & *ſatiare* malit, quam *flore oblectare*. Supra par. XI. inſinuatum, quantis, quam vagisque erroribus, ſeque aliosque implicare ſoleant *veriverbiorum* aucupes. Nunc loquimur de *certiſſimis* quoque *Etymis*; quæ ſemper ſunt & manent *Etyma*; id eſt, res curioſæ magis, quam neceſſariæ: quibus *pueros præludere* ad *ſolidiora*; non *juvenes*, non *viros* ſeſe occupare debere, res ipſa & ratio ſuggerere videntur. *Ultima inſtantia.*

CAPUT SEXTUM.

Tranſitur ad dilutionem difficultatum objectarum. Prima denuo urgetur: refutatur, non una inſtantia. Secundæ obviam itur. Simile quid in Dialectis Græciæ *locum habere. Eidem nervus inciditur. Occurritur tertiæ difficultati. Exempla reſumuntur. Quartus nodus reſolvitur. Nihil in L. L. O. O. confuſum. Specimen promitur opulentiæ* Hebrææ *cum* Græca *&* Latina *collatæ. Concluſio hinc adſtricta. Quintus ſcrupulus tollitur. Item ſextus. Et ſeptimus. Octavæ inſtantiæ nervus ſucciditur. Arabes ex antiquis fontibus hauſiſſe oſtenditur. Nonæ objectioni obviam itur. Et decimæ. Undecima inſtantia refutatur. Duodecima cenſura reprimitur. Confuſio non una nudatur. Criminationibus, decimo tertio, occurritur. Aliæ cavillatiunculæ, decimo quarto, refutantur. Ultimæ inſtantiæ reſpondetur.*

I.

Expoſui *quindecim argumenta*, vel verius *argumentorum fontes* totidem, quibus *Methodus* noſtra, præſertim illa ejusdem pars, quæ auctoritatem *Arabicæ dialecti* ſpectat, non leviter quati, & labefactari, videtur. *Tranſitur ad dilutionem difficultatum objectarum.*

His quam parum veri roboris inſit, demonſtrandum porro, ut ita non à

Digitized by Google

præjudicatis tantum opinionibus, ſed etiam a juſtis ſcrupulis, liberentur, quibus *Linguæ Hebrææ* conſummatior cognitio curæ, cordique, eſt.

Prima denuo urgetur. II. *Primæ objectionis*, qua contenditur, *Dialectum Arabicam* longius ab *Hebræa* deflexiſſe, quam vel *Chaldaicam*, vel *Syriacam*, promptiſſima foret depulſio, & refutatio, niſi eam paulo difficiliorem reddidiſſet J. H. *Hottingeri*, Viri in his Literis Magni, magna apud me, apud omnes, dignatio. Ejus exemplo tracti & alii, ſimilia ferme pronunciarunt. Cl. *Otto* certe *Synopſin Inſtitut. Arabic.* ſic incipit, *Arabica Ling. quarta eſt Hebraicæ propago, paulo longius, quam priores, a Matre abiens.* Sed notandum, Viris Doctiſſ. talia nonnunquam ſtili impetu excidere. Hoc evidens in illa gradatione Cl. *Hottingeri*, *ab Hebraiſmo differre Chaldaiſmum, longius recedere Syriaſmum, longiſſime abeſſe Arabiſmum.* Ni certiſſimum foret, aſſeverare haud vererer, eos *ſpecie externa* adductos magis ad ita judicandum, quam *internis cauſis*, & *adfectionibus* utriusque *Dialecti*.

Ad *ſpeciem externam* pertinent 1. *tredecim conjugationes*, pro *ſeptem*, quæ numerari ſolent, *Hebraicis*. 2. *pluralia perfecta* in وُنَ *Oune*, pro ים, deſinentia. 3. *Pluralium imperfectorum* denſa illa ſylva, quibuſcum *Hebræis* nihil commune. 4. *Caſuum variatio*, qua *Hebræi* nunquam uſi. Denique 5. *Vocalium diverſitas*, atque *pronunciandi* ratio diſcrepantiſſima, ut quum *participium* פוקד *inſpiciens*, فَاقِدٌ *Phôkidon*; פּוֹקְדָה, vel פּוֹקֶדֶת, effertur فاقدة *phokidaton*. &c. &c.

Refutatur non una inſtantia. III. Hæc ſane talia, ut facile glaucomatis aliquid offundere queant oculis imperitis non ſolum, ſed & doctis, ac peritis. Diſcutiamus ergo nubeculas iſtas, atque diem faciamus illis, qui lucem, & diem, amant.

1. Quod ad *numerum conjugationum* attinet, eum in *Grammatica Hebræa*, inde a quo recoli coepit, perpetuo fluctuaſſe, nemini ignotum, qui a limine ſacra hæcce ſalutavit. *Kimchius* diſtinguens ſpeciem פּוֹעֵל *Pobel*, a פִּעֵל *Pibbel*, ut par erat, *Octo conjugationes* poſuit, qui, ſi ſibi conſtare voluiſſet, ad *decem* progredi debuiſſet per *Po bal*, & *Hitb-Po-bel*, quæ indivulſo nexu priori iſti formæ adhærent. *Abrab. Balmes* tradit, *Rabbinos* quoſdam vetuſtiores *Undecim Formas conjugandi* ſtatuiſſe. Si *Verba* per *Reduplicationem Tertiæ* conformata non a *Radice* velut ſua avulſiſſent, & ad neſcio quod genus *Imperfectorum* traduxiſſent, jam habuiſſent *Quatuordecim*, per פִּעְלֵל, *Piblel*, *Pyblal*, & *Hitbpablel*. Adde *ſpeciem* פְּעַלְעַל, quæ *quintam decimam* conſtituit. Adde alias, quas in *Inſtitutionibus* noſtris *ad Fund. Ling. Hebr.* reſtituere ſuſtinui; quod jura earum fundatiſſima ſint: ne jam loquar de aliis ibidem in medio relictis, unde numerum *Conjugationum Arabicarum* vel æquare eſſet, vel & ſuperare. Res clarior fiet exemplo *Grammaticæ Aramææ*. Doceri ſolet *ſex* eſſe *Conjugationes*, פְּעַל *Pebal* cum *Paſſ.* אִתְפְּעֵל *Itpebel*. פַּעֵל *Pabel*, cum *Paſſ.* אִתְפַּעַל

Itpa-

Itpahal: & אַפְעֵל *Aph-hel*, cum *Paſſ.* אִתְפְּעֵל *It-taph-hal.* Atqui *Aramæa Dialectus* ſcatet *formis* פֻּעַל vel פּוּעַל, itemque פִּעַל vel פִּיעַל, cum ſuis frequentativis. Non minus abundat *ſpeciebus Pihlel*; & *Pehalhal.* Mirifice denique dedita eſt *formis* שַׁפְעֵל, & הִשְׁתַּפְעֵל; quas *Grammatici* primi a *Jure*, & *Paradigmate*, *verbi perfecti* ſecludentes, *Linguarum* adyta, quæ recludere volebant, ex parte ſaltem occluſerunt. Hoc nobis eam impoſuit *neceſſitatem*, qua in *Inſtitut. Gramm. Hebr.* uſi ſumus; quod ſine *Paradigmate* amplificato nunquam *Lingua Hebræa* ab *Anomaliarum* mole, ſub qua gemit, ad *Analogiam* juſtiſſimam emergere queat, nativumque ſuum nitorem, in multis membris haud leviter imminutum, recuperare.

2. *Terminationis pluralis* in *Oune* exeuntis tenuior ſcrupulus; mox levandus; ſi attendatur ad *caſuum obliquorum* flexionem in يِين, *iine*, quod eſt *Aramæum*, quin *Hebræum*, ין, cum *tremulo* illo *ſono* ficticiæ vocalis ad finem, quem *Dialectus* hæcce ad *caſus*, qui a *Veteri Lingua Hadramautica* aberant, decore formandos adfectavit. Ut ergo *Caſus rectus* a ceteris internoſci poſſet, pro ין, aſſumtum ון, quæ *terminatio* eſt *Maſc. Plur. Hebræorum*, æque ac *Arabum*, in Verbis. Eadem de cauſa Duale *Ajin*, tranſlatum ex *aini*, quod *obliquis Caſibus* relictum, in *âni*, *nominative.* Hæc alibi latius, ſi opus fuerit.

3. In *Pluralibus fractis* nihil quoque nodi, ſi modo eorum genuina *Origo* intelligatur. Sunt videlicet maximam partem *formæ ſingulares Subſtantivæ*, & *Infinitivæ*, quas *Collectiva poteſtate* auxit antiquitas. Inde ad *pluralium vim*, & *uſum*, deinceps translatæ fuerunt. Et hoc alibi enucleandum.

4. De *Caſuum variatione*, quæ miros ludos fecit, atque incipientium oculos ita præſtringit, ut *peregrinam* quandam *Linguam* ſibi imaginentur, id dictum in *Clavi Dialectorum*, *pag.* 370. & *ſeq.* quod ne minimum quidem ſcrupuli circa *Harmoniam* ſororiam relinquat.

5. *Ibidem* p. 371. iſtud فَاقِدَةٌ *Phokida*, & *Phokideton*, utrique *terminationi* פוֹקְדָה & פוֹקֶדֶת recinere, & examuſſim reſpondere, demonſtratum; atque *univerſa Vocalium commutatio* ea in luce locata, ut qui totum *Caput ſecundum* illius Opuſculi a *pag.* 322. ad finem legere dignetur, facile ſenſurus ſit, *Heberi* fontes in *Arabia* neutiquam eſſe turbatos, ſed puritatem, limpiditatemque, priſtinam, cum omni illa mutatione per *accentum* inducta, in *formis Nominum*, & *Verborum*, feliciter retinere.

IV. Ad *Secundam* accedo *Objectionem*, quæ non *externam Linguæ formam*, ſed *univerſum* ejus *corpus* ſpectat. Nempe *integræ Periodi* concipi poſſunt *Arabice*; in quibus vix ulla *vox Hebraica* compareat. Ergo tanta, inquiunt, adfinitas, & neceſſitudo, inter *Dialectos* haſce non interceſſit. *Secundæ obviam itur.*

Feriret argumentatio, ſi *Lingua Hebræa*, tota quanta olim viguit, in *Sacro Codice* concluſa foret. Hoc nemo, cui aliqua publici, vel & ſuæ in

publico exiſtimationis, reverentia, unquam adfirmabit. Maximam partem *Linguæ Hebr.* injuria temporum intercidiſſe, nunquam quisquam Eruditorum, quod quidem ſciam, in dubium vocavit. Jam vero *Lingua Arabica* pleno fluit alveo, & *fluminis*, atque adeo *Oceani*, inſtar, immenſas aquas, immenſam vocabulorum copiam vehit. Nil mirum ergo, ſi *integræ* ſæpe *ſententiæ*, & *Periodi*, ita exeant, ut nihil ſimile in *Bibliis* reperiatur.

Inſtas: atqui *Bochartus* confirmabat, *Arabes plerumque uti Verbis, quæ vel mere Hebraica, vel cum mere Hebraicis magnam habent adſinitatem.* Rectiſſime ſane, ſi modo Viri mens, & verba, non torqueantur. *Mere Hebraica* ſcilicet vocabat, quæ in *Sacro Codice* occurrunt: quorum ſane longe maxima pars *Arabibus* quoque nativa, & domeſtica: quibusdam tamen, ut fit in omni *Dialecto*, amiſſis: certe in *Lexicis Arabum* omiſſis. Per *ea*, *quæ cum mere Hebraicis magnam colunt adſinitatem*, deſignabat *ὁ πάνυ reliquum corpus Linguæ*, in quo tum quoad *Radices*, tum quoad *propagines*, relucet genuina facies vel *Matris*, vel *Sororis*, *Hebrææ*. Enimvero fateor definiri nunc non poſſe, an omnes illæ *ſtirpes*, cum ſua ſibi *ſobole*, quibus *Arabum Dialectus* floruit, apud *Hebræos* quoque olim viguerint. Imprudentis eſſet quicquam hac in parte vel aſſerere, vel negare. Mihi ſufficit, utramque *Dialectum* ex *uno Fonte* primævæ Linguæ, quin *una* e *Domo Heberi*, emanaſſe, ad colligendum, maximam partem *Verborum radicalium* utrique communem eſſe debuiſſe, cum diverſitate vel Pronuntiationis, vel Conſtructionis, ſenſim introducta, per ſedium, & regionum, diverſitatem.

Simile quid in Dialectis Græciæ *locum habere.*

V. Rem ſimili illuſtraſſe juvabit. Diverſiſſimus *Thucydidis*, & *Herodoti*, cum *Dialecto* diſſidente, ſtylus. Quis tamen ita *Atticus* eſſe velit, ut *Jonem* illum ſpretum eat: & ſe poſtremo illo carere poſſe glorietur, ad *Thucydidei ſermonis* gravitatem aſſequendam? Quid dicam de *Hippocrate*, *eloquentiæ Jonicæ*, non minus, quam *Medicinæ*, maximo ſtatore? Scatet ille vocibus nuſpiam alibi reperiundis. Exuberat ſententiis, & phraſibus, quas fruſtra apud alios quærites. Anne igitur eo jam nomine *Jones* excluſos eſſe jubebimus ab officio *Atticos Auctores* illuſtrandi?

Eidem nervus inciditur.

VI. Apparet *nullum* eſſe *argumentum*, quod a diſcrepantia vocum plurimarum deſumitur; ad *Linguæ Arabicæ* neceſſitudinem arctiſſimam cum *Hebræa* infringendam.

Monendum interim, in *Exemplo*, quod *par.* VIII. *cap. præced.* poſui, itemque in aliis bene multis, quæ hic congerere non neceſſe, *majorem videri* illam *diſſonantiam*, quam *eſſe*. Dicebam ibi, *quatuor* tantum voces, e *quatuordecim*, eſſe *Hebraicæ ditionis.* Id dedi filo iſtius diſputationis. Hujus tenor exigit, ut omnes ferme *Hebraicas* eſſe obiter arguam. *Radicem* אול *principii* vim habuiſſe, obſervatum jam aliis. מא eſt מה, pronomen. خلق eſt חלק *glabrum fecit*, *polivit*, *exaſciavit*; & ſecundario, *Creavit*. אללה *Deus*, eſt אלאלוה. Duo אלשמא *cælum*, & אלארץ *terra*, in oculos cuivis incurrunt. כנת eſt 3. *fæm. præt. Verbi* כון, *firmus fuit.* Id *Arabes* pro *exiſtentia* cujusque *rei* uſurpant.

עימרת

עומרת *aquis merſa*, *inculta*; a עמר *merſit*; unde עמיר *merges*. משתבחרה *abyſſo tecta*, longiſſime videtur abire; & tamen revera ſtirpem agnoſcit *Hebraicam*. Nempe بحر *mare*, alias يم יָם, ſic dictum quaſi *fiſſio*, λαῖτμα θαλάσσης; a primaria notione *Radicis* בָּחַר, quæ eſt *effindere*. &c. טלם eſt צלם *obſcuritas*. &c. &c.

Potuiſſet tamen *interpres* ille *Arabs*, ſi hoc egiſſet, vocabula adhibere *Dialecto Hebrææ* intimiora, quando & ראשית, & ברא, & תהו ובהו, cum reliquis, *ditionis* quoque *Arabicæ* olim fuerint, atque etiamnum ſint.

Hoc ſi non valeat ad intimam conſanguinitatem pervincendam, neſcio, quid tandem conſanguineum, atque cognatum, in Linguis, dici queat.

VII. *Tertius* porro exſolvendus *nodus* eſt. Is cum præcedenti proxime cohærens, nectitur ex *diverſitate*, quin *pugna*, *ſignificationum*, quam in *Dialecto Hebræa*, & *Arabica*, ſub una eademque *Radice* nonnunquam incidere diximus. Ad hæc obſervo: *primo*, diſſenſionem illam plerumque culpa *Lexicographorum* oriri, quibus vel non ſatis lucis ſæpe, vel non ſatis curæ, vel non ſatis copiæ, ad *primariam poteſtatem* rite conſtituendam. *Secundo*, differentia illa, quin repugnantia, ſæpiſſime in *Dialectis* una ſtirpe nixis, uno *ſucco radicali* imbutis, enaſcitur ex differentibus, quin repugnantibus, *metaphoris*, & *notionibus ſecundariis*, quarum aliæ his, aliæ illis, populis magis placitæ, *diſcordiam* in ſumma *concordia* effecere; quam *origo* detecta, & inſpecta, mox conciliare, ad jucundamque *Harmoniam* revocare poteſt. *Tertio*, in *omnibus Linguæ* alicujus *Dialectis* ſemper obſervari poſſunt quædam *priva*, & *ſingularia*, quæ nunquam *communis juris* fuiſſe videantur. Sic *Chaldæa* quoque, ſic *Syria*, habuit aliquid ſibi proprium, & domeſticum. Sic in *foro Attico* viguere verba, quæ jus civitatis nuſpiam alibi tenuerunt. Publicum communitatis vinculum per uſus privatos non diſſolvitur.

Occurritur tertiæ difficultati.

VIII. Ad *primam claſſem* pertinet, quod שָׂמַח apud *Hebræos lætitiam*, apud *Arabes clementiam*, & *beneficam liberalitatem*, ſignare tradatur. Non male equidem: ſed non ſatis accurate, pro *naturæ*, & *indole*, *Thematis*. Hoc proprie infert contrarium *asperæ nodoſitatis*, ſive *lævem* quandam *facilitatem*, quæ *nodis nullis adſtricta*. Hinc proclivis tranſitus ad *lætitiam*, & *pectus nodis curarum ſolutum*. Hinc prona quoque tranſlatio ad *clementiam*, *liberalitatem*, *indulgentiam*. Has notiones *Hebræis* non incognitas fuiſſe, proceſſus harum *Originum* evincet. E primaria ſignificatione ductus uſus ille 2 *conj*: apud *Arabes*, *Rectam* & *æqualem fecit haſtam*; q. d. *lævigavit*. Sed de his ſuo loco. Eadem ratio in שָׂעַר *horruit*; cujus *primigenia vis* eſt, *uſtus fuit*; itemque *uſſit*, unde שְׂעָרָה *ventus urens*. Vides cur *Arabes* ſignate ſuum سعر exponant *peruſſit ventus fervidus*. *Uſſit ſagittis*. *Occaſionem præbuit ad malum*, q. d. *adflavit noxio halitu*: denique *accendit* bellum. Ultimum, *huc illuc movit ſe*, *in negotiis obeundis*, ab *ardendo* venit: unde & *ardelio* dictus. *Gloſſæ* iſtæ, ſic nude in *Lexicis* poſitæ, implicant minus peritos, & ſcopas quaſdam diſſo-

Exempla reſumuntur.

 lutas

Digitized by Google

lutas iis relinquunt; quas ſola lectio Auctorum poteſt vincire. **Non plus difficultatis** in شبر *dimenſus eſt*, cum שָׁבַר *fregit*, conciliando nempe شبر, *ſpithama*, idem in *origine* quod שבר *fractio*; *diſpanſio* iſta *digitorum*: *portio*; *menſura* &c. Hinc aſſumtum, ut fit, novum verbum quod a شَبَرَ שָׁבַר *fregit*, levi quodam flexu pronunciationis cœpit diſtingui. Sed quid faciemus de אָסַף *collegit*, apud *Arabes* ad *mærorem*, *indignationem*, *iram* traducto? Summus noſter *Golius* contulit in *Lexico* עָצַב *doluit*, per mutationem ſic ſatis facilem Elementorum. Propius quid miniſtrat uſus ſignatus hujus *Radicis* apud *Hebræos*, in *collecto*, & *ſubducto*, *lumine*, &c. Ad eam rationem *colligere ſe*, aliquis dicitur, quum *vultus* præ *mærore*, *indignatione*, *ira*, *obnubilatur*, & *adducitur*. Conſimiliter fere, أَلِمَ *doluit*, proprie *conſtrictus fuit*: unde & *Hebræis* אִלֵּם *colligavit* manipulos: נֶאֱלַם *obmutuit*, *conſtrictus fuit*, ἐφιμώθη. Pars horum ad *ſecundam* quoque *claſſem* nonnihil invergit; prout ſumma earum vicinitas. Talia ſunt רפד *ſternere* in *Lexicis* noſtris; in *Arabum*, *fulcire*. שׂוּשׂ *bilarem eſſe*: at شاس *limis intueri præ ſuperbia*, vel *ira*. חוס *parcere*: at حاص *conſuere*, *arctare oculos*. עָלַז *exultare*: at علز *præ ægritudine inquietari*, *jactarique* &c. Sed abrumpo; neque enim vel repetendum, vel prævertendum, quod *opus Originum* jam *adfecit*, atque porro *profligare*, & *conficere*, debet. In *tertia claſſe* adhuc relinquendum mihi *Thema* קָהַל unde קָהָל *cætus*; *Eccleſia*: & נִקְהַל *in cœtum convocatus fuit*. Quænam ſit *origo*, & *proprietas Thematis*, mihi plane adhuc incompertum: nam ad *Græcum* καλεῖν ire, eſt ludere, & turbare, potius, quam limpidos fontes aperire. Apud *Arabes* قهل eſt *ſqualluit*, ſpeciatim, *ex multa ſpirituali exercitatione*: nempe *jejuniis*, *precibus*, &c. &c. Hinc quidem aliquid elici poſſet ad concordiam, ſed nec *conjecturis* delector; nec quicquam nobis decedit, ſi *ſingulæ dialecti* in quibusdam aliquid *ſingulare*, & plane *ſuum*, reſervent.

Quartus nodus reſolvitur.

IX. *Quarto loco* removenda difficultas, quam obmovi ex *confuſanea multitudine ſignificationum*, quæ in *Lexicis Giggeji*, & *Golii*, ſub una *Radice* ſæpe comparet. Quid ad Exemplum a צָרַב *uſſit*, collatum cum *Arabum* ضرب, reſponderi debeat, Criticæ artis non expertes jam ſenſerunt. Non inutile tamen fuerit, nec injucundum, iis, qui fontes *Arabum* adire volent, hoc in ſpecimine paulo propius inſpexiſſe, quomodo principes eorum *Gloſſographi* hic verſati: ſic ergo *Gjauharius* ضَرَبَهُ يَضْرِبُهُ ضَرْبًا وضرب في الارض ضربا ومضربا وضرب الله مثلا وَصَفَ وبيّن وقولهم وضرب الدهر ضربانه

ضربانه كقولهم فقضي من القضاء وضَرَبَ الفحل الناقة ضِرَابًا
وضرب الجُرْح ضربانا وضرب علي يد فلان اذا حجر عليه والطير
الضوارب التي تطلب الرزق وضرب البعير في جهازه اي نفر وضربت
فيه فلانة بعرق ذي اشب اي التباس ابو زيد اضرب الرَجل في
بيته اي اقام &c. &c. &c. *Radix* צרב *dat fut.* יַצְרִב, *cum infin.* צַרְב.
Hinc phraſes percuſſit in terra cum infinit. צרב & מצרב. *Percuſſit Deus adagium, pro, narravit, & clare propoſuit. Quum dicunt, fortuna percuſſit ictum ſuum, tantumdem dicunt ac, fatale quid dedit. Item, percuſſit admiſſarius camelum fœminam, cum infin.* צרוב. *Percuſſit vulnus, cum inf.* צרבן. *Percuſſit manum τῶ δεῖνα, quum impedit eum. Percutiunt etiam aves prædatrices, quum quæritant victum. Item percuſſit jumentum in inſtrumento ſuo,* pro *aufugit: & percuſſit eum mulier radice perplexabili,* i. e. *Intricato negotio implicuit. Abu Zeidus adfert, percuſſit vir in domo ſua, quum ſubſiſtit.* Ne tertiam quidem partem dedi *Gloſſarum*, quæ ad reliquas conjugationes congeſtæ. Cernis in Lectore ſupponi magnam Linguæ vivæ peritiam; cui ad Auctores omnes intelligendos ita facula tantum tenuiſſima præfertur. Commodiore, & completiore filo, uſus *Phiruzab.* in *Camuſo* ضربه يضربه فهو
ضارب وضريب وضَرّب ومِضْرَب كثيرة وضروب وضريب المِضْرَب
والمضراب ما ضُرِب به وضَرُبَتْ يده جاد ضربها وضَرَبَتْ الطير ذهبت
تبتغي الرزق وعلي يديه امسك وفي الارض ضربا وضربانا خرج
تاجرا او غازيا او اسرع او ذهب وبنفسه الارض اقام كاضرب ضد
والفحل ضرابا نكح والناقة شالت باذنابها فضربت فرجها فهي
ضارب وضاربة والشي بالشي خلط وضرب في الماء سبح ولدغ وتحرك
وبذقنه الارض جبن وخاف والزمان مضي وضرب المثل &c.&c. *Radix* צרב
habet in fut. יַצְרִב; *in part.* צורב. *Formæ* צריב, צרב, & מצרב, *quum quis multus eſt in eo. Paſſive* מצרוב, & צריב *quoque. Inſtrumentum quo ictus infligitur* מצרב, & מצרוב. *Forma per mediam Dammatam* צרבת ידה, *polluit ictu manus ejus. Icit volucris, quum abit victum quæritans. Icit ſuper manum ejus,* i. e. *probibuit eum. Icit in terra cum infin.* צרב, & צרבן, *quum quis exiit ad mercaturam, aut expeditionem, bellicam: properavit, aut, abiit. Item, ipſemet terram icit,* i. e. *ſubſtitit; ut &* 4. *conjug.* אצרב, *contrarium. Admiſſarius icit,* i. e. *iniit. Cameli fœminæ icere etiam dicuntur, quum ſublatis caudis verberantes naturam ſuam abeunt, cum participiis* צורב, & צורבה. *Icere rem re, miſcere. Icere in aqua, natare. Denique icit, eſt, punxit. Movit ſe. Icit terram mento ſuo* i. e. *puſillanimis fuit, metuit. Icit tempus, quod præteriit. Icere parabolam.*

Am-

Amputo, quæ ad reliquas conjugationes ibidem cumulata. Sunt totidem *phraſes*, cuivis uti in oculos incurrit, quas longa ſecula *Radici* omnem in formam ſequaci ſubdidere. Dantur longe plures, quas fruſtra apud *Lexicographos* requiras. In *Alcor.* ضربنا علي اذانهم *icimus ſuper aures eorum* i. e. *fecimus eos ſtertere.* In *Hiſt. Sar.* ضرب الجزية *icit tributum ſuper eos*; pro *impoſuit.* In *Eutych.* ضرب البوق *icit buccinam*, pro *inflavit.* In *Abulph.* ضرب النار بالبيت *icit ignem in domum.* i. e. *eam combuſſit.* Item ضربه النار *icit eum ignis*, i. e. *aduſſit*; ut *percutere*, & *icere*, pro *urere*, etiam *Latinis* perplacuit. Dubitet jam, qui poteſt, an אש צרבת *Prov.* 16: 27. ſit *ignis percutiens*: & *Eſech.* 21: 3. נצרבו כל פנים *percuſſi ſunt omnes vultus*, ab *igne* illo *aridum* ſimul, ſimul *viride* conſumente.

Nihil in L.L.O.O. confuſum.

X. Non pœnitebit nunc quemquam longioris noſtræ diſcuſſionis, quæ, cum illuſtratione gemini loci, oſtendit, *Linguas Orientales*, ac præſertim *Arabicam*, neutiquam *certitudine deſtitui.* Sane ſi *abundantia ſignificationum incertam* efficit *Linguam*, jam *Lingua Græca* æque *incerta* erit, quam *Arabum*; & quod Eloquentiæ hæcce Nutricula ſibi titulo *copiæ* inexhauſtæ, ſupra reliquas Linguas, arrogat, in vituperium, & dedecus, redundabit. Nec eſt quod quiſquam cavilletur in ضد *contrario*, quatenus *abire*, & *ſubſiſtere*, hic una conſiſtunt: id enim omnibus *Linguis* accidere ſolet, ex diverſa ſtructura, ad quam non attendentes *Grammatici*, *Antiphraſin* confinxerunt. Ita apud *Latinos*, *cadere* eſt *naſci*, & *mori*; eſt *evenire*, & *non evenire*; unde gratis *contrariam ſignificationem* huic verbo ſubeſſe colligeretur: nedum ut inde *incertam* eſſe *Linguam* concluderetur.

Specimen promitur opulentiæ Hebrææ, cum Græca, & Latina, collatæ.

XI. Lubet hac occaſione ſubnectere ſpecimen copiæ *Græcæ* in πίπτειν, & *Latinæ* in *cadere*; cum *Hebræa* ſub נָפַל collatæ: ut qui ad doctas Linguas excolendas accedunt, videant quid ad earum genium in omni ambitu ſuo percipiendum notare debeant. Præter *uſus* ergo *vulgares*, & *ſimplices*.

1. Πίπτειν & *cadere* dicuntur quæ *eveniunt*, ut in illo *Cic. Nihil mihi optatius cadere potuit.* Videtur *metaphora* deſumta eſſe ab *alea*, in qua *jacere* ῥίπτειν, & πίπτειν, ſibi recinunt. Sic *Hebræis* נָפַל *cecidit* tritiſſimum in *ſortibus.* Inde formula הִפִּיל גּוֹרָל *cadere fecit ſortem*; quæ abſolute proſtat 1 *Sam.* 14: 42. הַפִּילוּ *cadere facite inter me, & filium meum*, i. e. *jacite ſortem.* Inde ad *eventum* translatio facta; ut *Ruth.* 3: 18. *Ut videam quomodo* יפל הדבר *caſura res ſit.*

2. Πίπτειν ἔραζε, & εἰς γῆν, dicuntur *tela*, *verba*, *irrita*: quo adſpectu *Liv.* L. 2. 31. *irrita cadunt promiſſa*: & *Tac.* H. 3. 53. *cecidiſſe in irritum labores.* Pariter *Hebræi*, *verbum non* יפל ארצה *cadet in terram*, 1 *Sam.* 3: 19. 1 *Reg.* 8: 56. Simpliciter quoque לא נפל דבר אחד *non cecidit verbum ullum*, *Joſ.* 23: 14. Vides genus illud, quod inconcinne admodum ضدّ *contrarium* vocant *Lexicographi Arabum.*

3.

3. Πίπτειν dicitur quoque βέλος, *telum; fulmen, malum*, quum *ruit* & *incidit* in aliquid, ſic *Val. Fl.* L. 1. *coruſcæ cecidere faces* &c. Hinc tueri eſt illud *Ælian.* L. 3. 42. Ταῖς γυναιξὶν ἔπεσε οἶστρος βακχικός, quod alias ἐνέπεσε. Tale eſt *Prov.* 19: 15. *pigritia* תפיל תרדמה *cadere facit ſoporem.* Et *Joſ.* 2: 9. נפלה *cecidit formido veſtrum ſuper nos;* inſtar *fulminis* quaſi. Sic ſumendum *Jeſ.* 9: 7. *Verbum miſit Dominus in Jacobum*, ונפל *& cecidit in Iſraëlem.* Eſt *ſententia fulminis ritu emiſſa.*

4. Πίπτειν, *cadere*, eſt *graviore ictu ſterni:* ut in illo *Lucan.* 1. 306. *In claſſem cadit omne nemus.* Sic *Tac.* H. 3. 85. *cadentes ſtatuas* dixit, pro *dejectis.* Idem placuit *Hebræis;* unde תַּפִּילוּ *cadere facietis omnem arborem;* 2 *Reg.* 3: 19. 25. &c.

5. Vicinum, quod πίπτειν & *cadere* frequentetur pro *ſterni, interfici*, præſertim *in acie.* Loca paſſim obvia. Conſimiliter in *Sacris; cadere per ös gladii;* & *abſolute;* הנפלים *cadentes*, pro *occiſis*, *Jud.* 8: 10. & 12: 6. & 20: 44. 46.

6. Solemne quoque πρὸ τῶν βωμῶν πεσεῖν, & *cadere ante aras*, in *victimis.* Id *Hebræis* minus placitum; forte, quod non adeo decorum in *re divina* videretur.

7. Πίπτειν quoque valet *ſtratum jacere.* Sic *Iliad.* 10. 200. ὅθι δὴ νεκύων διεφαίνετο χῶρος πιπτόντων *ubi locus purus dilucebat a cadaveribus cadentibus* i. e. *jacentibus.* Sic planiſſime, *Jud.* 3: 25. & 4: 22. נפל מת *cadens mortuus*, de iis qui *ſtrati jam* aliquamdiu *jacuerant.* Item 1 *Sam.* 5: 4. *Dagon* נפל *cadens ante Arcam in terra;* & 1 *Sam.* 31: 8. *Invenerunt Saulum, & tres filios ejus* נפלים *cadentes in monte Gilboa:* i. e. *jacentes.*

8. Mitiore ſenſu נפל *cadere*, eſt *reclinari, recumbere, requieſcere*, ut *Jud.* 7: 12. *Midianitæ & reliqui Orientales, cadentes in valle, ut locuſtæ præ multitudine:* i. e. *reclinati ad refectionem*, vel *quietem.* Eadem venuſtate, πεσὼν ἐν δεμνίοις κεῖται, *Eurip.* in *Oreſt.* 35.

9. Latius idem hocce extenſum ab *Hebræis*, pro *ſedes figere*, unde *Gen.* 25: 18. *ante faciem fratrum ſuorum cecidit*, i. e. *tentoria, & ſedes, poſuit* &c.

10. Aliis *cadere* iſtic loci eſt, *ſuccumbere, inferiorem ſe fateri.* Ita *Job.* 12: 3. & 13: 2. לא נפל אנכי מכם *non cadens ego præ vobis.* Ita fere *cauſa cadere;* quamvis non plane idem ſit: reſpicitur enim magis ad *animos Jobi non remiſſos, nec cadentes*, propter *minacia*, & *fortia verba*, adverſariorum. Confer *Neh.* 6: 17. Sic *cadere* & πίπτειν, in *animo dejecto.*

11. Cognatum, ſed reconditius, quod *Jud.* 2: 20. extat לא הפילו *non fecerunt cadere a facinoribus, & a via præfracta quicquam.* i. e. *nil remiſerunt*, ſed *in audacia*, & *rebellione ſua, animoſe perſeverarunt.* Simili granditate *Cic.* pro *Dom.* c. 52. *Es tu quidem audacia ſingulari, ſed tibi tamen oculi, vultus, verba, cecidiſſent*, quum &c. Et *Lucan.* 4. 284.

Paulatim cadit ira ferox, menteſque tepeſcunt.

Mm Sic

Digitized by Google

Sic apud *Joſeph.* de B. J. τῦ Θυμῦ πεσόντος. & *Antiq.* p. 752. πεπτωκότα τὰ φρονήματα ἀναλαμβάνειν, *cadentes animos reſumere.* Eadem figura *Æſch. Sept. ad Theb.* 800. πίπτωκεν κόμπασμα. Videtur eſſe *Metaph.* a *Ventis*, qui *Cadunt*, πίπτωσι; quum *remittunt*, & *ponunt: Odyſſ.* 19. 202. Attamen *Odyſſ.* 14. 475. contrario adſpectu

—— νὺξ δ' ἄρ' ἐπῆλθε κακὴ, Βορέαο πεσόντος.
Mala nox ſupervenit, Borea irruente.

unde ſummam *Linguarum* libertatem in hiſce cernere eſt.

12. Πίπτειν & *cadere* frequentiſſime venit in omnibus, quæ *vigorem* amittunt, & *emarceſcunt.* Ad eam rationem, נפל ירך *cadit femur*, *Num.* 5: 22. נפלו פנים *cadunt vultus*, *Gen.* 4: 5, 6. &c. Vicino ſenſu, *Lucr.* L. 3. *Oculis & vultu cadente in altum ſoporem ferri.* Et *Val. Fl.* 1. 330. *Gravi ſomno victa cecidere lumina.*

13. Grandius quid adfert uſus *Cicer.* pro *Flac. Cap.* 2. *Omnia alia perfugia bonorum, præſidia innocentum, ſubſidia Reip. conſilia, auxilia, jura, ceciderunt.* Poteſt eſſe *generalis* uſus, quo *cadere* eſt *everti*, *ſtratum jacere:* poteſt & *ſpeciatim* capi, *metaphora* a *ſole cadente.* Huc aurigatur *Lectio* varians, *occiderunt;* quod quamvis *Ciceroni* ſit familiariſſimum, neutiquam tamen hac in ſede prætulerim. Sic *Tac. de Mor. Extremus cadentis jam ſolis fulgor.* Item *Flor. Non prius ſigna convertit, quam cadentem in mare ſolem, obrutumque aquis ignem, non ſine ſacrilegii metu, & horrore, deprendit.* Nimis quidem adfectate, ut ſolet, poſtremus: attamen ſublimius quid in *cadente ſole*, quam in *occidente.* Et *Græcis ſol* πίπτει. Apud *Hebræos* hanc figuram non reperio; quamvis illinc non procul abſit *Jobi* hocce *cap.* 29: 24. ואור פני לא יפילון & *ſerenitatem vultus mei non facient cadere.* Si Libris *Hebraicis* abundaremus, vix dubium, quin נפל *ſoli cadenti* applicitum reperiretur. Huc reduxit Cl. *Cocc.* locum paulo obſcuriorem *Jer.* 3: 12. לוא אפיל פני בכם *Non faciam, ut cadat facies mea in vos* i. e. *non exhibebo me vobis triſtem, & offenſum.* Alii aliter. Doct. *Belg. Ne cadere faciam iram meam in vos.* Hoc ad *num.* 3. rediret. Alibi res diſceptanda.

14. Πίπτειν, & *cadere*, transferri quoque poſſunt ad *ortum*, & *nativitatem:* occaſionem ſimul, ſimul uſum, percipere eſt *Stat. Theb.* 1. 60. *Si me de matre cadentem, Fovisti gremio.* Sine *præpoſitione Val. Fl.* 1. 355. *matre cadentem.* Ex *Homeri* fonte ductum, cujus eſt *Iliad.* 19. 110.

Ὅσκεν ἐπ' ἤματι τῷδε πέσῃ μετὰ ποσσὶ γυναικός.
Quiſquis illo die caſurus ad pedes mulieris.

i. e. γεννηθῇ, *naſciturus*, ut *Schol.* monet. Ita magni interpretes *Eſaj.* 26: 19. וארץ רפאים תפיל & *terra cadere faciet mortuos*, i. e. *partu enitetur.* Cl. *Cocc.* profundiore figura, & *terram orcus faciet cadere* i. e. *Ipſe orcus excludet, &*

partu

partu edet, *terram viventium*. Non negem נפל in *partu maturo* adhiberi potuiſſe, nam & *Arabes* مسقط راس *locum ubi caput cecidit* uſurpant *pro ſolo natali*. Exiſtimem tamen *Eſajam* potius intelligendum de *infauſto* & *abortivo* quaſi *partu*, ut ad *Jobi cap.* 26: 5. late deduxi, in h. ſ. *Terra Manes damnatorum*, *Orcinorum*, *abortiet*. Sane *derivatum* נפל pro *fœtu cadivo*, *abortivo*, notum, ex *Job.* 3: 15. *Pſ.* 58: 9. *Eccl.* 6: 3.

15. Alio adſpectu *cadere* eſt *oriri*, in *flumine*; *Lucan.* 1. 213.

> *Fonte cadit modico*, *puriſque impellitur undis*,
> *Puniceus Rubicon.*

Sic *Lachrymæ ex oculis cadunt*, apud *Sen. Ep.* 116. Præiverunt *Græci. Eurip. Oreſt.* 1309. Οὗ δάκρυα δάκρυσιν ἔπεσε *ubi lacrymæ aliæ ſuper aliis cecidere*, &c. Apud *Hebræos* non occurrit.

16. Audax metaphora *Silii* L. 13. 333.

> —— *imoque cadit barba hiſpida mento*

i. e. *propendet*. Sic fere concepta videtur phraſis *Job.* 41: 74. ubi מפלי בשר *procidua carnis* expoſui *molliores*, & *laxiores partes*, *quæ præ laxitate propendent*, & *cadunt quaſi*.

17. *Cadere* eſt *ſubjugari*. Ita *Cic.* pro *Font. Cap.* 1 *Multo labore ac ſudore ſub imperium*, *ditionemque*, *P. R. cecidere*. Item *Lucr.* 3. 848.

> *In dubioque fuit*, *ſub utrorum regna cadendum*
> *Omnibus humanis eſſet*; *terraque*, *marique*.

A *Græcis* iterum tractum, qui πίπτειν ὑπὸ δυναστείαν, & alia ejuſcemodi, frequentant. Vide *Polyb.* 3. 23. 37. &c. Uſus mollior non male quadraret *Pſ.* 45: 6. עמים תחתיך יפלו *populi ſub te cadent*. Anceps, ſit ne *ſternentur*, de *hoſtibus*; an *ſubjugabuntur tibi ad obedientiam fidei*. Utrumque per *ſyllepſin* conſiſtere poſſet.

18. *Cadere* eſt *quadrare*; *locum habere*: ut quum dicimus *Non cadit in virum bonum*, *mentiri*. Apud *Græcos* adhuc paulo aliter, πίπτειν εἰς χρῆσιν: *uſui aptum eſſe*: & πίπτειν ὑπὸ ἱστορίαν *Polyb.* 2. 14. &c. ſic & נפל traductum, quamvis exempla abſint, veriſimile.

19. E contrario ferme, נפל *cadit*, quod *locum non habet*, *non venit in rationem*. *Num.* 6: 12. *Dies priores* יפלו *cadent*; *non computabuntur*. Eſt *metaph.* a *calculis qui intercidunt*. Sic πίπτειν, & *cadere*, quoque traduci potuiſſe, non ambigo.

20. Iterum alio flexu, *Jer.* 37: 20. תפל *cadat nunc deprecatio mea coram te*. i. e. *admittatur*, *acceptetur*; *non repudietur*. Hinc הפיל תחנתו *cadere fecit*

cit deprecationem ſuam coram rege, partim valet, *ſubmiſſe oravit*, partim *efficaciter exoravit. Jer.* 36: 7. & 38: 26. *Dan.* 9: 20.

21. Deſino in uſu ſignatiſſimo, quo נפל *cadere*, eſt *Transfugere; ad hoſtem transire. Jer.* 21: 9. & 37: 13, 14. & 2 *Reg.* 7: 4. Ita *abſolute* מיום נפלו *a die transfugii ejus*, 1 *Sam.* 29: 3. &c. Id *Græcis* magis διαπίπτειν, quamvis & πίπτειν, ſimpliciter.

Concluſio hinc adſtricta. XII. Cave exhauſtos putes fontes. Multo copioſius adhuc fluunt: ſed μηδὲν ἄγαν. Aliorum etiam induſtriæ aliquid relinquendum. Jam vero quis unquam vitio vertit *Græcis*, *Latinisque*, quod *Lingua* tam flexili, & fertili, omnem in partem, uſi fuerint? Quis *Hebræam* cavilletur *inconſtantem*, *incertam*, *confuſam*, quia tot induere poteſt *metaphoras*, & *figuras*? Maxima hæc virtus dicenda, quam carpere, eſt ſolem ipſum vituperare. Verum quidem eſt, nec in *Hebraicis*, nec in *Arabicis*, *Lexicis* iſtum ſignificationum concentum ubique deprehendi: ſed hoc, ut Capite IV jam inſinuavi, profectum fere vel ab incuria *Lexicographorum*, qui *poteſtates primarias* a *ſecundariis* raro diſcernunt; vel ab *ignoratione;* quin & *amiſſione Originis*, quæ ne ipſis quidem *Arabibus* ubique prompta ſatis, aut comperta.

Si hinc inferatur, nullam ergo ſpem nobis relictam *fugitivas* illas veſtigandi, & ab oblivione retrahendi, regeram, maximam utique partem *Originum* in *Arabia* conſervatam eſſe, & operæ pretium facturum, qui huc induſtriam contulerit. Quæ autem latitant, cum tempore erui poterunt, in lucemque produci; quod indagatio hæc a nobis multo facilius, & felicius, inſtitui poſſit, quam ab ipſis *Arabum Criticis;* quippe qui ad lucem *Dialecti Hebraicæ*, *Chaldaicæ*, & *Syriacæ*, quam plurima detegere valeamus, ad quæ ipſi cæcutiunt, & obhærent. Progreſſus operis hujus rem multis documentis adfirmabit.

Quintus ſcrupulus tollitur. XIII. Non diu nos *quinta objectio* detinebit; *Originum indaginem*, *univerſumque* adeo *ſtudium Etymologicum*, infinitis hallucinationibus patere, nec certis, ſolidisque, principiis niti. Enimvero, nuſpiam magis a Doctis, indoctisque, juxta, luxuriatum. Quanta farrago in *Etymologico Magno*; quanta nugarum ſeges? Quales ſaepe ludos dedit Doctiſſimus Romanorum *Varro*? Nil mirum ergo, ſi & *Arabes* hic luxuriaſſe reperiantur, atque mala bonis admiſcuiſſe. Prudens, & ſevera, falx, huic generi adhibenda, non res ipſa explodenda, niſi lumina nobis noſtra obſtructum ire velimus.

Hoc peculiarem, & longiorem, exigit curam, ut quid hoecce in ſtudio firmum, ſtabile, inconcuſſum, quid infirmum, & ruinoſum, rite dignoſcatur. Nunc tantum monebo, quicquid *in re Hebraica* tentatur ex *literarum vicinitate*, aliisve ſubtilitatibus, quibus ante nos plurimi indulſerunt, nihil unquam ſolidi, certique, daturum. E. G. כוכב *ſtellam*, appellatam vult *Avenarius* per *Antiphraſin a* כבה *extingui*, quod *nunquam extinguatur*. Cl. *Guſſetius* geminam advocat *Radicem*, כוה *accendit*, & כבה *extinxit*, quod *mane extingui*, *veſpere accendi* videantur *ſtellæ*. Sublimius acumen Cl. *Hilleri*, in

inſt.

inſt. L. H. conflatum ſtatnentis vocabulum, ex כה כּאָב, *talis*, *qualis pater*; i. e. *Artifex Deus*, *lucidus*, *incorruptibilis*, *immortalis*? Doleo *Linguæ Hebrææ* tam quæſita, & contorta, magnis ſub auctoritatibus, obtrudi. Sed quid facient Docti homines? Multa deſiderari vident, eaque expleta cupiunt. Veros fontes, unde *Etyma*, & *Origines*, hauriri, poſſint, vel ignorant, vel contemnunt. Eadem conditio eorum, qui *formales* verborum *ſignificationes* vel ex *ingenio* eruunt, vel ex *figuris* exſculpunt *literarum*. Hoc *Cap.* I. obiter tactum: & *Cap.* IV. paulo preſſius inſinuatum adverſus Cl. *Gu∫ſetium*, in hoc ipſo opere ſæpius demonſtrabitur; & tam luculentis exemplis adſtruetur, ut aequis arbitris ne minimum quidem ſcrupuli remanſurum confidam.

XIV. Quæ *Sexto loco* a nobis poſita *diverſitas gentis*, *genii*, *vitae generis*, *religionis*, *ritus publici*, *ac privati*; unde *notabilis differentia* exiſtere debuerit inter *Dialectum Hebræam*, & *Arabicam*, plus *ſpeciei*, & *coloris* habet, quam ponderis, & legitimae concluſionis. *Primo* enim, eadem conditio *Chaldæorum & Syrorum*, quorum tamen reliquiis multum deferri ſolet ab iis, qui *Arabibus* vix quicquam concedere audent. *Secundo*, nemo negat aliquid diſcriminis in *Dialectis*, ex diverſo more, & ritu, exiſtere nationum: ſed adfinitatem propterea abrumpi, & conturbari, nemo rerum peritus dixerit. *Tertio*, prudenter diſtinguendum, quid nationi cuique proprium, ac domeſticum, quid omnibus ex æquo commune, quibus unius *Linguæ* communitas eſt, & avita velut hæreditas. *Quarto*, non poſſum quin ſubmoneam, multo arctiorem ut *Linguæ*, ita *rituum*, quoque & *Cerimoniarum*, cognationem ſemper fuiſſe apud *Judæos* & *Arabes*, quam vulgo creditur. Non ignoratur *Muhammedanismum* eſſe *recoctum* quendam *Judaismum*: ſed non omnibus æque promtum, maximam *Muhammedanismi* partem jam ante *Muhammedem*, inde ab antiquiſſimis temporibus, in *Arabia* viguiſſe. Extat de materia hacce elegans, & Docta, diſſertatio Cl. *Millii*; quam conſuluiſſe, neminem pigebit. *Item ſextus.*

XV. *Septimam difficultatem* movebat *proclivitas* omnium *Linguarum* in mutationes, & novationes, & quæ non patiatur, ut *Dialectus Arabum integra* & *illibata* permanſerit per tam longam ſeculorum ſeriem. Hæc una omnium ut graviſſima, ita ſpecioſiſſima eſt Objectio; cui propterea accuratiſſime occurſum gemino ſermone *Academico*, quo *externas* & *internas* ſimul *cauſas* illius *integritatis*, *ab Origine ſua haud degenerantis*, fuſius executus ſum. Illuc Lectorem nunc remittere liceat; præſertim quum hujus *argumenti nervum* jam inciderim *Cap.* IV. Hic tantum addo, *Religionem*, & *potentiam*, *Muhammedicam*, quæ ſeculo ſeptimo caput in *Arabia* extulit, adeo non concuſſiſſe antiquum *Linguæ Arabicæ* ſtatum, ut inde potius nova ſumſerit firmamenta, atque ſplendorem priſcum non tantum recuperare, ſed etiam ad noſtra hæcce tempora propagare valuerit. *Et ſeptimus.*

XVI. Sic defluimus ad *octavam inſtantiam*, qua contenditur *Linguam Arabicam* longe longeque recentiorem eſſe non *Hebraica* ſolum, ſed & *Chaldaica*, ac *Octavæ inſtantiæ nervus ſuccidit*ur.

ac *Syriaca*: quippe quæ cum *Muhammede* demum invaleſcere cœperit *ſeculo ſeptimo æræ Chriſtianæ*, cujusque norma ſit *Alcoranus*, novicius haud dubie Liber, ad quem reliqui omnes Scriptores Stylum ſuum compoſuiſſe, pulcrum ducant, ac glorioſum. Horum ergo *Librorum*, *Auctorumque*, ſerior, & inferior, auctoritas, quam ut *Originibus Hebræis* pandendis inſervire queat. *Magna*, & *Capitalis*, *objectio*, quæ tamen ne *objectio* quidem eſſet, ſed pro mera *cavillatione* ſtatim ab omnibus repudiaretur, ſi res *Arabicæ* noſtris hominibus paulo notiores eſſent; aut vel minimum earum guſtulum percepiſſent ex *ſpecimine Hiſtoriæ Arabum* Cl. *Pocokii*. In eo, inde ab ultima memoria, *Tribuum Arabicarum* nomina, & fata, attinguntur. Florentiſſima olim, & opulentiſſima, Regna indicantur. Mores, ritusque, vetuſtiſſimi, deſcribuntur. *Studium* præſertim *Poëſeos*, & *Linguæ Patriæ cura*, ac *cuſtodia*, diligentiſſima, claro in die collocantur. His omnibus fidem derogare, periniquum. Aliquid in majus auxerit, ut fit, gentis ambitio, & gloriæ cupiditas: rem ipſam ementiri non potuit. Etiam *Muhammedes* non ſine exaggeratione gloriatus fuerit, *Linguam* qua uteretur in *Alcorano*, eandem eſſe *perfectione*, & *puritate*, qua *Abrahamus*, & *Iſmaël*, olim uſi: id ſaltem evidens, eum inter capitales hoſtes, *Koreisjitas*, talia jactaturum non fuiſſe, niſi probe exploratum, perſpectumque, habuiſſet, quanta *Linguæ Veteris* veneratio pectora *Arabum* occupaſſet; ad candemque conſervandam, per omnem ſeculorum memoriam, accendiſſet.

Arabes ex antiquis fontibus hauſiſſe oſtenditur.

XVII. Sed quid hæc omnia tandem, ſi nulli tamen ante *Muhammedem* Libri? & ſi quicquid in *Lexicis Arabum* conſtipatum, & recentioris memoriæ Scriptoribus ſit depromtum? Ponamus verum: ne ſic quidem argumentatio valebit: nam ſi *Lingua Iſmaëlis*, ad *Muhammedem* usque in *Arabia* potuit conſervari, multo promtior adhuc ejusdem conſervatio poſt *Alcoranum* jam pro norma Religionis, & Linguæ ſimul, religioſiſſime ſuſceptum ab omnibus, qui *Arabico ſermone* deinceps uſuri eſſent. Sed ſuccidamus nervum exceptioni. Non hauriunt *Arabum Lexicographi Linguæ* notitiam ex ſolo *Alcorano*, & *Auctoribus* qui *Muhammedi* æquales, vel poſteriores; ſed ex *fontibus* multo *vetuſtioribus*, & præſertim ex *Poëtis*, qui في الجاهلية *in Gentilismo*, ſive *ſtatu ignorantiæ*, ut vocant, ante *Muhammedem* vixerunt. Horum *Carmina* tanquam *Oracula* habentur; unde antiquiſſimus *Linguæ* genius cognoſcatur, atque extra dubitationis aleam locetur. *Gjaubarius* talibus citationibus a capite ad calcem eſt refertus; & vix quicquam interioris venuſtatis, ac gratiæ, promit, quod non ex *Veteri* aliquo *Poëta* confirmatum eat. Nempe صحاح اللغة *Delibatum Linguæ florem* ſe daturum promiſerat: & magnifice præſtitit. Non nimium dixerim, ſi plus quam *Sexcentos* ab ipſo allegatos dixerim. Horum partem quandam ipſe poſſideo: ut *Moallekaat*, ſive *ſeptem Poëmata* aureis literis in ſerico deſcripta, atque in Templo *Meccano* ſuſpenſa. Item ديوان هديل *Diwan Hudeiliticum*. Eſt *Collectio Poëmatum antiquiſſimorum*, a *Principibus Hudeiliticæ tribus* variis ſeculis editorum. Etiam in *Hamaſa*, ſive *Anthologia* illa

Opti-

Digitized by Google

Optimorum Poëtarum, unde multa jam evulgavi, ejuſdem vetuſtioris notæ quam plurima exſtant. In *Catalogo Bibliothecæ publicæ Num.* 1694. reperietur *Muham. Ben Heſcham Hiſtoria*, ſive *claſſes illuſtrium Poëtarum, qui floruerunt tempore paganiſmi, & deinceps.* Poſſidet *Bibliotheca* noſtra alias adhuc collectiones veterum Scriptorum, quas necdum excutere mihi vacavit. Cum maxime ſub manibus mihi eſt magnum illud opus *Nuweirii, quatuordecim voluminibus*, forma majore, conſtans; quod *Num.* 1939. inſcribitur *Bibliotheca humanioris doctrinæ Arabum.* Ex eo *Veterum Arabum Hiſtoria plenior* poterit exprimi, ut Eruditorum ſitis, per Cl. *Pocokii Specimen* accenſa, reſtinguatur. Copioſus Scriptor ille in omnium ſeculorum memoria recenſenda, atque *Scientiarum* in *Arabia* ortum, & progreſſum, luculentiſſime exequitur. Fidem ille facere poterit iis, quæ in *Oratione Inaugurali*, hic habita, diſſerui de *cura*, & *cultura*, qua *Arabes Linguæ* ſuæ primævum florem, & honorem, ſtudioſiſſime ſemper conſervarunt: ſimulque longam ſeriem exhibere illuſtrium Poëtarum, qui antiquiſſimis temporibus tanquam Eloquentiæ miracula concelebrati, ab univerſa gente ut Literaturæ Arabicæ ſtatores, & conſervatores Linguæ patriæ, agnoſcuntur. Ex his quum primi *Arabum Gloſſographi* ſua hauſerint, atque ad poſteritatem tranſmiſerint, non eſt ſane, quod recentior ætas nobis objiciatur, vel *Gjaubarii*, vel *Phiruzabadii*, quorum prior anno *Hegiræ* 398. deceſſit: poſterior *Tamerlanis* tempeſtate vixit, muneribus ejuſdem honoratus. Si hic calculus ſtaret, *Heſychius*, *Suidas*, *Euſtathius*, nullius forent utilitatis, & auctoritatis, in vetuſtis *Græcia* auctoribus explanandis, quippe qui tot ſeculis ſint poſteriores. Hoc ſi illiteratum nimis, & abſurdum, non minus abſonum profecto, principibus illis *Lexicographis*, qui veterum monumenta aſſidue volutarunt, id detrahere, quod tota *Arabum* natio, atque adeo univerſus Oriens ipſis defert: *Gjeubario* quidem, quod lectiſſimam Veteris *Linguæ* partem ex limpidis fontibus expreſſerit: *Phiruzabadio*, quod *Oceano ſuo* omnes ſinus, & receſſus, opulentiſſimi ſermonis complexus, nihil omiſerit eorum, quæ apud probatiſſimos Auctores reperiuntur; ut nihil ullo in Libro eſſet, quod quemquam morari, aut ſuſpenſum tenere, poſſet. En periodum e præfatione excerptam, quæ Viri conſilium, & rerum molem, quam ſuſtinuit, declarabit. ولما رايت اقبال الناس علي صحاح الجوهري وهو جدير بذلك غير انه فاته نصف اللغة او اكثر اما باهمال المادة او بترك المعاني الغريبة النادة اردت ان يظهر بادي بدا فضل كتابي عليه فكتبت بالحمرة المادة المهملة لديه وفي ساير التراكيب تتضح المزية بالتوجه اليه ولم اذكر ذلك اشاعة للمفاخر بل اذاعة لقول الشاعر

كم ترك الاول للاخر

Quum-

Quumque viderem omnes homines ad Gjeubarii medullam vadere (qui quidem dignus iſto honore, niſi quod dimidia Linguæ pars, & amplius, ipſum fugerit, partim materia vocum omiſſa, partim prætermiſſis ſignificationibus rarioribus, & fugitivis) volui primum omnium ut Libri mei præſtantia præ illo appareret: ac propterea rubro colore notavi materiam penes ipſum omiſſam. In reliquis præcellentia per collationem facile pateſcet. Hæc non glorias ſpargens commemoro, ſed ut liqueat quod Poëta dixit:

O quantum prior poſteriori reliquit!

Ita deinceps finit. *Eſt itaque Liber hicce Lac ſinceriſſimum ex bis mille Auctoribus, quorum ſcripta palmam ferunt, collectum, atque ex omni nobiliore vena derivatum.* Immenſus profecto labor, ſine quo infinita in ſcriptis veterum poëtarum ignorabilia nobis, atque ipſis adeo *Arabibus*, eſſent. Neutiquam tamen omnia exhauſiſſe judicandus eſt. Certe quam plurima a me in priſcis fontibus reperta, quorum mentio in *Camuſo* nulla. Nec mirum; nullus enim *Theſaurus* tam copioſus; qui non nova copia cumulari queat: quum nec unius ſit hominis omnia legere; nec ſi legerit, omnia excerpere, atque obſervare.

Nonæ objectioni obviam itur. XIX. Levi brachio expediam, quod *nono loco* movebatur, *Originibus noſtris ſemper ulterius aliquid dari*; ac proinde nullum eſſe finem. Reſpondeo, utique *finem*, & *ſcopum*, attingi, quum ſimiles noſtris *Origines* panduntur, ſi id *primigenium*, & *proprium*, rite conſtituatur, quod *ſecundariis notionibus* anſam præbuit, earumque diſcordiam in amiciſſimam concordiam revocare valet. Ad conſtantiam, & pulchritudinem, *Latinæ Linguæ* pernoſcendam, ſciendum omnino, *mactare beſtiam*, & *mactare aliquem honoribus*, ex uno fonte emanaſſe *magis auctandi*. Ulterius ire, & rogitare jam, unde ipſum *Augeo?* nihil facit ad curam, quæ iſtis conciliandis, & in proprietate ſua intelligendis, dabatur שָׁבַח nunc *laudibus proſequi*, nunc *compeſcere*, *ſedare*, ſignificans, a nobis reductum ad primariam poteſtatem *mulcendi*. Huc ſi perveniri queat in plerisque *Radicibus*, præclare res *Hebraica* reſtituta fuerit: nec eſt quod in *ulterioribus principiis*, & quaſi *ſeminibus*, inveſtigandis nosmet maceremus. Hoc ipſum alia occaſione latius explanabo, atque nimiæ in hiſce ſubtilitati occurram.

Et decimæ. XX. *Inſtantia decima* erat, *Linguæ primævæ Origines* gratis ex *Arabia* repeti, quod illæ vel perierint jam, vel ex memoria exciderint, antequam *colonia Linguæ Arabicæ* ex *Heberi* domo deducta ſit. Ingenioſiſſimæ objectioni hæc ſatisfaciet reſponſio, *Origines Linguæ primævæ* fidiſſimam habuiſſe cuſtodem *Longævam vivacitatem veteris Orbis*, cum *novo* per *Noachum*, ejusque *familiam*, connexi: ut tempeſtate *Heberi* omnia adhuc integra, & illibata, fuiſſe videantur. Materiam profundam nunc ſtringo tantum. Ea alibi enucleatius diſſertanda.

Undecima inſtantia refutatur. XXI. Accedo ad *graviſſimum* illum *arietem*, quo *Hypotheſis* noſtra funditus ſubrui poſſe videtur. Eum *undecimo loco* admovi ex Cl. *Vitringa*, bono talium Arbi-

Digitized by Google

Arbitro, qui in dubium revocat, quod *Bochartus*, *Spanhemius*, aliique in *Geographicis* viri principes, adſirmant, *Arabiam a Joctane, Heberi filio, occupatam fuiſſe:* atque contendit, *rationi magis conſentaneum, ut Arabia tota, tam Felix, quam deſerta, ceſſerit poſteris Chuſi: poſteri autem Joctanis conſederint ad ortum ſinus Perſici, & in Carmania.* Adhæc obſervari velim.

1. Dubitari non poſſe, quin tredecim Filii *Joctanis* unum tractum inſederint: ex *Gen.* 10: 26—30.

2. Nullam regionem commodiorem indicari poſſe, in quam hicce Fratrum populus junctis ſedibus immigrarit, quam *Arabiæ peninſulam.*

3. Eam nominibus *Joctanidarum* ſic inſignitam, & diſtinctam, ut alios illuc colonos immittere fas haud ſit. Id a *Bocharto* in *Geogr. Sacra* p. 96. & ſequentibus, tam clare evictum, ut nihil in populorum *Originibus* evidentius, aut cumulatius, dari queat.

4. Addidimus & nos aliquid in *Oratione prima* de *Linguæ Arab. antiquiſſima Origine, & ſororia cum Hebræa adſinitate* &c. ubi monui ſimul, *Chuſi poſteros Deſertæ*, & *Petrææ*, *Arabiæ* magnas lacinias tenuiſſe: ſed interiora *peninſulæ* nunquam ab iisdem occupata.

5. Tam expreſſa, & diſerta, hac in parte, *Hiſtoria Arabum;* ut hinc reſilire non poſſit, niſi qui omnem *fidem Hiſtoricam* evertere ſuſtineat: & qui *Græcis*, *Romaniſque*, aliquid ſaltem defert, *Arabibus* plane nihil relinquendum eſſe pugnet. Non is Clar. *Vitringa*, qui illuc progredi voluiſſet. Quum autem illa ſcriberet, minus præſens forte habebat quæ *Arabum Hiſtorici* de قحطان بن عابر بن سالخ بن ارفخشد بن سام بن نوح *Kebtano*, ita *Jactanum* quoque vocitant, *Ibn Heber*, *Ibn Selah*, *Ibn Arphachſad*, *Ibn Sem*, *Ibn Noach*, uno ore prodiderunt, eum fuiſſe *Conditorem gentis Arabicæ*, quæ *interiora peninſulæ* nunquam turbatis ſedibus obtinuit: cujus *pronepos* سبا שבא *Saba*, cognomento عبد الشمس, עבד השמש *ſervus ſolis*, illud *Sabæorum* regnum fundarit, quod ultra duo millia annorum floruiſſe, ſub Διαδεχομένοις ἐκ γένους ut *Diodor. Sicul.* loquitur, i. e. *Regibus Tobbaorum titulo inſignibus*, omnis antiquitas conteſtatur.

6. Nihil ergo minuo, vel muto, in iis quæ hac de re diſſerui olim. Habent illa tantum convictionis, quin demonſtrationis, quantum hoc in genere quisquam deſiderare queat. Submoneo tamen, *Origines* noſtras, vel negato, contra omnem rationem, illo Regno, vim ſuam retinere; quando non argumentamur ex *Regno* illo ad intimam cognationem *Linguæ Hebrææ*, & *Arabicæ:* ſed eam aliunde evidentiſſimam, & dubio exemtam, ex illo Regno paulo plauſibiliorem adhuc efficimus, atque ad captum eorum, qui in hæc ſacra penitius intrare nequeunt, accommodatiorem. Si cui id minus videatur firmum, detrahat inde quantum lubebit: nunquam tamen illuc perveniet, ut *adſinitatem utriusque dialecti*, & *ſororia jura*, ſubruat, atque evertat.

XXII. Excutiendæ, *duodecimo*, *criminationes*, quibus memet *par.* XVIII. *cap.* V. impetivi. Eæ *tres*, *quatuorve*, quibus ſuperſedere licuiſſet ſi *ſtudia literarum* ſemper ſatis *literate*, & *liberaliter*, tractarentur. *Prima* erat, *per* *Duodecima cenſura reprimitur.*

Me-

Digitized by Google

Methodum noſtram profanis hominibus anſam porrigi omnia luxandi, & ſusque deque miſcendi. Doleo ingenii humani imbecillitatem, quæ in invidiam vocat ferme, quod non amat. Abuſus qui ex aliqua re redundare poteſt, ejus legitimum uſum excludere non debet. Nos in *Originibus* noſtris nihil miſcemus, ſed quæ ab aliis miſta, & confuſa, ad liquidas rationes perducere conamur, & ex parte perduximus, plura in lucem eduĉturi, adſpirante Numinis gratia, quæ ſeverius examen adeo non reformident, ut illud potius omnibus votis expetant. Si animoſius agere vellem, retorquere poſſem telum, atque jure meritiſſimo inferre, illos cunĉta miſcendi anſam miniſtraſſe, qui ſpretis fontibus *Dialectorum*, ex ingenio ſuo *formales ſignificationes* eruere ſuſtinuerunt. Sed faceſſant dura diĉta. Quivis id tentet, & conetur, ad illuſtrationem Verbi Divini, quod Domino ſuo ſeſe approbaturum, ſperat. Quis fœnum, ſtipulas, lignum: quis argentum, aurum, gemmas, in medium contulerit, dies, & ignis, manifeſtabunt. *Altera criminatio*, non æquior ſane, *per novas* noſtras *curas receptis in Eccleſia verſionibus* multum derogari; quin quodammodo ipſum *fontem Hebræum imperfectionis argui*, quum *Hebraicam Linguam magnis defectibus* laborare aſſevero. Paucis ad hæc repoſitum eſto: non ex veritate eſſe Zelum, qui veritatis ulteriorem diſcuſſionem pati nequit. Quanta veneratione proſequar verſiones in Eccleſiis receptas, Veteres pariter, ac Recentiores, ſcripta mea loquuntur. Sed puderet me mei, puderet muneris quod ſuſtineo, ſi per veſtigia Excellentium interpretum non ad majorem in *Lingua Hebræa* cognitionem, & lucem, pervenire ſtuderem. Hoc adeo nihil detrahit præſtantiſſimis virorum, qui *rem Hebraicam* reſtituerunt, ut ſic demum nos veros eorum imitatores probemus; quando ipſorum exemplo ad ulteriorem perfeĉtionem connitimur. Hoc quam neceſſarium ſit, in *opuſculo de defectibus, quibus Linguæ Hebrææ cognitio hodierna laborat*, palam feci; atque *defectus* iſtos, ad certas claſſes redaĉtos, illuſtribus ſpeciminibus inſpiciendos præbui. Jam vero tantum abeſt ut ea noſtra cura aliquid deminuat, deteratve, de *puritate*, & *perfectione*, *Fontis Hebræi*, ut contra nativam dignitatem, & primævum ſplendorem, unde per injuriam temporum, & incuriam *Judæorum*, decidit in bene multis, præſertim in *Radicum Originibus*, eidem reſtituere allaboret. Aliud longe, *Hebræum ſermonem* accuſare *imperfectionis*, *obſcuritatis*, *inconſtantiæ*; quam incudem infeliciter tundunt audaciores illi Critici, qui quæ in *Lexicis*, vel *verſionibus*, inconcinnius expoſita, & digeſta, ipſi *Linguæ* imputant: Aliud redarguere *noſtros in Linguæ illius cognitione defectus*, *eorundemque ſanandorum remedia indicare*. An non hoc omnes, qui ante nos Literas haſce excoluere, & profeſſi ſunt, & pro ſua quisque virili ſat egerunt? An non ipſe Cl. *Guſſetius* agnoſcit *Originum generalem* illum, quem levare conamur, *defectum*, atque eas ex ingenio ſibi fabricatum ivit: illa officina conjeĉtandi, & pro arbitrio quævis conformandi, inſtituta, quam in *Græcis*, *Latiniſque*, nunquam exercere ſuſtinuiſſet; ut ſane a doĉtis, indoĉtisque, juxta, confeſtim exploderetur, qui tale quid in *Literis Humanioribus* ſibi arrogaret.

XXIII.

Digitized by Google

Confuſio non una nudatur.

XXIII. Occaſione hac paulo clarius, & diſtinctius, adhuc, ſub conſpectu ponendum, quid *Virum* Clariſſimum, adverſus cujus *Hypotheſin* toto *Capite* IV. diſſerui, implicuerit, quum *Linguam Biblicam* vocitat *Magnum Luminare*, *ſolis inſtar ſuis radiis refulgens*, *ac proinde nullis Defectibus*, *ex collatione Dialectorum ſupplendis*, *laborans.* Manifeſto commiſcet *Doctrinam ſalutarem*, *Moſis & Prophetarum*, cum *Lingua*, qua Oracula ſua conſignarunt. Illam *Linguam*, ut *Linguam* per ſe, *ſolis* inſtar *fulgere*, & *ſuis* ſe *radiis legenti manifeſtare*, tam abſurdum, ut ne *Fanatismus* quidem eo provehere aliquem poſſet. Si dicas conſulendam eſſe *Analogiam fidei*, ad ejusque lucem *proprietates* verborum *veſtigandas*, & *conſtituendas*, regeram, iterum confundi, quæ toto cœlo diſſident. *Analogia fidei* dijudicat, quænam *vertendi ratio convenientiſſima* ſit, & cum Doctrina cœleſti conjunctiſſima: *Linguam ipſam Hebræorum* non ſane docet, nedum ut ejus *Origines*, & *Proprietates*, legentibus ſuggerat, atque inſpiret. Tertia *confuſio* in vocabulo *Defectuum.* Iis absque controverſia exemtum eſt *Verbum revelationis*, at *Linguam*, qua Verbum illud revelatum, *nihil imminutionis* paſſam, ſed omnem ejus *proprietatem*, & *virtutem*; omnem *amplitudinem & dicendi formam*; omnem *Grammatices*, & *Syntaxeos rationem*, in *Sacro codice* contineri; tam abſonum eſt, ut hoc ne per ſomnium quidem cuiquam in mentem venire poſſit. Si inſtes, *Linguam revelationis* eo ſaltem usque *integram* remanſiſſe, ut *Dialectorum Luce* non indigeat, ſed ſibimet ſuis opibus diem præſtare valeat, fidenter reponam, ἀσύστατα proferri: & vel rotundis verbis aſſeverandum, *univerſam Linguam Hebræam*, qua late patuit olim, *intra Bibliorum cancellos contineri*; vel concedendum, collatione *Dialectorum* prudenter inſtituta indigeri, ad profunda illius *Linguæ* penetranda. Ulterius liquidiſſimæ cauſæ fiducia progredior; veniat aliquis, qui hoc aſſeveret; (quod nunquam quemquam facturum ſerio, perſuaſiſſimus ſum) ſed tamen dicere ſuſtineat aliquis, *univerſum Linguæ Hebrææ ambitum in Bibliis comprehendi*: tum eo rem deductam dabo, ut vel ſtatuere cogatur, nec ſe, nec quemquam mortalium, quicquam de ea *Lingua* intelligere; vel ad *Dialectos* eundum, indeque *Clavim* illius *Sermonis* repetendam eſſe, ultro confiteatur.

Criminationibus, decimo tertie, occurritur.

XXIV. *Ad decimam tertiam* venio *objectionem* ſimul, & *cenſura*, qua *Antiſtites Linguarum Orientalium*, *Scaligeros*, *Salmaſios*, *Bochartos*, *Hottingeros*, &c. cum ſplendidos pollicitationibus lucis, nil magnum præſtitiſſe contendit Cl. *Guſſetius*, ſed *fluctuationibus*, & *hallucinationibus*, ſeque, aliosque, involviſſe. Non diffiteor multa minus feliciter nonnunquam viris illis principibus ſucceſſiſſe: nimis tamen iniquum, ut propter fæces quasdam, & ſcorias, aurum improbetur: atque *Magno Auctori Hierozoici* detrahatur illuſtratio ſolidiſſima materiæ infinitis difficultatibus & tenebris obſeptæ, quas ad lucem *Dialecti Arabicæ* primus exſuperavit. Conſimilis ratio *Hottingeri* in *Smegmate Orientali*, quod *eluendis præjudiciis eorum qui Linguas Orientales contemnebant* ipſius tempore, adhibuit. Sunt in eo opere nimis feſtinanter ſcripta: ſed totum Viri laborem propterea abjicere, nimis injuſtum profecto: quum pauca mala multis bonis redimat, atque compenſet. Idem dicere poſſum, &

debeo, de aliis Viris Doctiſſimis, qui in hac palæſtra laborarunt. Neminem novi, penes quem non plus certi, & liquidi, reperias, quam incerti. Sed haec latent ferme eos, qui *Linguarum Orientalium ſtudium* non toto pectore amplectuntur. Quid mirum? Non legunt Libros illos, aut ſi legant, vix eosdem intelligunt, quando Fontes, unde talia hauſta, ipſis clauſi. Riſi, quod Cl. *Guſſetius* illorum *operum indices excutere* jubeat; ad deprehendendum quam parum *veræ lucis* adſerant. Cur non adfirmat ſe ipſa illa *opera* examinaſſe, atque bonae frugis vacua reperiſſe? Vereor nimis, ne ipſe in *indicibus* obhæſerit; atque de panno judicium tulerit ex margine ejusdem craſſiore, ac minus tactui adblandiente. Quod jam ad *juvenilia* noſtra in *Jobum* attinet, quicquid in his immaturum adoleſcenti excidit, id maturior, ſpero, dies emendavit. In *Præfatione Commentarii* nuper editi eas *Arabizandi* leges ſcripſimus, quas bonis Arbitris me approbaſſe nullus dubito. Si eæ rite obſerventur, omnes *Dialecti* in ſuaviſſimam *Harmoniam* poterunt revocari; & *Linguæ Hebrææ* præſertim, verum ſuum, & nativum, decus adſtitui. Qui hoc *unius ſeculi opus* putat, neſcit quantum adhuc materiæ illuſtrandum, & perpoliendum, reſtet. Habet virtus excellentium ingeniorum, in quo ſe incredibili cum fructu exerceat, novisque identidem acceſſionibus ſtudium *Linguæ Hebrææ* coronet.

Aliæ cavillatiunculæ refutantur.

XXV. Leviſſima ſunt, quæ *decimo quarto* per ſaturam lancem congeſſi. Ad *primum*, *Dialectum Arabum* ceteris eſſe *impuriorem*; ſaltem ad *Hebraicam puritatem* non pervenire, ob vocabula *Græca*, *Latina*, *Perſica*, quin & *Turcica*, ei admixta: reſpondeo, quicquid *Peregrinum* in hac Lingua, ſuo ſtatim Charactere dignoſci: atque nihil aliud hic factum, quam quod in omnibus Linguis factitatur; ut voces *Technicæ*, quæ *ſcientiæ*, aut *materiæ* alicui, *propriæ* ſunt, retineantur, ac civitate donentur. Sic in *Dialectum Syriacam* & *Chaldaicam* quam plurima *Græca*, *Latina*, *Perſica*, ſeſe infuderunt. In ipſo *Daniële* habemus פסנתרין *Pſalterium*, סומפניא *Symphoniam*, & alia. In *Novo Teſtamento* πραιτώριον, συδάριον, κῆνσον. &c. &c. Qui ad talia adhæreſcit, atque veram inde corruptionem naſci contendit, imperite judicat. Sed jam *ſecundo*, ante ſeculum XVI. *nemo noſtrorum Arabice calluit*. Vellem ſane magnus ille *Reuchlinus*, qui primus *Chriſtianorum res Hebraicas* reſtituere aggreſſus, eam calluiſſet. At quid tum poſtea? Redibimusne ad *Reuchlini* illa? atque ultra *ſeculi* XVI. *lucem exorientem* nihil vel deſiderabimus, vel expectari poſſe ſtatuemus? Imo, inquiunt, *tertio*, ad *rariora*, ad *ſemel lecta*, ad *Jobi*, ſi forte, monumentum, *Arabicam Dialectum*, cum reliquis, aliquid conferre poſſe, a multis agnitum: at nemo ejus uſum tam late extendit, atque per univerſum corpus *Linguæ Hebrææ* diffudit. Atqui primi *Judæorum Grammatici*, R. *Saadias Haggaôn*, qui ſeculo X. R. *Juda Hiug*, qui XI. R. *Jona Giannachides*, qui XII. floruit, *Grammaticas*, & *Lexica ſua* conſcripſere *Arabice*, *Lingua* ipſis *vernacula*, atque utramque *Dialectum* inter ſe contulerunt. Praeſertim R. *Jona Cordubenſis* refertur abſolutiſſimum *Lexicon* conſcripſiſſe, in quo *Radices* plerasque ex *Arabum fontibus* illuſtrarit. Sexcenta in-

Digitized by Google

indicare poſſem *Themata Hebraica*, quæ *Rabbinis* non aliunde innotuerint, quam *uſu Arabum*, inter quos in *Babylonia*, *Ægypto*, *Africa*, & *Hiſpania*, verſabantur. Minus perite ergo, *quarto*, aſſeritur, *Rabbinos Linguam Arabicam* non calluiſſe adeo. De poſterioribus id verum; iis nempe qui in *Hiſpania* vel extra *ditionem Saracenicam*, vel poſt eam, fuere: inter quos *Ab. Eſra*, & *Joſephus Kimchi*, cum filiis *Moſe*, & *Davide*, *Kimchiis*. Item R. *Joſeph Ben Caſpi Catalaunenſis*; qui *Theſaurum Linguæ Sanctæ* compoſuit, & *Catenulas argenteas*. Mitto *Jarchium*, R. *Levi*; aliosque, qui in *Galliis*, vel alibi, orti, nullam ad *Arabica* aditum habuere. Hi omnes tamen *Iſmaëliticam Linguam*, ſic eam appellitare amant cum aliqua contemtione, adeo non ſpreverunt, ut paſſim ad *auctoritatem* ejus provocent, atque in rebus dubiis non minus ad *Arabicam*, quam ad *Chaldaicam*, *Dialectum* recurrant.. Cadit ergo ſponte inſtantia hæc, quam qui movent, eo ipſo oſtendunt ſe *Rabbinos* nunquam volutaſſe: & in *Hiſtoria reſtitutæ* per *Judæos* primum, deinde *Chriſtianos*, *Linguæ Hebrææ*, hoſpites verſari. Alia, quæ hic dicenda haberem, in aliam occaſionem ſepono; & venio ad *quintum*; nimis ſic *moleſtum*, & *oneroſum*, reddi *ſtudium Ling. Hebrææ*; & *dari alias Hypotheſes commodiores*. Quænam illæ ſint *Capite* I. indicavi; ſimulque quid pretii, ac ponderis, habeant, paucis perſtrinxi. Res alibi latius, & ex profeſſo, diſputanda. Si modo legitima cauſæ cognitio ſumatur, nec Literato, nec illiterato, ullum relinquetur dubium, quin unica, tutiſſima, & Regia, via, *Hebraicam rem conſtabiliendi*, atque *ad ulteriorem* adhuc *perfectionem provehendi*, præſertim circa *Origines*, ſit *collatio Dialectorum*, inter quas *Arabica*, ut omnium ditiſſima, principem locum mereatur. Hoc *apud Eruditos nulla probatione indigere* putabat Cl. *Pfeifferus*, in *Hermeneut. Sacra* p. 646. Tam magis mirere, ne *Probationibus* quidem, & *demonſtrationibus*, locum a quibusdam concedi.

XXVI. Finem facio in objectiuncula, quæ agmen claudebat *decimo quinto*: vix *operæ pretium* eſſe, ut *tantum laboris*, & *temporis*, ſi jam *moleſtia* devorari queat, in *vaſtiſſimum* illud *ſtudium Dialectorum Orientalium* impendatur, ad *Origines* verborum veſtigandas. Sane ſi nihil aliud ageretur, quam *Etymon* aliquod, aut *Originatio*, ſine magno veritatis damno hiſce ſuperſederi poſſet. At agitur de *Formali ſignificatione verborum*, i. e. de *medulla* ipſa, & *anima*, *Linguæ*. Agitur de eo, quod nullus non Enarrator verbi Divini, nullus non Interpres, officii ſui ducit, non tangere tantum, ſed etiam enucleare. Agitur de eo denique, quo rite conſtituto, Verbum Dei in omnibus Verſionibus Unum erit, quando nemo aliter vertere vel poterit, vel ſuſtinebit, quam *Vis* & *indoles Linguæ Originalis*, ad *liquidam claritatem*, & *evidentiam* productæ, patiantur. Huc lentis quidem, ſed certis, paſſibus Providentia pergit. Regnum Dei in curſu eſt. Ejus complementum erit lucis ſummum incrementum, ad quam omnes tenebræ diſſenſionum, & diſcordiarum, quæ *nomen Chriſti* ſcindunt, diſpellantur, ut *Nomen*, & *Verbum* ejus, Unum ſint in univerſo orbe terrarum.

Ultimæ inſtantiæ reſpondetur.

Digitized by Google

CAPUT SEPTIMUM.

Circa cognitionem Linguæ Hebrææ *conſpectus variarum* Hypotheſium, *panditur. Prima* Hypotheſis *eſt* Voſſiana. *Secunda* Pontificiorum. *Tertia, quæ* Verſiones Vetuſtas *amplectitur. Quarta, quæ fert, penes* Rabbinos *jus eſſe* linguam patriam *exponendi. Quinta eſt* Forſteri & *cognata* Avenarii Hypotheſis. *Sexta, quæ ſua luce ſemet omnibus inſinuat, ſiquidem* Veteres & Recentiores *cum* Rabbinis *non ſpernit, ſed luce auget. Septima* Hypotheſis *eſt Cl.* Bohlii. *Octava Cl.* Guſſetii, *cui novationis criminatio impacta a quibusdam. Amplior hujus* Hypotheſeos *conſpectus præbetur. Adverſus eam inſtantia. A Mathematicis tunc* Linguæ Hebrææ *cognitio repetenda. Nona* Hypotheſis *Doct.* Neumanni & Loeſcheri. *Decima noſtra, quæ tamen a* Sexta *nihil differt. Tandem acceditur ad Cl.* Drieſſenii Hypotheſin. *Quæ penitius inſpicienda præbetur. Velitatiuncula adverſus eam inſtituitur.* Hypotheſis Vera *clariore in die collocatur.*

I.

Panditur conſpectus variarum Hypotheſium, *circa cognitionem L. H.*

Confido *Methodum* noſtram liberatam eſſe ſcrupulis, quæ eam plus, minusve, *ſuſpectam* reddebant. Ea ut adhuc clariorem in diem educatur, lucidisque veritatis telis quicquid dubitationum eſt, vel contradictionum, diſcutiat, ſub conſpectum *orbis Eruditi* ferendas eſſe video *diverſas* illas *Hypotheſes*, in quas diſceſſere Viri Docti, *circa Rationem* vel *conſtituendæ*, vel ulterius *perficiendæ*, & *conſummandæ*, *cognitionis noſtræ*, in *Lingua Hebræa.*

Exploratiſſimum habeo, pleroſque qui de rebus noſtris ſententiam dicunt, harum *Hypotheſium* diſcrepantiam, colliſionem, pugnam, valorem vel externum, qui ad *Linguæ corticem* pertineat, vel internum, qui ad *Medullam*, & *Origines* penetret, nunquam juſtis lancibus examinaſſe. Haud paucos etiam magna in ignoratione hujus materiæ verſari non eſt quod ambigamus.

Ut ergo cognoſcendi, & judicandi, major fiat copia, *Statusque Quæſtionis* ſaltem nemini amplius ignotus ſit, vel ſi cognoſcatur, implicari, & obſcurari, ulterius non poſſit, dabo *ſuccinctam delineationem ſententiarum*, in quæ ſcinduntur ſtudia Erudita, circa *Capitaliſſimum* hocce *Argumentum*, in quo

Digitized by Google

quo agitur de *Fundamentis*, & *Firmamentis*, *quibus notitia hodierna Ling. Hebræa*, id eſt, *Explicatio Moſis*, & *Prophetarum*, *innititur*.

Has *decem* in *claſſes* diſpeſcam; nullus dubitans quin *Veritas* ultro ſeſe oculis eorum, qui eam amant, ſit ingeſtura.

II. *Primum locum* occupat *Hypotheſis*, quæ *Linguæ Hebrææ cognitionem*, una cum *Republica*, funditus occidiſſe, & extinctam eſſe, contendens, ejus *clavim* non alibi, quam in ſinu *Alexandrinorum Interpretum*, quærendam eſſe pugnat. Qui hinc ſtant, *Rabbinorum* nationi omnem auctoritatem, & fidem, derogantes, *Editionem Maſorethicam*, qua nunc utimur, *corruptiſſimam* eſſe pronunciant. Addunt, ex Editione *Hebræo-Samaritana*, nec non LXX. illis, *Codicem Legis* emaculandum, reliquos item *Libros Sacros* ex eadem verſione *Græca* unice & explanandos, & emendandos eſſe, ſi cum *Chriſto*, *Apoſtolis*, *primitivæ Eccleſia*, ſapere velimus, & non cum *Judæis* delirare. *Prima Hypotheſis Voſſiana.*

Notus hanc in partem exceſſus *Iſ. Voſſii*, viri in omni Literatura magni, præterquam in Orientali, quæ ad hanc cauſam diſceptandam vel maxime requirebatur.

Eandem incudem tududerunt, ſuo quisque more, *J. Morinus*, *M. Meibomius*, *R. Simonius*, *G. Whiſtonus*, aliique *Critici* audaciores. Hæc quid foveant, quo tendant, nemini obſcurum. *Syſtema* illud *Voſſianum* non infeliciter quidem confutatum in *acceſſionibus*, quæ *Chronologiam*, & *Ætatem mundi* ſpectant: ſed *arx cauſæ* ejus necdum convulſa. Nempe arma quibus expugnari potuiſſet, & debuiſſet, a plerisque imprudenter e manibus dimiſſa: idque inſuper *Hebraizandi* genus introductum, quod *Voſſianis* tantum non victoriam porrigit, hac ſaltem in parte. Id ſententiis, per quas ituri ſumus, introſpectis, ſponte patefeet: ſimulque dilucefcet, non aliunde fortius, & ſolidius, totam illam *Hypotheſin* jugulari poſſe, quam ex *Dialectorum* evidentiſſima cognatione cum *Hebræa* vel *Matre*, vel *Sorore*. Fidenter dico; & quid dicam ſentio: ſi *Dialectorum* illarum uſus, & auctoritas, tollantur, nunquam *Prima* hæcce *ſententia* everti, & exarmari, poterit; ſed a noſtrismet *Theologis* novis viribus inſtructa, caput denuo eriget, atque de iis per ipſorum manus triumphabit.

Teſtis mihi Clariſſ. *Drieſſenius*, in *Diſſertatione de Cauſis* & *Auxiliis interpretandi Linguam Hebræam Biblicam*, quam nuper *adverſus Originum* harum *Librum primum*, nec non *Opuſculum de Defectibus*, in lucem edidit, una cum *conſiderationibus ad Novam* noſtram *Verſionem Libri Jobi*. Univerſa hæc ſcriptio præmiſſa eſt Ejusdem *Dilucidationi Analyticæ Libri Jobi*, *in qua verus ſtatus Controverſiæ inter Jobum*, & *Amicos*, *dilucide indicatur*. *Verus item Behemoth & Leviathan*, *eaque occaſione piſcis Jonæ*, *qui hactenus delituerant*, *in lucem protrahuntur*.

Hujus jam *Diſſertationis pag.* 11. inculcatum reperio, *Scriptores N. T. dictionibus utentes*, *quibus Verſio Græca*, *eo ipſo nos condocere*, *in Fundamentalibus his* Dogmatibus *Græcos nativam Dictionum Hebræarum indolem*, *genuinam notionem*, *recte dediſſe*. Subſumitur deinde *Rhetoricatio* hæcce in noſtrum Syſtema. *Quare in nativa vocum indole veſtiganda eamus primum non in* Arabiam, *ſed*

Digitized by Google

ſed in Ægyptum. *Mirari heic & adorare ſubit Dei vias.* Ægyptus *illa quæ populum Dei tamdiu hoſpitio excepit; dein vexavit equidem, ſed ſic anſam præbuit glorioſiſſimis prodigiis, & miraculoſiſſimæ Liberationi:* Ægyptus *quæ Soſpitatori a cultro carnificis latibulum fuit, ne necaretur ante abſolutum ſalutis opus; eadem* Ægyptus *dedit nobis adminiculorum omnium* Textum Hebræum interpretandi *antiquiſſimum, præſtantiſſimum, nulli depreciandum.* Ne *Voſſianus*, vel *Meibomianus*, nobis ſubito extitiſſet Cel. *Drieſſenius*, ſubverebar; ſed metu me abſolvit clauſula, *nunquam tamen Hebræo Codici æquiparandum.* Sic quidem ab *Hypotheſi* illa reſilitur quod ad *corruptionem Hebræi Codicis*, non vero quod ad Ejusdem *ſolidam* & *fundamentalem interpretationem, ab ipſis Scriptoribus N. T. nobis commendatam.* An hoc non eſt herbam porrigere *Adverſariis*, ſeque manibus, pedibusque, conſtringendum iis dedere? Certe qui huc usque deſcendit, ut *Verſionem τῶν LXX.* tantum non conſecret, pro *ſolida* & *fundamentali interpretatione Codicis Hebræi*, is nunquam *Ejusdem integritatem* adverſus *Syſtema Voſſianum* ſartam tectam præſtabit, ſed *Maſorethicam* noſtram *Editionem* mendis innumeris obſitam eſſe, vel invitus tandem fateri cogetur. Abſit tamen, abſit, ut de Veteris Amici *Orthodoxia* vel tantillum delibem. Pectus candidum, & virtuti ac veritati dicatum, ſuſpiciones ſiniſtras nec fovet, nec ſpargit, in Fratrem. Ne concipit quidem. Liberetur ergo V. Cl. iſtac conſequentia; ſed & paulo prudentius in poſterum *Rhetoricetur*, niſi ſonos ſine ſenſu funditaſſe videri velit, apud omnes rerum intelligentes. Hi quomodo *triplex* illa *Ægyptus* in *ſuperiorem periodum* inludi, & illigari, potuerit, emirabuntur. Miratur nunc forte ipſe Cl. *Drieſſenius*, quod tam levem imaginatiunculam, quam oppoſitio *Arabiæ*, & *Egypti*, offerebat, graviſſimæ Quæſtioni admiſcuerit; *Arabiam* quaſi *profanam* quandam *Regionem* pingens, nimirum, quæ Sanctiori *Ægypto* cedere debeat, eique in *jure interpretandi Codicis Sacri* faſces ſubmittere. Ego quidem *terram Arabiam* parum curo. *Linguam Arabicam* cum *Hebræa* intimam conſanguinitatem colere, ſemper adfirmavi, atque etiamnum confirmo. Hoc Cl. *Drieſſen: pag.* 3. *Diſſert.* non negat: *Lætus* inquit, *lubensque agnoſco, ſi quæ Dialectus Orientalis, præſertim Arabica, illuſtrandæ Hebrææ Matri officium Filiale præſtet.* Iterum *pag.* 79. *ſed an igitur nullus Arabiſmi uſus in Lingua Biblica? Certe idem qui Syriaſmi, Chaldaiſmi* &c. *Si quæris quæ Dialectorum in hoc uſu principatum teneat, non eſt opis meæ iſtam litem componere.* Pulchre locata modeſtia! Pergit; *Hoc teneo ea quam V. D. inflexit via, fruſtra primigenios vocum Hebræarum ſignificatus quæri apud Arabes. Attamen non diffiteor ex ſecundariis & figuratis, quas illi promunt, in his, illis, juſto ratiocinio ad primigenios, & ſimplices, ſignificatus quem poſſe adſcendere &c.* Miraris denuo fluctuationem, non ſane decoram, & quorſum tandem evaſura ſint hæcce, ſcire aves. Hic vero curioſitatem paululum ſuſtineas velim, usque dum *decem ſententiarum* luſtrationem abſolverim: ita enim comparata eſt *Viri Clar. Hypotheſis*. ut cinnum quendam conflarit, atque id genus induxerit quod a recta ratione longiſſime repulſum.

Secunda Hypothe- IV. Accedo ad *ſecundam ſententiam*, quæ *Latinæ verſioni*, ab *Hieronymo* emen-

emendatæ, omnia defert, atque hunc limpidiſſimum *Hebraicæ Linguæ* fontem eſſe decernit. Quid *Synodus Tridentina* hac in parte ſanxerit, nemini ignotum. Qui in *Romanenſi cætu* ſervitutem hanc ſervire detrectabant, ſub initiis *Reformationis*, & *Rabbinos*, atque alia auxilia, circumſpiciebant, tantum non *Hæreticorum gregi* inſerti. Hoc ſtudia excellentium inter *Pontificios* ingeniorum, alias haud dubie exarſura, ſufflaminavit, quo minus per veſtigia *Ariæ Montani*, *Xantis Pagnini*, aliorumque, qui *Literatura Hebraica* inclaruere, ad ulteriorem perfectionem contenderent; atque ex *Linguis Orientalibus*, quarum florentiſſima ſemper conditio in media *Roma* fuit, copioſiorem lucem inferre ſuſtinerent. Qui id tentarunt nonnunquam, nobilia pectora, nunquam ad magnas fortunas pervenere. Sed hæc alias. Nunc dicam tantum, quod & alibi inſinuavi, ut nimis magnifice Pontificios, ita multos Noſtrorum nimis tenuiter de *Vulgata* ſentire. Mihi quidem, ea *Verſio* nulli *Veterum* concedere videtur. Sed qui inde ſibi *proprietatem* omnem *Linguæ Hebrææ* promitteret, ac præſertim *Origines* conſtituere vellet; plane quid *Origines* ſint, quid *Linguarum proprietates*, & *primigeniæ poteſtates*, ſeſe cum Cl. *Drieſſen*. ignorare oſtenderet: quum nimis apertum ſit, *Latina vocabula*, eorundemque *Etyma*, cum *Etymis Hebraicis* concinere, atque conſpirare, non poſſe per omnia, ne in *uno* quidem, nedum in tot *millibus Thematum*, atque *derivatorum*. Ex *Verſione* vel *Latina*, vel *Græca*, quantumvis *accurata*, & *fideli*, tam parum *Origines Hebrææ Linguæ* conſtitui poſſunt, quam ex *Gallica*, *Anglica*, *Germanica*, *Belgica*, reliquisque vernaculis, cuique, *Verſionibus*. Res tam manifeſta, ut vel cœco ſe ingerat. Talia probare non tantum, ſed vel tangere, me hactenus puduit. *Originum* prior pars, hæc, ut cum ſenſu communi conjuncta, in omnibus, mea Lecturis, ſuppoſuit. Video tamen ſuppoſitionem iſtam nimis fuiſſe liberalem. Dabimus ergo id retro relapſis in *Belgio* ſtudiis humanioribus, atque iis qui noſtra cavillantur, aut criminantur, quia *Fundamenta demonſtrationum noſtrarum* non intelligunt, ut in Operis hujus decurſu eam facem præferamus, quæ eos a *Statu Quæſtionis* aberrare non patiatur, niſi ultro cœcutire, & errare, decreverint.

ſis Pontificiorum.

IV. Pergo ad tertiam *Hypotheſin*. Ea cum *Vulgato*, & LXX. reliquas *Verſiones vetuſtas* amplectitur; atque ex omnibus hiſce ſimul junctis ſat luminis hauriri poſſe ſtatuit, ad *Ling. Hebrææ genuinam indolem* expromendam, & conſtituendam. In hoc cenſu veniunt *Paraphraſtæ Chaldæi*, *Onkelos*, & *Jonathan*, cum *Hieroſolymitano* &c. Item *Syrus*, *Arabs*, *Æthiops*. Denique qui *Hexaplis Origenianis* inſerti *Aquila*, *Symmachus*, & *Theodotio*, homines vel *Judæi*, vel *Semi-Judæi*, & *Semi-Chriſtiani*; quorum *Fragmenta* inſigni acceſſione locupletata edidit Nobiliſſ. *Montfauconius*. Subnexuit Vir Magnus geminum *Lexicon ad Hexapla* illa, infinitæ utilitatis, *Græcum* alterum, alterum *Hebraicum*: unde pretium cujusque ad intelligentiam *Linguæ Biblicæ* ſatis diſtincte dignoſci, & ſtatui, poteſt.

Tertia Hypotheſis.

Rite interim tenendum quicquid ex *tabulis* hiſce, & fragmentis, e naufragio collectis, ſubminiſtratur, ad exteriorem tantum *Linguæ* adſpectum pertinere: non ad *interiorem proprietatem*, & *Origines*. Eadem ratio *Para-*

phraſium Chaldæarum, quarum major adhuc in ſenſu declarando libertas fuit, & diffuſio. Reliqui *Syrus*, *Arabs*, & *Æthiops*, e LXX. fere expreſſi, hac in re quidem parum, aut nihil, faciunt momenti. Univerſim monebo, *peſſimum* fore *Vernaculum interpretem*, qui *ſtructuram* & *Origines Hebræas* verſioni paſſim intexeret. Unus *Aquila* hoc infeliciſſime adfectavit: de cujus conſilio ſic *Hieron.* ad *Pammachium*, de *optimo genere interpretandi. Aquila contentioſus interpres, qui non ſolum verba, ſed Etymologias quoque verborum, transferre conatus eſt, jure projicitur a nobis. Quis enim pro* frumento, *&* vino, *&* oleo *poſſit vel legere, vel intelligere* χεῦμα, ὀπωρισμὸν, στιλπνότητα, *quod nos poſſumus dicere* ſuſionem, pomationemque, *&* ſplendentiam. &c. *Exemplum ex noſtro ſermone captare poſſumus. Quanta enim apud Græcos bene dicuntur, quæ ſi ad verbum transferamus, in Latino non reſonant? & e regione, quæ apud nos placent, ſi vertantur juxta ordinem,* (& originem) *apud Ipſos diſplicebunt.*. Hæc alibi hoc ipſo in opere, Deo dante, exemplis illuſtrabuntur. In præſenti hæc ſumma eſto, planiſſume neſcire quid ſint *Origines Hebrææ*, qui eas ex ulla *verſione*, ſive *Vetere*, ſive *Recentiori*, elici, & finiri poſſe, aſſeverant.

Quarta Hypotheſis.

V. Diſpiciendum porro de *Quarta Hypotheſi*, in quam magno conſenſu a plerisque deſcenſum fuit, qui rei *Hebraicæ* inſtaurandæ manum admoverunt. Hæc fert, penes *Rabbinos* jus eſſe *Linguam Patriam* exponendi, ejusque *genuinas ſignificationes* pandendi. Hi inde a ſeculo decimo de *Ling. Sancta* e ruinis ſuis reſuſcitanda ſolliciti, cum *Commentatione Biblica*, cui animum appellere tunc cœpere, *Grammaticam* quoque pro firmamento ei ſubjiciendam ſenſere. Utrumque illud ſtudium, laudabile ſane, ad *Lexica* quoque concipienda, & in uſum diſcentium digerenda, gentis Doctores impulit. Quinam hac in palæſtra potiſſimum enituerint, *Cap. præced. par.* XXV. breviter tactum. Ibidem monuimus Magiſtros illos, qui primi magnum opus aggreſſi, maximam partem in *Babylonia*, *Ægypto*, *Africa*, *Hiſpania*, vixiſſe, atque *Arabicam Linguam* vernaculam habuiſſe: & R. *Jonam* ex *Arabum fontibus* omnia *Themata Biblica* majore lumine perfudiſſe in *Lexico* elaboratiſſimo. Magno redemtum vellem Opus, quod ſequentium *Rabbinorum*, quibus *Arabica* minus promta, livor preſſit. Supereſſe tamen dicitur, & ſpes eſt cum tempore emerſurum. Satis prudenter, & feliciter, eum hoc in curriculo verſatum, & ſpeciminibus ab *Ab. Eſra*, *Kimchio*, & aliis, in medium productis, cernere eſt. Quid pro univerſo ſcopo præſtiterit, dicere non habeo: illud quidem, ſine eo, aliisque, qui *facem Arabiæ Sermoni Biblico* intulere, ſi fuiſſet, *Rabbinos illos*, qui poſtea exorti ſunt, & alienam gloriam in ſe transmoverunt, parum, aut nihil viſuros fuiſſe, in *ſignificationibus externis*, quas nobis tradiderunt, *vocabulorum*. De *internis*, i. e. de *Originibus*, & *formis primigeniis*, ſive cur *ſapiens* vocetur חכם; cur *magnus*, *validus*, *potens*, גדול; cur *juſtus* צדיק, &c. nulla eos cura inceſſit, vel cogitatio, quippe quæ eorum ingenium, captumque, nulla humaniore literatura ad hoc præparatum, & imbutum, excedebat. Idem intellectum velim de *concordia*, &

Digitized by Google

& concentu, ad quem *diverſiſſimæ* ſæpe *unius Radicis poteſtates* revocari debent. Hoc, ut quivis ſentit, magnum requirit uſum doctarum Linguarum, cum *judicio Critico*, inde a pueris in hoc ipſum intento, & directo. Quod ergo ne viderunt quidem *Rabbini*, id fruſtra ſane ab ipſis expectaretur: ineptius adhuc iisdem tribueretur. Et fuere tamen, ſemperque extituri forte, tam ſubmiſſi miratores, devotique amatores, *Rabbinorum*, ut ultra eos ſapere recuſent; atque ne latum quidem unguem ab iisdem deflectere ſuſtineant.

VI. Hoc Joh. *Forſtero SS. Th. Doct.* & *Hebr. Ling.* in *Acad. Viteberg. Profeſſori*, tantam bilem in naſum concivit, ut tanquam ſi arx *Chriſtianæ fidei* prodita eſſet, medio ſeculo XVI. pro ea defenſanda in arenam deſcenderit, cum titulo hocce galeato: *Dictionarium Hebraicum novum, non ex Rabbinorum Commentis, nec noſtratium Doctorum ſtulta imitatione deſcriptum, ſed ex ipſis Theſauris Sacrorum Bibliorum, & eorundem accurata locorum collatione depromtum, cum phraſibus V. & N. T. diligenter annotatis.* Hinc *quinta* nobis ſubnaſcitur *Hypotheſis*, quæ paucis cognita, quum rariſſimum ſit ejus *Lexicon*, paulo pluribus nobis enarranda, verbis Viri ipſius, ita præfationem exordientis. *Vidi multis jam annis, poſt inſtauratam Euangel. Doctrinam, non minus regnare in Scholis Chriſtianorum Commenta Rabbinorum, cum in Verſione, tum in enarratione Scr. S. quam in ipſis Judæorum Synagogis; atque ipſorum interpretamenta, quaſi ſacroſancta myſteria Dei, ab omnibus ſumma reverentia, ac religione, coli, & adorari. Hinc factum, ut certum Scripturæ ſenſum nequaquam aſſequi poteris. Pio igitur Zelo motus, Dictionarium ſcribere inſtitui, in quo ex* Moſe *&* Prophetis *vera ac certa vocum Hebraicarum ſignificatio indicaretur, ne ſtudioſi hujus Linguæ illa ſignificationum* confuſiſſima Babylone, *ac varietate, quam uni themati hactenus tribuerunt, turbarentur: nec tam a Rabbinorum auctoritate penderent, quam ſolido S. Scr. fundamento niterentur. Ac ſæpe vehementer demiratus ſum noſtratium (ut pace ipſorum dicam) ſocordiam, qui abſque ullo judicio Commentaria Judæorum, in quibus nulla lux, nulla notitia, nullus ſpiritus, nulla ullius diſciplinæ, ſeu artis, vera ac ſolida ſcientia, nulla Linguarum, ac ne quidem Hebrææ, eſt cognitio, amplecti maluerunt, quam ut ipſi conſiderarent voces, ac ſignificationes*, &c. &c. &c.

Quinta Hypotheſis Forſteri.

Nihil vehementius tota iſta *præfatione*, e cujus *pag.* 3. hancce periodum ſubnecto. *In Scholis, & Dictionariis, oportet regnare*, non inania ſomnia Rabbinorum, *ſed quantum aſſequi poſſumus, propriam ex fontibus Scr. S. ſumtam ſignificationem: quæ ſemper prælucere nobis, & tanquam Columna ignis in conſpectu eſſe, debet: quod a Chriſtianis Scriptoribus hactenus non eſt factitatum: ſed faſcino Judaico uni themati duo, tria, etiam plura, & quidem diſſimilia, tribuerunt ſignificata, ut in tam multiplici varietate neſcias, quæ cujusvis vocis in quolibet Scripturæ loco* propria *ſit* ſignificatio: *& ita in ambiguo hæreas. Cum tamen* ſingula *themata* unam *tantum*, *eamque* propriam, *&* principalem, *habeant ſignificationem, nec plures; exceptis tamen illis, quæ in conjug. vel una, vel pluribus*, contrarias *habent* ſignificationes: *quam tamen* contrarietatem *nec ipſi pro ignavia ſua conſiderarunt, nec indicarunt.* &c.

Concludit tandem eodem ſtylo: *Si quis eſt qui facultates ſuas in Rabbinos*

profudit, qui in ipſorum Synagogis longo tempore verſatus eſt: qui domi propriis impenſis ipſos præceptores aluit: qui ipſorum commentaria Studioſe evolvit, Forſterus *eſt; & tamen (Deum & conſcientiam teſtor) nihil eximii reportavi. Eram illis initio adeo addictus, ut alius quiſquam: ſed quo olim illis fui addictior, hoc nunc ſum factus infenſior, quod omnem* operam, & oleum, *me perdidiſſe vere, & non ſine dolore, fateor &c.*

In quo conſiſtat illa Methodus.

VII. Cognoſcere aves quid vir tanta confidentia in *Rabbinos* non ſolum, ſed & in omnes ſui temporis *Doctores*, & *Scripturarum interpretes*, qui ex fontibus iſtis hauriebant, invectus, in medium tulerit. Expectas forte *Dialectos*. Falleris. Reſilire inde debuit, qui *Rabbinos* hinc quam plurima derivaſſe, & illuſtraſſe, compertiſſimum habebat. Harum præterea parca, & obſcura adhuc, iſtac tempeſtate, cognitio: *Reuchlinum* enim habuerat præceptorem; cui ad eas accedere datum non fuit. Ad *Verſiones veteres* ergo eum recurriſſe ſuſpicaris, ut *collatione locorum* ad iſtam facem inſtituta, opus ſuum conſummaret. Imo vero valere eas juſſit. Quid ergo? primus ille Auctor extitit *Linguæ Hebrææ notitiam*, abjectis reliquis auxiliis, *ex ipſis ejus viſceribus eruendi*. Adſtupes cœpto, & rogas, quidnam ſit, *Linguæ incognitæ notitiam ex ipſis ejus viſceribus eruere*? Dicam uno verbo. Eſt idem quod *Mathematici* appellant *Sifras reſolvere*, ſive *notas*, *figuras*, & *poſitiones Litterarum ignotas*, collatione accuratiſſima ad certum aliquod principium reducere, *Clavim* vocitant, cujus ope ad occultiſſima quæque conſiliorum, & machinationum, penetrari queat. Nunc penitus, credo, obſtupeſcis, eo deſcenſum, ut *Verbum ſalutis* comparetur *Epiſtolæ*, vel *Libro*, *ſifris & incognitis literarum notis*, conſcripto, ad cujus ſenſus interiores, nonniſi *Arithmetico* hocce *artificio* pervenire detur. Miſeram enim vero ſortem *Homeri!* ſi *Mathematicus* aliquis ſic eum ſibi *deſifrandum* ſumeret: atque ex hiſce ſuis ſubtiliſſimis demonſtrationibus *novam* nobis *Linguam Græcam* fabricaret. Venio propius: *Novum Teſtamentum* non *Græcæ Linguæ* profundiore intelligentia jam amplius erit reſerandum, & explanandum, ſed *Clavicula* hæcce in poſterum adhibenda, ut ita *ex viſceribus Sacri illius textus*, miſſa *ope*, & *luce Græciæ*, quin *Literatura* illa *profaniore* res ſibi ſuas habere juſſa, *veros*, & *genuinos*, *ſenſus Spiritus S.* multo accuratius, & ſolidius, eruamus. Non cum larvis pugno. Temeritati huic jam pons jactus. Sed quo delabor? Redeo ad *Forſterum*; qui hinc provectus cum ingenio ſatis erecto, & audaci, eo tandem evectum ſe ſenſit, unde exitus non dabatur. Promiſerat *veras*, *proprias*, & *principales*, *Radicum* omnium *ſignificationes*. Has quum ex *collatione locorum* expiſcari non poſſet, *mirabile aucupium alliterationum* inſtituit. E. G. pro *Regula* generali aſſumit: *Radices quæ unius Organi literas habent, eandem plerumque habere ſignificationem.* Hoc fundamento גרש & ירש ei unam tenent *originem*, per quam prius ſit *ejicere aliquem domicilio ceu cohabitatione indignum:* poſterius *contraria ſignificatione* valeat *hæreditare: poſſidere jure belli.* Trecenta talia, quibus nec finis, nec modus ullus. Addit alium *Canonem*, eſſe *Literas quæ etſi non unius inſtrumenti ſint, pronunciatione tamen conveniant; & propter ſoni affinitatem ſignificatione etiam congruant.* Talia ei כנע & צנע. Item רגם, רעם, רקם. Hoc jam

eſt

eſt ruinas dare, & omnia ſusque deque miſcere. Pergit porro. *Reperiuntur & dictiones, quæ cum Literas pictura ſimiles habeant, etiam ſignificatione conveniunt:* ut טען & שען: item ראה & ראה &c. En *quartum* adhuc *Canonem* qui per omnia regnat. *Verba in quibus una, aut duæ, aut tres, literæ ſimiles, forma tamen nonnihil mutata, eandem habent ſignificationem, & non niſi modo ſignificandi inter ſe differunt.* E. G. נעל, יעל, עלה, עלל, עול. *Hæc omnia adſcenſionem ſignificant, alia tamen, atque alia, ratione.* Item אב אבי אביב אבה בוא יבב נוב: *hæc omnia ſignificant benevolentiam, deſiderium, affectum, promtitudinem, fœcunditatem* &c. Proh Chaos! *congeſtaque eodem non bene junctarum diſcordia ſemina rerum!* Ludit in univerſum literis, tanquam nucibus, per *Proſthesin*, per *Aphæreſin*, per *Apocopen*, per *Trajectionem:* nunc addens, nunc demens, quicquid lubet, &

Deſtruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.

E. G. זין, derivat a בזן: a בזר deductum vult זרזיר: a פתח *aperuit* per *transpoſitionem* פחת *fovea*, ſcil. *aperta*: nec non per *Apocopen* פח *Laqueus*. Tenues tantum ſtricturas moliminis nunc offero. Id alias dedita opera diſcutiendum, & refutandum. Ex iis quæ adduxi, ſatis apparet, deſerta *Regia via Dialectorum* in *ſalebras inextricabiles* ſe induiſſe Optimum Virum, qui *Scholam Rabbinicam maximis* laborare *defectibus* deprendens, nimis feſtinato judicio omnia ipſis detraxit, atque *Syſtema Vitreum* condidit, quod ſemet deſtruit, atque elidit. Supra *Cap.* IV. *Par.* XXXIII. mentionem faciens hujus conatus *Forſteriani*, adjeci Clariſſ. *Pſeiff.* & *Majum* judicaſſe, *omne punctum laturum fuiſſe* Virum ingenioſum, *ſi a Linguæ Arabicæ ſubſidio imparatus non fuiſſet.* Conferas quoque velim, quæ *Vener. Læſcher.* in *Cauſſ. Ling. Hebr. pag.* 113. 114. cenſuit de hac methodo: non omiſſis quæ *pag.* 131. & 134. ſubſeruit.

VIII. Veſtigia *Forſteri* preſſit *Joh. Avenarius*, item *Vitembergæ* edito *Libro Radicum*, ſeu *Lexico*, *in quo omnium vocabulorum Biblicorum propriæ, & certæ, redduntur ſignificationes.* Prodiit prima vice A°. MDLXVIII. atque magno plauſu exceptum fuit opus: quod videretur *Forſtero* palmam præripuiſſe. Nempe ad ſpeciem ſaltem quandam *luſibus* illis *ingenioſis* circumdandam, adſcita a Viro non illiterato plane, copia *Græci*, *Latini*, quin & *Germanici* ſermonis: ut inde *Origines* ſuas *Hebræas* confirmaret. Ita confert ירע & εἰδέω, nec non δαίω. ישע & σώω. כוה & καίω. רוה & ῥέω. ראה & ὁράω. אנה *navit, natavit*; ex ejus mente, & νάω, νέω. בלה, & παλαιόω. בעל & φιλέω. משל & βασιλεύω, *Mem* in *Betha* trajecto: ad quam legem & *pleo*, *plenus*, a מלא deſcenderint. Iterum מרד & ἁμαρτάνω. בוא & βαίνω. נגש & ἐγγίζω. נתך & τήκω. Item cum *metatheſi* שגל & ἀσελγαίνω. עתר & ἐρωτάω. קשת & τόξον: quin *venter* a בטן: & *frixit* a רבך. Per *Aphæreſin* quoque a צדיק deducitur ὁ δίκαιος: a למד μαθέω & μανθάνω. &c. Per *Apocopen* a לשון λέσχη &c.

Cognata Avenarii Hypotheſis aperitur.

Totum ejus *Lexicon* talibus *teſſellis* compoſtum, quod *opere vermiculato* omnes Linguas perreptaſſet, ſi Auctor omnes calluiſſet. Sæpiſſime luxuria Viri a me caſtigata. Nunquam feciſſem, ſed ſuo eum genio gaudere ſiviſſem, niſi ex *alliteratione* illa *Græcæ*, & *Latinæ*, *Linguæ*, nobis *Origines Hebræas* obtrudere ſuſtinuiſſet. Operæ pretium fuerit ſpecimina quædam poſuiſſe. Dabo potiſſimum ea, quae ad defenſionem *Originum* noſtrarum conducent. ישע ei cognationem habet cum שעה *reſpexit*, quia *ſalvare* eſt *oculis miſericordiæ reſpicere.* Addit, hinc natum σώω, σώζω, σαόω, σαόζω &c. Radici בלג proprietatem tribuit *ſocillandi*, *refocillandi*; ob cognationem cum פלג *diviſit; is enim*, inquit, *refocillatur a quo dividitur, ſeu diſpellitur, moleſtia.* Belle profecto! Subdit: *hinc* φλέγω, φλογίζω, φλεγέθω, φλεγμαίνω. *Et Latinum focillo.* Scilicet per *metatheſin* fit בגל, indeque *focillo.* Nil pote ſolidius. Iterum קדח apud eum *accenſus fuit, ferbuit, efferbuit;* cognationem habere dicitur cum יקד *canduit, incanduit*: indeque, liquida interpoſita, ductum *cendo* apud *Latinos*, cujus compoſita *accendo*, *incendo*, &c.

Sed quid ago? necdum tempus eſt *Origines* meas adverſus Cl. *Drieſſenium*, *Avenarii* æmulatorem, vindicandi, qui ſi primariam notionem *candendi* modo attendiſſet, unde *candor amicitiæ* dicitur, & *pectus candidum*, nunquam Radicis hujus *Originem* in *incendendo* ſitam aſſeveraſſet. Ad *Avenarium* revertor. Is *methodi* ſuæ illuſtriſſimum ſpecimen daturus in *Præfatione*, profert *Thema* עמר quod τοῖς LXX. ἀθετεῖν, Vulgato *opprimere*, aliis aliud, ei ex *alliteratione* cum *Latino* eſt *Mereri.* Concludit deinde, unde viri judicium colligere erit. *Hoc autem filum inveniendi propriam ſignificationem vocabuli non temere ſequor; quum ipſi Rabbini in explicanda multarum Radicum ſignificatione ſæpe allegent* Arabicam & Iſmaëliticam Linguam, *in qua ipſum Thema in eodem ſenſu uſurpatur.* Jam facilius credo, quod in eadem Præfatione monuerat candide, ſe ex *Lingua Græca*, *Latina*, & *Germanica* tantum, collationem cum *Hebræa* inſtituiſſe, *quod eæ ipſi notæ fuerint. Alios aliis ex Linguis alia obſervaturos.* Amo ingenuitatem. Non temnit ſaltem, quod non didicit. Si ad veriores fontes aditus ei patuiſſet, haud dubie limpidiores verborum ſignificationes dediſſet. Nunc cum *Forſtero totus in aucupio adfinium literarum*, aſſumtis inſuper *Linguis* vere *peregrinis*, incredibilem quandam *confuſionem* induxit, quæ a *Babylonica* illa *veteri* non multum abhorrere videtur.

Sexta Hypotheſis. IX. Hanc turbidam tempeſtatem, quæ *Ling. Hebrææ* per *Duumviros* iſtos incubuit, excipit *ſerenior* rerum *facies.* Videlicet incrementa ſub finem ſeculi XVI. ſumſerat cognitio *Dialectorum.* Cum *Chaldaicis Syriaca* paſſim tractari cœperant: atque *Arabicæ* quoque *Linguæ* amor pectora ſollicitaverat Eruditorum, facile perſpicientium, non aliunde firmiorem opem luctanti inter tot diverſas opiniones *ſermoni Biblico* ferri poſſe, quam ex ipſo Oriente, iisque *Linguis* quæ cum *Hebræa* manifeſtiſſimam adfinitatem habent. Ex hac *collatione Dialectorum*, infinita quædam utilitas in *rem Hebræam* redundavit. Novum lumen infuſum *Grammaticæ.* Externa *facies Linguæ*, quam *Rabbini* tradiderant, in plerisque vindicata. Multa quae apud ipſos fluctuabant, du-

Digitized by Google

dubitationi excmta. Alia ulteriori examini commiſſa. Quanta deinde *Seculi* XVII. hac in parte fuerit felicitas, quam lætisque acceſſionibus *Literatura Orientalis* e *Dialectis*, & præſertim *Arabica*, ſit ditata, *Cap.* IV. *Par.* XXXIV. & XXXV. fuſius declaratum.

X. Hujus *Hypotheſeos* duplex palma. Prima quod hinc ſemper ſteterint quotquot in *cognitione Orient. Linguarum* enituerunt tam *Theologi*, quam *Philologi*. Altera, quod nemo unquam *Dialectorum auctoritati*, & *utilitati*, ſeſe oppoſuerit, qui non vel falſus ſit aperte, ſe eas ignorare; vel certe dilutiſſimis objectionibus iſtam ignorationem, etiam invitus, prodiderit. *Tertiam* addere poſſum, eos etiam qui non favent *Dialectis*, omnem tamen earundem uſum proſcribere non audere; ſed tantum litigare de finibus, intra quos cohibendæ ſint. Hoc ut *Prudentiæ* eſſe fateor, ita vereor ne nimiæ *imprudentiæ* ſit, de *finibus* iſtis diſputare, quam diu ad interiora iſtarum *Linguarum* non penetratum. Qui diſputat quouſque *Lingua Germanica* illuſtrare poſſit *Belgicam*, nec tamen *Germanicam* tum *inferiorem*, tum *ſuperiorem*, cum *Belgica* ſua callet, quem tandem locum apud peritos judices tuebitur? Nil aliud, credo, ei expectandum, quam ut jubeatur *Linguas*, de quibus Judex ſedere vult, addiſcere primum, atque tum demum ſententiam ferre, niſi de Tribunali cum pudore detrahi, pulchrum ducat, & glorioſum. *Quæ ſua luce ſemet omnibus inſinuat, approbatque.*

XI. Hæcce *ſexta Hypotheſis* ut propius adhuc cognoſcatur, tenendum inſuper, eam *Veteribus interpretibus* nihil derogare: *Rabbinis* etiam ſuam relinquere auctoritatem: ita tamen ut nec in *Veterum interpretum*, nec in *Rabbinorum* verba, juretur: ſed notabiles eorum *defectus* meliori luce ſuppleantur. Ecquid rationabilius? Ecquid cum amore veritatis conjunctius? Ecquid infinita illa veneratione, & religione, qua Verbum Dei proſequendum, dignius? Largiris enim vero; ſi modo vera *Lux* inferatur, non *tenebræ* omnia confuſuræ inducantur. Diſpiciamus ergo, ubi, ſecundum omnes ſanioris *Critices* regulas, *Lux* illa reſidere queat; idque porro ex luſtratione reliquarum *Hypotheſium* in omnium oculis defigamus. *Et Veteres, & Recentiores, cum Rabbinis, non ſpernit, ſed luce auget.*

XII. *Septimum* ergo *locum* occupet *Novum Syſtema Boblii* in *Diſſertationibus pro formali ſignificationis in S. Scr. explicatione eruendo.* Vir ille Cl. qui *Roſtochii Cathedram Theologicam* tenuit, totus *Metaphyſicis*, & *Logicis*, deditus, *Linguam Hebræam* primus ſub *Metaphyſices* imperium, ac ditionem, ſubjungere cœpit, atque ex *ingenio* tentare, quod ad *interiorem intelligentiam*, & *pleniorem lucem*, deſiderabatur. *Diſſ. primam* orditur, a confuſione quæ in *Lexicis* regnat; *ut ſi verum ſit, quod illa tradunt, ne unum quidem Caput in prophetis recte explicari queat.* Subdit. *Tentabo ergo, numne remedium inveniri queat, ut ſignificationes eruantur non e* Lexicis, *ſed ex* Scriptura Sacra: *ut quorum officii, & ſtatus, ratio exigit, hoc permoti, de* Veris Lexicis *cum orbe Erudito communicandis cogitare incipiant, & pedetentim ab* Opinioniſtis, *& odioſis illis multarum ſententiarum allegationibus Concionatoriis liberati, Scripturam ſicut diploma principis auxilio Spiritus Sancti intelligere incipiamus.* Qui necdum carceribus egreſſus, tantum concitabat pulveris, ſui temporis Concionatoribus ſane placere nullus poterat. Indicat ipſe *Diſſ.* II. ita pergens, *pro proœmio* *Septima Hypotheſis Cl. Boblii.*

al-

Digitized by Google

allegaram Lexicographos. Senſi id in ſiniſtram partem accipi : quare antequam progrediar, quædam præmittenda. Dico ergo, omnia illa quæ de defectu in Lexicis *dixi, me pro veris habere, & non aliter poſſe dicere, antequam videam opponentem cum ratione.* &c. Major hinc indignatio in eum coorta. Liquet ex *diſſ.* III. *pertexere cogor diſputationes, ut omnem* MALI SPECIEM *vitem. Videntur enim in prioribus diſputationibus quædam eſſe* dicta *nimis* dura; *ubi mens laudatur, verba carpuntur. Ideo ob* imbecilles, *qui nec bonam mentem recte perſpiciunt; etiam hanc diſputationem volui publicare: ut ex exemplis facilioribus ſenſa animi mei recte percipiantur. Non his quæro gloriam, ſed tantum veritatis inquiſitionem, aſſecutionem, & approbationem. Unde quando hanc diſp. tert. publico examini ſubjicio, proclamo* veriſſimas *ſimul priores diſputationes duas, in quibus nihil dixi temere, nihil ex incogitantia, nihil ex juvenili fervore, ſed omnia præmeditato conſilio, & hoc ipſo* ea omnia *tamdiu* pro firmis & veris *habeo; quam non video rationes contra me.*

Quid cum tanta *melioris cauſæ* fiducia produxerit Vir Doctiſſ. reſcire geſtis. En *Hypotheſin* tribus *theſibus* a me ea, qua potui, fidelitate expreſſam. *Omnes ſignificationes quæ Radici alicui, & derivatis ejus, competunt, reduci debent ad* primariam *aliquam* Formam; *unde omnia pendeant.* Rectiſſime. II. *Hac Forma debet eſſe generalis, quæ omnes ſpeciales ſignificationes in ſe contineat, & involvat, in abſtracto.* Id jam non *rectum* ſane, ſed ita *tortum*, ut nihil a *Linguarum natura*, & *Origine*, alienius dici queat. III. *Hanc univerſalem,* & *abſtractam, ſignificationem, ex ſacræ Scripturæ viſceribus eruere eſt, ſine ulla ope externa, ſola vi ingenii, & acuminis.* Habes ſupra, *Tentabo num remedium inveniri queat, ut ſignificationes eruantur, non ex Lexicis, ſed ex Scriptura ſacra.* His adde e *diſſ.* I. *Adeo quidem valet uſus* Generalis ſignificationis, *ut & Linguæ vicinæ, Chaldaica, Syriaca, & Arabica, ſe ejus Legibus ſubjicere videantur. Ea omnia autem lubens prætereo; cum* SIBI SOLI SUFFICIAT MATER. Hoc jam eſt *Metaphyſicam* ſuam conſtituere *Dominam* & *Arbitram Ling. Orientalium*, abſque ut eaſdem didiceris. *Hoc* eſt *Verborum ſignificationes* demonſtrare velle per *Argumentum a priori*, ut ſic ludam: atque *Linguæ primævæ Origines* ex ſuis *Ideis* reſtitutum ire. Dignum *Metaphyſico* ſublimiore conamen, ut *Scientiæ* illius *pomæria* extendantur, atque *Hiſtoriæ*, & *Linguæ* etiam, ſub jura ejus redigantur. Velitor tantum: needum graviora arma moveo. Apponam ergo, ne partium ſtudio videar diſſentire, quæ *ſumimus Philol.* & *Theol.* inter *Lutheranos*, V. E. *Loeſcher. Cauſ.* L. H. p. 133. de *Syſtemate* hocce *Bohliano* monenda duxit. *Fateor optimam* Bohlio *intentionem fuiſſe: eoque nomine deprædicatoribus ejus lubens aſſurgo: eam vero, quam elegit, viam, nec ſufficientem fini, nec certo fundamento inſtructam, nec utilem eſſe, imo potius periculum non leve creare, dudum & Theologi & Philologi, magni nominis, judicarunt. Ecquid enim Lingua ſufficienter reſtaurata credenda eſt, ſi* generales ſignificatus, *ſub quibus tanquam latibulis Anomaliæ omnes recondi poſſint, comminiſcamur?* Palliativam hanc curam *dixeris. Præterea ſundamentum totius operis* ingenium Viri Doct. *incertum profecto, & lubricum. Potuit ille pro vivaci, quod nactus, ejus robore, excogitare* cothurnum, (*abſit voci malignitas*)

tas) qui diverſiſſimis ſignificationibus aptus ſit: ſed ſi alius quis, pari fertilitate ingenii idem tentet, alium forte, & priori oppoſitum, invenerit: cujus rei ſpecimina jamjam a Guſſetio *data. Inſuper multis* Formalium, *quas adinvenit, ſignificationum abſtruſa admodum & vix inveſtigabilis ſubtilitas ineſt* &c. &c. *Nec* periculum *a* conſilio *iſto abeſt: cum veritatis* Hoſtes *vel abuti poſſint* latiſſimis *iſtis* ſignificationibus; *vel ad imitationem earum alias, easque peſtilentibus ſuis Hypotheſibus amicas, comminiſci.* Quid ſi ſollicito noſtro *Drieſſenio* hoc judicium Viri gravis, & pietate non minus, quam eruditione, conſpicui, ante oculos proponerem? Ex *Bobliana* enim *Metaphyſica*, adjecta *Semi-Voſſiano Syſtemati* de LXX. nos, & noſtra oppugnatum ivit; ut quum non tam de me, quam de meis diſcipulis, aliquid metuit, & ominatur, condiſcat, quid ipſe improvidus deſignarit, atque per diſcipulos in *Eccleſia* turbare poſſet; ni veritati concedat.

XIII. Huic *Boblianæ* cognata eſt *octava Hypotheſis* Cl. *Guſſetii.* Ei debemus *Commentarium Ling. Hebr.* incredibili diligentia, & ſolertia, elaboratum. Vix *dimidiam partem Linguæ* amplectitur tamen. Agnoſcit ille *multos in hodierna Hebrææ Linguæ cognitione defectus*, vel ne ei tribuam, quod mihi vitio a quibusdam vertitur, contendit ille; *Linguam Hebræam, hactenus in Scholis Judæorum, & Chriſtianorum*, necdum ita *elucidatam, ut non novis ubique curis indigeat.* Quid? Non *accuſator* dico, ſed *accuſationum injuſtarum depulſor;* diſertis verbis ſe id feciſſe profeſſus eſt Cl. *Guſſet.* quod ego *facere* narror apud imperitos, quum nec fecerim unquam, nec facere poſſim. *Rabbines* omnes tantum non una ſpongia delet. *Verſionibus Veteribus* quid pretii ſtatuat, ex Ejus verbis diſcas, volo. *Numquid nos ad Verſiones convertemus? Heic quoque fruſtra erimus. Si quæ enim* Verſio *ex antiquitate venerationem, ex proximitate auctoritatem, ex multitudine utentium famam, ex Virorum* θεοπνεύςων *eam allegantium ſapientia pondus, ex imitatoribus commendationem ſortita eſt, illa eſt quæ LXX. virorum nuncupatur. Si quæ eſt, igitur, maxime ea eſt, unde* ſubſidium *ad Ebraismi intelligentiam ſperare, ac quærere, deberemus. Atqui multum abeſt, quominus ad hoc valeat. Summam eorum, ac vix humanam, inconſtantiam, in Concordantiis* Kircheri *conſpicis. Obſervamus in his* Commentariis *auctores ejus nimis quam frequenter labentes, ignoratione conturbatos, hæſitantes, palpantes* &c. &c. Quid de *Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis fragmentis:* quid de *Vulgata Latina;* quid de *Chaldaicis Paraphraſibus, reliquisque Orientalibus verſionibus*, ſenſerit Vir Eruditus, jam ſine verbis ejus abunde percipis. De *Novis*, & *Vernaculis*, ſatis animoſe tandem ſubnectit; *Interpretes poſtremorum temporum, quacumque regionum ab ortu ad occaſum fœtus ſuos ediderint, non ſpecto ut Magiſtros proprietatis mihi audiendos, quippe qui ejusdem, ac ego, ſortis, iisdem difficultatibus commiſſi, eadem auxiliorum penuriâ ſudent.*

Octava Cl. Guſſetii.

XIV. Eſt in hisce *Exceſſus*, quem nullus probem; quamvis, ut dixi, nihil accuſem. Erant, quum *Commentarius Viri Cl.* in lucem prodierat, qui ipſum in circulis vexarent, atque ut periculoſum Novatorem in invidiam adducere ſatagerent. Quin gravius quid *Optimo Viro* intentatum, ad *Laborem quadra*-

Novationis et criminatio impoſita a quibusdam.

ginta annorum ſupprimendum, *tenebriſque ſepeliendum*, pars *Præfationis*, non ſine gravi dolore ſcripta, ſatis innuit. Proſtat *pag.* 7. quam legiſſe operæ fuerit. Inde hæc tantum periodus nunc teneatur. *Quid niſi ſcelus admitteret ille, qui noſtra tenebris & ſilentio ſepelire niteretur? Quem iſta audentis animum eſſe oporteret. Videlicet quod Fratri invideret Dei* χαρίσματα, *& honorem Divinæ gloriæ promovendæ. Cujus invidiæ primus ſons neceſſario foret, quod non Dei, ſed ſuam propriam gloriam amaret. Abſit ut ullum ſceleſtum tantum exiſtimare, niſi convictum, ſuſtineam! Securus itaque, hunc timorem procul eſſe jubeo. Attamen etiamſi aliquid ejuſmodi reſormidandum appareret, id non morarer. Formidabilior eſt* Creditor Talenti, *Vindex ejus* Defoſſi *futurus. Divinæ ejus Providentiæ permitto ſucceſſum; & modum, menſuramque lucri, quod inde ad Eccleſiam redire volet. Si magnum hoc eſſe decrevit, nullius adverſariæ Linguæ venenata nocebunt tela.* חצו כמו יתמללו *Pſ.* 58: 8. *Sagittæ ejus quaſi a ſe ipſis frangentur. Opponet Deus Veritatis illorum malignis verbis, & artibus, Viros probos, qui pro nobis ſtent.* &c. Nota mihi Hiſtoria. Erant tum temporis in *Academia Patria*, qui indigniſſime ferebant, *novum Syſtema Hebraizandi* introduci a Cl. *Guſſetio*; atque omnia *antiqua ſundamenta Verſionum*, cum *Dialectis*, & *Rabbinis*, luxari, & convelli, dictitabant. Res tamen in nervum non erupit: quin, quod mirere, *Methodus Guſſetiana* ſenſim, ac pedetentim, ita invaluit in *Belgio*, ac *Germania*, ut ferme *ſola* nunc *Legitima* cenſeatur; quantumvis ſuperſtructa ſit principiis infirmiſſimis, quæ nemo integro judicio cauſam examinans approbabit. Hoc evidentiſſime a me evictum, & demonſtratum, *Cap.* IV. hujus Operis; quod totum *Hypotheſi* iſti eſt oppoſitum. *Juſtis* ibi *armis* in aciem deſcendi adverſus *Vir. Clariſſ.* quem ut *Unicum Specimen Pietatis*, *Virtutis*, *modeſtiæ*, vere *Chriſtianæ*, in ſumma Eruditione, vivum obſervavi, mortuum deveneror, & meritiſſimis laudibus proſequor. Si Pientiſſimi illius Viri *novum Syſtema ſuſpectum* reddere quæſiviſſem ex eo, quod *Vetera Auxilia* deſeruerit; in *Orbe Erudito* Oculos amplius attollere non ſuſtinerem. Hæc ſemper *impotentiæ arma* eſſe judicavi; & quidem geminæ: tam *Cauſæ* videlicet, quam *Animi*: quando nec *Animus impotens* aliter pugnare; nec *Cauſa imbecilla* aliter defenſari queat. Sed hæc alias: commodiore occaſione. Nunc quod inſtat.

Amplior Hypotheſeos illius conſpectus.

XV. Ad *Conſpectum Hypotheſeos Guſſetianæ* ergo quem *Paragr.* XXXVIII. *Cap.* IV. breviter aperui, pro noſtro nunc ſcopo addenda ejuſdem *Primordia*, unde penitius adhuc in eandem introſpicere dabitur. In *Præfat. pag.* 5. hæc reperies. „ *Non deſperandum nunc videtur, ſi aliquis Hebraiſmum merum, qualem in Bibliis habemus, ſaceret Interpretem ſui ipſius, collatis uniuſcujuſque* „ *Radicis, & ſtructuræ, exemplis: lociſque in quibus extant; ſore tandem ut* „ Radicum notionem, *&* phraſium vim, *adſtrueret ſeorſim ab* auctoritate In„terpretum, *& ab* aliarum Linguarum (i. e. *Dialectorum*) imitatione: *quem*„*admodum qui Epiſtolam* Figuris *literarum ſibi* ignotis ſcriptam *legere vult, &* „ *ut vocamus* dechiffrer, *ille Characteres ſpectat ſecundum ipſorum numerum,* „ (*quo alii frequentiores, rarius occurrunt alii:*) *collocationem in initio, medio,* „ *vel ſine dictionum, aut ſeparatim viciniam, vel diſtantiam: perque has, & ſi*„*miles,*

Digitized by Google

,, *miles, obſervationes certo colligit, hunc characterem ſignificare literam* a; *illum*
,, b, *vel* c; *hanc dictionem eſſe* auxilium; *illam* ferre; *iſtam* cras. *Idque ex*
,, *ipſa Epiſtola ſola elicit; & tamen perducit ad* certitudinem manifeſtam. *Pari*
,, *enim ratione conſiderando, & inter ſe comparando, eas* Linguæ dictiones,
,, *quæ ſæpius, tanquam magis uſitata exprimentes, occurrunt; quæ hanc, vel il-*
,, *lam, periodi, Locutionisque, ſedem obtinere ſolent; quæ ad ſimplicem hujus,*
,, *illiusve*, ſignificationem modificandam *adhiberi, ac convenire, deprehendan-*
,, *tur, quæ ſociantur aliquando, quæ vero nunquam, ſperandam eſſe* conſtitutio-
,, nem indubitatam partium Orationis, *in illa Lingua comprehenſarum, per* u-
,, nam *ejus* inſpectionem, *usque adeo ut deinceps Lectoris* mens minime ſuſpen-
,, ſa *maneat* ab interpretibus *aut* Grammaticis. *Ad hoc adſpiravi* &c." Quo
non docta ingenia, quando ſemel aliquid colorare, & plauſibile reddere,
tum ſibi, tum aliis, animum induxere, perveniunt? ,, Præmiſerat ibidem
,, Cl, *Præfator, Merito igitur illis externis (nempe Dialectis, Rabbinis, & Ver-*
,, *ſionibus) non contentus, me ad ipſam* Ebraicam Linguam *confero; in* S.
,, Scripturis, *ubi reſidet, eam contemplaturus.* Spes *non* vana *eſt, recto vultus*
,, *ipſius intuitu, ejus indolem, &* viſceribus *ejus* perſpectis, *ac evolutis, inge-*
,, *nium ejus appariturum.* Spes eſt, *inquam, ut idem aliter exprimam,* Lin-
,, guam *hanc* propria Luce, *Solis, in modum, ſe ipſam nobis daturam ad cogno-*
,, *ſcendum.* Sol *enim quidam* Linguarum *Lingua Hebraica jure habenda eſt, quæ*
,, *ut Sol ſiderum primum emicuit, ita extitit ante omnes alias* &c." Reliqua
jam excerpſi *Cap.* IV. *Parag.* VII. quibus adjungas velim, quæ *Parag.* IX.
& X. exhibui. Hæc *declamationis* plus habere, quam *demonſtrationis*, ſem-
per exiſtimavi, atque re centies perpenſa, & examinata, etiamnum exiſti-
mo. Judicium quoque meum de hac *Comparatione* promere ſuſtinui, tum
Cap, IV. *Par.* LII. tum nuper *Cap.* VI. *Par.* XXIII. ubi triplicem confuſio-
nem detexi, qua Vir *Doctiſſ.* ſemet implicuit, in hac imagine urgenda: ſi-
mulque apertam repugnantiam, atque abſurditatem, quam multimodis in-
volvit. Forte hactenus in *Comparationis* hujus veram vim, & lucem, mihi
penetrare nondum datum fuit. Doceri ergo diſcupio, quidnam ſit in rerum
natura, *Lingua Solis inſtar nativo fulgore ſeſe oculis ingerens, & manifeſtans.*
Fateor me tam hebetem, ut ne *ideam* quidem *talis Linguæ* mente informare
queam. Enimvero agnoſco *Scripturam S.* eſſe *Theſaurum lucis.* Sed an pro-
pterea *Lingua Hebræa*, quibus *Cœli Veritates* conſignatæ, etiam *Theſaurus*
lucis ſuismet radiis ſeſe explicans: absque *ullis adminiculis externis*, ſive *Verſio-*
num veterum, ſive *Rabbinorum*, ſive *Dialectorum*? Dici mihi velim, nam pla-
ne nihil hic video, aut diſcerno; ubinam reſideat illa *lux* nativa, ille inſitus
fulgor, qui etiam ad *proprietates* ipſas, & *Origines Primævas*, ſeſe diffundat,
quod Cl. *Guſſet.* hac *ſimilitudine* perſuaſum volebat *orbi Erudito.* In *literisne*,
aut *ſono*? Hoc quidem perabſurdum. In *ſenſu* ergo. Sed unde tibi *cognitus*
ille *ſenſus*, in *Lingua* quam hactenus *incognitam* fateris? Ex *collatione locorum*,
inquis, quorum *igniculi*, & *radii* undique collecti, *Solem* efficiunt. Vereor,
ne oculi mihi præ nimia luce iſta, non præſtricti, ſed præſtincti ſint: nam
nihil adhuc diſpicio. *Collatio* iſta, ſi frequentia ſit exemplorum, ad *externum*

 ſenſum,

ſenſum, ſi forte, eruendum præluxerit: an ad *internam* quoque *vim*, & *Originem*, omnium verborum prælucebit? Iterum dico, hebes ſum; non capio; doceri diſcupio; & veritati victas non ſolum, ſed & vinctas, dabo manus, ſi mihi illuceſcere, radiosque ſuos impertiri, dignetur.

Adverſus eam inſtantia.

XVI. Liceat ergo denuo interrogare, an & *Novum Teſtamentum* ſit *Magnum Luminare*, *Theſaurusque lucis*, *domeſticis radiis*, & *nativo ſplendore refulgens?* Sane vero, inquis. At ſcias me non de *Doctrina veritatis* hoc rogaſſe, ſed de *Lingua*, qua *cæleſtis* illa *doctrina* nobis tradita eſt, & conſignata. Quid jam reſponſi fero? Quid me hac in quæſtione ſtatuere jubes? An etiam *Lingua N. T.* non utique in *Veritatibus a Sole Juſtitiæ* manantibus; quod nemo non agnoſcit; ſed in *verbis*, *verborumque ſignificationibus*, quin & in *Originibus*, id eſt *profundiſſimis Etymis*, haud indiget *ope externa*, & *luce Veteris Græciæ*; ſed *interna*, & *ſua*, *luce*, radiat; atque *fulgore proprio* nobis innoteſcit? Ego quidem hactenus, errans forte, hæreſin ſecutus ſum eorum, qui *Exemplaria Græca nocturna verſare manu*, *verſare diurna*, officii ſui ducunt, atque nonniſi ex illis fontibus profundiorem *Græcæ Linguæ* notitiam haurire poſſe, perſuaſiſſimum habent. Jam vero quid *Lingua Hebræa* prærogativæ hac in parte habere poſſit ſupra *Græcam*, me profundiſſime ignorare confiteor: nec hoc a Cl. *Guſſetio* vel tactum video: nedum in illuſtri luce locatum. An *Rabbinica* appellatio *Linguæ Sanctæ* tantum ei *interni ſplendoris*, qui ſua ſponte ſe oculis ingerat, circumdabit? An quod *princeps* ſit *Linguarum*, id eſt *Paradiſiaca*, & *primæva*; quæ inde a primordiis mundi fuerit dicata, ad *Cæleſtes Veritates*, & *Sacroſancta Dei Oracula*. Id Cl. *Guſſetius* ſubinnuere videtur. Rogo ergo iterum, ubinam reſideat ille *internus*, & *nativus*, *fulgor*? In *figurisne literarum*? Hoc quidem plus quam *Kabbaliſticum*. In *toto corpore Linguæ*, inquis. Atquin nihil in *toto*, quod non ante in *partibus*. Quænam igitur illa *Elementa lucis*, quæ *Solem Linguarum* efficiant *Linguam Hebræam?* Si *Veritates Divinas* huic *Linguæ* tantum *luminis*, & *ſplendoris*, infudiſſe, dicas, eadem iterum ratio erit, & conditio, *Græcæ Linguæ* in N. T. atque ſic tandem imprudentes eo delabemur, quo ne *Enthuſiaſtæ* quidem unquam pervenerunt.

A Mathematicis *tunc* Linguæ Hebr. *cognitio repetenda.*

XVII. Longiſſime tamen ab his viſionibus, & ſomniis, abſuiſſe Virum Clariſſ. patet ex *ſimili*, quo eum ſupra uſum vidimus. Illud *artis* eſt, & *diligentiæ*, totum *Characteres ignotos* alicujus *Epiſtolæ* ad *claviculam* ſuam loqui cogit *Mathematicus*, atque ſenſus in ſinu abditos prodere. Sed an hæc jam conditio *Linguæ Hebrææ*, & *Sacrorum Oraculorum?* Ad *Mathematicos* ergo eamus quantocyus, ab iisque *Grammaticam*, *Lexica*, & *Origines Ling. Hebr.* elaboratiores, quam hactenus dari potuere, efflagitemus; ut per eos tandem tenebræ omnes, quibuscum *Theologi*, & *Philologi*, colluctari hactenus debent, diſſipentur, atque evidentiſſima lux demonſtrationis per eos *Eccleſiæ Chriſtianæ* exoriatur. Serio hic rogatos velim omnes, quibus *Hebraica Veritas* curæ, cordique; an qui hinc profectus fuit Doct. *Guſſet.* atque hoc *unicum Hypotheſeos* ſuæ *fundamentum* jecerit, in ſolido ſtruere potuiſſe videatur? Si hic ſtare debeat *res Hebraica*, vereor ne in perpetuis jaceat ruinis: atque

poſt

Digitized by Google

poſt longos labores, ac errores, ad *Voſſianum Syſtema* redire, ſub flagello *Critico*, tergis inſonante, compellamur.

NonaHypotheſis Doct. Neumanni & Lœſcheri.

XVIII. Ad *nonam* progredior *Hypotheſin*, ſubtiliſſimum conatum, & ſubli-miſſimum ſimul volatum, ingenii humani, ad *Origines Hebræas* in lucem protrahendas. Ejus non tam Inventor, quam Expolitor, & Propagator, Vir *Rev. Caſp. Neumannus*, *Theologus Vratiſlavienſis*, qui ſub fine *Seculi Præced.* edidit *Geneſin*, & *Exodum Ling. Sanctæ.* Acceſſit deinde *Clavis Domus Heberi*, anno XII. *hujus ſeculi* evulgata. Is *Formas Radicum Hebræarum*, id eſt *Formales*, ſive *Primarias*, *ſignificationes* ex *figuris literarum*, earumque *appellationibus*, & *ſonis*, exſculpendas cenſuit. His omnibus nempe *Hieroglyphicam virtutem*, & *potentiam*, ſubfuiſſe contendit, unde per admirabilem conflaturam omnia *Themata*, & *Semina Primæva*, *Linguæ* coierint, & vere *Divinam* quandam *vim ſignificandi* hauſerint. Ut res a natura aliarum Linguarum toto Cœlo remota, ex parte ſaltem, cognoſcatur; paucula in medium conferam. *Aleph* א ei *motus* & *activitatis* eſt ſymbolum. *Beth* ב, adfert *trinam dimenſionem:* & tum *materiam*, *corpus*, *corpulentiam*, tum *locum*, *ſpatium*, *capedinem*. Inde אב *pater* dictus, quaſi *Creſcentius*, qui *generat;* & per quem *familia corporeſcit*, *creſcit*, *in omnes materiæ dimenſiones abit.* Porro *Gimel*, ג, ei ſignat *flexum*, & *obliquitatem:* ut *Daleth* ד, *prolationem*, vel *promotionem ad anteriora.* At *He* ח adferre dicitur *præſentiam*, & *adeſſentiam*: ut *Vaw*, ו, *copulationem* & *annexionem.* In *Dſain* ז, ex *d*, & *ſ*, conflato, ineſſe ait *protruſionem in ſummo gradu;* quem ſuperaddit videlicet ש index *numeri ternarii*, itemque *gradus ſuperlativi.* Vides infinitam ſubtilitatem, & argutiam, quæ omnia *Kabbaliſtarum* acumina delere queat. V. G. אש *ignis*, proprie eſt *motus* ſive *activitas* per א, *abiens in ſummum gradum*, & *intenſiſſime*, *per* ש. Iterum ראש *Caput*, *principium*, ex *Origine* eſt, *egreſſionis*, per ר, *activitas*, per א, *ſumma* vel *extima*, per ש, i. e. *extimum initium egreſſionis.* Denique ברא *creavit*, eſt *rei*, ejusque *Corpulentiæ*, in ב, *egrediendi*, vel *prodeundi*, in ר, *activitas* per א: vel, ſi mavis, *res in egreſſum mota.* En tibi accuratiſſimam *vim*, & *ideam*, *creationis; Mathematice* demonſtratam, ex ipſis literarum ductibus, e quibus *Radix* illa conflata. *Claviculam* vides, *Salomonis* illa celebratiſſima potentiorem, qua *Linguæ Hebrææ* adyta reſerari poſſe ſerio tandem ſibi perſuaſerat vir ille ingenioſiſſimus; quin & aliis in *Germania* magnæ famæ Viris perſuaſit. Certe *Venerand. Loeſch:* huic *Hypotheſi Hieroglyphicæ*, in melius tamen reformandæ, vehementer favebat, quum initio *hujus ſeculi* emitteret Eruditiſſimum opus *de Cauſis Ling. Hebr.* Quid ardoris, tum temporis, ſummum *Theologum*, & *Philologum*, animaret, ad *Linguæ Hebrææ Origines* hac methodo tentandas, ex univerſa illa ſcriptione, huic viæ communicandæ, & commendandæ, deſtinata, elucet. Eſt cur credam, conſilium deinde, cum ſententia, commutaſſe virum conſummatæ doctrinæ, & ſapientiæ. In recente, & flagrante cum maxime, *Hypotheſeos* hujus amore, vis excellentioris ingenii, & judicii, Ei hæc verba expreſſit, *pag.* 272. *Ut perſuaſus ſum huic Hypotheſi ſolidum quid ſubeſſe, atque in nonnullis Literis rem clariſſime perſpicio, ita de multis velut per nebulam, atque in difficiliori crepuſculo, nonnihil*

obſervo: totam *adeo* rem crudam, *adhuc*, *atque Eruditorum curis expoliendam*, *confiteor. Tantum ergo abeſt*, *ut hoc vel* unicum, *vel* capitale, *reſtituendi Hebraiſmi* præſidium *eſſe cenſeam*, ut *potius* in ſecundis *illud ponam: atque in ſubſidium tantum vocem.* Confer jam, quæ a *pag.* 9. ad 14. *Grammatices* noſtræ diſcuſſa, de *Nominibus & Figuris literarum:* nec quicquam ulterius ad infirmitatem hujus *Syſtematis Hieroglyphici* arguendam requires.

Decima noſtra quæ tamen a ſexta nihil differt.

XIX. Qui *novem* haſce *Hypotheſes*, a quo propriis oculis uti valui, ſemper in conſpectu habui, earumque *principia*, & *conſequentias*, intime, toto ſtudiorum curſu, perſpicere potui, atque adeo debui, ſi provinciam mihi traditam rite ornare cuperem, nunquam vel tantillum dubitari potui, quantumvis mihi ipſe undique ſcrupulos incuterem, quin *ſexta* illa, Ceteris omnibus longe præponderaret, atque *munitiſſimam exemplis*, *auctoritatibus*, & *rationibus graviſſimis*, *viam* aperiret, ad *rem Hebraicam*, per omnia ferme ſecula *Chriſtianiſmi*, in melius identidem, lætiusque, provectam, ulterius conſtabiliendam, e fluctuque variantium *Hypotheſium* in portum educendam. Quid quæſo aliud ſecutus eſſem? An juraſſem in verba *Alexandrinorum Interpretum?* An in *Vulgati* potius ſenſus? An in omnes *Veteres* ſimul? An in mentem *Rabbinorum;* eorumque qui ex illis rivis hortulos ſuos rigarunt *Lexicographorum?* Non loquor de *debita* omnibus *exiſtimatione*, quam nemo ſine imprudentia iis detraxit: ſed de *aſſenſione*, & *ſubſcriptione*, quæ non examinat, ſed vera credit, quæ vera eſſe probare nequit. Hoc nemo mortalium dixerit; niſi quod nuper hoc nomine dicam mihi ſcripſerit Cl. *Drieſſenius*. De eo poſtea. Nunc rogo porro quid mihi, qui publice *Linguam Hebraicam* docere, & juvenibus *Eccleſiæ* dicatis e puriſſimis fontibus tradere, debebam, *in hac diverſitate*, quam cernebam, *opinationum*, pro *norma* recte *Hebraizandi* amplectendum eſſet aliud? An *Forſterianis*, & *Avenarianis*, *luſibus* me dediſſem? Quod in *Latinis* & *Græcis*, derideo, in *Hebraica* per me non introducetur. An *Boblianus*, vel *Guſſetianus*, evaſiſſem? Quod ne in *profana* quidem *Lingua* facere auderem, id in *Lingua Biblica* nunquam mihi arrogare ſuſtinui. Ad *Hieroglyphica* ſacra Cl. *Neumanni* me converterem? Nimis obtuſum ad talia pectus gero: & ne prima quidem Elementa tam ſublimium demonſtrationum capere queo. Nihil ergo mihi omnia circumſpicienti, omnia ſcrupuloſiſſime excutienti; & centies, centiesque, *materiam profeſſionis meæ publicæ* privato examini ſubjicienti, aliud ſeſe obtulit, quam *Dialectorum* quæ cum *Hebræa eandem* tenent *ſtirpem*, & *Originem*, *interior cognitio:* ut ad eam *facem* dignoſcere poſſem, quid in *Veteribus verſionibus* recte, quid ſecus, redditum: quid a *Rabbinis* inter ſe pugnantibus bene, quid male, traditum; quid a *Recentioribus interpretibus* ſolide, quid minus ſolide, conſtitutum: quid denique ad *Origines Hebræas*, circa quas tantam fluctuationem maximorum virorum reperiebam, felicius tentari, atque ad *Sermonis Biblici* uberiorem illuſtrationem in medium conferri poſſet. Cur hæc jam *Hypotheſis* dicatur vel *mea*, vel *nova*, plane non exputo: niſi quod multi *Hiſtoriam rei Literariæ* non ſatis promtam habere videantur. Non *nova* utique eſt, ſed *vetus*, ſed vere *antiqua*, & *Regia*, *via*, quam ipſa *Natura*, & *Cognatio Dialectorum*, omnibus ab

ævo

Digitized by Google

ævo interpretibus præmonſtravit: quamque *Rabbinos* ipſos tenuiſſe indubitatum. Minus adhuc *mea* dicenda, quam tot ſummi Viri, & Literaturæ Orientalis principes, in *Belgio*, in *Germania*, in *Anglia*, in *Gallia*, in *Helvetia;* in reliquis *Europæ* regionibus, & calcarunt ipſi, egregio cum ſucceſſu, & poſteris calcandam commendarunt. Non arrogo mihi *inventionis* honorem, contentus gloria ſequendi, atque ad partem *palmæ* in medio poſitæ adſpirandi. Si quis tamen *meam* appellare velit, quia eandem e longo nimis ſomno excitare, atque ad majorem vigorem, & fructum, *renovare* conor, non equidem tali me dignor honore: ſed nec invidiolam, quæ inde a quibusdam non generoſiſſimi animi, ſtudiive, hominibus in me captari videtur, magnopere refugiam, multo minus reformidabo; certiſſimus enim ſum, ſi modo *Hiſtoria Linguæ Hebraicæ*, a *Judæis*, & *Chriſtianis*, *cultæ*, ſub oculis, & conſpectu, ponatur, omnes Veritatis amantes mihi acceſſuros. Scilicet, ut alibi quoque inſinuatum, non *problema* tractatur, non *controverſioſum* quid, & *obſcuritate ſua anceps*, tanta cum fiducia in publicum profertur, in ſinuque *Eccleſiæ* deponitur, ſed *rei liquidiſſimæ*, de qua nunquam dubitari nec debuiſſet, nec potuiſſet, niſi per Compendia *Literaturæ Hebraicæ* itum fuiſſet ad Diſpendia, jus ſuum vindicatur.

XX. Deſcendo nunc tandem ad Cl. *Drieſſenium*, qui *univerſam* hancce *diſcuſſionem*, & variantium *Hypotheſium* expoſitionem, a me, Summo ſuo jure, impetrat, quod V. D. majoribus, iisque infinitis, curis diſtrictus, ad minores haſce ſe nunquam demittere potuiſſe videatur. Hinc ergo primum omnium *ſtatum Controverſiæ*, in quam me devocavit, planius, pleniusque, ut percipere dignetur, quam humaniſſime rogatum velim Cel. *Antagoniſtam*. Lætabar, quum in *Fronte operis* promiſſo *placidiſſimo examine noſtræ Hypotheſeos, paragr. I. Differt.* legerem, *ſoliditatem fundamentorum noſtrorum*, tum in *Commentario ad Jobum*, tum in *Originibus* editis, nec non *Opuſculo* de *Defectibus*, *tentandam* eſſe *Amica diſcuſſione:* quæ pati poſſet, ut *Hypotheſis* noſtra *vinceret*, atque *nitidior etiam effulgeret per hanc oppoſitionem*, *ſi ex Arabismo ea*, qua utor *Methodo magna lux S. Codici poſſet adfundi*. Nil pote nobilius. Fortunas meas laudabam. Expectabam ut, pro gravitate *Argumenti*, res altius, repeteretur, & *ſtatu Quæſtionis* rite *propoſito*, inſigni acceſſione Lucis mactarer: non vinci tantum, ſed & triumphari paratus, a Veritate. Hoc animo ſcripſi ſemper, hoc animo ſcribam. Aſt expectatione iſta, & tacito pectoris gaudio, mox excidi, quum eodem halitu ſubjunctum cernerem. „ *Grata mihi lux eſt, qua data cumque manu, præſertim Viri amiciſſimi, pienn* „ *tiſſimi. Si vero* Juſtus *poſſit eſſe* metus *ſi tot receptos vocum Hebræarum ſigni-* „ *ficatus, præter neceſſitatem, & invitis veræ Hermeneutices Legibus, migre-* „ *mus, vocesque incognito hactenus, longe diverſo, ſignificatu,* ex Arabia ad- „ vecto, *induamus, ne* ſollicitudo *quem* inceſſere *poſſit*, dubios *eſſe hactenus* in „ quam plurimis *dictionum S.* veros ſignificatus, *identidem poſſe figi, & refigi,* „ *variante Hypotheſi, & Methodo, præſertim ſi hæc illa vires acquirat eundo* „ *(omnem præter, & contra, intentionem Viri S. Scripturæ reverentiſſimi qui non* „ *niſi lucem novam, hactenus deſideratam, illi infundere omni induſtria, vigilia, &* „ *cura*,

Acceditur ad Cl. Drieſſenii *Hypotheſin.*

,, *cura, laborat) haudquaquam probiberet V. D. ſua exigi ad ſeveram, Logicamque,*
,, *methodum: quando tamen pretium non peribit Viri Cultiſſimi Lucubrationibus &*
,, *uſus, ſed manebit ſuus alio ſaltem flexâ iſta methodo, quæ perperam* ſignificatus
,, ſecundarios & allegoricos *cum* primigeniis ſimplicibus, & univerſalibus, *con-*
,, *fundit, tot* peregrinos & metaphoricos ſignificatus *in textus S. invebit."* His
lectis ſtatim deprendi, nihil eſſe quod ex univerſa hacce Scriptione, & congreſ-
ſione, mihi pollicerer. Totius Libri Character e brevi hac tabella pellucet. Qui
ſic diſputare incipit, vinci metuit: quin ſe victum quodammodo præſentit, ad
impotentiæ arma recurrens videlicet ante certamen. Sed necdum periodos haſce
diſcutio, atque confuto. Eas nunc tantum inſpiciendas præbui, ut nexus
cum *Paragr.* II. *Diſſert.* teneretur, ubi ſic Cl. *Drieſſ.* juſtitiam, & ſapientiam,
quam in Capitaliſſima hacce lite mecum diſceptanda adhibiturus eſt, porro
oſtendit: *Veras cauſas, & auxilia interpretandi Linguam Hebræam Biblicam* ſum-
ma gravitate, prudentia, Eruditione, ſimul aperiens. ,, *Ut in rem præſentem*
,, *veniamus. Sedulo circumſpiciendum quæ* media, *vel* adminicula, *Divina Pro-*
,, *videntia deſtinarit omni tempore, ad publicum & magnum in Eccleſia uſum,*
,, *comprobatum eventu irrefragabili. Jure merito præſumimus, pro cura & fa-*
,, *vore quibus Deus eſt erga Eccleſiam ſuam id voluiſſe illa præcipuum quiddam ha-*
,, *bere, magnum quid in iis præſtitum eſſe & inſignem cum illis connexam eſſe be-*
,, *nedictionem. Nemo inficiabitur* Verſionem Græcam *quæ multis nominibus Pri-*
,, *mas bic tenet (de qua Verſione ſuo loco dicemus plura)* Verſiones *alias* vetuſtas:
,, *etiam* Judæorum operam *in litera Verbi Divini poſitam, qui & in eo, mira*
,, *Dei Providentia faciente, veritati Chriſtianæ ſervire debuerunt:* & Lexicogra-
,, phos his adminiculis adjutos, *nunquam ſatis deprædicandam attuliſſe utilita-*
,, *tem, magnam accendiſſe facem in indagando* figendoque vero ſenſu S. Litera-
,, rum, *præſertim poſt inſtaurata ſacra puriora,* magnos *in ſacris & literis ſa-*
,, *cratioribus* Heroas illos ex *bis omnibus profeciſſe quam plurimum ad communem*
,, *Eccleſiæ ædificationem, docti piique illorum labores ævum per omne loquen-*
,, *tur."* Confecta res eſt. Nil dari potuit rotundius, diſtinctius, abſolutius,
omnibus numeris completius, ad *fidem Eccleſiæ* fundandam. E Tribunali ergo
veritatis pronunciat tandem ſolidiſſimus Cauſæ hujus Diſceptator. ,, *Quare*
,, *nihil* temere agendum *eſt vel* directe *vel* indirecte, *per quod* illa adminicula
,, *in quibus ſuppeditandis mirabilis & benigna fulſit Dei providentia, & quorum*
,, uſus *longo tempore divina benedictione uberrima,* comprobatus *eſt*, magis vel
,, minus vileſcant; *& ne in illorum locum reponantur ejusmodi* adminicula obſcu-
,, riora, *quæ expreſſos illos admirabilis & benignæ providentiæ Divinæ ad publicos*
,, *Eccleſiæ uſus ea deſtinantis characteres non babent."* Bona cum venia Cl.
Drieſſen. placide, & amice, exquirere liceat, quid ſibi velit illud, *vel directe,*
vel indirecte? Quid valeat item illud, *magis vel minus vileſcant?* Si *Latine* in-
telligo, jam *conſecrantur* pio Viri Zelo non LXX. ſolum, ſed & *Vulgata* Verſio.
Conſecrantur reliquæ *Verſiones*, cum *Veteres*, tum *Recentiores*, æquo jure *Con-*
ſecrantur omnes *Judæorum Magiſtri*, maximi, medioxumi, infimi. *Conſe-*
crantur, item qui præcedentibus *his adminiculis adjuti*, *Lexica* condiderunt in
univerſum omnes, *Tros Rutulusve* fuat, qui ad meum usque tempus fuerunt,
atque

atque ibi *benigna Dei providentia* ſibi *terminum* fixit *lucis* & *gratiæ*, ultra quem ſi conemur, *nulla* amplius *benedictio* nobis expectanda ſit. Jam pœnitet me ferme mei: jam vereor ne in vanum cucurrerim: ita enim pergit graviſſimus *Theologus*. *Imo quæ* obſcuriora adminicula *forte* „ *a* Regia *&* *calcata piis*
„ *Doctisque Majoribus noſtris* via *a vero S. literarum ſignificatu & puriſſimo Idio-*
„ *tismo Biblico in* avia *& ſignificatus alienos*, *inficetos*, *majorem elegantiam ne-*
„ *quicquam pollicitos*, *& quæſitos admodum abducerent*, *&* novam *neſcio quam*
„ Linguam *Scripturis invitis obtruderent.* " Nunquam ſenſi validiores ictus. Caput erigere non potuiſſem; niſi manum clementer ſuppoſuiſſet Amiciſſimus cauſæ meæ oppugnator. „ *Lætus lubensque*, inquit, *agnoſco*, *ſi quæ* Diale-
„ ctus Orientalis, *præſertim* Arabica, *illuſtrandæ* Hebrææ Matri *officium fi-*
„ *liale præſtet.* " Reſpiro paululum. Tundit tamen denuo eadem manus.
„ *Sed hactenus* nullus admiſerim *ex* Lexicographis *& Scriptoribus* Arabum *lu-*
„ *cem* ea methodo *ac volunt Viri D. D. aliqui*, *interque illos Literator princeps*
„ *Vir. Celeb. in Hebræam matrem infundi: hujus* adminiculi *uſum tam eſſe*
„ *prædicandum*, *&* receptis *hactenus* adminiculis *tam eſſe anteferendum*, *ut de*
„ *his* abjecte ſentias, *& res ſibi ſuas porro habere tantum non jubeas. Contra-*
„ *ria mihi prorſus ſedet ſententia*, *ſi ſpecto* Dei *Eccleſiæ ſuæ invigilantis* Provi-
„ dam Curam *& multa benedictione omni tempore comprobatam.* " Eſt tamen in hac ipſa periodo, quo erigar, & Verticem attollam. Illi *aliqui* Viri D. D. quibus adjungor, ſunt *Principes Orbis Eruditi Literatores.* Sunt *Interpretum S. Script. flos*, *bonosque*, *delibatiſſimus*; qui non alienis, ſed ſuis oculis, videre, & judicare, voluerunt, & valuerunt. Si vincar ergo a *Viro* Cl. qui *nullus hanc Methodum admiſerit*, Magnis cum *Ducibus*, & *Literaturæ Orientalis Statoribus*, in triumphum ducar, currumque *Drieſſenianum* ſplendido in comitatu ornabo. Liceat tamen paululum pro me, meisque Majoribus in *Orbe Erudito*, interfari. Non *abjecte ſentimus*, quotquot pro *Dialectis* ſtamus, de *adminiculis* reliquis, multo minus *ea res ſibi ſuas habere jubemus;* ſed *conſecranda* nunquam duximus: quod humanas auctoritates conſecrare, ſemper certiſſimum indicium autumaremus, vel *ignorantiæ*, vel *Cauſæ pejoris.* Denuo emergimus interim; nam uno filo ſic reſumit generoſiſſimus pugnator.
„ *Fateor*, *ſi cui volupe ſit* omnes receptorum adminiculorum *convaſare qui vi-*
„ *dentur* Defectus *&* errata, *illisque ex adverſo ponere* pulchra *omnia quæ* Ara-
„ bismus *ille*, *præſertim in Radices Hebræas* Veris Originibus *ſuis reddendo*,
„ Defectus *illos ſupplendo*, errata *emendando*, *& Hebræam matrem* nativo *ſuo*
„ genio *&* lumine *colluſtrando*, *promittit*, *ſpeciem qua delecteris*, *& alliciaris*,
„ *oculis objicere.* " Pulchre ſtare videmur. Iterum tamen deſligimur, & *Victorem* ſeſe magnifice infert Cl. *Drieſſen.* „ *Sed viciſſim ſi quis longo ordine re-*
„ *cenſere voluerit* multiplicem uſum, *quem nemo cordatus negaverit*, recepto-
„ rum adminiculorum *qui* Arabismum *omnem multis paraſangis poſt ſe relinquit*,
„ *&* Defectus lucis *illius* Arabicæ *caligantis & malefidæ in bene multis*, *in qui-*
„ *bus gratiſſimam lucem ſpargunt* recepta *noſtra* adminicula, *alius haud dubie*
„ *isque diverſiſſimus erit adſpectus.* "

Expectas jam ex intimis *Cauſæ* noſtræ viſceribus erutam demonſtrationem,

Adminiculis illis *receptis*, quæ celebrat Vir Cl. *Verſionibus*, *Rabbinis*, & *Lexicis*, omne illud *Lumen* ineſſe, quod Divina Providentia unquam *Eccleſiæ* deſtinavit: & temerarium eſſe ut uberius aliquid nobis polliceamur; quando *lucis* & *gratiæ terminus* hic *alte pactus*; quem tranſſilire piaculum ſit. Expectas quoque, ut quum infinitum quantum inter ſe diſſideant *Veteres Verſiones*: toto etiam Cœlo a ſe invicem abire ſoleant *Rabbini*; denique *Lexicographi* plusquam *Centum* extent, quorum incredibilis, & ſtupenda, plane diſſenſio, in omnibus omnino *Radicibus*, conſtituendis, haud ſecus ac ſi *Babylonicæ turris* cerneres ſtructores; expectas, inquam, ut Cl. *Drieſſen.* cui tanta lux veritatis adfluit, verbulo ſaltem indicaverit, quibus *Verſionibus*, quibus *Rabbinis*, quibus *Lexicographis*, potiſſimum credendum haberemus. Fruſtra es. Nihil horum tactum. Non vacavit in præſenti *Viro* Doctiſſ. iſta opera *Eruditum Orbem* impertire. Sic enim mora omni amputata, pedem mecum confert. „ *Ego autem in laudando*, *vindicandoque* recepta adminicula *non texam Catalogum multiplicis uſus quem præſtant*, *ſed ad amiciſſimum examen revocabo nævos*, & Defectus *qui in illis culpantur*, & pulchrum *illud*, *quod in* Arabiſmo *prædicatur*, *nævis illis & erratis ſic emendandis ex adverſo poſitum*, *in Viri Erud.* Originibus Hebræis & Defectibus &c. *Ut ſi vel in his vincant* adminicula recepta & *probati uſus*, & *ſuccumbat* Arabiſmus, adminicula recepta *cum longe inferioribus non permutemus*, *quamvis* ſuum *illis* uſum *non negemus.*" Ad hæc, alias plura daturus, in præſenti unum tantum obſervo; *Hypotheſeos* noſtræ Examinatorem a *Controverſia* ſuſcepta ſubitario quodam flexu divertere; quum negat ſe *in vindicando recepta adminicula Catalogum* eſſe *texturum multiplicis uſus*, *quem præſtent*. Contra *Cl. Guſſetium*, *Verſionibus*, *Rabbinis*, *Lexicis*, omnia detrahentem, iſtum *Catalogum* pertexet, ſi volupe ſit, nimis ſane diſtractus Scriptor. Nos quidem longe aliud quid depoſcimus. Probari nobis volumus *recepta adminicula Verſionum*, *Rabbinorum*, & *Lexicographorum*, omne illud *lumen* continere, quod ad *Linguam Hebræam* in omnibus ſuis partibus maximis, minimis, rite conſtituendam, ac præſertim ad *Primævas Origines* veſtigandas, claroque in die collocandas, requiritur. Hoc ſi præſtiterit Vir Cl., non me tantum, ſed & univerſam, qua late patet, *Remp. Literariam*, ſibi devinciet: & quod magno ſerio dictum velim, non *Theologorum*, ſed *Philologorum* omnium *Summus*, ac citra comparationem Princeps, ſalutari merebitur.

Ea penitius inſpicienda præbetur. XXI. Necdum interim ex longiore hocce diſcurſu, quem cum Cl. *Drieſſenio* tenere coacti fuimus, cuiquam conſtare potuit, *Quid Hypotheſeos*, *ac ſententiæ*, ſedeat Diſſertatori, qui de *Veris Cauſis*, & *Auxiliis*, *interpretandi Linguam Hebræam Biblicam* mecum in certamen deſcendit. Eam nunc tandem dias in luminis auras proferre tempus eſt, ut profundiſſimum, in hiſce, Viri tum ingenium, tum judicium, ſtupeamus. „ *Verſiones*, inquit *Par.* IV. & „ *ex iis Lexicographi*, *faciente Divina providentia*, *reddiderunt nobis vel ſignificatus* primarios, ſimplices; *vel* ſecundarios; *ſignificatus* univerſales; *vel ad hæc illa ſubjecta* determinatos: *quando mediante ſignificatu* ſecundario, *vel* univerſali *his illis rebus particularibus applicito*, *ad ſignificatum* primigenium

„ *Pul-*

Digitized by Google

„ *Pulchre adſcendimus. Conſervarunt*, *inquam*, *ſi non* Interpretes *&* Lexicographi omnes *ubivis*, *certe* plerique, *ſaltem* aliqui, *ſignificatus vel* primarios, „ *vel* ſecundarios; *quando ex loci vel locorum*, *ubi vox aliqua occurrit*, *attenta* „ *conſideratione*, adhibito judicio Critico, *ſolide dijudicamus qui* Interpretes, „ *&* quibus *in* locis *S. Scripturæ* (*ſi* iidem Interpretes *in locis omnibus non* „ *eandem dent verſionem*) verum ſignificatum *tenuerint & an ab ipſis expreſſus* „ *ſignificatus ſit* primigenius, *an* ſecundarius. *Neque ubi* a ſe diſſident iidem „ interpretes, vel diſſidere *videntur*, *exagitandi ſunt; quia neſcimus an* ipſis „ *an* Librariis *hic diſſenſus ſit imputandus. Aliquando etiam non tam* verba, „ *quam* ſenſum *reddunt*, *quod verſioni eorum in locis ubi* verbum verbo *reddunt*, „ *fraudi eſſe non debet. Satis eſt*, Divinam providentiam *ſic invigilaſſe*, *ut in* „ locis *ſaltem* quibusdam *in* veros ſignificatus *nos duxerint.*" Mirificentiſſima, & Cedro digna, periodus, quæ ad intima *Linguæ Hebrææ* penetralia tam facilem, promtumque, recludit aditum, omnibus qui modo a primo limine *ſacra* hæcce ſalutare non dedignabuntur, ut jam Illuſtribus *Academiarum* Curatoribus Auctor eſſe debeam, ne *Profeſſores* amplius male collocatis præmiis, honoribusque, huic *Spartæ ornandæ* præficiant; quæ *ſemet ſponte* quam ſplendidiſſime *ornat* e *Verſionibus*, & *Lexicis*: idque per ſingularem Dei Providentiam, atque Benedictionem. Faceſſat in poſterum *Ling. O. O.* ſtudium illud ſupervacuum, & *Eccleſiæ* noxium. Faceſſat *Grammaticæ*, & *Syntaxeos*, *Hebrææ* ardua, & moleſtiſſima, palæſtra. Prima tantum Elementa rapiantur, ut legi poſſit Sacer Codex, dein *Verſiones* inſpiciantur, *Lexica* replicentur, & *attenta conſideratione*, *adhibito judicio Critico*, (Et quis mortalium ſe eo carere judicat?) quisque, judice Cl. *Drieſſenio*, *ſolide* poterit *dijudicare*, quis *verus* ſit *S. Scripturæ ſenſus* ubique locorum; quin, gaudete ſodales tanti Ducis? decernere valebit, quisnam ſit *primigenius*, ac *verus*, cujusque *Radicis ſignificatus.*

XXII. Nimis gravis, & ponderoſus hanc in rem eſt locus *pag.* 61. *Diſſert.* quam ut hic non pro firmamento ſolidiſſimo *Methodi Drieſſenianæ* compareat. „ *Quare multum fallitur vir optimus*"; inquit, opponens ſeſe *Origini Thematis* צדה a me in *defect.* productæ, „ *hos nodos atque has ſalebras* (*nullos ego* „ *nodos vel ſalebras video; neque vidiſſet V. C. absque illa luce Arabica ſi fuiſſet*) „ *expediri non poſſe ſine auxilio quod ex Arabia veniat. Sanior Philoſophia ancil-* „ *lata Locorum Scripturæ meditationi*, *collationi*, *& longo uſu probata auxilia* „ i. e. Verſiones, & Lexica, *aſſumens plus præſtat quam omnis Arabia.*" Plura ejusdemmodi *Enthymemata* paſſim extant: alibi producenda. Ne miremur itaque, ab hoc principio profectum Celeb. *Theologum*, & *Philoſophum*, tam ſubitaria opera, ad quam vix ſediſſe videtur, *primigenios*, *ſimplices*, *proprios*, *univerſales*, *&* vere *ſuos ſignificatus* reddere potuiſſe omnibus illis *Radicibus*, quas ego, nimis, eheu! imperite, ex *Arabia* illuſtratum iveram. O me infelicem, & irato nimis genio natum! qui particulam ſaltem *ſanioris* hujus *Philoſophiæ* non perceperim ante, quam de *Originibus Hebræis* conſcribere aggrederer. Etiam ad *ſemel* tantum *Lecta*, etiam ad *deperdita*, non alio lumine indiguiſſem: ſic enim Cl. *Driſſen.* p. 78. *Diſſert.* „ *Confido* τῶν ἀπαξ

Velitatiuncula adverſus eam inſtitutam.

 „ λεγο-

„ λεγομένων *ſignificatum, ſi non ubique propriiſſimum, eum ſaltem qui loci ſenſum* „ *non turbet.* Realiter *figi poſſe, ex nexu, ſcopo* &c. mediantibus illis, *quæ* „ *Deus契 ſupereſſe voluit*, adminiculis. i. e. *verſionibus* & *Lexicis. Et quod ad* „ *derivata, quorum* Radix *jam* deſideretur, *ſi vere deſideretur, radix qualis fue-* „ *rit, quidque ſignificarit*, judicio Logico *adſequimur.*" Gratulor ſeculo noſtro tantam felicitatem, *Juniorisque Philoſophiæ* lucem: & fortunas meas accuſo, quod *Linguæ Orientales*, tanquam *Sirenes* quædam, me ad ſcopulos ſuos pellaci nimis cantu pertraxerint. Qui jam naufragium ferme facio *Hypotheſeos*, per univerſam vitam elaboratæ, ad miraculum usque inclareſcere potuiſſem etiam in *Orientalibus*, ſi illuc tandem mea me raperet voluptas, dum modo *Lexicon Polyglotton* mihi comparaſſem, atque ad *Logices*, & *Metaphyſices*, lumen, *primigenios*, *ſimplices*, *univerſales*, tum *Hebrææ Linguæ*, tum *Dialectorum* ejus, *ſignificatus* conſtituiſſem. In primis iraſcor *Græcæ*, & *Latinæ*, *Literaturæ*, inde enim alias combibi *Regulas*, quæ mihi *judicium* penitus ſubverterunt, & corruperunt. Nempe hinc profectus, exiſtimaram *Linguam Hebræam*, cum *Dialectis* ſuis eodem modo tractandam eſſe quo *Græcam*, cum ſuis ſibi *Dialectis*: id eſt *vim*, *indolem*, & *proprietatem* omnium, non e *Lexicis*, aut *Verſionibus*, petendam eſſe, ſed ex ipſis *Fontibus*; atque ex perpetua *Lectione* excellentium *Librorum*, qui in quaque *Dialecto verum* cujusque *Genium* repræſentant. Vereor itaque ne meis hiſce *principiis Græcis*, & *Latinis*, infectus, ad *Metaphyſicas Origines* Cl. *Drieſſ.* nunquam ſim perventurus. Certe hactenus quidem non tantum *univerſa* ejus *ædificatio* mihi in aëre ſuſpenſa videtur, ſed in omnibus illis *Ratiocinationibus*, quibus *Diſſertationem ſuam* adverſus me deproperavit V. Cl., nihil aliud reperio, quam *ignorationem Elenchi*, & conatus ingenii extra *ſphæram activitatis* egreſſi. Non ægre feret *Diſſertator de Veris cauſis interpretandi* &c. ſi *veros* illos, quos ſibi promiſiſſe viſus eſt, *ſignificatus Radicum Hebræarum*, cum *Vero Behemotho* & *Leviathane*, itemque *Vero piſce Jonæ*, ſtare jubeamus. *Vindiciæ* ulteriores *Originum*, & *Novæ verſionis* in *Jobum*, quas *Eccleſiæ*, & *Academiæ patriæ*, debeo, oſtendent, nunquam quicquam in *orbem Literatum* infauſtiore *Lucina* exiiſſe. Non utar in iſta ſcriptione *armis impotentiæ*: non conſequentiis vel directe, vel indirecte, ex *Methodo* hacce *Hyperphyſica Hebraizandi* profluentibus, veterem Amicum onerabo. Qui ſine his artibus ſtare nequit, jam jacet, dum ſtare ſibi videtur. Faciam quoque ut ſatis *placidum Confutatorem* experiatur Cl. *Drieſſen.* qui in *Titulo placidiſſimum examen* promittens, vel eo nomine a me impetrat, ut quod facere voluiſſe videtur, factum cenſeam. Nempe *lubricus* hic *campus*: ubi nemo ſteterit, niſi ipſa *Veritate*, ut ſic dicam, *calceatus*; atque adverſus omnem *Adfectum*, & *Philautiam*, triplici circa pectus robore communitus.

Hypotheſis vera clariore in die collocatur.

XXIII. Finem facio in brevi delineatione noſtræ *Hypotheſeos*, ut ne amplius quisquam circa eam fluctuare, aut alienis judiciis circumagi, queat. Agnoſco ergo cum *Principibus* illis *Theologis*, & *Philologis*, quorum veſtigia premo, multum lucis ſuppeditari per *Verſiones Veteres*: multum per *Rabbinos*: plurimum per *collationem locorum* dextre inſtitutam: *Verſiones recentiores*, & *Lexi-*

Digitized by Google

Lexicographos quoque, magno in pretio habemus. Sed negamus, & fidentiſſime pernegamus, inde omne illud *Lumen* hauriri poſſe, quod ad *ſermonis Biblici* perfectiſſimam, ſuisque numeris abſolutam, intelligentiam, requiritur. *Hodiernam Ling. Hebr. cognitionem magnis* adhuc *defectibus*, laborare, in *Grammatica*, in *Syntaxi*, in *Originibus* præſertim *verborum*, tanta cum fiducia aſſeveramus, quanta quicquam, de quo nobis quidem judicare datum, aſſeverari poteſt. Ut hi *defectus* ad majus verbi Divini decus *ſuppleantur*, non imus cum Clar. *Boblio*, & *Guſſetio*, ad proprii *ingenii officinam*: non ad *Lexicorum cæcam congeriem* cum Cl. *Drieſſenio*: non ad *Alliterationes* cum Doct. *Forſtero*, & *Avenario*; non ad *Hieroglyphicas poteſtates literarum Hebræarum*, cum ſubtiliſſ. *Neumanno*: ſed accedimus ad priſcos *fontes Dialectorum*, quibus indubitata cognatio, & conſanguinitas, cum *Ling. Hebræa*; qualis olim erat illa *Dialectorum Græciæ*: qualisque noſtris temporibus *Belgicæ* & *Germanicæ Linguæ*. Hoc *Cap.* IV. adſtructum, & a Cl. *Guſſetii* oppoſitionibus vindicatum. In *Dialectis* hiſce *Orientalibus* æqua jura competere ſtatuimus *Chaldaicæ*, *Syriacæ*, & *Arabicæ*. Aliquid etiam relinquimus *Æthiopicæ*, *Samaritanæ*, & *Thalmudicæ*. Inter omnes *Arabum* illa, citra ullam controverſiam, opulentiſſima eſt; atque ceteris omnibus ſua luce colluſtrandis mirifice inſeruire poteſt; ut & ipſa viciſſim ab iisdem illuſtratur. Qui omnes non tenet, nullam ſatis profunde tenet. Hæc *Cap.* I. hujus ſecundæ Part. *Orig.* diſcuſſa. Suam ſibi auctoritatem præflorat, qui rem tam manifeſtam in dubium vocat, poſt tot Eruditiſſimos, & immortales, magnorum virorum labores. Obſtat quoque *adminiculis veriſſimis & tutiſſimis*, quibus Providentia Divina *rem Hebræam* magis magisquc exornandam eſſe præmonſtrat. Niſi huc communi conſenſione, & humerorum conjunctione, contendatur, *Lingua Hebræa* obnoxia manebit iisdem fluctibus, quibuscum in Scholis *Rabbinorum*, & *Chriſtianorum*, miſere colluctata adhuc fuit: atque ſingulis ætatibus novum induet habitum; quem ſua cuique *Metaphyſica*, vel *conjectandi*, & *deſifrandi*, *officina*, ſubminiſtrabit. Quid nunc in tali *Cauſa veritas*, & *Religio*, ſequi jubeant; quid ab omnibus, quibus *Hebraica* in publico tractanda, & exigant, & expectent, non Ego dicam, ſed Ipſæmet pro ſe jam dixere.

F I N I S.

Digitized by Google

ALB. SCHULTENS

DE

DEFECTIBUS HODIERNIS LINGUAE HEBRAEAE

EORUNDEMQUE RESARCIENDORUM

TUTISSIMA VIA AC RATIONE

ORIGINIBUS HEBRAICIS,

SUBSERVIENS OPUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

L. S.

Non exit in publicum foetus hic, ſed excidit, atque adeo excutitur. Ei in Illuſtri Friſiorum Academia concepto, legitimum tempus creſcendi, atque ad debitam, a materiaque ipſa deſcriptam magnitudinem perveniendi, contingere non potuit. In Lugdunenſem dein aërem tranſlato maturitatem abſtulere cauſæ bene multæ, agmine facto concurrentes undique, ac quaſi conſpiratæ, quas promere nihil attinet. Ubi a novis, quæ nunc me diſtringunt, curis, paululum nactus ero laxamenti, id quod hoc in opusculo affectum eſt, confectum, ſuiſque numeris abſolutum dare conabor. Dabam Lugduni in Batavis ſeptimo Kalend. Novembr. 1730.

Digitized by Google

CONSPECTUS TOTIUS OPUSCULI
SUMMA RERUM CAPITA EXHIBENS.

P*oſt ſuccinctum Operis conſpectum*, *Cap.* 1. *Octo graviores Linguæ Biblicæ imperfectiones enotantur*, *tanquam totidem Claſſes Vocum uberiori luce indigentium*, *in quibus enodandis*, *&* *ſarciendis univerſa Operis ſeries a Capite ad Calcem decurrit.* §. 11.

I.

Prima Claſſis Defectuum *collocatur in Radicibus plane omiſſis*, *poſtliminio ab exilio reducendis. Ubi ex elementis*, *&* *primordiis ipſis Linguarum Orientalium demonſtratur*, *omnem Linguæ Veteris amplitudinem neutiquam in uno Codice Sacro ſeſe conſpiciendam dare*; *quod ex adjectis ſpeciminibus adhuc clarius elucet.* §. 12—17. *Duplex dein excutitur error cum illorum*, *qui linguæ Hebraicæ opes ex reliquiis Biblicis metiuntur*, *tum illorum*, *qui ad affinitatem literarum oculos reflexerunt.* §. 18—21. *Inter Radices ope Dialectorum reſtituendas*, *omnibusque Lexicis exulantes producuntur* מטע/נבה/משק *una cum fluctuatione Interpretum cum circa Radices ipſas*, *tum earum ſignificandi poteſtatem.* §. 22—25. *Harum fugitivæ ſignificationes ope Arabum denuo in lucem protrahuntur*, *&* *figuris pervenuſtis illuſtrantur* §. 26—42. *Agmen denique claudit obſervatio naturam Linguæ Arabum tangens.* §. 43.

II.

Secunda Claſſis Defectuum *complectitur themata*, *eorumque derivata quam plurima*, *quorum ſignificatio adhuc vacillat*: *eum in finem variæ Variorum producuntur Hypotheſes*, *ex quibus Radicum indolem indagandam cenſuerunt*, §. 44—46. *Ubi tria exhibentur exempla ſpeciminis ergo*; *videlicet* נגר/מחץ/גלע, *quorum poſt Variorum*, *tum Veterum*, *tum Recentiorum conaminum diſcuſſionem*, *nativæ ideæ*, *proprietates*, *graviſſimæque*, *quibus pollent figuræ*, *ope Arabum declarantur.* §. 47—80.

III.

Tertia Claſſis Defectuum *ſita eſt in verbis bene multis*, *non nativa*, *ſed ſub*

ſubdititia notione donatis, quam Cl. Auctor. *compendiſacit, quod* Origin. Hebr. *liber in talibus totus ſere occupetur; quo Lectorem remittit. Profertur unicum thema* מסר, *ſemel tantum exſtans* Num. 31. 16. *cujus nativa poteſtas, graveſque Metaphoræ, quibus apud Arabes gaudet, in medium dantur, & locis Biblicis applicantur.* §. 81 — 95.

I V.

Quarta Claſſis Defectuum *conſtituitur in iis verbis, quorum ſignificandi late fuſa diverſitas per Metaphorarum Canales ſparſa exercet etiam peritiſſimos, neque adhucdum ſatis extricari potuit, latente videlicet primæva ſcaturigine. Documento e bene multis adducuntur* צרח, שבח, *ubi communi, & ſalebroſa Lexicographorum* defectuum reſarciendorum *via diſcuſſa, primæva ſubminiſtratur poteſtas ex Dialectorum fontibus prius eruenda; quam de conciliandis diſcrepantibus rationibus deliberetur.* §. 96 — 123.

V.

Quinta Claſſis Defectuum *comprehendit Radices, quarum exterior quidem adſpectus ex ſerie orationis, & collatione locorum potuit attingi; ſed ad quarum genuinam vim nulla acie penetrari poteſt, niſi foris lumen inferatur. In qua diſputatione præmittitur poſtulatum, quod nemo vel leviter literis tinctus negaverit, nihil difficilius eſſe in florentibus etiam linguis, nedum mortuis, quam primigeniæ poteſtatis indagationem. Hanc vero difficultatem in Lingua Biblica vel maxime eſſe urgendam duabus adſtruitur rationibus;* primo: *quod anguſtiſſimis cancellis unius tantum Libri includatur;* ſecundo: *quod Criticorum Veterum monumentis hac in parte penitus deſtituamur. Utriuſque rationis pondus preſſius in ſequentibus urgetur, atque exemplis illuſtratur. Adducuntur* קלם, עלם, עצב, מרה, *quæ omnia matri primævæ redduntur, atque pervenuſtis Metaphoris ornantur.* §. 124 — 195.

V I.

Sexta Claſſis Defectuum *ſe extendit ad omnes in univerſum Radicales voces, triliteras etiam vulgatiſſimas, quarum genuina indoles ex tenuibus reliquiis Bibliorum elici non potuit, niſi lumine aliunde ſubminiſtrato. Ubi ulterius inculcatur, cuilibet linguæ ſuum ſubeſſe Characterem, at-*

 que

Digitized by Google

que Orientalium imprimis ideas ab Occidentalium ſæpe mirum quantum diſcrepare, quod ulterius in thematibus צדק /חכם /גרל *adjectis perſpiciendum datur* §. 196 — 228.

V I I.

Septima Claſſis Defectuum *ſeſe diffundit ad plurimorum derivatorum, & conjugationum formationem, atque adeo ad Grammatices Regulas, & Fundamenta, unde ſimul elucet, analogiam & Linguæ interiorem naturam in hiſce necdum ſatis exploratam haberi, cum Grammatica Hebræa conformata ſit ad tenuiſſimas reliquias Biblicas, tum etiam ſermonem Biblicum alibi plus, alibi minus Dialectorum habere admixtum, in quibus adhuc Sylva rerum reſtat, quæ falcem expectat. Quæ omnia haud aliunde melius enodari poſſe, quam ex copioſiore Hebrææ Linguæ Dialecto viva ſimul, & vigente ſatis luculenter demonſtrat* Cl. Auctor §. 229 — 238.

V I I I.

Octava *poſtremo* Claſſis Defectuum *ſinu ſuo profert integras loquendi formulas, cœlo Orientis proprias, quas nemo unquam rite enucleabit, niſi eodem aëre Orientali, ut ita dicam, hauſto, id eſt, pectore imbuto figuris, & Metaphoris grandioribus, quas genius erectior, & ſublimis, ut & ingenium peculiare linguæ populis illis inſpiravit. Pro ſpecimine inſerviunt tum Arabum* אנף; *in cujus figuris, ac metaphoris illuſtrandis grandiloquentia Orientalis elucet; tum loca Biblica vexatiſſima, genium Orientis exprimentia, unde ſimul nativa Linguæ Hebrææ amplitudo ex Arabum opulentia ſatis abunde declaratur.* §. 239. *ad finem usque.*

Digitized by Google

DE
LINGUAE HEBRAEAE HODIERNIS DEFECTIBUS;

Eorundemque reſarciendorum tutiſſima ratione ac via.

I.

Ad pulchrum illum & laudabilem impetum, quo Juventus noſtra Academica in Linguæ Hebrææ ſtudium exarſit, pro provincia mihi credita, alendum inflammandumque, deliberatum mihi eſt aliquot diſputationibus aperire, & ex intimis linguarum fontibus demonſtrare, quanta adhuc materia communem diligentiam atque induſtriam invitet, & quam multæ etiamnum partes Literaturæ Sacræ, poſt acerrimam curam, a praeclaris ingeniis ei impertitam, neceſſarii luminis defectu, haud ſatis refectæ ac recreatæ, ſalutarem multorum manum, ulterioremque medicinam deſiderent.

II. Hoc dum efficere conabor, non tantum curſum dirigam eorum, qui aliquid in hoc ampliſſimo campo elaborare aggredientur, ſed eadem opera novi, vel & novitatis ſuſpecti, inſtituti mei rationem expromam, eamque eſſe veterem, veram, regiam, egregieque communitam viam, perviĉlum dabo: ut ita præjudicatæ illæ opiniones, quibus nonnulli de noſtra hypotheſi vel dubitant, vel parum favorabiliter judicant, diſſipentur, & tanquam umbræ Veritatis radiis ac telis diſcutiantur.

III. Hanc operam curamque eo magis mihi adhibendam eſſe intelligo, quod non ſolum imperitorum hac in parte voculæ exaudiantur, verum etiam, gravium, & in lingua Hebræa callentium Virorum, ſententiæ ferantur, quibus pronunciant; haud pœnitendam quidem eſſe auctoritatem linguæ Arabicæ, in raris atque obſcuris vocabulis Hebraicis elucidandis; ſed minus tutum videri, tam late ditionem ejus extendere, uſumque illius per univerſum, qua patet, Corpus linguæ Biblicæ diffundere velle.

Digitized by Google

IV. Nunquid humani affectus ſic ſentientibus ac decidentibus ſurrepat, ipſos malim eſſe judices ac arbitros, qui meum profecto eſſe nolim, Doctiſſimis Viris, & Veritatis Hebraicæ amantiſſimis hominibus, vel minimum detrahere. Crediderim quoque, neque id blandiloquus dico, ſed ſerius ac ſeverus, quosdam literis Arabicis tinctos, propterea tamen tam late fuſam ejus linguæ utilitatem non agnoſcere, ſed eam judicio ac ratione in dubium devocare, quod deprehendant, radices Arabicas non ſemper radicibus Hebraicis fideliter reſpondere, quodque ea in Dictionariis Arabum varietas, & multitudo ſignificationum regnet ſub plerisque verbis, ut vix ac ne vix quidem vel filum Ariadnæum errabundos greſſus ex illo Labyrintho explicare poſſe videatur.

V. Accedit, eosdem Viros Eruditos, gravioribus doctrinis occupatos ac detentos, forte Linguæ Hebrææ, quemadmodum illam ab adoleſcentia imbiberunt, latentes defectus minus advertiſſe, ac propterea cum animo ſua deſtinatum fixumque tenere, ex vano nova ulteriorum profectuum adminicula circumſpici, ubi vetera pulcre ac ſolide ſatis fundata reperiantur.

VI. Hiſce omnibus præſens mea lucubratio ſic facere conabitur ſatis, ut quos ſcrupulos memet ipſum longo tempore ſuſpenſum ſollicitumque habuiſſe profiteor, eos æquis, & libero judicio præditis, arbitris me exemturum eſſe confidam: ut mecum cuncti, quibus perpolitio ſtudii Hebraici cordi eſt, conſentiant ac conſpirent, ad eos fontes, vel adeundos, vel commendandos, quos uberrimos eſſe ac ſaluberrimos, rationibus atque exemplis liquidiſſimis commonſtrabo.

VII. Exordiar autem a denudatione ac demonſtratione illorum defectuum, quibus etiamnum linguam Hebræam, prout illa in optimis Lexicis conſignata eſt, laborare, longa me docuit palæſtra. Subtexam deinde conſilia, quæ Viri exercitatiſſimi in hoc curriculo iniverunt, & medicamenta quæ adhibuerunt, ad id quod ſubulceratum & male firmum eſſe fatentur, perſanandum. Inde, tertio, colligam efficiamque, vel ex dialectorum interiore & accurata cognitione, ac præſertim Arabicæ affluentiſſima atque illibata copia, lumen eſſe derivandum, vel ſpem omnem, hactenus quidem, eſſe deponendam, ad tenebras haſce ullo pacto exſuperandas. Quarto, caliginem illam perrumpam, quæ adhuc Arabum dictionaria obſeſſa ac circumvallata tenuit, quo minus tum admirabilem linguæ illius in una principe ſignificatione, figuris ac tralationibus variis veſtita, conſtantiam, tum ſuaviſſimam cum Matre Hebræa convenientiam, recognoſcere potuerint Viri in Arabicis pervolutati; nedum illi, qui a primo tantum limine hæc adyta ſalutarunt. Quinto ſubnectam & exponam illa argumenta, quæ hypotheſin meam labefactare videri poſſent, quæque mihi ſaxum hoc volventi crebro occurſarunt; atque ita exponam, ut me non cupiditate ferri, ſed veritatis amore duci, appareat, quando arma adverſus me acuere & porrigere non detrectabo; lubentiſſime pro bona cauſa certamen honeſtum atque generoſum ſubiturus, utpote qui tum viciſſe me exiſtimem, quum veritas vincit ac triumphat. Atque hæc quidem quinque membra operis ſuſcipiendi, totidem nobis Capitum Titulos conſtituunto.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT PRIMUM

Exhibens incommoda & Defectus, quibus Hodierna Linguae Hebraeae cognitio adhuc laborat.

VIII.

Si quid unquam male tutum ac firmum convaleſcet, priſtinumque vigorem recuperabit, adfecta ægrotantis conditio cognoſcatur neceſſe eſt; cujus vitioſus habitus ſi occultetur, & tectorio incruſtetur, malum altius perſidet, atque eo usque vires ſumet eundo, ut remedio locus deinde relinquatur nullus.

IX. Hæc me cauſa & ratio impellit, ad Hebrææ Linguæ, quemadmodum ea in dictionariis lectiſſimis conſignatur, vel apertos & ab omnibus agnitos, vel tectos atque a Lexicographis minus intellectos defectus enudandos: ut ita illius ſtudii ardor, quem ingenio atque induſtria pollentibus, in pulchrasque ſpes effloreſcentibus juvenibus noſtris commovimus, magis magisque incendatur, ſimulque facula ipſis praeferatur, quam in partem potiſſimum cura ipſorum incumbere debeat, ſeque cum inſigni fructu exerere poſſit.

X. Eum in finem enotabo, & neceſſariis ſpeciminibus ſub conſpectum dabo, octo graviores imperfectiones, quæ Linguæ Biblicæ cognitionem penitiſſimam & limpidiſſimam etiamnum præpediunt; omnemque Majeſtatem ſermonis ſacri exhaurire non permittunt. Has bene facient Studioſi Hebraicæ veritatis, ſi tanquam totidem claſſes vocum uberiori luce indigentium, ſemper ob oculos habuerint, atque in adverſaria conjectas, copioſioribus exemplis adauxerint, ut probe perſpectum ſit illis, longaque meditatione ſubactum, quod Viri inter Viros facti, ſua forte diligentia ac ſagacitate illuſtrare poterunt, atque, ad egregium publicum, e penu Orientali expedire.

XI. Has Claſſes defectuum ſummatim delineaſſe operæ pretium fuerit. Prima continet radices omiſſas plane ac neglectas, quæ poſtliminii jure in ſuas ſedes vindicandæ ſunt. Secunda comprehendit ea themata, vel & derivata, quorum adhuc fluctuat, ac quaſi ſub judice pendet, genuina ſignificatio. Tertia ſita eſt in verbis bene multis, non nativa, genuina, ſua, ſed ſubdititia, aliena, ex lacu minus liquido hauſta, notione, donatis. Quartam conſtituunt ea vocabula, quorum ſignificandi late fuſa diverſitas, quinque, ſex, ſeptem, pluribus divergiis, & Metaphorarum aquæductibus ſparſa, miris modis implicat diſtrahitque, etiam exercitatiſſimos, interpretes, quod primæva ſcaturigo ignoretur. Quinta complectitur radices, quarum exterior adſpectus uſusque utcumque ex orationis ſerie attingi poteſt, ſed ad quarum interiorem proprietatem atque emphaſin, nulla humana acie penetrari poſſit, niſi aliunde admi-

minicula ſubminiſtrentur. Sexta hanc ſubſequitur, ſe extendens ad omnes in univerſum radicales voces triliteras; etiam vulgatiſſimas, & ſexcentis in locis contritas, quarum tamen Origo atque antiquiſſima indoles, ex tenuibus reliquiis Bibliorum elici non potuit, neque profectò unquam elicietur, in liquidoque ac tranquillo ſtatuetur, niſi lumine foris conquiſito atque infuſo. Septima ſeſe diffundit ad plurimorum derivatorum, quin & conjugationum, formationem, in quibus analogia & linguæ interior natura nondum ſatis explorata habetur. Octava poſtremo ſinu ſuo profert integras loquendi formulas, cœlo Orientis proprias, quas nemo unquam rite enucleabit, niſi eodem aëre Orientali, ut ita dicam, hauſto, id eſt, pectore imbuto figuris & metaphoris grandioribus, quas genius erectior & ſublimis, ut & ingenium peculiare Linguæ, populis illis inſpiravit.

XII. Primam claſſem defectuum ſarciendorum, colloco in radicibus ab exilio reducendis, atque Poſtliminio in ſedem ſuam reponendis, ad intelligentiam multorum Sacræ Scripturæ locorum, ubi earum veſtigia ſeſe offerunt. Hoc ut quale ſit, quam lateque pateat, demonſtrem, res paulo altius erit repetenda. Omnes qui aliquid in literatura Hebraica vident, mecum conſciſcunt, magnam veteris linguæ partem intercidiſſe, atque in uno Codice Sacro, haud ſane voluminoſo, neutiquam omnem ejus amplitudinem ſeſe conſpiciendam præbere. Hoc ut ultro Viri Docti confitentur, ita minus videntur attendiſſe ad magnitudinem illius cladis, quæ aliquot millia radicum nobis ſubtraxit, multoque plures adhuc formas derivatas, ſuarumque ſtirpium propagines.

XIII. Curioſæ res eſt indaginis, nec injucundæ contemplationis, ex elementis & primordiis ipſis linguarum Orientalium, quæ cum Hebræa Matre iisdem radicibus nituntur, deprehendere, circiter duodecim millia thematum radicalium extare potuiſſe, tribus literis conſtantium, ut quadriliteras formas nunc circumcidam, quum interim vocabula primitiva & radicalia, quæ Bibliis Hebraicis comprehenduntur, ne duo quidem millia explere valeant.

XIV. Accedit huc ramorum, ex ſtirpibus ſubmiſſorum, ſylva, atque lætiſſima materies; quælibet enim radix, ſi ejus nativam vim, ſeque explicandi & diffundendi potentiam conſideremus, ex ſeſe propagare apta nata fuit, per ſuas conjugandi derivandique formas & inflexiones, ad minimum triginta, aliquando vel ſexaginta ſoboles, quæ ſi cum decies mille matricibus, quas injuria temporum delere potuit, in unam ſummam colligantur, trecenties millies vocabulorum Hebraicorum interceptum nobis ſit, ſi parciſſime calculos ponamus, atque ſub gentis Hebrææ interneciva ſtrage ſepultum jaceat.

XV. Capiatur ſpecimen arcani hujus, ex ordine vocum radicalium, quæ principem locum in Lexicis Hebræis obtinent. Comparent ibi אבב / אבד / אבה He quieſcente. אבח / אבך / אבל / אבן / אבס / אבק / אבר / decem in totum themata, quum viginti duo vel tria, ſi *Sin* & *Schin* dirimamus, ſeries illa amplecti, potuerit, ut proinde interciderint אבא / אבג / אבה cum *He* *Map-*

Mappikato, אבז / אבט / אבם / אבף / אבע / אבש cum *Sin*, אבש cum *Schin*, אבת. Pro אבו ultima *Vav* mobili, itemque pro אבי poſtrema *Jod* ſeſe movente, quæ priſcus mos retinebat ſonabatque, politior ætas dedit אבה / ex claſſe quieſcentium *He*, literis *Vav* aut *Jod* vel excluſis, vel in quietem tranſditis.

XVI. Huic proxime annexus ordo ſiſtit tantum ſeptem primitivorum thematum veſtigia, quorum tria etiam a nonnullis penitus expunguntur, atque *Aleph* ſervile aſſumſiſſe creduntur. Sed ſi jam teneamus, quod a plurimis in medium confertur אגר / אגז / אגל / אגם / אגן / אגף / אגר / obliteratæ erunt ex hoc litterarum filo ſedecim radices, אגא / אגב / אגג / אגה / cum *He Mappikato*, אגו cum *Vav* mobili, אגח / אגט / אגי cum *Jod* mobili, אגם / אגע / אגץ / אגק / אגש dupliciter enunciandum, אגת.

XVII. Subſequitur ſeries ad majorem adhuc paucitatem redacta, quippe quæ quatuor modo primitivas ſtirpes reſervavit, vel forte tres, quum לאדיב 1 *Sam.* 2: 33. ad Chaldaicum דוב pro זוב / vel & דאב a multis revocetur. Ei autem conjunctus ordo non niſi duas אהב & אהל repræſentat. Alibi nonnunquam unica tantum tabula e magno naufragio apparet, alicubi nulla; quum tamen illum quoque compoſitionis radicalis ductum atque tenorem olim extitiſſe, & pulcris thematibus floruiſſe, ex nominibus propriis, quæ paſſim in monumentis Biblicis ſparſa ſunt, evidentiſſime liquere poſſit.

XVIII. Hoc Hebraicæ linguæ, aliqua ſaltem tenus, reſtituendæ, atque in ampliorem campum educendæ, principium, quam late ſeſe porrigat, quantasque præbeat opportunitates, in nominibus propriis, quæ dixi, regionum, urbium, locorum, hominum, enodandis, otioſiori fortaſſe aliquando ſuſcipere & exequi licebit. Nunc, quicquid me abducere poſſet a curſu propoſito, amputans, & digitum ad hos fontes intendiſſe contentus, eo pedem referam, quo me inſtituta hæc diſputatio ire jubet.

XIX. Elucet ſcilicet ex fundamento quod jecimus, ſive id ad rotundatum numerum omnis radicalis ſtructuræ ſeſe extendat, ſive etiam arctioribus cancellis includatur, capitalem errorem errare Viros illos eruditos, qui ex reliquiis tenuiſſimis Bibliorum, linguæ Hebraicæ opesne dicam, an inopiam metiuntur, & ditiſſimæ Matri opulentarum dialectorum, paupertatis dicam ſcribunt; quos male ſubductos calculos tum hoc, tum aliis e fontibus, redarguere feſtinanti mihi haud eſt animus.

XX. Elucet quoque, minus feliciter rationes ſuas inſtituiſſe illos Hebraici ſtudii anteſignanos, qui ubi in aliquod verbum rarius atque inſolentius inciderent, continuo ad thema literis vicinum oculos reflexerunt, atque incognitum, aut minus promtum, ſub cognitum quid in ordinem redegerunt: quo pacto anguſtas ſane ſermonis Biblici copias, multo adhuc anguſtiores reddiderunt, & quam arctiſſimis cancellis incluſerunt, quod omni ope in antiquam amplitudinem fuerat educendum.

XXI. Hoc in genere luxuriarunt *Forſterus* & *Avenarius*, viri ſagaciſſimi quidem illi, & de re Hebraica præclare meriti, ſed quibus ipſum illud, quo vigebant,

Ss

Digitized by Google

gebant, acumen ſæpe impoſuit, umbramque pro ſolida ſignificatione ſuggeſſit. Horum univerſam hypotheſin inſtitutumque caput ſequens latius exequetur. Caſtigatiores quidem ſeſe præbuerunt reliqui Lexicographi, neque tamen ab illa affinitate literarum captanda ſatis ſibi temperare potuerunt, tum quod neſcio quæ blanda ſpecies hic facile alliciat, fucumque faciat, tum quod vix ac ne vix quidem a nobis impetrare poſſimus, ut quod neſcimus, neſcire nos ingenue profiteamur. Ex hoc fonte dimanavit, quod derivata מֶשֶׁק *Gen.* 15: 2. in phraſi בן משק ביתי *procurator domus meæ*, paſſim, itemque ממשק *Zeph.* 2: 9. in formula ממשק חרול/ qua *Urticetum horridum* deſignatur, a *Coccejo* revocentur ad thema שוק *diſcurrere*, indeque non adeo limpide deducantur. *Buxtorfius* aliique poſuerant pro poſteriori vocabulo radicem משק/ ſed cæcam, atque incompertæ poteſtatis, indeque, quod melius nihil præſto foret, ממשק *derelictionem*, aut *locum derelictum* expoſuerant. Meo quidem judicio res & ratio exigunt potius, vocabulum ignoratum in medio relinquere, atque ſimul monere, in dialectis veſtigandum eſſe, num forte ibi thema משק cum opportuno ſignificatu conſervatum fuerit. *Avenarius* interim jam ulterius proceſſerat, atque radicem משק liberaliter donaverat poteſtate *ſcatendi vepribus*, ob agnationem, vel potius alliterationem cum קמוש *carduus*; indeque ממשק declaraverat *locum vepribus ſcatentem*; quaſi omnia liquida & explorata hic forent: ſed merito deſeruerunt omnes ab omni auctoritate deſertum, & ſolius luſus acumine vitreo nitentem.

XXII. Cum משק/ cujus faciem nativam ſtatim aperiam, connecto aliud in hoc ordine radicalium plane expunctum thema, nulloque in Dictionario, quod quidem viderim, comparens, מישע. Ejus forma ſegolata ſeſe offert *Ezech.* 16: 4. *Die quo in lucem edita es, non eſt reſectus umbilicus tuus*, ובמים לא רחצת למשעי. Affixo demto, diceres redire משע/ ſed quod nec talem radicem, nec veſtigium talis radicis deprehenderent interpretes, alius alia circumſpicere cœpere, & vel ex Chaldaico שעע *nitorem* aſſumſere, vel ex שעה *adſpectum meum*, vel ex שעשע *delicias meas*. *Avenario* vox ſine affixo a שעה eſt *adſpectus blandus*, indidemque *Forſterus* nobis *blandum amplexum*, *oſcula blanda* exhibuit. Ecquid hæc ipſa fluctuatio & diverſitas neceſſitatem arguit reponendæ radicis משע? Utique ubi מישה / מישח / מישך / מישל / משק/ מישש/ viguere, dubitari jure nequit, quin משע/ & alia complura hanc feriem ſtruentia verba, viguerint tum, quum linguæ amplitudo et opulentia floreret. Sed, inquit aliquis, ignoratur, quid notionis iſtud משע gerere potuerit, præſtiteritque proinde aliquid, ſpecie non deſtitutum, aſſumſiſſe, quo expediare, quam impeditum reſiſtere, locumque hiantem quodammodo relinquere. Haud diffiteor equidem, omnem in contextu, vel minimum, hiatum, perincommodum accidere, ſed eum utcumque impleri melius eſſe, quam præteriri, in profanis auctoribus non admittunt graves & prudentes Critici, nedum ut in ſacris tale quid admitti queat; ubi periculum eſt majus, ne novæ & ex inopia introductæ illæ ſignificationes, longa poſſeſſione gaudentes,

dentes, veteres & genuinas, ſub novitatis prætextu, excludant: cujus rei aleam forte מִשְׁע noſtrum ſubibit, quum paulo infra notionem ejus aperiam, atque ad textum *Ezechielis* applicabo.

XXIII. Inter radices reſtituendas porro offert ſeſe נבה ultima *He* quieſcente, quæ ex omnibus Lexicis exulans, clariſſimum tamen veſtigium ſui reliquit 2 *Reg* 3: 24. ויבאו אל מחנה ישראל ויקמו ישראל ויכו את מואב וינסו מפניהם ויכו בה והכות את מואב *Et venerant* Moabitæ *ad caſtra Iſraëlis: ſurrexerunt itaque Iſraëlitæ, & Moabitas ſtraverunt fuſos fugatosque;* ויבו *in iis, idque Moabitas ſternendo.* Aqua, in hoc verbo nusquam alibi lecto, tantopere hæſit *Maſorethis*, ut in margine ויכו correxerint, quo nihil inelegantius, hac quidem in ſede; excogitari potuiſſe videtur, ſic enim ingratiſſima exoritur repetitio ejusdem verbi, ויכו את מואב ויכו בה והכות את מואב *Et ſtraverunt Moabitas —, & ſtraverunt eos, idque ſternendo Moabitas.* Inficetum & ταυτόλογον hujus orationis reſpuerunt quoque verſiones fere veteres ac recentiores. *Vulgatus* dedit, *Et venerunt qui vicerant, ac percuſſerunt Moabum.* LXX. habent, καὶ εἰσῆλθον εἰσπορευόμενοι καὶ τύπτοντες τὴν Μωάβ. Scilicet emendarunt & ipſi locum ſalebroſum, quem aliter expedire non valebant ſubſtituendo ויבואו בוא *& ingreſſi ſunt ingrediendo*, nempe *Moabitidem.* Etiam magiſtri hic *Maſoram* repudiare coguntur, *Kimchio* pro וַיַּבּוּ ſumente וַיָּבֹו *Vau* pro *Aleph* poſito וַיָּבֹא; Cl. *de Dieu* mallet per *Apocopen τῦ Aleph*, pro וַיָּבוֹא. Clariſſ. *Clericus* reponit plurative וַיָּבֹאוּ *Tum ingreſſi eorum* ſolum, *eos* iterum *ceciderunt:* ad quam faciem ferme Belgica noſtra verſio concinnata eſt, *Quin imo ingreſſi ſunt in* regionem, *cædendo etiam Moabitas.* Aliam adhuc conjecturam propoſuit *de Dieu*, thema יבב huc advocans, cujus *Pibel* ſemel extat *Jud.* 5: 28. per *lamentari* ibi converſum a *Coccejo*, ab aliis per *vociferari*, unde *vociferatio bellica* pro præſenti loco poſſet elici, adjutante inſuper illum ſenſum uſu Syriaco in *clangore tubarum.* Inde in *Kal* וַיָּבוּ בָהּ foret, *Et vociferati ſunt in ea*, ſupple, *terra*, vel *loco* ubi erant; ſed quia *Vau* per *Patach & dagesh* præfigitur futuris tantum, וַיַּבּוּ refingere debuit, cui medicinæ parum fidens ipſe, tandem ad וַיָּבוּ recurrit, in eaque emendatione pedem figit.

XXIV. Omnes hi conatus, qui neutiquam e limpido fluunt, & a me gravari poſſent ſuis quique incommodis, inde mihi profecti fuiſſe videntur, quod non ſatis vel perpenſum, vel ſaltem menti præſens fuerit, multa rara atque ſingularia in Codice Sacro, perquam anguſto illo, & ne centeſimam quidem partem veteris linguæ comprehendente, occurrere poſſe, atque adeo, ſecundum omnium linguarum naturam atque conditionem, occurrere debere, quæ ex ſuppellectile reliqua unius illius Libri, explanari nequeant. Quis mihi negaverit, Hebrææ linguæ illum deferendum eſſe honorem, quem Græcæ, Latinæque exhibemus? ut ſi incidamus in vocabulum aliquod inſolitum, analogiam modo ſervet, continuo illud pro gemmula antiquitatis ſuſpiciamus, licet forte adhuc minus intelligatur; quum interim longe dispar ſit con-

 ditio,

ditio, & tanto majori jure rara Latina aut Græca ad trita & bene cognita reformarentur, quanto libris abundatur, patentioreque Linguarum illarum conſpectu perfrui datur.

XXV. Legitime hinc infero ac concludo ad emendationem hujus contextus non tuto manum admoveri, quum plusquam veriſimile ſit, exſtitiſſe, vivente ac vigente re Hebraica, verbum radicale נבה ultima *He* quieſcente; qui enim habuere in hoc ordine litterarum נבא / נבח / נבט / נבל / נבע / etiam reliqua ejusdem tenoris habere potuiſſe intelliguntur, licet nusquam forte in Bibliis appareant, veſtigiumve hic aut illic impreſſerint. De noſtro quidem נבה / ſi quid video, dubitari non poteſt, quando evidentiſſima præ manibus eſt forma, ex futuro Hiphil inde derivata. Sed ignoratur in hodierno noſtro ambitu, quo linguam Hebræam circumſcripſere Lexicographi, tum radix illa, tum ſignificandi ejus poteſtas! Quid tum poſtea? An propterea obelo configi debet, atque tanquam adulterina eradicari? Imo vero retineatur potius quam ſtudioſiſſime, atque inculcetur ſimul, defectu neceſſarii luminis promi nondum poſſe, quid Hebræis olim valuerit נבה; ſed eſſe cur ſperetur, fugitivam ſignificationem poſſe in lucem retrahi, ſi dialectorum ſcrinia rite excutiantur.

XXVI. Quam id non ex vano adfirmem, illuſtri documento erit hoc ipſum thema, apud Arabes ea poteſtate conſervatum, qua nulla opportunior, pro ſerie & filo orationis, excogitari poſſet. Videlicet نبا ultima *Vav* & *Je*, id eſt נבה cum *He* quieſcente, ſecundum dialectum Hebræam, propriam ſedem obtinet in *gladio retuſo ictibus*. Adſtruamus id paucis, figurasque pervenuſtas, quibus inter Arabes ea radix ditata eſt, etiam attingamus, ut hoc tanquam ſpecimen ſit opulentiæ ejus, qua Hebræam matrem quoque adfluxiſſe veriſimile eſt, tum, quum res ejus integræ atque illibatæ vigerent. *Tebriſius* ad *Hamaſa*, uſum ſic pandit النبو ان يرتد السيف عن الضريبة من غير تاثير فيها *Thema* נבו *adhibetur in gladio, qui reſilit a re percuſſa, absque ut ullum in ea veſtigium ictus imprimatur.* Verſiculus ille, ad quem hoc annotavit accuratus ille Criticus, ſic habet

انا السيف الا ان للسيف نبوة
ومثلي لا تنبو عليك مضاربه ✡

Ego ſum Gladius belli, *niſi quod Gladio retuſio eſt;*
At Viri, qualis ego ſum, ictus ſuper te, nunquam retunduntur.

Conſimiliter in *Camus.* نبا السيف عن الضريبة *Enſis verberando retuſus fuit & reſiluit.* Non tamen priora & primaria eſt illa notio, nam ut *Teblebius* meus, ad *Hariræum* docet, يقال نبا ينبو اذا ارتفع ومنه نبا السيف اذا ارتفع ولم يقطع נבה *ultima quieſcente. dicitur de re quæ ob elationem protubera:,*

berat, indeque orta eſt locutio נבה הסיף *Gladius retuſus fuit, quaſi dicas tuberavit, non amplius ſecans.* Hunc primigenium uſum exhibet *Hariri* in principio *Conſeſſus* 3. ubi ex opulentia ad ſummam inopiam revolutas fortunas graphice ſecundum Orientis genium ita pingit. صفرت الراحة وقرعت الساحة وغار المنبع ونبا المربع *vacuata eſt vola manus, & area decalvata, & ſcaturigo areſacta, & Gibboſus tuberansve redditus locus commodi decubitus.* Ubi iterum *Teblebius* نبا اي تجافا وارتفع يقال نبا المنزل باهله اي وجدوه نبوة اي ارتفاعا غير وطي ولم تمكن فيه الاقامة *Verbum* נבה *hic eſt, incommodum & tuberantem reddi; dicitur enim* נבה המנזל באהלה *tuberavit ſedes,* manſio, *pro populo ſuo, quum experiuntur eam Gibboſam, non planam,* commodam, *neque amplius ſubſiſti ibi poteſt.* Ex fonte hoc ſunt نبي & نابي *locus gibboſus ac convexus.* نبوة & نباوة *pars terræ gibboſior & convexior* apud *Golium* & *Giggejum*; unde apparet نبا السيف عن الضربة *retuſus fuit gladius cædendo*, in origine tantundem eſſe ac, *veluti convexus & Gibboſus factus gladius reſiluit*, neque amplius *ſedere* ac *penetrare* valuit. Ejusdem porro originis ſunt formulae elegantes نبا البصر عن الشي *retuſa* reſiluit *acies* oculi *a re aliqua*, apud *Golium*, id eſt *hebetatus fuit defective viſus*; ſed major eſt gratia atque emphaſis, nempe quum *oculus a re ingrata quaſi reſilit.* Inverſa etiam ſtructura dici poteſt, نبا الشي عنه *res ab illo reſilit*, & نبا صورته *forma ejus reſiluit*, atque *oculo haud grata* accidit. نبا جنبه عن الفراش *reſiluit latus ejus a ſtrato;* id eſt, *incommodius* illud *ſenſit*, ac propterea reliquit. نبا السهم عن الهدف *reſiluit ſagitta a ſcopo;* pro *ſcopum non attigit.* Quæ omnia ſpecimina eloquentiæ Arabicæ, ut genuinam indolem verbi נבה illuſtrant, ita guſtulum præbent, quousque etiam in eloquentia Hebræa ſeſe explicare & porrigere potuerit, quorum uſuum exempla nobis librorum multitudo ſuppeditaviſſet, ſi tam beatis eſſe licuiſſet, ut pluribus monumentis priſcæ linguæ abundaremus.

XXVII. Hocce jam *retuſum* & *hebetatum* in *gladio*, quod themati נבה ineſt, locum antea ſalebroſum unice expedire & figura opportuniſſima augere, nemo non agnoſcit. *Et ſurrexerunt Iſraëlitæ, ac Moabitas ſtraverunt in fugam datos:* ויכו בה והכות את מואב *& retuſos in illa* ſtrage *reddiderunt gladios, idque Moabitas cædendo.* בה malim *in ea* ſtrage, *in ea* actione. Poteſt etiam capi pro בם *in iis;* quia gentes *ſingulariter* & *fœminine* efferuntur. Sed prius venuſtius, credo, ac rotundius. Offendere autem neminem debet, quod חרב *gladius* hinc abſit, nam & res ipſa id ſatis dictabat, & *formula bellica* hic exhibita illam nunc vocem, ut ſupervacuam, reſpuebat. Scilicet dixiſſe videntur Hebræi הכה והכה, non ſine alliterationis pulcro luſu, *Cæcidit & retuſum reddidit;* nempe *gladium* ſuum, quum vellent *horrendam ſtragem* deſcribere, quam formulam huic deſcriptioni propterea appoſitiſſime intexuit Sacer Scriptor, ויכו את מואב ויכו בה והכות את מואב, quæ univerſa

verſa ſtructura, in primi ac poſtremi membri collocatione, ex intima Orientalis facundiæ artificio eſt depromta, ac nihil otioſi languidive trahit: quia cædes internecina longe lateque omnem in partem continuata, ad *retuſionem* usque *ferri*, iſta venuſta repetitione inculcatur.

XXVIII. Invitat me occaſio, ut obiter inſeram ſpecimen rei ſuperius commemoratæ, in nominibus propriis locorum ac perſonarum veſtigia radicum obliteratarum eminere; unde ſimul relucebit propria illa & antiquiſſima poteſtas quam in נבו reſediſſe videmus, *Gibboſi* nempe & *cum convexitate editi*. Nihil ſcilicet opportunius eſt, quam hæc ipſa ſignificatio, ad etymon expediendum montis *Nebo* נבו, qui Moſis fato nobilitatus fuit, alias עברים *Abarim* dictus, exadverſus *Jerichuntem*, *ſitu valde excelſo* ut *Joſephus* teſtatur. *Euſebio* appellatur ὄρος Ναβαῦ, *Vav* ſecundum dialectum Arabicam motum ſuum exerente. Nobilis quoque eſt cognominis urbs *Moabitarum*, *Eſaj.* 15: 2. & *Jerem.* 48: 1. de qua ambigitur, appellationemne ſuam invenerit a *monte*, an magis *mons* ab *urbe*. Poſterius illud ſequitur Celeb. *Vitringa*, quod forte non feciſſet, ſi *gibboſi* & *convexi* ideam, ſub hiſce radicalibus, in promtu habuiſſet. *Hieronimus* idoli Babylonici vocabulum hinc diverſum נבו *Eſaj.* 46: 1. male cum eo confudit, & *prophetiam* ac *divinationem* exprimere tradidit. Erravit ſolennem illum errorem, quo ignota ex notis explicantur, atque ad נבא ultima *Aleph* oculos intendit. Sed duo hæc themata multum in origine diſſident, quamvis nonnunquam ex viciſſitudine literarum *Ehevi* commiſceantur. *Lunam* eo titulo ſignari volunt viri docti, quæ conjectura ſi non falleret, ab *obtuſiore lumine* veriverbium poſſet derivari, in quem tamen campum me immittere jam non ſuſtineo.

XXIX. Ordine retrogrado conſero me potius ad thema deperditum משע quod reſtituendum dixi *par.* XXII. *Ezechieli* Cap. 16: 4. ביום הולדת אתך לא כרת שרך ובמים לא רחצת למשע' והמלח לא חמלחת והחתל לא חתלת LXX. non intellectum omiſere illud למשעי. *Hieron.* dedit, *ad ſalutem*, arripiens aliquid ex vicinitate cum ישע. *Buxtorf.* poſt Rabbinos, *ad adſpectum meum*, a שעה, *quam* primum *te adſpexi*, quod Belgæ retinuere. Alias hallucinationes ſuperius exhibui, nec plures perſequi pretium eſt operæ. Aliquid tamen loci vindicat, quod ex שוע *linire* elicuerunt nonnulli, *ad liniendum*, *leniendum*, *lævigandum*, vel & *mollitiem*, quod ſuum fecit *Calvinus*. Id ſic ſatis quadrat ad ſeriem orationis, quæ ſimile quid exigit, *leniſque*, & inter lavandum fricandumque, *mulcentis manus blandiorem tactum* poſtulat. Id ipſum Arabibus eſt مسع, divite vena per varias manans metaphoras, quas, ut fit, in lingua patria Arabum Lexicographi ſatura lance miſcent & effundunt. Submoneo illud, ne diverſitas & multitudo ſignificationum apud *Golium* & *Giggejum* fraudi ſit. Filum, naturali ſuo ductu a me evolvendum, ſic decurrit, ut principem notionem conſtituat *mulcere tergendo*, vel *blanda manu pertergere*. Inde phraſes in *Camuſo* enotatæ, & in *Gjeuhario* مسع القصعة *terſit paropſidem*, pro *edendo penitus evacuavit*. Item امتسع ما في الضرع

Ubera

Ubera mulgendo prorſus exhauſit. Proprie *terſit*, *exterſit ubera*. Item porro مشع الغنم *pecus terſit* pro *mulſit*; imo vero *emulſit*, ſic ut nihil lactis relinqueretur. Inde formula غنم ممشوع ממשוע *pecus emunctum*, apud *Giggejum*. Rectius poſueris *exterſum* atque *emulſum penitus*. غنم مشوع משוע idem. Hinc ſubnata locutio figurata, quæ apud *Golium* in primo agmine comparet, امشع منه ما مشع لك אמשע מנה מה משע לך *Mulge*, *terge ex illo*, *quicquid mulgere*, *tergere*, *tibi licet*. Dubito num *Golius* intellexerit, quum ſine ulla declaratione originis vertit, *Cape ab eo quicquid inveneris*: præiverat quidem ei *Gjenharius*, ſed Arabs Arabibus ſcribens, non neceſſe habebat id aliter declarare, quum primitiva vis *mulgendi extergendique* omnium ſermone contrita foret. Ergo illud *colligere*, *acquirere*, *lucrari*, quod in Lexico *Goliano* primam ſedem occupat, nihil aliud eſt quam *mulgere*, *emulgere* lucrum, figura apud Latinos quoque recepta, nec noſtro ſermoni incognita; ubi ſi quis Melcken/ improprie *emungere* & *emulgere pecunias alicui*, non diſcerneret a proprietate, ſed extra figuram crederet. Melcken primario ſignificare *Lucrari*, næ ille magnas in phraſibus noſtris turbelas daret, atque omnia fusque deque commiſceret.

XXX. Quamvis autem verear ne nimius ſim, in locutionibus figuratis hujus thematis perſequendis, non poſſum tamen quin telam ſuſceptam detexam, tum ut *Philarabes* conſimilia dextre tractare condiſcant, tum ne vagam quandam & confuſam notionum multitudinem inter Arabes regnare criminentur, qui Lexica evolventes, ſæpe viginti & ultra ſignificationes diſſonantes ibi inveniunt. Noſtrum eſt vitium, quin & ipſorum Lexicographorum, haud ſatis in legitimo filo ſequendo accuratorum, non vero Linguæ, quæ ut Metaphoris circumfluit, ita omnes illas ex unius propriæ ac primigeniæ ſignificationis ſcaturigine profundit, quamvis non ſemper forte antiquiſſimus ille fons, vel ipſis Arabibus, ſit introſpectus.

XXXI. Redordior ergo quod abruperam, & ab *emulgendo extergendoque* promanaſſe ajo phraſes مشع البول *minxit*, proprie *lotium mulſit*: iterum مشع المني *ſperma emiſit*. Diverſo meatu مشع القنا *arundinem* ſaccariferam, aliudve quid tenerum, molle, delicatum *mulſit*, pro *ſuxit*, *ore commandit*. Alium per canalem مشعه بالحبل *Mulſit*, terſit, *illum fune*, pro *verberavit*; *male mulcavit*, *perterſit* ut ita dicam, in quam Metaphoram & Belgice *tergere*, ſtrijken/ traducitur. Illuſtrat quoque vernacula noſtra alium uſum, quo امتشع السيف *terſit gladium*, valet *celerrime evaginavit*. Ut autem nos dicimus ſtrijken/ gaan ſtrijken/ in eo, qui *furtim ſe ſubducit*, &, komen aanſtrijken/ quum *molli vel blando gradu accedit*, ſic مشع iisdem notionibus auctum eſſe docet *Phiruzabadius*, atque ex eo *Giggejus*, tanquam multo tritiſſimis principe quoque ſede iis aſſignata.

XXXII. Agmen claudat, meque tandem & lectorem meum abſolvat, ſignata

Digitized by Google

ta & religioſa poteſtas Conjug. 5.. quam tamen & prima conjugatio recipere poteſt, qua تمشع الرجل *ſeſe probe exterſit Vir*, תמשע, eſt *a ſe omnem noxam legalem, omne vel minimum corporis inquinamentum removit*, ſpeciatim *lapillis ſeſe tergendo & fricando*. Sic recte *Golius*. Quid *Giggejus*? Vide & ride. *Noxia a ſe ipſo removit. Lapidibus ſeſe tutatus eſt*. Poſtremum illud, eſt interpretamentum verbi استنجا, quo *Camuſi* auctor تمشع declaravit. Id neutiquam hic erat capiendum pro *tutari ſe* lapidibus, ſed in legali illa & religioni dicata ſignificatione, qua apud *Golium* convertitur, *pollutum ſtercore, urina, ventris crepitu, locum corporis mundavit ab illa immunditie*, نجو *dicta, ſive aqua abluendo, ſive lapillis detergendo*.

XXXIII. Otioſi nimis ac curioſi videri poſſet illud poſtremum, tam diligenter enucleatum. Sed ecce ipſiſſimum illum uſum, quo e luce revocato indigebat *Ezechiel*, ad omnem emphaſin loci obſcurati adſpiciendam. *Quod ad natalia tua attinet, quo die in lucem edita es, umbilicus tuus non reſectus eſt, & aquis non es abluta* Ad Tersionem Mihi; *neque ſale es conſperſa, neque faſciis involuta*. Apparet משע eodem plane uſu auctum, in *religioſa & puritatis legalis ſtudioſa cura*, *qua ſordes* fœtus a matre rubentis eluuntur, *extergentur*, effricantur; idque *manu molli*, ac totum corpus *permulcente*; quæ omnia in radicem مشع confluunt, ut proinde nervoſius aut conſignatius nihil inveniri potuerit. Pulcherrime autem poſitum eſt illud למשעי *ad terſionem mihi*, cum pleonasmo pronominis affixi; ſuffeciſſet quidem במים לא רחצת למשע *Aquis non abluta es ad ſordes nativitatis tergendas*; ſed illud *Mihi* in למשעי emphaſin addit & gratiam orationi; quod genus locutionum cum affixo, haud ſatis ubique intellectum, in aliam operis noſtri partem commodius ſeponam: nunc ſpecimen modo habeatur ex *Eſaj*. 13: 3. גברי עליזי גאותי *Heroës meos* advocavi, *qui exultant ſuperbia mihi*. Cape id pro ſimplici. *Heroës ſuperbe feroces & exultabundi ob victorias*. Itemque ex *Jerem*. 49: 15. איך לא עזבה עיר תהלה קרית משושי *Quomodo ut Nihil deſerta eſt urbs celebratiſſima, Civitas hilaritatis meæ*. Sic vulgo. Sed ſonantius & rotundius erit, *Civitas hilaritatis Mihi*, niſi quod pro *Hilaritatis* adhuc ſubſtituendum ſit ibi, *ſuperbiæ feroculæ, & limis ocellis geſtientis*.

XXXIV. Convertor tandem ad thema משק, fluctuans adhuc, inſtabilisque tum ſedis, tum ſignificationis, ut *par*. XXI. vidimus. Iſtæ radicales مشق frequentantur ab Arabibus *in pectendo*; & idem plane ſonant ac مشط *pexuit capillos*, niſi quod مشق משק latiorem ſumat uſum, atque non in *crinibus* modo *pectendis*, ſed etiam in *lana carminanda*, ſimilibusve, teratur. Hinc apud *Giggejum* المشق *pecten*, & المشاقة *decidua crinium, cum pectuntur; decidua lanæ, cum carminatur*. Item مشقة القطن *particula pexi Goſſypli*. Ex hoc primario fonte *pectendi* metaphorarum larga copia fluxit. quas curſim illuſtraſſe non abs re fuerit, ad linguæ amplitudinem ſimul & conſtantiam per-

perſpiciendam; præſertim quum dictionaria *Golii* ac *Giggeji* iterum minus peritos conturbare poſſent. Apud *Golium* in prima claſſe ſignificationum legas, مشق *celeriter haſta fodit, verberavit, conſuit, ſcripſit:* &, *deproperavit ictum.* His ſubnectitur deinde, tanquam in ſecunda quadam claſſe, *pexuit.* Atqui ſuperiora illa omnia *ſecundaria* ſunt, & per diverſas figuras a *pectendo* deflexa. Succurrant nobis hic, ex aliqua parte, Latium & Græcia, ut nihil temere adfirmaſſe videar. Nihil tritius apud *Plautum*, quam *pugnis pectere;* pro *propere & probe diverberare.* Habe modo Rud. 3: 2: 47.

Opinor pugnis pectitur.
Nimis mavelim improbiſſimo homini malas edentarier.

Adde *Pœn.* 1: 2: 145. Et *Mænech.* 5: 7: 28. Adde & *Terentianum* illud ex *Heaut.* 5; 1: 77.

Egone? ſi vivo, adeo exornatum dabo,
Adeo depexum, ut dum vivat, meminerit ſemper mei.

Ubi luſus pulcherrimus ex ambiguo uſu *depexendi* captatus. Huc pertinet etiam *Rud.* 3: 5: 36.

Extemplo ampectitote crura fuſtibus.

Quæ *Acidalii* lectio videtur præferenda alteri illi *amplectitote*, quamvis & illa habeat quo ſe defendat. Græca quoque eſt elegantia πεκτεῖν adhibere in *ictibus repetitis.* Fundus mihi eſt *Suidas* πεκτούμενον. Τιλλόμενον. ξεόμενον. Ἀριστοφάνης.

Καὶ ποιήσω τοὺς δημότας βωστρεῖν σ᾽ ἐγὼ πεκτούμενον.

Pexum, vulſum, raſum, dedolatum verberibus. *Ariſtophanes.*

Efficiam ego, ut probe pexus, prob populariûm! clames.

Locus eſt in *Lyſiſt.* vſ. 686. ubi Scholia etiam πεκτούμενον, τιλλόμενον, ξαινόμενον. *Pexum* dicit *vellicatum, carminatumve pugnis ac verberibus.* Nec omittendus hic *Heſychius*, qui præbet, πέκτει, κτενίζει, τίλλει, ξαίνει. *Pectit, cædit, vellicat, tondet, carminat.* Nec mirum videri queat πεκτεῖν ſic tranſlatum ad *cædes* & verbera, quum ξαίνειν *carminare*, proprie, improprios hoſce uſus frequentiſſime admiſerit. ξαίνεσθαι μάστιξι. *carminari*, carpi, *pecti flagellis.* ῥάβδοις ἔξαινον τὰ σώματα *virgis carminabant corpora:* depectebant. σάρκες ξαινόμεναι *carnes carminatæ*, pexæ, laniatæ, apud *Stephanum* invenire ſunt; qui & formulam conſignavit ξαίνειν πληγαῖς *plagas incutere*, Pythagoricum illud ξαίνειν εἰς πῦρ inde quoque explicandum cenſens. Apud *Heſych.* inter alia ξαίνει valet δέρει ἱμάντι, *Loro ſcindit atque excoriat.* Quæ cuncta jam, aliaque ejuſdem indolis,

Digitized by Google

in Græcorum theſauris, latentia, arguunt, quomodo a *pectendo*, *pectinando*, *carminandove*, gradus ſactus ſit ad *ictus deproperatos*, *verberationem*, *lancinationemve* quæ haſta infertur. Eſt etiam inſignis uſus, a Lexicographis Arabum omiſſus, in *Hiſt. Tamerl.* p. 433. ولما رحلوا عن دمشق وقد مشقوا اوراق نعمها من اغصان وجودها اي مشق *Quumque* Copiæ Tamerlanis *diſceſſiſſent Damaſco, poſtquam frondes florentiſſimarum ejus fortunarum depexuiſſent a ramis Opulentiæ ejus, & quidem pectinatione vehementiſſima.* Sumo formulam illam מִשְׁקוֹ מִשְׁק, ut κείρειν κλήματα apud *Homerum*; & apud Latinos *attondere* pro *vaſtare.* monere tamen debeo, ut κείρειν in *vorando*, *carpendove pabulo*, ſic מִשְׁק مشق apud *Golium* declarari quoque, *voravit meliores pabuli partes*; atque inde locum illum *Arabſiadæ* poſſe explicari. Alio adhuc reſpectu مشق الاكل eſt *comeſtio lenta leniſque* in *Golio*, quaſi dicas *oppectere cibum*; qui eſt floſculus *Plaut. in Perſ.* 1: 3: 31.

> *Memini: ut muræna & conger ne caleſierent.*
> *Nam nimio melius oppectuntur frigida.*

Id eſt *circumcarpuntur digitis*, quaſi *pectine*, & *comeduntur*. ut *Taubm.* annotavit. Iterum diverſo canali مشق الحلب *pectinatio in mulgendo*, eſt *paucitas lactis*; a *raritate pectinis* anſa ſumta. Similiter natum puto مشق الكتابة *pectinatio in ſcribendo*, quum quis *celeriter ſcribit*, aut ut *Giggejus* addit, *quum literæ ſcribendo protenduntur*: itemque *pectinatio in conſuendo*, quum *futuræ* celerirer factæ *pectinatim rareſcunt*, ac *biant.* Porro امشق Conjug. 4. apud *Golium percuſſit ſcutica*, *flagellavit*, eſt *probe depexuit.* In 3. ماشق *ſeſe invicem lacerare conviciis*, *ac quaſi depectere.* In 6. تماشقوا *mutua laceratione traxerunt*, *& quaſi oppexuerunt aliquid.* In 5. تمشق *Laceratus fuit.* Item, *retroceſſit nox*, in *Golio.* imo vero figuratus ille uſus eſt, تمشق جلباب الليل apud *Giggejum*, qui *Phiruzabadio* præeunte id exponit, *Auroræ accedentis fulgor apparuit*: *Aurora emergere cœpit.* Ad Verbum tamen ſonat; *Laceratum eſt peplum noctis*; quemadmodum ibidem exſtat تمشق ثوبه *dilacerata fuit veſtis ejus.* In 8. Conj. امتشق *rapuit* quid e mauu alterius, nempe *carminando* quaſi & *lacerando* rem raptam. Alio etiam adſpectu امتشق الضرع *pectinavit ubera*, pro *penitus emulſit*, a *manu*, ni fallor *carminante* & *pectinatim* juncta ad exprimendum quicquid lactis ineſſet.

XXXV. Ex poteſtate *lacerandi* prodiit quoque ſpecialis notio, qua مشق media *keſrata*, intranſitive; valet *intertrigine laborare.* امشق & fœminine مشقاء *intertrigine femorum laborans.* مشقة *carminatio*, *pectinatio*, pro *affectione* illa *intertriginis*, qua femora, lacerata mutuo attritu, ſanguine manant

Digitized by Google

nant ſæpe numero. Hoc, cum reliqua *laceratione*, & *laniatione* quam ſub משק admitti vidimus, recludit nobis conſpectum adhuc clauſum formulæ illius ממשק חרול *Zeph.* 2: 9. *Moab erit ut Sodoma, & Ammonitæ ut Gomorra,* ממשק חרול *& fodina ſalis, & ſideratio perpetua.* Verte, *Locus ubi ſenticetum carminat & lacerat.* Nil pote dignius pleniusque. *Carminant ſenticeta horrida* veſtes transeuntium: eademque *lacerant & lancinant pedes, totumque* adeo *corpus;* quod utrumque in themate مشق uſu frequente Arabum continetur.

XXXVI. Quamquam nihil omnino, in hiſce, aliisque, quæ repectere, & in nitidiorem ſpeciem refingere ſtudebo, arrogatum mihi volo, non poſſum tamen quin libere profitear, nimis diu ceſſatum videri in iis fontibus ſalutandis, unde tam fidelis opera præſtatur, quis enim, quamvis id ex Arabia nunc noviter retrahatur in lucem, pro vero & genuino Hebræo, agnoſcere jure abnuerit, quod tam pulchre ibi quadrat, ſententiamque fundit multo nervoſiſſimam. Nonne languet nunc illud *Chaldæi Paraphraſtis* משמט מלוחין *Locus derelictus rhamnis*, quod *Rabbini*, & ex iis *Buxtorfius* reliquique, defectu melioris lucis, adoptare coacti fuerunt? quamvis me vehemens teneat conjectura ממשט a *Chaldæo* expreſſum fuiſſe, a vetuſto themate משט, idem ac משק fonante, atque in Arabia ſuperſtite, unde eadem plane figura emerget, ממשט מלוחין *Locus ubi rhamni veſtes pectinant, pedes lancinant.* Nonne friget etiam *Vulgati* illud *ſiccitas ſpinarum?* Apud LXX. nihil eſt ſani, ut nec apud veteres reliquos, ſic ut Cl. *Capell.* hunc locum pro conclamato depoſuerit, cui ne ex dialectis quidem *Chaldæorum*, *Syrorum*, & *Arabum* aliquid auxilii adfulgeret. Nimirum præpedivit virum doctum illa multitudo & diverſitas notionum, qua مشق משק in *Golio*, & *Giggejo*, intricat, ut pes ubi figatur, vix reperiatur, quas ſalebras num applanaverim, Eruditi judicabunt.

XXXVII. Supereſt interim adhuc alius uſus interior & pervenuſtus thematis مشق apud *Golium* ac *Giggejum*, qui viam nobis aperiet, ad venuſtiſſimam illam locutionem in *Geneſi* Cap. 15: 2. בן משק ביתי in nativo ſuo decore producendam. Variant interpretamenta, ut fit ferme, quum fundamenta, haud in ſolido jacta, nutant. LXX. tanquam nomen proprium foret, dedere, ὁ δὲ υἱὸς Μασὲκ τῆς οἰκογενοῦς μου. Ex *Hieronymo* ſcimus *Aquilam* expreſſiſſe, ὁ υἱὸς τοῦ ποτίζοντος οἰκίαν μου. Reſpexit ille thema שקה, & forte legit, ſaltem legendum credidit בן משקה ביתי ſenſu perquam arceſſito & incommodo. *Theodotion* verterat ὁ δὲ υἱὸς τοῦ ἐπὶ τῆς οἰκίας μου. Rem dedit, locutionis formam ac vim miſſam fecit; quem ſecutus *Hieron.* *filium procuratoris* vel *villici*, qui *univerſa diſpenſat & diſtribuit cibaria familiæ*, nobis exhibet; ſic משק בית deberet eſſe *procurator*, quod parum congruit cum natura linguæ, quæ בן משק בית *Filium procurationis domus* potius efferri poſtulat; per ſolennem

 He-

Hebraismum, quo *Filius* in talibus formulis *perſonam* ſignat. Huc tendit *Kimchiana* interpretatio, quæ puncta recentiorum ferme tulit, *Filius diſcurſationis domus meæ*, a שק vel שקק *diſcurrere.* Dupliciter id capi poſſe monet *Full. Miſc. Sacr.* 3: 15. vel de eo, qni jugiter *diſcurrens*, omnes domus partes *perluſtrat*, ut cui totius familiæ cura incumbat: vel de eo, ad quem *recurrit & continenter* adit omnis familia. Similiter Cl. *Clericus* ad h. l. *Filius curſitationis domus meæ*, duplici ſenſu in idem recidente. Eſt enim, aut *is ad quem curſitat domus*, familia: vel *qui ipſe omnia inſpecturus per omnem domus partem diſcurſitat.* Ecce tamen diverſiſſimum quid, quod ex משק nonnulli exſculpſere, *Filius derelictionis domus meæ*, cui *hæreditatem* meam *relinquere cogor;* vel ſecundum alios *Filius derelictionis*, eſt *filius orbitatis*, qui ſterilis & orbæ domus præbet argumentum. Utrumque Scholion habes apud *Vatablum*, qui priori calculum adjicere non dubitavit. Sed ſuas ſibi res habeat adulterina illa ſignificatio *derelictionis*, quæ non addicentibus avibus irrepſerat in משק, ut locum concedat *pectinationi*, & floſculo delibato ſtyli Orientalis, quo *Filius pectinationis domus* eſt *ille qui domum univerſam adminiſtrat*, *procurat*, *colit*, *polit*, atque ut ita dicam *ſuo ſub pectine comtam*, *nitidamque ſervat.* Hac figura *pectere* ſeu *pectinare* ſuum ornarunt Arabes, nam a משט مشط, idem fere quod משק مشق, formula extat in *Giggejo* مشطت يده *manus ejus opus egregie præſtitit*, proprie *pexuit*, *diligenter & nitide curavit.* Inde ماشطة *comtrix*, *quæ ſponſas pectit*, *ornatrix*, latius etiam porrigitur, pro *conciliatrice*, *procuratrice*, *adminiſtratrice* omnis negotii, ad illud rite expediendum.

XXXVIII. Ex hac *pectinatione*, & *carminatione*, qua quid e *rudi* & *impolito* redditur *politum*, enucleanda tandem eſt notio thematis משק مشق, quæ prima fronte immane quantum diſſidet ab iis quæ ſupra exſecuti ſumus. Nempe *Golius* ſeptimam claſſem, forma paſſiva, exhibet, in qua مشق valet *procera* & *gracilis fuit* mulier. apud *Giggejum* exſtat مشقت الجارية medio *keſrata*, intranſitive, *puella procera fuit & exilis.* Quid hoc commune habet cum *pectinato?* Imo vero quis non, in palæſtra linguarum ſubactus, mecum agnoſcit *pectinatum corpus*, pro *polito*, quodque *ſubtiliore* quodam *filo* ſeſe commendat? Eandem figuram admittebat quoque alterum illud משט مشط *pectere*, unde رجل ممشوط *vir pexus* in *Camus*, exponitur *cum proceritate gracilis;* ſed potiſſimum illa regnat in noſtro משק مشق, atque ad *pulchrum ſubtiliusque filum corporis*, qua viri, qua fæminæ, traducitur. *Tebriſius* ad *Hamaſa* الممشوق الطويل القليل اللحم وجارية ممشوقة حسنة القوام قليلة اللحم ממשוק *pectinatus dicitur de viro procerioris ſtaturæ, ſimulque gracili corpore:* & ממשוקה *de puella ſtaturæ pulchrioris cum gracilitate carnis.* Teneatur & verſiculus, ad quem hoc ſubnotatum eſt

Digitized by Google

طاوي البطن مشوق الذراعين شرجب

Plicabilis ventrem, pectinatus brachia, procerior.

Unde perſpicere datur id *pectinatum* aptari poſſe omnibus rebus, quæ *ſubtiliore* quodam *filo deducta* & *perpolita* ſunt.

XXXIX. Liquet etiam hinc, quamvis diverſa ſit metaphora, מישק *pectinare* tantundem eſſe ac *polire*; ac proinde בן מישק ביתי eſſe *politorem domus meæ*. Iſtam loquendi formulam ne Latiuæ quidem aures abnuerent, quibus *politiones ædium*, *veſtimentorum*, *agrorum*, *ſegetum* placuerunt: omnisque adeo *cura* & *cultura*, tanquam *politura* cenſetur. *Politores* quoque ſpeciatim dicti fuere, quia agros *curarent*, *pectinarentque*, unde *Cato* de R. R. *Operarium*, *mercenarium* & *politorem* conjungit. Nempe dicebant etiam *polire caput*, pro *comere*, *pectere*, *pectinare*, indeque *Apulejus L.* 6. formavit, *ſetas incuria congeſtas*, *& horridas*, *compta diligentia perpolire*. Ex adverſo *pectinare agros*, *ſegetes*, *pectita tellus*, *ferro bicorni pectere terram*, *& herbas exterminare*, pro *polire*, & *pectine ruſtico nitidare*. Non immorabor exemplis cumulandis: apponam tantum inſignem locum *Lucret.* 5. 1447. &c. unde ampliſſima ditio *poliendi* adhuc in bene multis aliis pellucebit

Navigia atque Agriculturas, Mœnia, Leges,
Arma, Vias, Veſtes, & cetera de genere horum,
Præmia, delicias quoque vitæ funditus omnes,
Carmina, picturas, & dædala ſigna POLIRE,
Uſus, & impigræ ſimul experientia mentis
Paulatim docuit, pedetentim progredientes.

XL. Perpurgatum jam autumabam, quicquid exemplorum Biblicorum ſeſe ad מישק refert: ſed ecce aliud adhuc copioſi olim thematis veſtigium apud *Eſajam Cap.* 33: 4. ואסף שללכם אסף החסיל כמשק גבים שקק בו. Locus eſt ſalebroſus, ad quem a Veteribus & Recentioribus obhæretur. LXX. *Νῦν ἢ συναχθήσεται τὰ σκῦλα ὑμῶν μικροῦ καὶ μεγάλου. ὃν τρόπον ἐάν τις συναγάγῃ ἀκρίδας, οὕτως ἐμπαίξουσιν ὑμῖν.* Cl. *Capel*: conjicit eos מישק & שוקק confudiſſe cum שחק ob ſoni affinitatem, ac legiſſe בן מישחק שחק בך. Criſis minus dextre procedit, nam כמשק גבים eſt *ὃν τρόπον ἐάν τις συναγάγῃ ἀκρίδας.* Unde id exſculptum? Neſcio. Niſi forte *pectere*, *depectere* noſtrum per tranſennam adſpexerint, detorſerintque ad uſum *converrendi*, *corradendi*, *coacervandique*. Sed hariolationibus pepercifſe melius fuerit quum nihil momenti hic facere poſſit prava haud dubie verſio, in cujus ratione reddenda non deſudaſcam. Miſſos quoque facio *Syrum* & *Arabem*, quibus כמישק גבים שוקק בו eſt, *veluti congeries locuſtæ coacervatæ*. Aliter paulo calculos poſuit *Hieron.* quum גבים non *locuſtas* ſed *foſſas* extulit, ſerie ſic concinnata, *Et congregabuntur ſpolia veſtra, ſicut colligitur bruchus: velut foſſæ plenæ fuerint de eo.* In Com-

 men-

Digitized by Google

mentario id declarat; *Aſſyriis fugientibus, ſpolia congregata fuiſſe a Judæ is, ſicut ſolet bruchi & locuſtarum colligi multitudo, cum in foſſas coacervatæ fuerint.* Oculos intendit ad גֵּב ſignificatione *foſſæ* notum, & שׁוֹק in ſuo *Hiph. exundare* nonnunquam ſignificans, quam verſionem merito duram & coactam eſſe arguit *Cl. Capel.* Nec tamen mollius duxerim, quod ipſe nobis exhibuit, *ſecundum conculcationem locuſtarum conculcabat illud;* nempe *ſpolium*, victor *Judæus.* Elicit illam *conculcationem* in מִשַּׁק ex שׁוֹק *crus;* aitque *locutionem dictam eſſe a ruſticis qui bruchos & locuſtas frugibus infeſtas colligunt cumulatim, collectasque pedibus conculcant, ut eas elidant, atque enecent.* In iis omnibus nihil admodum ſeſe commendat, ſenſusque hujus incommoda jam ad *Eſajam* demonſtravit magnus Commentator, *Camp. Vitringa*, communem vertendi viam ſecutus, qua מַשַּׁק derivatum eſſe cenſetur verbi שׁוּק vel שָׁקַק *diſcurrere*, ut ſit, *ſecundum diſcurſationem locuſtarum, ſubſultim diſcurretur in eo* ſpolio; hoc ſenſu; *Iſraëlitas ſpolia hoſtium proſtraterum, per agrosque ſparſorum, inſtar locuſtarum eſſe lecturos, & ad earundem locuſtarum morem ſubſultim in iis legendis eſſe diſcurſaturos, modo huc modo illuc impetu facto, quo cupiditas prædæ traheret, in tanta cæſorum multitudine.* Illuſtrat ſimul & adfirmat hanc vim vocabuli שׁוֹקֵק ex *Joël.* 2: 9. ubi de *locuſtis* item, ſive jam veris, ſive etiam myſticis; dicitur, בָּעִיר יָשֹׁקּוּ *per urbem diſcurſitabunt;* profectamque cenſet notionem hanc a שׁוֹק *crus*, eo quod locuſtæ non pedibus tantum quatuor inſtructæ ſint ad gradiendum, ſed etiam *cruribus duobus* ad ſaliendum. Subſcribo ſolidæ commentationi, quoad vocabulnm שׁוֹקֵק; nec nego ſumma cum ſpecie מַשַּׁק haberi pro *conjugato* ejusdem thematis, nam & in præcedenti membro אֻסַּף שְׁלַלְכֶם אֹסֶף הֶחָסִיל *conjugata* unius radicis poſita fuerant: ſcrupulum tamen aliquem movere poteſt *Dageſh forte* in *Schin* quod aliam potius radicem exigit. Non diffiteor quibusdam exemplis defendi poſſe illam derivationem a שׁוּק vel שָׁקַק per *Dageſh;* ſed ſi aliud commodius ad manum fuerit, analogiam anomaliæ prætuliſſe tutius erit. Ob illud *Dageſh* ad thema נָשַׁק reſpexerat *Paraphraſtes* Chaldæus, atque hanc extuderat ſententiam: ויכנשׁון בית ישׂראל נכסי עממיא סנאיהון כמא דכנשׁין ית זחלא ואזן במאני זינא כמא דאזן במרקתא *Et colligent domus Iſraëlis divitias gentium, inimicorum ſuorum, ſicut colligunt bruchum: & armabuntur armis bellicis, ſicut qui armantur lorica.* Ita vertitur in *Polyglottis;* ita etiam in Lexico Thalmudico Cl. *Buxtorf.* ſub זרק: quando משׁק deſcenderet a נשׁק, quatenus *armari* valet. Cl. *Capell.* in not. Crit. ad *Eſaj.* poſteriora illa ſic proponit; *Et comburent thecas armorum*, hoc eſt pharetras, vel *inſtrumenta bellica, quomodo comburunt in pelvi, ſartagine:* aut vero etiam *jaculum, baliſtam.* Male *pelvim* huc invexit, nam זרקתא eſt *jaculum, telum, haſta velitaris*, quæ Arabibus مزراق in plurali مزارق & مزاريق apud *Abulphar.* & *Arabſiadem.* Alluſit haud dubie *Paraphraſtes;* ut jam ex *Kimchio* ſubmonuit quoque *Capel.*

Digitized by Google

Capel. ad *Ezech.* 39: 9. בערו והשיקו בנשק *cremabunt & incendent arma Gogi* & *Magogi.* Ergo משק noſtrum, ſi *Chaldæo* id accredimus, tractum a נשק per *Sin*, & *incendium* atque *cremationem* exprimit. Omnes hoſce fluctus forte evaſiſſet locus, ſi thema משק in illa claritate cognitum fuiſſet, qua illud in ſuperioribus adſecimus. Habuimus inter figuras, quibus *pectinare* Arabum floret, aliquid tam pulchre quadrans in *locuſtas*, tam ſplendidoque ornamento ſententiam univerſam inſigniens, ut non dubitem quin plurimi illud aſſumſiſſent, ſi præ manibus fuiſſet. Nempe משק مشق الاكل האבל *pectinatio comeſtionis*, erat *celeritas in edendo*, & *pectinare* apud *Golium*, *vorare meliores partes pabuli*, quod in *Camuſo* eſt مشقت الابل الكلاء *pectinarunt cameli pabulum*, pro *carpſerunt præſtantiores quasque partes.* in eodem *Camuſo* enotatum eſt تمشق الغصن *Ramus arboris pectinatus eſt*, pro *cortice ſpoliatus fuit*, cum *foliorum* nempe *depaſtione* & *deſtrictione*. Ita in *Arabſiadæ* loco illo, quem adduxi par. XXXIV. ſupra, *Quumque* Copiæ Tamerlanis *Damaſco diſceſſiſſent*, وقد مشقوا اوراق نعمها من اغصان وجودها اي مشق *poſtquam frondes florentiſſimarum ejus Fortunarum depexuiſſent a Ramis opulentiæ ejus, & quidem pectinatione vehementiſſima.* Ecquid *locuſtas* cernis, quæ agmine facto incumbunt *ſatis*, *arboribusque*, & paucis horis omnia *tondent*, & quicquid viret, ita *radunt*, *pectinant*, *deglabrant*, ut *mera vaſtitas* relinquatur. Id formula משקו משק ad vivum tibi expingit. Adde κείρειν *Græcorum* pro ἀπλήστως ἐσθίειν, & *tondere* paſſim apud Poëtas pro *carpere*, *depaſcere. Virgil.*

—— Immortale jecur tondens

De *vulture* illo, quem Græci pariliter κείρειν dixere, unde ἄξιος ὑπὸ ἑκκαίδεκα γυπῶν κείρεσθαι apud *Lucianum.* Id haud dubie figuratius & venuſtius quam *tundens*, ut jam viri docti oſtenderunt ex *Sen. Agam.* 1: 18.

Ubi tondet ales avida fœcundum jecur.

Addo *Virgilii* imitatorem *Silium L.* 13: 839.

Illa autem, quæ tondetur præcordia roſtro
Alitis (en quantum reſonat plangentibus alis
Armiger ad paſtus rediens Jovis) &c.

In *Culice* iterum *Virg.* vſ. 50.

Tondentur tenero viridantia gramina morſu

Itemque *Lucan.* 4: 412.

Spolia-

Spoliabat gramine campum
Miles, & attonſo miſeris jam dentibus arvo
Caſtrorum ſiccas de ceſpite vulſerat herbas.

Quæ omnia משק גבים *agmen locuſtarum tondens, celerique morſu pectinans, ac carpens, quicquid grato virore arriſerit*, oculis ſubjiciunt.

XLI. Expreſſi משק גבים agmen locuſtarum tondens, ut forma fuerit מַשָּׁק, adjectiva illa, atque emphatica, unde ſententia exit plenior forte ac tornatior. Egregie tamen etiam hic ſederet infinitivus in *Pihel* מְשַׁק cum *pathach* pro מְשֵׁק cum *tzeri*, quam parvam vocalem pro magna in *Pihel* & *Hitpahel* per omnia tempora admitti norunt etiam Elementarii noſtri. Inde foret, כמשק גבים שקק בו *ſecundum tondere*, pectinare *locuſtarum*, *diſcurſator in illo*, ſupple, *ſpolio*, *tondebit*. Ex ſuperiori illa ratione exiſteret, *ſicut agmen locuſtarum tondens*, *diſcurſator in illo*; iterum ſubaudi, *ſpolio*, *tondebit*, & *perſultans graſſabitur*. Ubi quid eligam vix reperio, difficilem forte optionem aliis quoque relinquens.

XLII. Atque hæc quidem pro ſpecimine radicum, quarum reſtitutionem Mater Hebræa expectat flagitatque, in præſenti ſufficerint. Materia fertilis eſt, campus longe lateque fuſus: in quo ut bene multa hujus generis alia detexiſſe mihi videor, ita aliorum ſagacitati complura indaganda, atque ex abditis veluti cubilibus eruenda, commendo.

XLIII. Perpaucos equidem tam anguſtæ mentis fore crediderim, ut hærere malint in ſalebris anomaliarum, atque in dumeta correpere originationis contortæ; quam in liberiora ſpatia Linguam Hebræam mecum educere. Sed forte a multis, non immerito, in dubium vocabitur, num priſca illa amplitudo eo usque extendi poſſit, aut debeat, quo rotundatus orbis omnis ſtructuræ radicalis ſeſe explicat. Quid? quod ne Arabes quidem, cum omni ſua affluentia, orbem illum circinare poſſint? quippe qui non ultra octo, aut novem mille radices, vaſto dialecti ſuæ ambitu comprehendere inveniantur, ſi modo tantum efficere valeant. Qui ita judicabunt, ſimul perpendant velim, haud dubie, volventibus ſeculis, ipſam Arabum linguam magna detrimenta ſenſiſſe, quin ſi Criticis eorum fides, ad dimidium ferme priſcæ opulentiæ recidiſſe: quod non alio fundamento collegiſſe ac pronuntiaſſe videntur, quam quia deprehenderent radicalem illam compoſitionem literarum, non plenum efficere circulum, ſed in multis hiantem atque interruptum relinqui. Habet interim res hæc profundiorem diſquiſitionem, explicatusque difficiliores, quam ut in hujus operis curriculo explanari, debitaque luce perfundi queat, qua propter laxatione vel reſtrictione finium, quos deſcripſi, cujusque æquo relicta judicio, materiam digniſſimam in qua omnes nervi contendantur, commodiori occaſioni reſervo, vel & alterius induſtriæ elaborandam tranſmitto.

XLIV. Gradum promoveo ad *Secundam Claſſem Defectuum*, ſummis faſtigiis deli-

Digitized by Google

delibatorum in *Paragr.* XI. Ea complectitur themata, eorumque derivata, quam plurima, quorum vacillat adhuc fluctuatque ſignificatio, nunquam tranquillam ſtationem inventura, auctoritatibus Lexicographorum, velut undis, ſemet deſtruentibus, & nunc huc, nunc illuc impellentibus, niſi firmior quædam ancora acceſſerit; tale, inquam, firmamentum ac pondus, quo ſolidius in hoc genere Literarum, nec poſtulari debet, nec expectari unquam poteſt.

XLV. Ut & hunc late fuſum defectum aperiam, atque inſpiciendum præbeam, obſervo, Eos qui ſignificationes Verborum in Dictionaria digeſſerunt, varias jeciſſe hypotheſes, ex quibus Radicum vim ac indolem indagandam eſſe cenſuerunt. Quidam ſe ad verſiones antiquas contulerunt, *Græcas* præſertim, & *Latinam* noſtri, *Chaldaicam* fere Judæi. ſed illæ ſæpe incertiorem te dimittent, quam acceſſeras. Alii ergo cognationem quandam literarum circumſpicere, & affinitatem ſoni cum hac vel illa radice: quod quam lubricum ſit & fallax, nunc nondum diſputo. Multi dialectos, quas adire & conſulere poterant, excutere, *Chaldaicam* potiſſimum & *Syriacam*, quæ utinam non fragmenta tantum, & tenues reliquias ampliſſimæ olim copiæ nobis offerrent. Plurimi vero ex contextu ipſo, ejusque ſerie, cum diligenti collatione locorum inter ſeſe, naturam cujusque thematis declarandam ſumſerunt; pro diverſitate ingenii atque acuminis, in diverſiſſima ſæpe abeuntibus judiciis, & ubi tuto pedem figas non exhibentibus.

XLVI. Hujus rei documenta evidentiſſima producta ſunt in *Originum* priore illa parte, quæ lucem adſpexit. Quædam etiam in Obſervatiunculis ad *Jobum*, atque in *Animadverſionibus ad V. T.* ſparſa ſunt. Sed Cramben bis poſitam mecum faſtidiret Lector: proinde nova fercula apponantur, & Hebraicæ Veritatis ſtudioſis ſaliva recentibus exemplis moveatur.

XLVII. Eſt in *Proverbiis Salomonis* thema גלע / nusquam alibi in ſacris obvium. Id tribus dictis ſententioſis inſertum, ut haud dubie plenum eſt acuminis, ac requiſiti ſalis, ita ingenia interpretum exercuit, ad genuinam ejus potentiam enucleandam. Loca ſunt, *Prov.* 17: 14. פוטר מים ראשית מדון ולפני התגלע הריב נטוש Iterum *Cap.* 18: 1. לתאוה יבקש נפרד בכל תושיה יתגלע Denique *Cap.* 20: 3. כבוד לאיש שבת מריב וכל אויל יתגלע Miri ſunt verſionum fluctus: magna opinionum divergia. In priori ſede LXX. *προηγεῖται δὲ τῆς ἐνδείας στάσις καὶ μάχη* quod caſſa nuce non emerim. In media, *ἐν παντὶ δὲ καιρῷ ἐπονείδιστος ἔσται*: ubi nucleo amiſſo, relinquunt pignori putamina. Tertio tandem pedaru aliquid tolerabile edunt, *πᾶς δὲ ἄφρων τοιούτοις συμπλέκεται*. Reliquorum Græcorum fragmenta ad priores contextus nihil pro התגלע ſubminiſtrant, ſed in poſteriore, *Aquila* dedit *ἐξυβρισθήσεται* *Symmachus* autem *ἀποκαλυφθήσεται*, quod a *συμπλέκεται* ſatis diſſidet. Audiamus & *Syrum*, cujus primum interpretamentum, דינא מגרג קדם שליטא *Litem concitat apud dominatorem.* Id nihili eſt. Alterum paulo melius ומּמיק ביולפנא טבא & *deridet inſtitutionem bonam.* Tertium ſatis conſtanter וכל דסכל ממיק / & *quicunque ſtultus eſt, deridet.* Nil moror *Arabem*, quippe qui cum *Alexandri-*

nis

nis ſtet cadatve. In partes ergo veniat *Chaldæus*. In primo loco habet, וקדם קריא ובכל מלכנא אמטעי דינא *& antequam exardeſcat, dimitte litem.* In ſecundo ובכל רשטי מצטדי *& omne conſilium deridet.* In tertio item ſibi conſtans, מצטדי *Et omnis qui ſtultus eſt, deridet.* Exhibui verſionem in *Polyglottis Londinenſibus* proſtantem, ſed קריא *exardeſcere* eſt vox nihili, pro qua צדיא emendandum eſſe inſpecta poſtrema exempla pervincunt. Id etiam monuiſſe video Clar. *Buxt.* in *Lex. Thalm.* ſub צדא / qui in omnibus hiſce pro *deridere*, hocce אצטדי per *immiſcere ſe*, *immiſceri* declarat, quia Hebræi התגלע per התערב exponunt. Egregiam enimvero probationem: quaſi *Hebræi* ſic exponentes non in tenebris micarent. Atqui, ut ipſe Vir Doctiſſimus ſubmonet, in *Venetis* legitur per *Reſch* מצטרי. Id melius crediderim, & illuſtrandum ex Arabico ضرا quo *incitatio canis in prædam* exprimitur; ut proinde a *Chaldæo* percommode potuerit adhiberi *in litibus Caninum* fere *in morem irritatis*, & *ſtrictum dentem monſtrantibus;* quæ obſervatio quid opportunitatis & lucis allatura ſit, in ſequentibus ſponte pateſcet.

XLVIII. Debetur adhuc aliquid loci *Hieronymo*, ut deinde ad recentiores veniamus. In Cap. 17: 14. exhibet, *Et antequam patiatur contumeliam, judicium deſerit.* Mox 18: 1. *Omni tempore erit exprobrabilis.* Tandem 20: 3. *Omnes autem ſtulti miſcentur contumeliis.* Apparet id utcumque expreſſum eſſe, quod ſeries vel exigere videbatur, vel admittere poterat.

XLIX. Ad recentiora nunc conamina accedo. Apud *Kimchium* in *Libr. Rad.* reperio התגלע declaratum per התערב *permiſcere ſe.* ſimiliter *R. Nathan* in *Concord.* גלע פירושׁ עירוב *exponitur per mixtionem.* Non tamen omnis natio *Rabbinica* tum tempeſtatis ita calculos ponebat, *Ab. Eſra* quippe, poſtquam *miſcendi* notionem aptaviſſet, ſubnectit פ״א התחיל מעט ויצא הרבה התגלע התגלות *Alia adhuc eſt interpretatio, a tenui incipere litem atque in multum quid exire, ut* התגלע *valeat idem ac* התגלות *revelari, & in publicum exire.* Reſpexere illi, quicunque tandem fuerint, vicinitatem ꝰ גלע cum גלה, cui alliterationi quoque innixus *Raſchi* לפני התגלע exponit קודם שיתגלה חרפתך *Ante quam reveletur ignominia tua.* Ex quibus luce meridiana clarius cernere eſt, *Rabbinos* nihil certi de hac radice habuiſſe, ſed incerta conjecturarum ſequi.

L. Inde tamen per Lexica, per verſiones invaluit, firmasque ſatis radices egit *immiſcendi* poteſtas, niſi quod apud *Mercerum* cum *immiſcendo* copuletur *emergere* & *apparere*, ut ſimul vis verbi התגלה ſeſe exerat. Itane tandem? quorſum non evademus, ſi feneſtra illa non claudatur? Ecce tibi *Avenarium*, cujus ſub manu artifice, cera mollior eſt Lingua Hebraica, cui noſtrum גלע ex affinitate cum גלל *rotavit* placuit donare potentia mirificentiſſima *ſeſe ingerendi rotando & convolvendo.* Confert & ſuo more *Forſterus* radices גלה / עגל / קלע / & quid non? colligitque, התגלע ſignificare *involvere ſe*, *implicare*

plicare ſe. Denique Lexicographorum facile princeps *Coccejus* noſter, torrente tractus, a גלל derivandum eſſe cenſuit התגלע pro *complicare, implicari, commiſceri, ſe miſcere:* locum *Prov.* 17: 14. dupliciter tentans לפני הריב התגלע *Antequam provolvatur lis, omitte.* Vel, *antequam lis fiat inexplicabilis.* In *Commentario* tamen maluit proponere, *antequam increbreſcat contentio.* Secundum locum 18: 1. in *Comm.* declarat, *in omni veritate involvitur.* Id eſt, *omnia homini animali difficilia, tortuoſa, intricata videntur.* Tertium 20: 3. ita conſtituit, *Et omnis Stultus ſe involvit.* Quod de expromta quadam *pugnacitate* & *conviciis e plauſtro jactis* ſe intelligi velle, obſcuriuſcule indicavit.

LI. Ad portum jam anhelat mecum Lector; nec dum tamen finis fluctuationis. In altum nos referet Clar. *de Dieu*, qui ad *Prov.* 18: 1. verbo התגלע adſtruere fatagit vim *deſolationis.* Elicit illam ex *Paraphraſi Chaldaica*, & הצטרי illud, quod ſupra *paragr.* XLVII. in *Polyglottis*, itemque apud *Schindlerum*, vertebatur *deridere*, apud *Buxtorfium* vero *immiſceri*; ipſe convertit per *deſolari*, vel *vaſtari*, quæ eſt indubitata, exemplorumque longo agmine firmata poteſtas thematis *Chaldaici* צרי, *Hebræorum* etiam צרח concinente, apud *Zephan. Cap.* 3: 6. quum ſuperiores illæ notiones *deridendi* vel & *immiſcendi* precariæ ſint. Hoc fundamento *Prov.* 17: 14. effert. *Ante deſolationem litem omitte.* Iterum *Cap.* 18: 1. *in omni conſilio deſolatur.* Denique *Cap.* 20: 3. *Gloria eſt viro, manere ſine lite: & omnis ſtultus deſolatur.* Optime illa quadrare cenſet Vir Doctus, ſed, meo quidem judicio, non multum gratiæ ac leporis dictis ita concinnatis ſuberit. Quid ſi quadrarent? Ne ſic quidem colligere fas eſſet התגלע proprie & ſtricte ſumtum eſſe *deſolari*, quia *Chaldæus* rem magis quam verborum proprietates exprimere ſolet. Addo צרי *Chaldæum*, & צרח *Hebræum*, tale genus *deſolationis*, ex origine ſua, deſignare, quale locis hiſce aptari nullo idoneo colore poſſit: quam originem, ad conciliandа duo diverſiſſima ſignificata. quæ radix צרח in Lexicis noſtris præfert, hoc ipſo in opere recluſam dabo, quum ſeries noſtra ad *quartam defectuum Claſſem* nos deduxerit. Quod autem poſtremo rem conficit, & conatum huncce funditus evertit, eſt, in omnibus hiſce exemplis radicem צרי cum *Reſh* a Chaldæo eſſe adhibitam, cujus cum vim, ſitam in *incitatione canis ad prædam*, ignorarent poſteri, in haſce anguſtias ſeque aliosque induerunt, unde emergi non poſſit, aſſumto vitioſo הצטרי. Dubitare non patientur paucula hæc, quæ e penu Arabum depromam. In *Camuſo* penes *Giggejum* eſt اضري الكلب אצרי הכלב *irritavit canem.* ضري الكلب الصيد צרי הכלב הציד *canis inſtitit venatui. A præda haud receſſit.* in *Dageſſata* forma, ضراه *Illum prædæ inſtare fecit. Illum aſſuevit ad venandum. Illum irritavit.* Plura non perſequar, niſi quod paululum loci eblandiatur pulcrum exemplum in *Hariri Conſ.* 21. ابن ادم ما اغراك بما يغرك واضراك بما يضرك *O Adamida, quid te agglutinat*, inſtar canis mordicus affixi, *iis quæ te faſcinant, & quid te irritat*, ejusdem inſtar canis, אצראך, *in ea quæ nociva tibi ſunt?*

ſunt? Dixerim ergo *Chaldæo Paraphraſti* has ſententias adſulſiſſe. Primo, *Ante irritationem caninam*, *omitte*. & oblivione dele, *litem*. Secundo, *in omne conſilium irritat ſe*, canino ritu, *ſtultus*. Tertio, *Gloria eſt viro*, *ut maneat ſine rixa*, *omnis autem ſtultus ad inſtar canis ſemet irritat.*; Quæ quam pulcre quadrent, quilibet perſentiſcit.

LII. An jam, aptiſſime ſedente iſta imagine, colligemus, & pro explorato trademus, התגלע eſſe, *Caninum in morem ringi*, *atque irritari*. Sic fere inſtitutum Rabbinicum fert, eritque mihi, quum illuc pervenero, proceſſu operis, in proclivi demonſtrare, ex *paraphraſi Chaldaica*, ſive bene intellecta illa, ſive etiam male, quam plurimas verborum ſignificationes fuiſſe introductas, quas nunquam Vetuſta illa & genuina Moneta Hebræorum percuſſerat. Non tamen ipſe in me admittam, quod in aliis reprehendere cogor, & ſuo loco argumentis ſimul documentisque revincam: quin contendere auſim, quantumvis ſpecioſum ſit, quod vetus aliqua verſio miniſtrat, ſententiamque impleat, neutiquam tamen id indubium cenſeri poſſe, niſi diſerta auctoritas cognatæ dialecti acceſſerit: quam ſi producere non valeamus, fateamur oportet ingenue, id quidem, per ſe ſpectatum, palmam reliquis omnibus præripere, ſed tamen fieri poſſe, ut adhuc venuſtius aliquid ac nervoſius in ſinu proprietatis Hebraicæ recondatur, quod deficiente neceſſario lumine penetrare nondum detur.

LIII. Sic demum, niſi me omnia fallunt, caſte religioſeque quæſita veritas, ſeſe tandem aliquando conſpiciendam perſruendamque præbebit, quæ videri poſſit conatus, ſecundum haſce leges haud directos, fruſtratione quadam luſiſſe & vindicaſſe. Documento ſint, qui apud *Mercerum* ob alliterationem cum געל, noſtro התגלע affinxerunt vim *abominandi*. Documento quoque eſt alius Vir longe doctiſſimus, quique Herculeos in re Hebraica labores exantlavit, qui adblandiente conjectura in *Commentario Linguæ Hebrææ* opinatur, התגלע valere *cæco impetu ruere*. Quam vellem, talia Viris, quorum merita ſuſpicio & veneror, nunquam excidiſſe; ſi enim ſemel iſta porta aperiatur, & magni nominis ſplendore aliis commendetur, jam finis nullus, nullus erit exitus: quando vel centum forte notiones fabricare poſſem, quæ melius ſatisfaciant ſenſui, quam illud *cæco impetu ruere*, in quo parum *luminis* & *acuminis*, dictum ſententioſum erigens, altiuſculeque figens, deprendere eſt.

LIV. Longius, quam ſperaram, me diſcuſſio hæc provexit. Nimirum, nudanda ſunt, & vulnerario quaſi ſpecillo pertentanda, quæ ſub nitida cute aliquid ulceris alunt. Apparet autem *defectus*; ſed quomodo is perſanari queat, nondum ſane apparet; quando omnis medicina conſumta eſſe videatur. Verſiones antiquæ; alliterationes; collationes locorum inter ſe, acerrimæ virium contentiones ad aliquid ſagaci conjectura exſculpendum. Nil profectum omnibus hiſce: neque ex hac fluctuatione decem & ultra diſſonantium opinationum thema גלע unquam tranquillum portum poterit invehi, niſi ſecundior aura adflaverit, & luculento Filiæ teſtimonio, quid Mater olim in ſinu geſſerit, decidatur.

LV. Aliud

Digitized by Google

LV. Aliud ſpecimen thematis fluctuantis adhuc, & ancoram deſiderantis, ſiſtit מחץ. In verſione LXXvirali decem diverſa vocabula ei reſpondent, vel quod ſui tantum officii autumarent, ſenſum expreſſiſſe, proprietate radicis ſepoſita, quæ ſane non ſemper in peregrinam linguam transfundi poteſt: vel quod jam tum illa interior notitia indolis ac proprietatis, ſub מחץ, multum obſcurata fuiſſet. Adhibent ergo verba Στρωννύω. Βάπτω. Θλίβω. Παίω. Θλάω. Συνθλάω. Πατάσσω. Θραύω. Κατατοξεύω. Βάλλω. Pro derivato ſegolato מחץ poſito ὀδύνη *Eſaj.* 30: 26. Hæc omnia ut ſe improprie ac figurate utenda præbent in unum eundemque ſenſum; ita quoque ſuum quiddam poſſident, nativum, proprium, quod ſibi ſolis vindicant. Quid ergo jam ſtricte & preſſim מחץ noſtrum repræſentare dicemus? Eſtne Θλίβειν? Eſtne Θλᾶν? Eſtne Στρωννύειν? Eſtne Βάπτειν? Atque ita per univerſum catalogum. Quis, quæſo, mortalium hanc dubitationem, miſſa veluti ſorte, decernet? An non facile etiam fieri poteſt, ut nulla harum Idearum genuinam ſtirpis Hebrææ indolem attingat? Idem judicium eſto de *Vulgati* illis ectypis, *percutere*, *transforare*, *vulnerare*, *confringere*, *intingere*, *conculcare*; quæ ut *Archetypum* ſuum utcumque adumbrant, ita ſatis inde luminis redundare, ad naturam & primigeniam vim verbi מחץ juſtis finibus terminandam, quilibet prudens mecum negabit. Similis eſt ratio cum reliquis Veteribus, *Chaldæo*, *Syro*, aliis, qui ſane non id habebant propoſitum, ut *Origines Hebraicas* nobis panderent, & proprietatibus cujusque vocabuli ſcrupuloſe inſiſterent. cur ergo id ab iis ſæpe repetitur, quod ipſi nec intendere debuerunt, nec efficere potuiſſent, ſi vel maxime intendiſſent, diverſæ linguæ genio atque ingenio præpediente?

LVI. Hoc quum ad omnes in univerſum fontes vetuſtarum verſionum pertineat, apparet, non e limpido ſatis & defæcato hauſiſſe, qui inde Dictionaria inſtruxere, *Rabbinos* e *Paraphraſtibus*, *Chriſtianos* ex *Græcis* fere ac *Latino*. Utique Vulgati Veſtigia preſſit Cl. *Buxt.*, quum מחץ exponit, *percusſit*, *fregit*, *vulneravit*. Item *intinxit*, *immerſit*. Aliquid enucleatius jam dare voluerant *Forſterus* & *Avenarius*, quum מחץ proprie eſſe ſtatuebant *infecit ſanguine*, *cruentavit*. Probo equidem conatum aliquid definiendi, & certis ſedibus figendi. Sed quodnam fundamentum nobis ſuſtinet hanc ſubſtructionem? illa multo debiliſſima & plane ficulnea alliteratio, qua מחץ affine quid habere deprehendebant cum חמץ *fermento infici*. Non decet, Viri Docti, non par eſt, ut ita imperitorum oculos, neſcio quo fulgore e pelvi præſtringatis, ne neſcire videremini, quod revera neſciebatis. Jam profecto naſus cereus inter cujuslibet opificis manum evadet lingua Hebræa, ſi ita ad ſimilitudinem literarum, nulla alia auctoritate ſuccinente, fingere licuerit, quicquid libuerit.

LVII. Aliam viam ſibi muniendam duxit *Coccejus*, qui affinitate literarum miſſa, aciem intendit ad aliquid e Collatione locorum inter ſeſe eliciendum, quod omnibus accommodari poſſet. Fixit ergo pedem in *deſligendo*, eamque

 vim

vim ſatis feliciter textibus aptavit. Si interim quæras, unde hauſta ſit illa ſignificatio, quave auctoritate fundetur, nihil aliud reperies, quam conjectandi artificium: quod quam parum in hiſce valere debeat, vel me indicente intelligitur, atque data etiam opera ſuo loco a me evincetur.

LVIII. Cl. *Guſſetius* aliquid quoque de מחץ tentare voluit, ad ejus indolem declarandam: ſed aquam Viro Doctiſſimo hæſiſſe, cuilibet *Commentarium* ejus *Ling. Hebr.* inſpicienti pateſcit. Ne autem longum faciam, & quicquid Lectori meo tædium creare poſſet, amputem, paucis concluſiſſe ſatis habebo, excuſſis omnibus textibus, ubi מחץ poſitum comparet, elucere *graviorem quandam vim feriendi, cum cruentatione percuſſi conjunctam.* Hic eſt extremus terminus, quo ex acerrima collatione ac contentione locorum inter ſeſe, aliquis eniti queat. Ulterius procedere, & ex ſuo acumine, conjectandive artificio, conſignare velle fontem, unde iſta *gravis percuſſio & cruentatio* profluxerit, & qua ex *proprietate* primigenia radicis, veteres Hebræi hanc *prægnantem metaphoram* derivarint, eſt, ut libere dicam, nec materiam ſuam ſatis intellexiſſe, nec lubricum conjectationis, in hoc præſertim genere, rite perpendiſſe.

LIX. Ergo, ut conſequentiæ nodum adſtringam, reverentia Sacro Codici debita, Linguarum omnium indoles, res, ac ratio omnis, jubent, vel circumſpicere uberius aliquid, unde *defectus* poſſit farciri: vel intra ſuos ſeſe fines continere, neque unquam quicquam definitius de *primitiva poteſtate* noſtri thematis pronunciare, quam quod ſupra fiximus *in gravi percuſſione cum cruentatione*: in quo ſi quis ſe habere autumet omne illud, quod deſiderari poſſit, non equidem invidebo; ſed, aut fallor multum, aut *proprietas* mox producenda fateri coget, aliquid adhuc defuiſſe, quod non ſine detrimento rei Hebraicæ, perpetuo ſuppreſſum maneret & ſepultum.

LX. Ad aliud documentum prævertor, thema נגר; haud dum ſatis conſtitutum, ſed incertæ ſedis, quam ope alliterationis certam & fixam reddere tentarunt principes Lexicographi. Ejus ſignificationem genuinam jam antiquitus e manibus elapſam fuiſſe, declarat vaga illa varietas & inconſtantia, qua apud Veteres exponi ſolet. LXX. in *Niphal* מים נגרים τὸ ὕδωρ τὸ καταφερόμενον dedere 2 *Sam.* 14: 14. & in *Hoph.* מים מגרים *Mich.* 1: 4. ὕδωρ καταφερόμενον. At *Thren.* 3: 38. עיני נגרה ὁ ὀφθαλμός μου κατεπόθη. In *Hiphil* iterum *Mich.* 1; 6. הגרתי κατασπάσω. *Jer.* 18: 21. הגרם על ידי חרב ἄθροισον αὐτοὺς εἰς χεῖρας μαχαίρας. *Pſ.* 63: 11. יגירהו על ידי חרב παραδοθήσονται εἰς χεῖρας ῥομφαίας. *Pſ.* 75: 9. ויגר מזה καὶ ἔκλινεν ἐκ τούτου εἰς τοῦτο. *Job.* 20: 28. נגרות ביום אפו ἡμέρα ὀργῆς ἐπέλθοι αὐτῷ. *Ezech.* 35: 5. ותגר καὶ ἐνεκάθισας δόλῳ. In *Pſ.* 77: 3. pro נגרה legerunt נגדה ἐναντίον αὐτῷ ubi *Symm.* ἐκτέτατο. At 2 *Sam.* 14: 14. dederat κατασυρόμενον. *Theodot.* vero ἐκχυνόμενον. *Symmachi* quoque supereſt ὥςε ἕλκειν *Pſ.* 75: 9. pro ויגר Quæ omnia evincunt, alicubi aſſumtum quod ſeries videbatur poſtulare; alicubi ex vicinitate literarum cum אגר ἀθροίζειν, itemque גרר σπᾶν, ἕλκειν, aliquid arreptum; alicubi nihil omnino extricatum: ut proinde ex Græcis hiſce fontibus ſignificatio verbi נגר ad liquidum perduci nulla ratione poſſit.

LXI. Ex-

Digitized by Google

LXI. Exploremus, tutiorne ſtatio nos exceptura ſit apud *Latinum* Interpretem. 2 *Sam.* 14: 14. *Dilabi. Et Mich.* 1: 4. *decurrere* Ibid. vſ. 6. *detrahere.* At *Pſ.* 77: 3. *extendi.* item *affligi* in *Thren.* 3: 29. *congregari* autem *Pſ.* 63: 11. *propinare* 75: 9. *concludere* apud *Ezech.* 35: 5. *deducere* apud *Jerem.* 18: 21. poſtremo *detrahi* iterum *Job.* 20: 28. In hiſce omnibus apparet aquam hæſiſſe *Hieronymo*, qui pro diverſa ſerie nunc hoc nunc illud expreſſit, quod convenire videbatur: adeoque vix quicquam auxilii hinc expectandum habemus.

LXII. Miſſis reliquis Veteribus, qui conſimiliter hærentes, implicant magis, quam expediunt; conſulamus *Scholam Rabbinicam*, cujus ope jam conſtituta & conſtabilita videri poſſet noſtra radix. Nempe *Kimchius*, *Pomarius*, alii complures, ſubeſſe docuerunt τῷ נגר, partim הרתבה *effuſionem*, partim גלגול *volutationem*, & *detractionem ex alto:* circumſtantiis locorum illis ferme ideas ſuggerentibus. Accedebat cognatum thema גרר *traxit*, unde ad *volutationem*, *effuſionem*, *fluxum*, proclivis videbatur tranſitus. Ita ſaltem *Rabbinorum* hypotheſin digeſſit *Coccejus* in Lexico, *manare*, *diffluere*, *effundere*, tanquam ſecundaria orta eſſe innuens a *trabendo*, & pro ſpecimine reliquorum *Pſ.* 77: 3. vertens ידי לילה נגרה *Manus mea noctu trahebatur*, & quaſi *manabat.*

LXIII. Iſta porro vicinitas cum גרר tanti momenti viſa fuit *Forſtero*, ut non dubitaverit vim Radicis hujus finire in *attrahendo*, ſenſumque inde pro quibusdam locis elicuerit, multum a ſuperiori via ac ratione diverſum. Scilicet *Job.* 20: 28. נגרות non jam *effuſa* capit, ſed *tracta*, *contracta*, atque *in borreum plauſtris convecta.* Alia iterum figura *Pſ.* 75: 9. *Et extrahere faciet ex eo*, pro *bibere*, *ducere*, *haurire.* Item alia, *Pſ.* 63: 11. *Et trahentur ſuper acies gladii:* ad quam ſimilitudinem, formulam הגיר על ידי חרב tractat quoque *Ezech.* 35: 5. & *Jerem.* 18: 21. At *Mich.* 1: 4. *Traham in vallem lapides ejus.* mox vſ. 6. *ſicut aquae extractæ in præceps.* Et 2 *Sam.* 14: 14. *Et velut aquæ tractæ in terram*, id eſt, *abſorptæ*, Aliter *Thren.* 3: 29. *Oculus meus extractus eſt.* Denique *Pſ.* 77: 3. *plaga mea noctu tracta eſt*, id eſt, *defluxit.*

LXIV. Veſtigia *Forſteri* preſſit *Avenarius*, aliquid tamen hic illic mutans, de ſuoque admiſcens. Huic נגר, ex cognatione cum גרר, eſt, *Extraxit*, item *Extractus defluxit*, *decurrit*, indeque nobis ὑγρός, ὑγραίνω &c. quin & κρουνός, atque adeo Latinum *Curro*, mirificus talium faber, exſculpit. Scilicet, deme modo *Nun*, & duplica iterum *Reſch*, imbre proclivius inde tibi deſcendet Latinum *Currere :* quam argutiam ſilentio præteriiſſem, niſi inter fulcra *Avenariana*, quibus hanc vel illam notionem verbis Hebraicis vindicat, magnum etiam locum occuparet, hæc ipſa Latini ſoni cum Hebræo conſenſio, atque conſpiratio: qua aurem vellente jam ſubmonebimur, נגר & *currere*, in *fluendi* ſaltem ſignificatione mutuum ſibi auxilium præſtare.

LXV. Nondum tempus eſt, hanc ſabulo fluxiorem hypotheſin evertendi. Confero me potius ad *Schindleri* doctiorem conatum, quo themati נגר *trahendi*, ac deinde

Digitized by Google

deinde *tractim fluendi*, *effundendive* vim, non tantum ex literarum convenientia cum נרר adſtruxit, verum etiam ex dialectis *Syriaca* atque *Arabica*. Sic enim in *Lexico Pentaglotto* procedit. Primo נגר *Hebr. Syr.* idem quod נרר *Lev.* 11: 7. גרה לא יגר *attractionem non attrabit* ad os; *non ruminat*. In *Hiph.* הגיר *Syr.* אגר *idem*. Ut *Mich.* 1: 6. והגרתי & *traham in vallem lapides ejus*. Et *Syr. Matth.* 18: 26. אגר עלי רוחא *trahe ſuper me ſpiritum*. μακροθύμησον. *Job.* 6: 44. *Niſi* נגרה *traxerit eum Pater* &c. Secundo per metaph. נגר *Hebr.* & *Arab.* ſignificat נגילה, *tractim fluxit*, *defluxit*, *effuſus fuit*. Ita *Pſ.* 104. *Arabice*, *Et inter montes* נגרי *fluunt aquæ*. Item *Arab.* נגיראה *fluenta*, *ſtagna*. Inde jam loca Biblica expedit *Pſ.* 77: 3. *Manus mea nocte tracta eſt*: id eſt, *plaga morbi mei fluxit*; atque ita deinceps reliqua, in *fluendi* aut *fundendi* ſecundaria hac poteſtate, quæ percenſere nihil attinet, quum in plerisque verſionibus id expreſſum compareat, quod jam dialectorum ope extra dubitationis aleam collocatum eſſe videbatur.

LXVI. Enimvero incredibile dictu eſt, levicula ſæpe cauſa quantos pariat errores, qui ſecure deinceps propagantur, atque per manus traduntur. In verſione *Arabica*, quam laudavit Vir eruditus, *Pſ.* 104: 11. erat, inter montes الماء تجري *currunt aquæ*. תגרי, in fut. a fæm. גרי جري, *cucurrit*, *fluxit*, id male, vel ſcriptum, vel lectum fuit נגרי نجري, unius modo punctuli diſcrimine, inter *The*, & *Nun* Arabum, in errorem trahente; quam vocem nihili, deinde ad نجر minus dextre retulit *Schindlerus*, cujus ſignificationes nihil commune habent cum *tractim fluendo*, quapropter & alterum illud נגיראת *fluenta* pro ſubreptitio eſt repudiandum, quum forma نجيرى, cujus hoc plurale eſſe deberet, deſignet *lapidem candentem fervefaciendæ aquæ*, e vetuſto fonte Hebraico, deinceps referando.

LXVII. Sic nihil præſidii, in Arabum ſaltem dialecto, habere intelligitur illud *tractim fluxit*. Uſus *Syrorum* itidem parum ei favet, quippe qui non in *fluxu tractuve aquarum* verſetur, ſed in *morando*, *tardando*, *protrahendo in longum*, *attrahendo*, ſimilibusve: quibus ſi tanquam cumulus acceſſerit, non peræque aptam eſſe iſtam notionem, ad ſenſum omnium locorum explendum, legitime profecto concludetur, haud firmo niti talo, quicquid Doctiſſimi interpretes hactenus de נגר prodiderunt, ejusque veram indolem ex purioribus fontibus elucidandam nobis incumbere.

LXVIII. Eo fidentius id urgeo & aſſevero, quod qui poſt *Schindlerum* venerunt, novis difficultatibus radicem hanc implicuerunt: dum pro *Pſ.* 77: 3. aſſumſerunt *Buxtorfii* aliique vim *expandendi*, pro aliis locis alii vim *diſpergendi*, ſic ut finis nullus fluctuationis detur, & Lingua Hebræa Criticorum quorundam temerariæ ſane calumniæ propterea ſubjacere cœperit, tanquam vix *certi* quicquam & *conſtantis* in plerisque ſuis thematibus exerens, quam maculam ut aliis bene multis, ſic huic quoque me demturum eſſe confido.

LXIX. Hoc ipſum vero, absque ulteriori mora, aggrediar: retroque veſtigia

gia legens, confeſtim promam certam, fixam, & juſtis finibus circumſcriptam illam, vim thematis נגר, quam a Matre receptam, dives Filia, non ſine fœnore, nunc refundet. Arabes eam ſcribunt, & pronunciant, نَغَرَ *Nagara*; proprie, *Bulliendo efferbuit* Olla, *nimioque bullitu aquam ſuperfudit.* Sic ex *Camuſo* adduxit *Giggejus* نغر القدر *Redundavit ebulliendo* olla, *vehementer ferbuit.* Inde figurate in eodem *Oceano* linguæ; نغر عليه ينغر نغرا ونغرانا *vehementiſſime in illum ira efferbuit, ita ut totum corpus bullire & exæſtuare videretur.* In 5. Conj. تنغر idem porro هو نغر *vehementer bulliens præ ira.* امراة نغرة *Mulier Zelotypa* جرح نغار *vulnus multo ſanguine manans*, ac veluti *bulliens.* In 4. *Conj.* انغرت الشاة *Sanguis fluxit cum lacte ovium: Lac ovium rubicundum & ſanguine turbidum fuit.* شاة منغر *Ovis lac turbidum & ſanguineum ebullire faciens ex uberibus.* نغرت الماء *copioſe ebullivit aqua.* Denique انغرت البيضة *Ovum vitiatum & corruptum fuit*: quaſi dicas *efferbuit & ebullivit.* vel *materiam putridam ebullire fecit.*

LXX. Hoc fundamento inferre auſim, נגר veteribus Hebræis, proprie, ac citra figuram, fuiſſe *Bullivit*, & quidem, *cum ſonitu*, ac quaſi *ſingultu; liquore propter nimium æſtum effuſo.* Hanc *imaginem* ſi demonſtravero admirabiliter *illuminare* & *exornare* paucula illa loca, quæ veſtigia hujus thematis exhibent, in ſtructura ac ſerie aliquid grandiſonum exigente, perpaucos exſtituros crediderim, qui fruges inventas ſpernere velint: eoque quidem minus, quod recluſus hicce fons novas nobis venas ſit miniſtraturus, ad longe aliter de quibusdam textibus cogitandum, quam unquam cuiquam alias in mentem venire potuiſſet.

LXXI. Exordior a formula הגיר על ידי חרב *Pſ.* 63: 11. *Jer.* 16: 21. & *Eſech.* 35: 5. in ea ineſt figura perillultris *vulneris bullientis*, & *cum æſtu ac ſingultu ſanguinem eructantis.* Refer oculos ad par. LXIX. & جرح نغار *vulnus bulliens.* Græci eandem Metaph. receperunt. *Heſych.* Σφαδάζει. Ταράσσεται ὑπὸ τραύματος ζέοντος. Latinorum *bullire* conſimilem uſum haud aſpernaretur, & *ſanguine bullire*, vel *ſanguinem ebullire* rite dici poſſunt *vulnera.* Graviſſime poëta *Æneïd.* 9: 333. *ſingultandi* verbum huc transtulit.

Tum caput ipſi aufert Domino, truncumque relinquit
Sanguine ſingultantem — — — —

Id eſt *cum ſingultu, & ſonitu interrupto æſtuantem, & rivos cruoris ejectantem.* Nempe *ſingultare* etiam locum invenit in *liquore qui inter anguſtias ſcaturit, & ebullit cum vehementia ac ſonitu.* Ergo הגיר על ידי חרב *horrendam* aliquam *ſtragem* pingere aptum natum eſt, ubi *cadavera ſanguine ſingultant, & vulneribus æſtuantibus ac bullientibus rivos emittunt cruoris.*

LXXII. Ad hanc imaginem pertinet quoque *Pſ.* 77: 3. ידי לילה נגרה ולא תפוג Male omnino calculos poſuerunt, qui *extendendi* notionem hinc exſculpſere. Vidit jam *Coccejus* per *Manum* figurate *plagam* ſignari, & נגרה exprimere *fluxum ſanguinis.* Verto proinde. *Plaga mea noctu æſtuabat*, ſanguine ſingultans ac bulliens, *absque ulla intercapedine ſingultandi.* id poteſtatis reſidet in verbo, פוג, raro ſimul & obſcuro, quod aliquando *ſingultationem* exprimit, aliquando *interſtitium illud*, *quo ſe ſingultans humor majore iterum copia colligit.* Duo hæc verba mutuam quoque opem ſibi fernnt *Thren.* 3: 49. עיני נגרה ולא תדמה מאין הפגות *Oculus meus bulliendo ſcaturit, nec ſane conticeſcit: eo quod nulla ſint interſtitia ſingultandi.* Vel ut cap. 6. §. 36. *Orig. Hebr.* dedi, *eo quod interſtitia non ſint mulgendi*; ſenſu eodem recidente; qui enim *emulgetur oculus*, & *largo fluxu* cogitur *diffluere* nullum habet *interſtitium ſingultandi*, exhauſtasque vires vel minimum recolligendi.

LXXIII. Grandis haud dubie figura eſt, *Oculus ebulliens lacrymas*, inſtar *fontis* alicujus; intra quam ſubſiſtere poſſumus. Monere interim debeo, ſpècialem uſum ﺶ نغر in 4. Conjug. de Ovicula, *lac turbidum & ſanguineum emittente inter mulgendum*, mirifice etiam hic quadrare, ut non tantum *Oculus ſcaturiens*, ſed *lacrymas ſanguine miſtas exæſtuans atque ebulliens* in ſcenam hanc multo triſtiſſimam inducatur. Illam utique vim exerere putem verbum noſtrum *Pſalm.* 75: 9. *Calix eſt in manu Domini*, *plenus turbidiſſimæ & venenatæ potionis*, ויגר מזה *etiam fæces ejus exſugent*, *exhaurient*, *omnes improbi terræ.* Vulgo. Et *infundit inde.* Alii, *Et effundit inde.* Id ſi ſequi velles, ſubſtituerem modo, *& facit inde ebullire & efferveſcere*, id ſcilicet, quod improbi ebibere cum ſummo ſuo cruciatu ac malo cogantur. Sed hoc ipſum, *facit inde ebullire & exæſtuare*, iſta ſerie locatum, altiorem cuilibet attento ac ſagaci movet cogitationem, quam ſi indoles Linguæ non patiatur tantum, ſed & invitet, utique recipienda, & unice tenenda videri poſſit. *Facit inde ebullire* ergo, abſolute poſitum, ſonabit, *vi venenata iſtius poculi facit univerſum corpus exæſtuare, & ſanguine per venas erumpente tabeſcere.* Acerrimi & præſentanei veneni effectus pingitur letalis.

LXXIV. Ne ſic quidem omnia expedita. Illud מזה, aures hic minus implet, ſi ſumatur tanquam pronomen *ex hoc*, & neſcio qnid exilitatis rei atrociſſimæ interſerit. Sonantius & plenius quid exibit, ſi a themate נזה *ſanguis e vulnere exiluit* hocce מזה derivemus. *Calix eſt in manu Domini turbidæ & venenatæ mixtionis plenus*, *qui faciet bullire*, *exiliente ſanguine. Etiam fæces ejus exſugent*, *ebibent*, *omnes improbi terræ.* Thema נזה eſt *cum impetu exilire*, *ſeque ejaculari*: ut نزا declaratur ab Arabibus, præſertim *de ſanguine emicante altius.* Sic *Eſaj.* 63: 3. 2 *Reg.* 9: 33. *Lev.* 6: 20, 27. & alibi. Inde מזה *emicatio ſanguinis*, citra controverſiam nota eſſe debuit veteribus Hebræis, licet illa forma in Bibliis nusquam nunc compareat. הגיר מזה *bullire fecit emicatione ſanguinis* hinc porro formari potuit, vel *Bullire fecit emica-*

cationem ſanguinis; ad illum *interiorem æſtum* exprimendum, quo ſanguis e venis jam non exſudat, ſed exilit, ſeque radiatim evibrat.

LXXV. Quæ ſuperſunt exempla de נגר levi deinceps brachio abſolvi poterunt: quippe quæ deſignant *fluxum aquæ fervidum & bullientem*; quæ eſt ſimpliciſſima thematis ſignificatio, unde ſuperiores uſus dimanarunt. *Mich.* 1: 4. *Liqueſcent montes ſub eo; valles diſſindentur; ut cera ante ignem*, כמים מגרים במורד *ut aquæ per declive effuſæ.* Sic vulgo, ſenſu duce. Tamen fortius aliquid non admittit tantum ſeries, ſed & flagitat, *aquas* nempe *cum magno ſonitu & ſtrepitu in præceps delabentes, ac veluti rebullientes & efferveſcentes inter præcipitandum.* Comſimilis emphaſis ex vſ. 6. ibid. elucet והגרתי לגי אבניה ויסדיה אגלה *Lapides ejus cum ſonitu & ſtrepitu faciam exæſtuare in vallem*, videlicet præfervido torrente veluti, illos devehente ac devolvente. Eadem imago adhibetur *Job* 20: 29. נגרות *torrente æſtu raptæ & avectæ*; de *fortunis* improborum *in pejus relapſis.* Denique *torrentis*, & inter labendum *bullientis aquæ* figuram ultro recipit etiam 2 *Sam.* 14: 14. מות נמות וכמים הנגרים ארצה אשר לא יאספו; ubi non *effuſa* tantum, ſed & cum *ſonitu* ac *ſtrepitu prætervecta ac in præceps delata aqua* vim ſimilitudinis intendit.

LXXVI. Ad thema מחץ manum porro admoveo, proprietatem ejus, graviſſimamque, qua pollet, figuram ope Arabum definiturus. His مخض & خاض, cognatæ ut literis, ita ſignificatione, radices, frequentantur in *agitatione & concuſſione vehementi aquarum alteriusque liquoris.* Ita dicunt مخض الدلو מחץ הדלי *ſitulam immerſit & in puteo huc illuc agitavit, aquam hauſturus.* مخض البير מחץ הבאר *puteum agitavit & vehementius commovit huc illuc jactata ſua ſitula.* Hæc ex *Camuſo* adduxit *Giggejus.* Inde apud *Golium* مخض exponitur etiam *agitavit* lac, vel utrem, *butyri cogendi ergo*; & nova metaphora hinc propagata, *parturiendo laboravit* femina, quaſi dicas *utrem concutere cœpit.* ماخض *parturiens.* proprie *utrem*, hoc eſt *uterum*, *concutiens.* in 5. تمخض اللبن *concuſſum in utre fuit lac ad butyrum eliciendum* تمخضت بطنها *Concuſſus eſt venter ejus, & fœtum enixa eſt.* تمخضت البير *Concuſſus eſt immiſſa urna, ſitulave puteus.* Ex quibus jam efficio colligoque, proprie & in ſtirpe ſua, citra reſpectum adhuc ad metaphoram, מחץ valuiſſe *Hauſit, conturbato vehementius vado, & ſitula huc illuc jactata.*

LXXVII. Hæc proprietas, ſignata admodum & emphatica, non potuit non transferri in illam figuram, quam omnia exempla Biblica præ ſe ferunt, qua pingitur hoc uno, vere gravi ac prægnanti, vocabulo, *vehemens percuſſio, conjuncta cum fuſione ſanguinis, & fœda cruentatione.* Scilicet ſolenni ſtilo Orientis ירד *deſcendere aquatum*, eſt *prælia miſcere: & Aquarium, Locus aquationis*, eſt *campus certaminis.* Ubi qui *hoſtilem ſanguinem fundere* ſtudet, dicitur *ſitire*; qui *vulnera infligit, haurire*; qui denique *profundiſſime ſauciat*, at-

que cruentat, gladium veluti *commovens* & *agitans in viſceribus* eorum *quos altiſſimis plagis contrucidat*, מחץ, *jactata ſitula baurire.* Omnia hæc *lumina* atque *inſignia* figuratæ orationis, quum late executus ſim in *Orig. Hebr. Cap.* 6. par. 15. &c. illuc remittam: atque in præſentia tantum adjungam *exanclandi*, vel potius *exantlandi* vocabulum, conſimili metaphora auctum ab *Eunio* in *Eumenidibus.*

Niſi patrem materno ſanguine exantlando ulciſcerer.

Cui præiverunt Græci in ſuo ἐξαντλεῖν, unde apud *Lucian.* in *Timon.* habemus, ἀτίμως λακτιζόμενος, καὶ λαφυσσόμενος, καὶ ἐξαντλούμενος *ignominioſe calcibus appetitus, & laniatus, & exantlatus, atque exhauſtus plagis cruentantibus.*

LXXVIII. Liquet hinc, quid ſequantur Arabes, quum verbum خاض, ejusdem notionis atque مخخض, *immerſit ſitulam in aquam*, declarant, *crudeliter tractavit hominem percuſſum, cæſumve; gladio in ejus corpore commoto ac converſo.* Hæc utique eſt מחץ מכה *profunda cruentatio plagæ, qua ſangnis,* commota velut ſitula, *exantlatur. Jeſ.* 30: 26. atque hac *imagine* inſignita & diſtincta ſunt omnia illa loca, ubi מחץ comparet. Ut *Job.* 5: 18. & *Job.* 25: 12. *Deut.* 32: 39. & 33: 11. *Num.* 24: 8. *Jud.* 5: 39. *Hab.* 3: 12. *Pſ.* 110: 5, 6. & *Pſ.* 68: 22. Unum ſpecimen ſuffecerit, ad reliquorum amplitudinem pandendam. capiamus ergo quod ultimum ſeſe offert אך ימחץ אלהים ראש איביו קדקד שער *profecto repetitis hauſtibus cruentabit, & profundiſſime ſauciabit Deus caput inimicorum ſuorum; verticem comatum: gladio in altis vulneribus commoto ac converſo quaſi, prout aliquis ſitulam commovet inter antlandum.* Addamus vſ. 24. ejusdem *Pſalm.* 68. למען תמחץ רגלך בדם לשון כלביך Ubi *pes victoris ſtrata cadavera calcans inser rivos ſanguinis;* itemque *lingua canum ad cruorem ruentium* eleganter & graviter dicuntur מחץ *aquatum deſcendere, & commota ac jactata veluti ſitula ſanguinem baurire.*

LXXIX. Reſtat enucleandum poſtremo verbum התגלע, quod principe loco propoſueram par. XLVII. &ſeq. Apud Arabes protritum eſt in 1, 3, & 7. conjug. atque a *Golio* exponitur جلع *impudenter & obſcœne locutus fuit; reſtrictum patuit os, labris dentes non tegentibus.* in 3. جالع *in potu & alea pugnavit; obſcœnos cum alio ſermones miſcuit.* In 7. انجلع *retectus fuit conſpectuique patuit.* Derivata quoque جالع & جاع גולע & גלע, itemque اجلع אגלע forma comparativa. & ſuperlativa, declarantur, *Qui reſtricta habet labia, ita ut dentes appareant. Obſcœnus & inverecundus, impudens.* Audiamus etiam *Giggejum.* גלע פם פלון جلع فم فلان *Aliquis labiis contractis fuit, ita ut dentes appareant.* جلعت المراة *impudenter & obſcœne egit mulier, canino ritu aperte turpitudinem patrans.* المجلعة *diſceptasio in alea. in compotatione. in re partienda,* الجلعة *cum dentes nudantur in ridendo.* Ex quibus omnibus hæc

ſum.

Digitized by Google

ſumma colligitur, themati גלע ineſſe *reſtrictionem dentium caninam*, quæ ſpeciatim uſurpari amat in *obſcœnis & impudentibus* verbis, ad quæ *in alea, in compotatione, in lite* provolatur.

LXXX. Ampliorem & dilucidiorem commentarium nemo deſiderabit a dicta Salomonis penitiſſime perſpicienda. *Prov.* 17: 14. *principium litis eſt ut quum quis aquam laxat.* ולפני התגלע הריב נטוש *Ergo antequam ad reſtrictos dentes utrimque veniatur, litem omitte.* Iterum Cap. 20: 3. *Gloria eſt viro, manere ſine rixa: omnis autem ſtultus reſtrictos nudat dentes* כל אויל יתגלע. Denique Cap. 18: 10 *pro libidine quærit*, diſputat, *is qui ſe ſeparat*: qui ſibi ſolus videtur ſapere: *& in omnem ſapientiam nudatos ſtringit dentes.* ובכל תושיה יתגלע. Suntque hæ ipſiſſimæ illæ figuræ, quas *Chaldæum* paraphraſtem per verbum הצכרי *canino more ſeſe irritare* commodiſſime expreſſiſſe paragr. LI. præſtruximus.

LXXXI. *Tertia* nunc porro *defectuum claſſis*, ſecundum delineationem par. XI. operam noſtram poſtulat: quam tamen compendifacere nunc licet, quod *Origin. Hebraicarum* Liber in talibus Radicibus fere totus occupetur, quas ex fonte minus limpido aliena & ſubdititia ſignificatio inſederat. Illuc ergo remittens, & operis illius progreſſui, plura, ac non minus luculenta documenta, reſervans, in præſentia unicum tantum ſpecimen adducam, ex quo de pluribus ejuſdem indolis conjectura capietur, ſimulque perſpicietur, id genus quam latiſſime ſerpere potuiſſe, atque adeo debuiſſe.

LXXXII. Extat duobus in locis apud *Moſen* מסר, in *Kal Num.* 31: 16. *Quid feminas in vita conſervaſtis? Ecce illæ fuerunt filiis Iſraëlis, conſilio Bileami*, למסר מעל ביהוה, *in negotio Pheboris, ut extiterit gravis illa plaga in cœtu Jehovæ.* Iterum in *Niph.* ejuſdem Cap. vſ. 5. coll. vſ. 3. *Accingi jubete e vobis Viros ad expeditionem militarem; qui ſint adverſus Midianitas ad vindictam Jehovæ infligendam Midiani* — וימסרו *ex millibus Iſraëlis, mille pro tribu: duodecim millia ſtrenuiſſimorum in expeditionem militarem.* Nusquam alibi comparet thema, quod inſignem quandam emphaſin poſſidere innuunt omnes circumſtantiæ: derivatum modo מסרת ſecundum quosdam occurrit adhuc ſemel *Eſech.* 20: 37. הבאתי אתכם במסרת הברית; quamvis alii id pro מאסרת *vinculum* poſitum velint, diverſoque e fonte arceſſant.

LXXXIII. Hoc jam derivatum *Maſoreth* quum Rabbinis domeſticum eſſet, ac perfamiliare, ad *Traditionem Maſorethicam* deſignandam; iidemque in Paraphraſi Chaldaica frequentari cernerent Thema מסר, pro נתן, *dedere, tradere*, magno conſenſu notionem iſtam adoptarunt, tanquam genuinam, & indubitatæ auctoritatis. Atque dilutum admodum ſenſum gignit illud *tradere*, & longe gravius aliquid ac ſignificantius in illis contextibus requiritur. Præterea ſi מסר Moſi & priſcis Hebræis valuiſſet *Tradere*, latum ſibi uſum in omni ſermone ſumere debuiſſet verbum, nusquam extra geminam hanc ſedem recurrens; in quibus grave aliquid & emphaticum reſidere quilibet perſentiſcere poteſt. Addo infirmitatem iſtius ſignificationis prodere ficulneum, quod ei ſubditur, fulcrum; quum conferre jubent themata יסר *caſtigavit*, & אסר

 vin-

vinxit, ut ſit vel *tradere vinctum in poteſtatem* alterius; vel *tradere in diſciplinam & caſtigationem*; vel *tradere caſtigando, ſermocinando, & ad correctionem.*

LXXXIV. Expoſitis rationibus, quæ me receptiſſimæ ſignificationi controverſiam movere cogunt, ſimpliciter in medium dabo poteſtatem, graveſque figuras, quibus radicales hæ inter Arabes gaudent, unde nativa pulchritudo gemini apud Moſen loci, omnium ſeſe oculis ſponte ingeret. Apud *Golium* ita notiones verbi مشر implicitæ ſunt & commixtæ, ut juſto filo vix evolvi queant, & tenebræ inde offuſæ ſint Viris Doctiſſimis, quo minus מסר מָסַר inde priſtinum ſplendorem reſtituere aggreſſi ſint. Sic enim enarratur. In Conj. 1. مشر *protulit frondes ramoſque* arbor, planta. *Foliis ſuis & virgultis germinavit.* in conj. 2. præter has ſignificationes ineſſe dicitur vis *dividendi* aliquid; itemque *amiciendi.* in 4. conj. additur, *virorem plantaſque ſuas extulit* terra. in 5. *Dives apparuit: dives evaſit.* Subjunguntur deinceps propagines, مشر *valde rubicundus* Vir. مشرة *Facies & planicies terræ.* تمشير *Lubentia & alacritas ad coitum.* In quibus ſignificationibus plena lance congeſtis, Arabes, qui cum lacte nutricis primigeniam vim radicis ſuxerunt, ſat utilitatis & lucis percipiunt: exteri vero miſere cæcutiunt & torquentur, niſi aliunde ingenium radicis perſpectum atque exploratum habeant.

LXXXV. Abſtruſior illa indoles adfulgere mihi cœpit, jucundiſque ſeſe radiis inſinuare, ubi *Giggeji* theſauros accuratius excuſſi. Is ita incipit. المشرة *Ramus viridis & mollis antequam colorem induat & germinet.* مشر الشجر *Arbor ejuſmodi ramis prædita fuit.* امشر Idem. المشرة *ſuperficies cutis.* تمشر مشرة *quam pulcra eſt terræ ſuperficies in herba.* ما احسن مشرة الارض *Hujuſmodi ramum produxit.* تمشر الورق *Viror frondium apparuit.* تمشر الرجل *Opulentiæ veſtigia in viro apparuerunt.* تمشروا القوم *Veſtes induerunt.* تمشر لاهله *pro gente ſua luctatus eſt.* امشر *Inflatus* fuit: TURGIDUS EFFECTUS eſt. امشرت الارض *Terra germinavit.* امشرت الشجرة *Arbor folia & ramos emiſit.* امراة مشرة الاعضاء *Mulier egregiis membris.* الماشرا *Apoſtematis genus* التمشير *Jucunditas, hilaritas ob concubitum.*

LXXXVI. Perluſtrata hac ſerie notionum, nullus ambigere potui, quin مشر, in origine & proprietate ſua, idem ſit plane atque Latinorum TURGERE, Græcorumque Ὀργᾶν; eoque ex fonte quicquid eſt figurarum ac tralationum profluxiſſe. Fœneremur ſingulis aliquid luminis atque ita facem obſcuratis illis apud Moſen imaginibus accendamus.

LXXXVII. Prima & regnans ſub مشر metaphora eſt, in *Arbore, plantave*, cujus jam *gemmæ turgent*, & *erumpere* incipiunt, *cum grato virore ac vigore. Virg. Ecl.* 7.

Jam

Jam læto turgent in palmite gemmæ.

Iterum *Georg.* 1.

Frumenta in viridi ſtipula lactentia turgent.

Similiter *Lucan.* L. 6.

——— ——— *Nondum turgentibus altam*
In ſegetem culmis. ——— ———

Et *Claud. Epith. Hon. verſ.* 94.

Hic caſiæ matura ſeges, Panchæaque turgent
Cinnama ——— ——— ——— ——— ———

Item de *Rapt. Proſ.* 2. 90.

Quaque volat vernus ſequitur rubor, omnis in herbas
Turget humus.

Eadem ratione ὀργᾷν, & ὀργᾷν πρὸς τὴν ἄνθησιν, itemque ὀργᾷν πρὸς τὴν βλάστησιν Græcus ſermo frequentat in arboribus, quæ germina protrudere geſtiunt; quin & notante *Stephano* ὀργᾷν dicitur *terra*, quum *turget*, & *ſemina appetit*, quod Poëta *Georg.* 2: 324. admirabiliter pinxit.

Vere tument terræ, & genitalia ſemina poſcunt.

Ubi operæ fuerit *La Cerdam* conſuluiſſe. Hinc elucet venuſtas formulæ illius ما احسن مشرة الارض *Quam pulchre turget & tumet humus!* vel ut *Gigg.* dabat, *quam pulchra eſt terræ ſuperficies & herbæ.* Imo vero, *in herba*, ut ſupra jam correxi. Nempe مشرة eſt *Facies* terræ *in herbas turgentis;* مشرة in *arbore* eſt *primum ac tenerum germen. gemma extuberans.* Unde duplex phraſis امشرت الارض *terra turget in herbas*, & امشرت الشجرة *arbor turget in folia & germina.*

LXXXVIII. Secunda, quæ hinc ſuccrevit, metaphora, adfert *opulentiam*, & *magnificentiam in cultu*, ac *veſtitu.* anſa, ut puto, ſumta a locutione تمشر الورق *viror turgens frondium apparuit.* Hinc duxiſſe videntur تمشر الرجل quod *Giggejus* declarabat, *opulentiæ veſtigia in viro apparuerunt.* Apud *Golium* vero erat, *Dives apparuit*, itemque *dives evaſit.* Pariliter تمشروا القوم *Veſtes induerunt populus;* nempe *ſplendidas.* Figuratus ſermo Arabum ورق

Fron-

Frondes tranſfert ad *opes*, *paratum*, *cultum ſpecioſum*, eoque proclivius *turgentem in frondes* traducere potuere ad *divitiarum oſtentatorem*. Apud Latinos *Turgidi* ſunt *inflati*, *ſuperbi*, *pompa & oſtentatione utentes*. Nec alienum eſt, quamvis non omnino idem ſit, quod *Juven.* habet *Sat.* 14: 138.

Interea pleno cum turget ſacculus ore
Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia crevit.

LXXXIX. Ad tertiam propero figuram, *qua militaris alacritas, & animus in prælia promtus, ac quaſi turgens*, exprimitur. Id adriſit quoque Græcis, ſub ſuo ὀργᾷν, quod inter alia exponitur *belli libidine prurire*, vel *in pugnam geſtire*; ut in illo *Thucyd.* L. 4. ὅτι τὸ πρῶτον Λακεδαιμονίων ὀργώντων ἔμελλον πειράσεσθαι. *In prælia turgentes experiri*: vel *Martem ciere geſtientes*. Sic jam intellige illam formulam تمشر لقومه in *Camuſo* enotatam, quam *Giggejus* obſcuriuſcule reddidit. *Luctatus eſt aliquid pro gente ſua*, Reddatur potius *in prælia & expeditiones turſit pro gente ſua: promtum & alacrem ſe præbuit ad Martis aleam pro iis ſubeundam. Tumuit*, & *fidenti animo ivit in arma pro ſuis.* Latinis *Tumet bellum*, *ſeditio*, *tumultus*, quum in eo eſt, ut *malum gliſcens erumpat*: metaph. a *mari*, quod *tumeſcere* dicitur, quum *fremere* cœptat & *tempeſtatem minatur*: vel etiam a *vulnere*, quod *exulceratur*, & *gliſcente purulentia tumeſcit*. Græci in hunc uſum admittunt ſuum οἰδεῖν & οἰδαίνειν, quibus οἶδμα θαλάσσης, & οἰδαίνοντα κύματα, & οἰδοῦντα vel οἰδαίνοντα πράγματα pertrita ſunt. Hæc alterius ſunt naturæ & originis; ſed ſuperiori figuræ Arabum reſpondet idem οἰδεῖν & οἴδημα ad θάρσος & *fiduciam* tranſlatum; quum θαρσαλέον κῆρ ἐν στήθεσι οἰδαίνεται *inflatur*, *animatur*, *ac quaſi turget ac tumet in arma*. Sic *tumere* eleganter adhibetur a *Val. Fl.* L. 1: 199.

Sed non ſponte feror, nec nunc mihi jungere montes
Mens tumet; aut ſummo depoſcere fulmen Olympo.

Ubi *tumet*, eſt ὀργᾷ, οἰδαίνεται, & *praefidentia virium ſeſe effert ad arma* Diis *inferenda*. Negat *Jaſon* ſe cum Gigantibus montes montibus imponere velle, ad cœlum oppugnandum, & fulmen in caput ſuum devocandum. Celeberrimus editor dubitat an *jungere montes* eo ſenſu dici poſſit; & ſubſtituit *mortes*; quaſi negaret *Jaſon* ſe *Acaſtum* occidere velle, & deinde *Peliam* ei jungere. Nodus in ſcirpo. *Jungere montes* eſt *imponere Pelio Oſſam, & Oſſæ frondoſum involvere Olympum*, ad quæ *Virgiliana*, in hoc ipſo negotio de Gigantibus, haud dubie alluſit *Valerius*. Struenda deinde ſunt *jungere montes ſummo Olympo*; id eſt, in cœlum usque junctos, alioſque aliis involutos, exaggerare: ἀπὸ κοινοῦ conſtruenda item *ſummo Olympo fulmen depoſcere*, quod eſt *provocare & cum ferocia elicere*, atque *irritare*: non ſane, ut Clar. *Burmannus* putabat, *rogare precibus*. Principi iſti literatori obſtitiſſe videtur, rarior uſus verbi *Tumet*, quod exponit de *tumore iræ*, ut apud *Apoll. Rhod.* 3: 383.

— Μέγα

Digitized by Google

— — — — Μέγα δὲ φρένες Αἰακίδαο
Νεῖ'θεν οἰδαίνεσκον. — — — —

Quem locum conferre jubet. Conferri potius debuiſſet quod *Argon.* 1: 477. extat.

Ἦέ τοι εἰς ἄτην ζωρὸν μέθυ θαρσαλέον κῆρ
Οἰδάνει ἐν στήθεσι. Θεὺς δ' ἀνέηκεν ἀπίζειν;

Ubi *Schol.* ἐπαίρει, μετεωρίζει, θρασύνει, ἐνεργητικῶς. ἡ δὲ μεταφορὰ ἀπὸ τῆς θαλάσσης, ὅταν αὔξηται μετεωρίζεσθαι. Is eſt *tumor fiduciæ & audaciæ, in arma erumpere geſtiens*, quem huic verbo docte adſtruxit Ill. *Heinſ.* ad *Claud.* de *B. Gild.* 330. ubi legeudum autumat.

Tantane devictis tumuit fiducia Mauris?

Pulcre interim obſervandum, ſub hoc *Tumendi* uſu Latino aliquid invidiæ ſubeſſe, quod *inflationem ſuperbam turgentis animi* adferat, quum Arabum تمشر citra ullam invidiam exprimat *lætam*, & *ſucci ac vigoris*, ut ita dixerim, *plenam alacritatem, qua quis in ſtrenua & militaria facta proſilire geſtit*; metaphora *a palmite in gemmas turgente.* ad quam ſimilitudinem proxime accedit *Horatiana* imago *Od.* 3: 13.

Cui frons turgida cornibus
Primis, & venerem & prælia deſtinat.

XC. Venereum illud, quod præterea in verſ. illo ſe exerit, quartam conſtituit metaphoram, qua التمشير infin. ſecundæ conjug. exponitur *Lubentia & alacritas ad coitum.* Proprie valet *vehementius turgere.* Hoc Græcis eſt Ὀργᾷν πρὸς ὁμιλίαν; abſolute ὀργᾷν, ut principem propterea ſedem in Dictionariis obtineat. *Horatius* alibi quoque *Turgentem caudam* poſuit in hunc ſenſum, quem pluribus exequi nihil attinet.

XCI. Amputo etiam reliquas tralationes Arabum, quibus ſuum مشر quod eſt Hebræum מסר ditarunt, ut tandem illuc deveniam, quo a principio tendebam, atque æquis cordatisque arbitris dijudicandum dem, num temere contendam *Turgendi* ſignificationem reponendam eſſe, ſi dignitatem figurarum, quibus uſus eſt *Moſes* in binis contextibus, conſequi velimus; eliminata *tradendi* illa, quæ per melioris defectum luminis ſubrepſerat.

XCII. Exemplum primum ex *Kal* erat *Num.* 31: 16. *Illæ Midianitides fuerunt conſilio Bileami*, למסר מעל ביהוה, *in negotio Peboris.* Notum eſt turpiſſimum facinus. Rogo jam ecquid gravius aut honeſtius in tali re excogitari poſſit, quam formula מסר מעל *Turgere prævaricationem*, atque *libidinoſam defectionem*, & *violationem* caſtiſſimi cum Deo fœderis? conſtructio ſimplex

& ordinaria dediſſet *Turgere in prævaricationem & ſcelus turpiſſimum.* Sèd figuratius extulit *Moſes*, maluitque directe *Turgere turpitudinem ſceleſtam*, ut eo acrius feriret: quod genus locutionum magnificum, & ſingulari gratia atque emphaſi pollens, pluribus illuſtrari mereretur. Arabicæ linguæ genius ex æquo hic admittit مشر للنكاح *Turget in venerem*, quod ſimplicius eſt, & مشر النكاح *Turget venerem*, quod figuratum & ſonantius.

XCIII. Alterum exemplum ex *Niphal*, quod eſt انمشر in Sept. conjug. ad tertiam metaphorarum claſſem referendum eſt, *Num.* 31: 5. *Et turgidi facti ſunt, ex millibus Iſraëlitarum, duodecim mille viri, ad bellum accincti.* וימסרו. *Animo vigoris bellici, & Zeli*, pro cauſa Dei, *pleno*, *tumuerunt & turgeſcere inceperunt*, in arma ire geſtientes, & edita per ſcortatores ſtrage, vindictam violati fœderis ſumere. Non vereor, ne nimis argutus videar, ſi dixero, dedita opera *Moſen* illud נמסר & *Bellicum turgeſcere* huc intuliſſe, in ultionem *Venerei* illius *turgeſcere*, quod mox erat poſiturus: in quo tamen ſi ratio minus bene ducta ſit, id ſaltem facile obtinebo, nullum ſignantius verbum in hanc rem potuiſſe admoveri.

XCIV. Verbulum adhuc faciendum eſt de dialecto, qua *Samech* aut *Sin* Hebræum, ore Arabum, effertur per *Schin*, ut מסר ſecundum hanc legem in משר مشر tranſire debuerit. Sic ergo סכך eſt شكّ *implicuit*, *intexuit*, *prætexuit* umbraculo, atque ita tandem *obtexit*. סבך eſt شبك *perplexa denſitas ſpinarum*, *ramorum*, *retis*. סאן eſt شان *ſtrenue rem gerere.* סתו eſt شتا, ultima *Vav*, *hyems.* שרוך per *Sin*, eſt شراك per *Schin*, *corrigia.* שחד item per *Sin*, eſt شاهد *Teſtis*, *præſens.* Converſis vicibus pro *Schin* Hebræo, Arabes reſonant ſæpe *Sin*. Sic pro שמע *audivit* exiſtit سمع. Pro שאף *auram & odorem naribus attraxit*, ساف. Pro שי *munus*, شي *copioſus lactis fluxus*, quæ eſt propria & primitiva illius voculæ notio. Pro שמם *ſiderari tanquam urente & peſtifero adflatu*, سم. Pro שמן *pingueſcere*, سمن. Pro שלם *incolumem eſſe*, سلم. Pro שלה *tranquillum eſſe*, *& ſecurum*, سلا ultima *Vav*, proprie *liquidum eſſe & defæcatum inſtar butyri*; unde *tranquillitatis*, alioque flexu *ſecuritatis* idea emerſit.

XCV. Jam manum de hac tabula tollebam, ſed ecce lineam adhuc unam alteramve poſcit derivatum מסרת *Eſech.* 20: 35. *Coccejus* & præſtantiſſimi quique Lexicographorum id ordinant ſub אסר *ligavit*; ut ſit contractum pro מאסרת *vinculum.* Aliis tamen *traditio* & ibi placere potuit, ut הבאתי אתכם במסרת הברית valeat *adducam vos in traditionem fœderis*, ſenſu ſatis incommodo ac diluto. Si a מסר id vocabuli deſcendit, debebit pingere *vigorem ac virorem lætum fœderis renovandi*, *ac veluti turgentis jam & gemmas ſuas trudere parantis.* Nihil venuſtius aut jucundius hac imagine; quam firmat & illuſtrat formula ſuperius viſa ما احسن مشرة الارض *Quam decora*

ſu-

ſuperficies terræ in herbas turgens. Quidni ita efferre liceat مشرق العهد *turgens adſpectus fœderis revireſcentis, in novumque ſe florem ac honorem induentis?* Non diſplicebit ſuaviſſima figura iis, qui vaticinium illud in bonum accipiunt: ſin in malum id tendere quis autumet, poterit מסרת tanquam מאסרת, haud refragante analogia, retinere. Utriusque hypotheſeos pondera & momenta librare, in præſentia haud vacat.

XCVI. Accedo ad Quartam defectuum Claſſem, quam par. XI. conſtituimus in iis verbis, quorum ſignificandi late fuſa diverſitas, per metaphorarum canales & aquæ ductus ſparſa, multum implicat, excercetque etiam peritiſſimos, neque adhucdum ſatis extricari potuit, latente videlicet primæva ſcaturigine. Hoc incommodi ſæpe ditiſſimas etiam linguas premit, ne iis quidem exceptis, quæ cum maxime vivunt, florentque; ac proinde multo magis linguam intermortuam, & ad ultimum inopiæ redactam, premere debet.

XCVII. Documento nobis erunt paucula e bene multis. Radix צדה apud *Coccej.* dupliciter exponitur. Primo *intentionem habere, quærere ad noxam,* & צדיה *induſtria, data opera.* Secundo in *Niph.* נצדה *vaſtari.* Alii ponunt in prima ſede *inſidiari, venari,* ob affinitatem cum צוד In altera autem *vaſtari,* ex צדא *Chaldæorum* notione mutuo aſſumta. Iterum thema שבח in ſuo *Pibel* partim *laudavit* declarari ſolet, partim *ſedavit, compeſcuit.* שמם *deſolari, vaſtari;* item *admirari, ſtupere.* parilis concurſus ſub שאה *vaſtari cum ſtrepitu & fragore.* Dein *obſtupeſcere;* Tertio denique *collidi & conteri.* Themati חלף quatuor minimum diſſonantes poteſtates ſubjiciuntur. Prima *Tranſivit, permeavit.* Secunda *mutavit, alteravit.* Tertia, *inſtauravit, renovavit.* Quarta, *ſuccidit, exſcidit.* Similiter ערב a quatuor, quinque, ſex diverſis notionibus occupatur. *Miſcere, dulceſcere, ſpondere, oppignerare, negotiari, adveſperaſcere:* ne derivata nunc percenſeam, inter quæ ערב *corvus.* ערבה *ſolitudo.* ערבים *ſalices,* ערוב *canina muſca* ſecundum *Bochartum*, quæ non parum a ſe invicem diſſident. Sub חלל non minor regnat diſcrepantia, quippe ubi *tripudiare; confodi ac perforari; profanari; incipere* & alia ſignificata confunduntur. Plura cumulare nihil attinet, quum linguæ Hebrææ ſtudioſis quotidiana experientia notiſſimum ſit genus hocce, quippe quod profectum ſimul & dulcedinem in litteris hiſce excolendis vel maxime præpedit; & in medio ſæpe curriculo ſic fatigat, ut ſpes omnis eluctandi, & ſalebras haſce exſuperandi abjiciatur.

XCVIII. Nodos hoſce Rabbini ne attingunt quidem plerumque, nedum ut eos reſolvant. Id ego quidem non tantum facile ipſis condono, ſed & in gratiam appono. Si enim noſtri, humanitate & Literis probe tincti, multa hic turbarunt, quid non turbaſſent, qui Critices, & Græcæ Latinæque Eruditionis omnino expertes agebant?

XCIX. Hi jam nodi, atque hæ ſalebræ, quibus omnes undique ſe teneri ſentiunt, nunquam, ſi quid video, expediri poterunt, niſi aſſumatur præſentiſſimum illud, quod Arabia fert, auxilium, in qua antiquiſſima proprietas at-

atque indoles complurimarum radicum feliciſſime conſervata eſt, quam ſi ſemel modo adſpicere contigerit, omnis mox difficultas evaneſcit: & quod ne Lynceus quidem alias penetraſſet, ſuo ſe lumine ſponte ingerit.

C. Fidem meam firmabit thema צדה. unde filum reſumo. Id inter Arabes ultima *Vau* & *Je* صدا, & ultima *Eliph*, teritur in *rubigine ferri* aut *æris*. In *Camuſo* صدي الحديد *ferrum rubiginem contraxit*, צדי; حديد صدي *ferrum rubigine infectum*; صداء الحديد *Rubigo ferri*. كتيبة صداء *caterva rubiginoſis armis prædita*. صداء *gladius rubiginoſus*. صداة *Rubigineus color*. *Ferrugo* اصدا *Rubigineo colore præditus*. *Ferruginoſus*. صدي الفرس *Equus ferrugineo fuit colore*. Apud *Zjaubarium* quoque يد صدي *rubigine ferri infecta manus*, יד צדי & in figura, صاغر صدي צאער צדי. *probro & criminationi obnoxius*, ut *Golius* exhibet, vel, ut *Giggejus* ex *Camuſo* dedit, *culpatus & ignominioſus*. Proprie, *vilis & æruginoſus*, vitiis *æruginis* emblemate deſignatis. *Æruginoſum animum* Latini partim pro *maligno*, partim pro *avaro & ſordido* dixere. Notiſſimum eſt illud *Horatii*

— — *Hic nigræ ſuccus loliginis, hæc eſt*
Ærugo mera. — — — —

Item.

— — *Animos ærugo & cura peculi*
Cum ſemel imbuerit.

Prius *maledicentiam & livorem*, poſterius *avaritiam* ac *ſordes* depingit. *Æruginoſa lamella* contemtim apud *Senec.* quæ *ſordide & avare habetur*; vel *habet* potius *habentem*. Utramque imaginem ſub formula صاغر صدي *vilis æruginoſus* comprehendi quoque putem. *Rubiginoſum* in eandem figuram traduxerunt, unde apud *Mart.* L. 5. Epigr. 26.

Rubiginoſis cuncta dentibus rodit.

Apud *Senec.* item ep. 7. *Malignus comes quamvis candido & ſimplici rubiginem ſuam affricuit*; & latiore adhuc ſenſu, ſi recte memini, ep. 95. *effricare rubiginem animorum*. Claudet agmen hoc inſignis locus *Jacob.* 5: 3. cum Arabica verſione وذهبكم وفضتكم فقد صديا وصداهما يشهد عليكم وياكل اجسادكم مثل النار חהבכם ופצתכם קד צדיא וצדאהמא ישהד עליכם ויאכל אגסאדכם משל אלנאר *Et aurum veſtrum argentumque ærugine eſt infectum; eorumque ærugo teſtabitur contra vos, & exedet corpora veſtra inſtar ignis.* Cernis *æruginem* proprie ſic dictam, quæ *metalla vitiat*. cernis & impropriam illam *æruginem*, quæ *avarorum carnes depaſtura* ſit *inſtar ignis*. Luculentiſſima, ex ambiguoque feriens, ſententia!

CI. A

Digitized by Google

CI. A *rubiginoſo* quod eſt in صدا propagata porro eſt poteſtas *ſitis*, ac *ſitiendi*, quaſi *rubiginoſis faucibus eſſe*; *ſqualere æſtu*. in præfat. *Camuſi* ناقع غلة الصوادي *ſedans ardentem ſitim rubiginantium*, ut ſic dixerim, aut *æſtu ſqualentium*. Clar. *Golius* hanc originem *ſitiendi* non perceperat, quum *rubiginoſum eſſe* inde ſic diſtinguit, ac ſi alterius foret radicis atque naturae صدي ultima *Je* peraeque *rubiginoſum eſſe* valet, ac صدا ultima *Eliph*, ex eoque fonte *ſitiendi* ſignificatio, tanquam ſecundaria, eſt derivanda. Docte non minus quam venuſte in illa origine luſit *Hariri* conſ. 37. صدي ذهني مذ صديت *Rubiginem traxit ingenium meum*, *ex quo ſiti ſqualeo*, & quaſi *rubiginoſus evaſi*. Ubi in tranſitu aliam adhuc metaphoram obſervabis, a principibus Lexicographorum omiſſam, qua *acies ingenii* dicitur *rubiginem induere*, ut *ferrum* nempe *quod uſu ſplendeſcit*, *ſitu rubiginat*, phraſi *Apulejana*. Id autem *ſiti ſqualere* ut *terris* non minus convenit, quam *hominibus*, ita illuc quoque uſum ſuum emittit, nam برية صادية *deſertum rubiginoſum* enotavit *Phiruzabadius*, pro eo quod *aqua penitus* eſt *deſtitutum*, *aridoque ſitu ſqualet*.

CII. Nemo equidem tam alienus eſſe poterit a ſtudiis noſtris, tantaque imbutus ærugine adverſus hypotheſin, quam ſequor, ut negare ſuſtineat, figuram hancce grandiſonam aptiſſime ſedere *Zeph.* 3: 8. *Excidi gentes*, *ſiderati ſunt anguli earum: evaſtavi plateas earum*, *ſic ut nullus transeat:* נצדו עריהם מבלי איש מאין יושב *ad rubiginem redactæ ſunt urbes earum*, *nemine homine ſuperſtite*, *nemine habitatore*. Oleum & operam perdidit *Avenarius*, quum *inſidiis captæ ſunt urbes earum*, ſenſu & ſerie reluctante, ingeſſit; anſa arrepta a צור *venari*, & צדד *ad latus eſſe*; cum quibus radicibus צדה noſtrum nihil commune habet, quicquid coloris Vir Doctus illinat. Prudentius reliqui interpretes ad Chaldaicum צדא *vaſtari* confugerunt; & צדותא *vaſtitas*; ſed vel me tacente quilibet ex ſuperioribus intelliget, ipſum illam Chaldaicam notionem, eſſe figuratam, atque a *ſqualido & rubiginoſo* tranſlatam; *Syrorum* uſu huc etiam conſpirante, qui *rubiginem* ſimul & *vaſtitatem* ſub themate צדא agnoſcunt.

CIII. Non abludit hinc *Rubigo* Latinis perquam familiaris, pro peſte illa quæ ſegetes exeſt, & *agros ſquale*, *ſcabre*, *illuvie*, & *vaſtitudine*, ut Varro loquitur, opplet. Sed in re liquida egomet me morarer, ſi plura congererem. Videamus alterum adhuc *Rubiginis* adſpectum, in quatuor locis ſeſe ſumma cum elegantia exerentem, ubi *inſidias* aſſumſerunt plerique, ob vicinitatem literarum cum צור *venari*: alii *ſtudium*, *deditam operam*, *intentionem malam* aut ſimile quid, quod quadrare videbatur. Ecquid jam pro *intentione* illa *mala* ſatis arridet *Rubigo* animi, atque *Ærugo*? Nil pote nervoſius & expreſſius *Num.* 35: 20. *Quod ſi* בשנאה *odio eum impulerit*, *aut lapidem in eum jecerit* בצדיה *mala rubigine*; *morietur*. Iterum vſ. 22. לא באיבה *ſine ulla inimicitia*, & בלא צדיה *ſine ulla ærugine*. In eodem negotio *Exod.* 21: 13. *Qui percutit aliquem*, *morte mulctabitur*. ואשר לא צדה *At qui ærugine non imbutus fatali*

Digitized by Google

caſu fecerit, ei ego deſtinabo aſylum. Similiter 1 *Sam.* 24: 12. ואת צרה את נפשי לקחתה *Tu autem ærugine imbutus es erga animam meam, ad eam capiendam.* Quin imo exemplum illud in *Daniele* cap. 3: 14. unde *induſtriam, deditam operam* elicuerunt Viri Docti, huc pertinet. הצדא *An ærugine, O Viri, Deos meos non adoratis?* In omnibus hiſce *Ærugo* pingit *malignitatem*, & quidem *inveteratam*, ex occulto odio, livore aliisque principiis. Peropportuna in hanc rem eſt obſervatio *Turn.* Adverſ. L. 30: 30. ubi notavit veteres *invidiam* cenſuiſſe *animi vitium*, ut *rubiginem ferri*, *æruginem æris*, indeque *æruginem* tranſlate poſuiſſe; ut in illo *Mart.* 10: 33.

Ut tu ſi viridi tinctos ærugine verſus
Forte malus livor dixerit eſſe meos,
Ut facis, a nobis abigas. —— ——

Addatur hoc exemplis ex *Horat.* & *Senec.* ſupra jam adductis: & locus etiam hic concedatur *animo æruginoſo*, ex capitali emendatione *J. F. Gron.* ad *Sen.* ep. 115. *ὁ πάνυ Malitiam & æruginoſi animi veternum*, pro vulgato *ærumnoſi*, quod eſt *Fortunæ* vocabulum, non *vitii*, quale hic requiritur. *Rubiginoſis dentibus* apud *Mart.* anſam præbuiſſe videtur *Ovid. Metam.* 2. in graphica pictura *Invidiæ*.

—— —— *Livent rubigine dentes.*

Quibus pro clauſula ſubſerviat locus *Sidon.* ep. 6. 6. *Ne veſter affectus quandam duceret, ut gladius impolitus, rubiginem.*

CIV. Ex ſpecimine jam enucleato Sanioris Critices certiſſimam regulam elicio, fruſtra ſemet acutiſſima ingenia exercere, in diſſidentibus notionibus conciliandis, quamdiu ſtirps, & nativa indoles in obſcuro eſt. Eandem regulam adfirmabit, atque extra dubitationis aleam collocabit alterum, quod poſueram, thema שבח, aliquando per *laudare* ac *celebrare* converſum, aliquando per *compeſcere* & *ſedare*. Quid hic Doctiſſimi interpretum ad copulam & concordiam inveniendam? Si *Forſtero* id accredimus, שבח primo ſignificavit *provehere verbis, promovere laudatione, commendare:* dein contraria vi, *continere, cohibere, compeſcere.* Paulo aliter *Avenarius*, cui שבח primo eſt *commendare*, tum deinde *mandato compeſcere.* in Comm. *Gejer.* ad *Pſ.* 65: 8. reperio hunc conatum, a *laudando* per antiphraſin ductum eſſe *deprimere*, & *ſilentem reddere.* Meliore judicio *Coccejus* a *laudando* per *metonymiam* ſimul & *metaphoram* deduxit *laudibus adhibitis ſedare.* Aliter adhuc calculum ſubduxit *Guſſetius* in Comm. L. H. ita ad rationes ſedens. *Significata* laudandi & compeſcendi, *huic radici attributa quid commune habent? An ſpectatur modus mitigandi per hortationes lenes? An effectus ſpectatur? nam laudabiles reddis quorum furorem ſedas & in benignitatem commutas.* Hujus veſtigia preſſit, quin verba ipſa expreſſit Cl. *Stockius*, utramque hanc rationem conjungens; quum tamen poſterior plane rejicula ſit; neque ullo pacto in cenſum venire debuiſſet.

CV.

CV. Demiror equidem, a ſe impetrare non potuiſſe Viros Doctiſſimos, atque ex palæſtra Græcæ, Latinæque linguæ, talium haud ignaros, ut profiterentur, Originem ſorte & primigeniam proprietatem hujus radicis, unde conciliatio pendet, abeſſe, quæ ante erui debeat, quam quicquam tentari, nedum præſtari queat. Quid enim? an incredibile eſt antiquiſſimam alicujus thematis notionem haud extare in Codice Sacro? Atqui longe maxima radicum pars ſub ea conditione jacet; curſu omnium linguarum ſua ſponte id ipſum efficiente; ut res aliter ſe habere non potuerit. Porro an ullo indicio comprobatum erat, ſignificationem *laudandi* eſſe *propriam* ac *primariam*, ac non potius *tranſlatam* & *ſecundariam? Secundariam* eſſe omnia magis ſuadebant, quum *laudationis magnificæ* vim præferat verbum hocce, cum *applauſu*, *honoreque omni verborum* conjunctam, unde per *concelebrare publico plauſu* opportune exprimi poſſet. Ergo *primaria* illa *poteſtas* in Bibliis nuſquam occurrens, ex dialectorum fontibus ante fuerat protrahenda, quam ſerio de conciliandis diſcrepantibus hiſce notionibus deliberaretur.

CVI. Manu palpandum præbere volui defectum hunc, quando in defectibus hodiernis, circa interiorem cognitionem Hebrææ Linguæ, denudandis occupor, ut omnes, qui de his rebus aliquid judicare valent, perſpicerent, vel ſpem eſſe deponendam linguæ hujus, quoad ejus fieri poſſit, perſanandæ; vel externa auxilia eſſe admittenda, ut quod domi nulla unquam ſagacitate veſtigari queat, id foris exquiratur, & conſpirante excellentium ingeniorum induſtria, velis remisque, convehatur.

CVII. In Arabiam ſi quis mecum vela dare non refugiat, Filiæ opulentiam Mattis inopiæ recreandæ inſigniter conducere deprehendet. Nam cum *laudandi* & *ſedandi* poteſtate, multo plures adhuc notiones ibi inveniemus, quæ ad primam originem nos perducere valeant. Nempe سبخ per *Sin*, in quod Hebræum *Schin* ſæpe ex dialecto tranſit, ut exempla parag. xciv. exhibita docent, complectitur propriam & principem poteſtatem *permulcendi*, & *leni manu tactuve contrectandi*. Speciatim ſedem obtinet in *lana*, aut *Goſſipio*, *quod carminatum colo obvolvitur*. Id vocant التسبيخ תשביח; unde سبخ apud *Golium* declaratur, *decerpſit aliquid de Goſſipio*, *lana*, *pilis camelinis*, *dum carminarentur*, *colove obvolverentur*. Vides illud *leni manu contrectare & permulcere*, ad *materiam mollem* ſordibus repurgandam, & *lanificio accommodandam* التسبيخ תשביח etiam ex *Camus* proponitur a *Giggejo* ſub notione *Goſſipium extendendi ut ſuper illud medicamentum expandatur*. Habes iterum *materiam mollem leni manu permulcere*. Eadem vis relucet ex שביחה سبيخ *plumæ quæ expanduntur*, & alia forma سبيخ, *quod decidit e goſſipio*, *aut plumis*. Ita Lexica. Ita etiam *Schol. Diw. Hud.* السبيخ ما نسل من ريش الطير *Appellatur* שביח *quod defluit e plumis avium*. Sed plenior forma loquendi ibi proſtat سبيخ النسال, quod aliter verti non poteſt proprie *demulſum plumæ effluentis*: ad quam rationem primitus dixerunt سبيخ القطن *quod inter mul-*

cen-

cendum & leni manu pertractandum de goſſipio decidit. Pro quo utroque deinceps سبيخ abſolute invaleſcere cœpit.

CVIII. Hæc de proprietate. Excutiamus nunc impropria, & tranſlata, quæ ex *leniter mulcendo* profluxerunt. Apud *Giggejum* velut glomus quoddam ſignificationum ſub التسبيخ תשביח comparet: *Cum quid leve fit; cùm quid quietum redditur; quies venæ pulſantis ex dolore; rei abſolutio vel evacuatio; ſomnus vehemens.* Item ex 2. Conj. سبخ الله عنه الحمى *illius febris levior facta fuit. Deus vim febris fecit deferveſcere.* & alia formula لا تسبخ عنه بدعائك عليه *Ne illius crimen leve facias precibus tuis.* Iterum سبخ الحر & in 5 conj. تسبخ الحر *æſtus deferbuit.* Apud *Golium* ſub 2. conj. habes *Goſſipium tractavit*, ut ſupra dictum: *Leviorem reddidit ac ſedavit febrim* Deus. *Dormivit vehementius; remiſit & ſedatus fuit* calor. Additur tanquam infinit. 1 conj. سبخ *liberum vacuumque eſſe.*

CIX. Ob oculos propone tibi in hac congerie principem aliquem Gloſſatorem; *Heſychium* verbi gratia, aut *Nonium Marcellum*, qui ſparſas linguæ patriæ divitias ſummatim undique carpens, atque ex oratorum, poëtarumque, pratis delibans, nihil penſi habet quo pacto corollam ſuam digerat contexatque. Non multum inde lucis deportabit, niſi qui diffuſa lectione jam ante pectus imbuerit, & quo quidque pertineat, nocturna diurnaque volutatione omnium ferme auctorum, addidicerit.

CX. Submonitione hac occurrere debui iis, qui vix primoribus labris deguſtata lingua Arabica, ſine ullo uſu librorum ex Lexicis tantum ſapere poſſunt; ut ſciant vaſtum eſſe hoc mare, intuta brevia; ubi facile cymbulam frangere quis poſſit, niſi ante genium & curſum linguæ in omni genere orationis, proſæ, verſæ, exploraverit, ſibique familiarem reddiderit.

CXI. Ut mentem meam illuſtri documento declarem, quod incredibile hæc res momentum habeat in ſtudio Linguarum Orientalium, Gloſſatorem agam in Latino *Mulcere*, ſecundum illam viam & rationem, quam tenet *Zjauharius* a *Golio*, & *Phiruzabadius* a *Giggejo* converſus: id eſt, prout vel communis ſermo, vel memoria, vel annotatio ideas ſub manus ſuggeſſerit. Ergo *mulcere* eſt *leviorem facere, allevare; quietum reddere, pacare; dolorem ſedare; tumultum compeſcere* aut *componere; curis abſolvere* & *evacuare;* altiore ſomno *ſopire; facere ut quid deferveſcat; mitigare* & *lenire* crimen; *ſolari; blandiri*, & *adulari; recreare; titillare*, & *jucundo ſenſu perfundere; ſubigere* cudendo ferrum; *edomare; plaudere, applaudere; collaudare* & *omni honore verborum adficere* ac *concelebrare*. Affatim, credo, gloſſarum; nec tamen omnia exhauſi, quæ hic inexhauſta quaſi vena ſcaturiunt. Ad hunc modum notiones notionibus cumulantur in *Camuſo*, ſine allegatione ulla, ſine auctorum exemplis. *Zjauharius* hic illic exempla interſperſit, ex Poëtis præſertim, ſed quæ ſitim legentis irritent magis, quam ſedent. Facile etiam evicerim, ne dimidiam quidem partem figurarum & tralationum, ſub pleriſque radicibus, eſſe conſig-

Digitized by Google

ſignatam ab illis duobus Lexicographis; quum *Phiruzabadius* alterum tantum ad *Zjauharium* ſe adjeciſſe non vane glorietur; atque bis altero tanto cumulatius aliquid præſtari poſſet, ſi in immenſum opus conſpirata Doctorum inter Arabes virorum diligentia incumbere ſuſtineret. Comperta loquor, quippe qui ex paupertina mea re, & penu, Lexica Arabum haud pœnitenda acceſſione locupletare poſſem: haud ignota etiam Eruditis noſtris profero; ſi enim Theſaurus ille copioſus *Stephani* guſtulum modo præbet divitiarum Græcarum; ſi *Fabri* illud *penuarium Latinum*, a *Buchneris*, *Cellariis*, *Græviis Gesnerisque* luculentiſſime ditatum, plenis adhuc modiis & trimodiis poſſet adaugeri, utique in uſibus vocabulorum figuratis; quilibet liquido mecum concludet, & decernet, fieri non poſſe ut omnem copiam ac facultatem ſermonis Arabici *Phiruzabadii* ille *Oceanus* expromſerit.

CXII. Sed hæc alias latius, & tempeſtivius. Nunc, quod inſtat. Si ergo in hunc meum cinnum, in quem admiſcui ſignatiores uſus verbi *Mulcere*, oculos conjecerit aliquis, tenuiter literis Latinis tinctus; nonne mirifica ei perturbatio & confuſio oborietur? præſertim ſi ne primigeniæ quidem proprietatis limpidam ideam imbiberit, quemadmodum ſæpe Arabes, ſuorum in gratiam ſcribentes, eam ne enotare quidem dignantur. At qui auctorum lectione imbutus ac coloratus, meam congeriem, fugiente tantum oculo, adſpexerit, quantumvis nullo ordine ea profuſa ſit, in ſingulis tamen phraſibus lumen ac decus inſignium metaphorarum agnoſcet, & ad ſuam quamque ſtirpem ac originem revocare callebit.

CXIII. Quia interim hæc opera noſtra Juventuti Academicæ debet prælucere, eique per linguarum anfractus iter emunire, æqui bonique conſulent homines Eruditi, ſi gloſſemata mea exemplis illuſtrata dedero; & quod imperitis turbidum videri poſſet, defæcatum liquidumque effecero.

CXIV. Ajebam *mulcere*, eſſe, *leviorem facere* ut Arabes etiam سبخ exponunt. Sic *Sil. Ital*, 13: 396.

Alloquioque virum tantos mulcere dolores.

Et 12: 120.

—— —— Aonio plectro mulcere labores.

Adde L. 4: 750. qui verſ. tamen merito ſuſpectus eſt viris doctis. Sequebatur *quietum reddere*, *pacare*. Sic *Horat*. 2. Ep. 1: 211.

—— —— Meum qui pectus inaniter angit,
Irritat, mulcet; falſis terroribus implet.

Et *Val. Fl.* 1: 298, 299.

Illis placidi ſermonis Jaſon
Suggerit adfatus. turbataque pectora mulcet.

Itemque *Sil. Ital.* 10: 616.

Hos mulcens queſtus Fabius.

Deinceps ponebam, *ſedare* dolorem. *Plin.* L. 28: 19. *Si ubera dolent, lactis aſinini potu mulcentur:* & ita ſæpiuſcule. poſſes etiam *fovere* pro gloſſa ſubſtituere. *Sil. Ital.* 5: 368.

Mulcebat lympha purgatum ſanguine vulnus.

Idem 6: 91, 92.

—— —— Nunc purgat vulnera lympha;
Nunc mulcet ſuccis. —— —— ——

Similiter 13: 455. &c. &c. Inde porro, *compeſcere*, *componere* tumultuantia. *Virg.*

Et mulcere dedit fluctus, & tollere vento.

Et *Liv.* L. 7: 40. *Extemplo memoria patriæ militi iras permulſit;* & *Apulejus* alicubi, *fervidos mores blanditiis permulcere.* Etiam *Tacitus* aliquoties *mulcere* hoc adhibuit, ubi *militaris tumultus ſedatur.* Addatur *Virgiliana* imago.

Ille regit dictis animos & pectora mulcet.

CXV. Subſequens erat *curis abſolvere* & *evacuare*, quomodo & Arabes ſuum تسبيخ declarant & سبخ, citraque punctum, سبح *liberum*, *vacuum*, *curis ſolutum eſſe* فرغ. *Horat.* 3. *od.* 11.

Quin & Ixion, Tityosque voltu
Riſit invito; ſtetit urna paullum
Sicca, dum grato Danai puellas
Carmine mulces.

Nil tritius. Speciatim *ſomnus curarum domitor*, dicitur *mulcere*; unde تسبيخ *ſomnus altior*, & conj. 2. سبخ *vehementius dormivit.* Sic *Sil. Ital.* 3: 170.

Nec mora; mulcentem ſecuro membra ſopore
Aggreditur juvenem.

Iterum L. 7: 293.

—— —— Et mulcebat triſtia ſomno.

Op-

Digitized by Google

Opportune incidit & hoc *Ovid. Metam.* 8.

> *Lenis adhuc ſomnus placidis Eriſichtona pennis*
> *Mulcebat.* — — — — —

CXVI. Series noſtra proponebat deinde, *Mulcere* pro *facere ut quid deferveſcat*; ubi me accommodavi ad Arabes ita phraſin سبخ الله عنه الحمي declarantes, *fecit Deus deferveſcere febrim ab eo.* Nobilem enimvero figuram! *Permulſit Deus febrim ejus*; quomodo *permulcere iras*, in alio æſtu plusquam febrili *Livius* dicebat. Ejusdem venuſtatis, تسبّخ الحرّ *deferbuit æſtus, calor remiſit*, proprie *remulſus*, *permulſus eſt.* Huc facit *Silii* hocce L. 6: 163.

> *Isque ubi ferventi concepta incendia paſtu*
> *Gurgite mulcebat rapido, & ſpumantibus undis.*

CXVII. In *criminis mitigatione* uſurpant etiam Arabes ſuum سبّخ, ſecundum formulam illam لا تسبخ عنه بسعايتك عليه *Ne illius crimen levius facias pro eo intercedens.* Proprie, ne *molli manu palpes & permulceas* crimen *quo onuſtus eſt.* In *Suaſ.* 1. *Senecæ* eſt, *Multa adulatione animum alicujus permulcere.* Trita ſunt tum in *adulatione* omni, tum ſpeciatim in *blanda criminis elevatione* vocabula *palpandi*, & *palpo mulcendi* & *palpationis*, ad quæ digitum intendiſſe ſuffecerit.

CXVIII. Vicinum eſt, *blande ſolari*, quod non dubito quin Arabum uſus quoque admittere poſſit, quamvis a Lexicographis non annotetur. *Val. Fl.* 4: 443.

> — — *Jamque hoc animum ſolamine mulcens.*

Directius, & abſolute L. 2: 140.

> — — *Et longo mulcent inſomnia penſo.*

Huc pertinent, *recreare*, *titillare*, *jucundo ſenſu perfundere*, quæ pervagata ſunt, & probata tædium parerent. Unum modo veniam eblanditur, ex *Sil.* L. 12: 3, 4.

> — — — *Blandisque ſalubre*
> *Ver Zephyris tepido mulcebat rura ſereno.*

Et item alterum *Val. M.* 2. 44. *Novitate grata oculos permulcere.* Unde totum genus cognoſcitur.

CXIX. Quantocyus abſolvamus penſi reliqua. *Mulcere* antiquis fuit ſpeciatim *ſubigere & emollire* ferrum: nam inde *Mulciber* nomen inveniſſe traditur. Apud *Silium* valet etiam *Edomare. Cicurare. Manſuetum reddere.* Lib. 1: 406.

Zz 2 — *Non*

Digitized by Google

— — Non pavidus fœtas mulcere leænas.

Et Lib. 2: 440.

Aſſuetas patrio mulcet ſermone leænas

Præiverat *Virg.* cujus eſt, *Mulcere tigres.* non abludit etiam illud *Livii* L. 3: 14. *paulatim permulcendo tractandoque manſuefecerat plebem.*

CXX. Cogat longum nimis agmen *Mulcere*, pro *plaudere*, *plaudente & palpante manu demulcere*; anſa deſumta ab *equis*, qui blanda manu, & verborum honore permulceri gaudent. Huc ſpectat *Terentianum* in *Heaut. Non poſſum pati, quin tibi caput demulceam.* Apud *Val. Fl.* L. 358. etiam eſt

Plauſu fovet hanc, & pectora mulcet.

Nec abeſſe hinc debet *Virg.* deſcriptio, qua equorum indolem pingit *Georg.* 3: 185.

Tum magis atque magis blandis gaudere magiſtri
Laudibus, & plauſæ ſonitum cervicis amare.

Ubi & *mulſæ* genius Latii reciperet, niſi quod ſonantius ſit illud *plauſæ.* Adde *Æneid.* 12.

Circumſtant properi aurigæ manibusque laceſſunt
Pectora plauſa cavis.

CXXI. Ab hac, vel ſimili aliqua anſa, Arabes *cum plauſu laudandi & magnifice celebrandi* poteſtatem quoque adſciverunt ſub سبح, quod eadem cum سبخ radice tenetur, & Hebræum שבח repræſentat. Unam eandemque eſſe ſtirpem, licet puncta diſtingui ſoleant, nullum eſſe poteſt dubium, quia سبح æque ac سبخ exponitur *ſomnus*, *quies*, *ſedatio & vacuitas curarum.* فراغ. Diſcreverunt tamen, ut apud Latinos quoque *mulcare* diſcernitur a *mulcere*, quum ejusdem ſit originis. Duo autem ſignificata ſub سبح regnant, alter *collaudandi cum plauſu*; alter *natandi.* Miretur aliquis, & roget quid *natatui* cum *plauſu*? Sed mirari deſinet, qui hoc *Statii* modo adſpexerit L. 1. *Sylv.* 3. vſ. 73, 74.

Aut ingens in ſtagna cadit, vitreasque natatu
Plaudit aquas — — — —

Nempe qui *natat*, *manibus pedibusque everberat aquas*, & quaſi *plaudit eas*, *remigem agens.* De *remigatione* non diſplicebit hic imago *Silii* L. 6: 461. hortatorem deſcribentis.

Qui

Qui voce alternos nautarum temperet ictus;
Et remis dictet ſonitum, pariterque relatis
Ad numerum plaudat reſonantia cœrula tonſis.

Ergo *remex plaudit aquas*, itemque *natator: aëra* quoque *ales;* quem & poëtæ *tranare remigio alarum* dicunt *cælum*. Non indecore *Silius* hæc complexus eſt L. 12: 95. ubi *Dædalum* inducit, qui *novus ales aëre tentans*, & *Natum* quoque *docens vias volucrum attentare*, *lapſum*

— — — Solutis
Pennarum remis, & non felicibus alis
Turbida plaudentem vidit freta.

Invenio etiam *plauſum* pro *natatu* eleganter poſitum, vel ſaltem pro *conatu piſcis nataturi*, ab *Auſon.* in *Moſella* vſ. 263. de piſce capto, in arenamque extracto, & moribundo.

Jam piger invalido vibratur corpore plauſus;
Torpida ſupremos patitur jam cauda tremores.

De *natatore* iterum *Manil.* 5: 430.

Nunc alterna ferens in lentos brachia tractus,
Et plauſa reſonabit aqua. — —

Plaudere ergo recte prô *natare* Arabes, ſub ſuo سبح; & سبوح *natator*; qua homo, qua aliud quid, aquam, dum fluitat, *plaudens*, *mulcensque*. In *Alcorano*, *Sur.* 36: 40. الشمس والقمر في فلك يسبحون *Sol & luna in navi natant*. Proprie *plaudunt*, *mulcent*, *tranant*, *eremigant cælum*. Fabella vetus; in quam nunc non excurro. Mirifici ſæpe ſunt natales ſignificationum. *Mulgere*, quod & cum *mulcere* in origine concinit, apud veteres, licet diverſo adſpectu, receptum fuit in *volatu*, *natatuque*. Apud *Ennium* in 7. Annali.

Mulſerat huc navem compulſam fluctibu' pontus.

Id eſt *nantem attraxerat*. In *Arat. Cic.*

Igniferum mulgens tremebundis æthera pennis.

Sed nimius ſum; & *plauſus natationis* neminem amplius turbabit, cum *plauſu laudationis* in unam ſedem congruens, ſub themate سبح.

CXXII. *Laudationis* autem *plauſum* illum Arabes ſolenni formula exprimunt, ubi quid *admirabile*, & omnibus modis *prædicandum*, *celebrandumque* conſpexere,

Digitized by Google

xere, proclamantes *Sobhan* سبحان من هكذا *O rem plauſu*, & *demulſa*, ut ſic dicam, *cervice digniſſimam.* Inde formula انت اعلم بما في سبحانك *Tu te ipſum noſcis.* Ita *Gigg.* proprie *Tu optime ſcis quid in te plaudi*, & manu demulcente *laudari mereatur.* Solenne item hinc سبحان الله *Laus Deo;* سبوح الله אלה שבוח *Deus laudandus;* سبحة الله *Magnificatio & concelebratio gloriæ divinæ;* & verbum سبح *plauſu, omnique honore verborum magnificavit* rem aliquam; ſpeciatim Deum. In *Alcorano* كان من المسبحين *Fuit ex veneratoribus & laudatoribus Dei.*

CXXIII. Ex hiſce omnibus jam ſole meridiano clarius relucet tum majeſtas, tum gravitas & conſtantia ſermonis Hebræi, in themate שבח, quod a *permulcendo* uſum ſuum ſecundarium diffundit, partim ad *honorificentiſſimam laudationem*, partim ad *blandam ſedationem. Laudationis & concelebrationis* pulcherrimam hanc imaginem præferunt ſequentia loca. *Pſ.* 117: 1. הללו את יהוה שבחוהו *Celebrate Jehovam, & plauſu publico permulcete quaſi*, exclamantes ſolenne illud *Sobhan Pſ.* 63: 4. שפתי ישבחונך *Labia mea plauſu te commulcebunt; omnique honore verborum vehent atque extollent. Pſ.* 147: 12. *Jeruſalem* שבחי את יהוה הללי אלהיך *O Tzion; publicis plauſibus permulce Jehovam, concelebra Deum tuum. Pſ.* 106: 47. להודות לשם קדשך להשתבח בתהלתך *Ad concelebrandum nomen tuum ſanctum; ad commulcendum noſmet ipſos in tua laudatione*; hoc eſt, *ad noſmet ipſos beatos & glorioſos prædicandos dum te celebramus*, ut *Coccejus* recte declaravit. Poſſet quidem paulo aliter adhuc illud השתבח בתהלה exponi, *reſonante plauſu & clamore publico*, Sobhan *dilaudare*, ſine uſu illo reciproco, ſed prius prætulerim. Addatur 1 *Chron.* 16: 35. *Eccl* 4: 2. & 8: 15. Alteram figuram *blandæ ſedationis* exerit *Pſ.* 65: 8. משביח שאון ימים *permulcens fragorem marium.* Et *Pſ.* 89: 10. *Tu imperas elationi maris: quum tollit fluctus ſuos*, אתה השבחם *Tu permulces eos.* Conſonat *Virg. Æn.* 1: 65.

Et mulcere dedit fluctus, & tollere vento.

Iterum *Prov.* 29: 11. *Omnem Spiritum ſuum exire ſinit e lumbis*, id eſt, *iræ frena laxat; at ſapiens retro remulcet eum* ישבחנה. Id *Statius* ſimiliter expreſſit *ſtimulata corda remulcere.* & conferri debet *Æneid.* 1: 153.

Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

CXXIV. Hæc ad *Quartam Claſſem* defectuum libata ſunto. *Quintam* nunc brevibus quoque ſtringam, par. XI. propoſitam in Radicibus, quarum exterior quidem adſpectus uſuſque, ex ſerie orationis, & collatione locorum, potuit attingi, ſed ad quarum definitam proprietatem, & genuinam vim, nulla acie

Digitized by Google

acie penetrari potuerit, neque unquam penetrabitur, niſi foris, dialectorum ope, lumen inferatur.

CXXV. Ut hoc quale ſit, quam lateque ſe extendat, intelligatur, attendi velim ad id, quod nemo ſenſu communi modo prœditus, leviterque literis tinctus, negaverit, in omnibus linguis primævum fontem diſtingui debere a rivulis, id eſt primariam & antiquiſſimam notionem, a ſecundariis uſibus; & nihil difficilius eſſe, etiam in opulentis & copia librorum florentibus linguis, quam primigeniæ Originis ac poteſtatis indagationem.

CXXVI. Hæc jam difficultas Linguam Hebræam, puram illam & antiquam, quæ Bibliis continetur, duabus de cauſis maxime premere debuit. Prima eſt, quod anguſtiſſimis cancellis unius tantum Libri includatur; altera, quod Criticorum, & Grammaticorum Veterum monumentis, hac in parte, penitus deſtituamur. Utriusque rationis pondus ac momentum paulo preſſius eſt urgendum, quia hoc ipſum magnitudinem defectus, per latam linguæ ditionem regnantis, evincet, & ſimul neceſſitatem lucis, e dialectis infundendæ, demonſtratam dabit.

CXXVII. Primo aliquis modo guſtus, & vel levicula in linguis tinctura, dictat cuivis, ad ſignificationes primævas vocabulorum indagandas requiri magnam librorum ſupellectilem, & per omne genus artium ac ſcientiarum ſeſe diffundentem copiam præſtantium auctorum, qui patrii ſermonis vim atque indolem feliciter repræſentare ſtuduerunt. Quo ergo anguſtius habitatur, hoc eſt, quo minus Scriptorum habetur, eo majoribus difficultatibus ac tenebris laborari neceſſe eſt.

CXXVIII. Ponamus caſum, cujus fingendi, & ad propoſitum meum deducendi, neceſſitatem imponit commune præjudicium, quo ſtatus quæſtionis noſtræ vix cognitus, nedum perſpectus, gravatur. Superſint modo ex illa Græcorum affluente opulentia *Thucydidis* & *Euripidis* præclari labores; omni reliqua lingua penitus deleta & extincta, quisquamne mortalium ſibi perſuadebit, aut aliis perſuadere conabitur? ſe ex indefeſſa & attentiſſima volutatione illorum Auctorum, tum generalius ſenſum Univerſi contextus aſſecuturum eſſe, tum ſpecialius cujusque ſententiæ pondus ac decus eſſe eruturum, cum omni illo lumine, quod ad primitivam indolem thematum, naturam metaphorarum, profundosque receſſus totius orationis referandos deſiderari poteſt.

CXXIX. Progredior ulterius. Si iſta jam *Thucycidis* & *Euripidis* ſuperſtitantia tantum monumenta, conſentiens Eruditorum chorus per mille, per bis mille, per quantum quis voluerit annorum excutiat, & acri locorum collatione, Lexicorumque ac Concordantiarum confectione, novis usque ac usque curis ſubjiciat; quisquamne ſperandum eſſe contendet, ut omnes tandem tenebræ diſcutiantur, quæ ex anguſtia & inopia linguæ, tantam cladem paſſæ, ingruerat; & res deducatur ad liquidam omnibusque ſuis numeris abſolutam explanationem? haud dubie ſi id fati Græcis rebus incubuiſſet, ut quilibet materiæ ſuæ callidus æſtimator, gravem Linguæ jacturam deploraret, ita ultro & ſponte profiteretur, aquam ſibi in bene multis hærere, & magno redemtam

Digitized by Google

demtam vellet ampliorem librorum ſupellectilem, unde genuinas verborum origines, diverſas metaphoras, ſplendidas figuras, univerſæ Orationis inſtrumentum penitius pertentare, & ad vivum ſecare daretur: Dialectorum opem neutiquam aſpernaturus, ſi forte Jonice, Dorice, Æolice, Vulgariter, conſcripta priſca monumenta, ex angulo aliquo emergerent; ſed ea tanquam e cœlo lapſa ſuſcepturus.

CXXX. Quo collineem, cujusvis oculis ſe ingerit: & jure meritiſſimo me colligere poſſe autumo, fruſtra eſſe Viros Doctos, qui in ſumma paupertate linguæ Hebraicæ, unius ſatis exigui Libri finibus concluſæ, dialectorum ſibi interiorem cognitionem minus neceſſariam eſſe exiſtimant, quum citra illud lumen nunquam ad primigenias & antiquiſſimas Radicum Hebraicarum ſignificationes perveniri queat, etiamſi exterior uſus & adſpectus ex circumſtantiis contextus comprehenſus fuerit: quod nunc in præſentia diſputaſſe ſuffecerit ad primam cauſam defectus illius, quem mox exemplis palpandum præbebo, illuſtrandam.

CXXXI. Alteram cauſam obſcuritatis, quam regnare dico per linguam Biblicam, circa primigeniam proprietatem Radicum, collocavi in eo, quod deſtituamur omni luce Veterum Criticorum, qui ſtante adhuc & vigente Hebræorum Lingua floruerint. Maſoretharum Criſis circa literas & puncta ſterileſcit: quæ a Thalmudicis hic illic attinguntur, mirificam produnt inſcitiam: & eruditis ſtomachum movent. Qui aliquid deinceps conati ſunt ex natione Rabbinica, tum demum extiterunt, quum longa clades cuncta diſſipaſſet, quibus Lingua Hebræa non magis vernacula fuit, quam Italis recentioribus, Romana puritas ac majeſtas; aut Græcis hodiernis in *Euripide* ac *Thucydide* exponendo quicquam auctoritatis præ nobis competit. Si ergo, ut ſimilitudinem modo adhibitam, adhuc ſemel urgeam, librorum Græcorum penuriæ, accederet Veterum Scholiorum univerſalis interitus, ſic ut nihil vel de etymologia ac primæva ſtirpe verborum, vel de metaphoris & figuris ex ſua quibusque ſtirpe propagatis, vel de reliquo apparatu Critico, quicquam ad noſtras manus perveniſſet, a veteri aliquo Literatore annotatum, aut excerptum, qui florente Græcia floruiſſet; utique omnes, qui illiterati non erunt, haud gravatim agnoſcent, ſi jam exteriorem verborum vim & uſum aſſecuti fuerint, interiorem tamen originem & proprietatem in plerisque a ſe nec penetrari, nec adeo ſperari poſſe, niſi aliunde ſuppetiæ adſerrentur, defectibus tum librorum, tum Scholiorum veterum ſupplendis idoneæ: hoc eſt, niſi monumenta quædam prodirent in lucem, unde patentior Linguæ Græcæ conſpectus aperiretur, vetuſtis auctoritatibus illuſtratus ac confirmatus, licet forte monumenta illa jam non Atticam gravitatem ſpirarent, ſed alterius alicujus dialecti colorem ac guſtum præferrent, quæ cum Attica iisdem ſtirpibus maternis teneretur.

CXXXII. Ut his levi velitatiuncula præmiſſis, cornua nunc commoveam diſputationis, & exemplis in aciem deſcendam, ex trecentis thematibus tria adduxiſſe ſatis habebo. קלם / עלם / מרה. Prius מרה, poſt infelices conatus *Forſteri*, qui ex affinitate cum מור elicuerat vim *mutandi*; itemque *Avenarii*,

qui

qui ex cognatione cum מרר exſculpſerat notionem *amareſcendi*, conſedit tandem magno conſenſu Lexicographorum noſtrorum in ſignificatione *Rebellandi.* Iſta idea quum generalis ſit, & ſub varias cadat loquendi formas, copia Latinæ linguæ uſi Viri Docti addunt, *immorigerum eſſe*, *refractarium*, *contumacem*, *pervicacem ſe gerere*, quæque alia in eundem exeunt ſenſum. Nihil equidem carpo; nihil demuto. Omnia hæc recte & rite ſe habent. Sed jam dari mihi velim unde *rebellantis contumaciæ* ſecundaria illa poteſtas ſit prognata; & quæ nativa ac priſca ſit facies verbi מרה. Eſtne *Tumuit*, unde *contumacia* nomen invenit? Eſtne *Refregit*, unde *Refractarius* dictus? Eſtne *Pervicit*, e quo fonte *pervicax?* Utique ſine temeritate nihil hic eligi, aut adfirmari poſſet, omni fundamento deficiente; & vel viginti aliis ideis ſinum modo concutienti ſeſe oblaturis ad illud *Rebellem* & *immorigerum eſſe* exprimendum. Quid ergo מרה veteribus Hebræis in ſtirpe ſua ſignaſſe dicemus? Neſcio, inquies, nec curo equidem, quum exploratiſſimum habeam *contumacis rebellionis* poteſtatem ſubeſſe, unde illa tandem derivata fuerit. Itane vero non curabitur id, quod grandia perſæpe adfert momenta? Cordatius, credo, foret, defectum palpabilem agnoſcere; ejusque remedia, quæ Filia Matri præſtare valet, non repudiare.

CXXXIII. Hic quam amice Hebræa & Arabica dialectus conſpirent, *Giggejus* jam inſinuaverat, quum مري, æque ac מרה exponebat *contradicere*, *rebellare*, *contumacem eſſe.* المراء & الممارأة *diſputatio.* مارأه بالحجة *in controverſia illi adverſatus eſt.* (Imo vero, *in clara probatione ſe ei contumaciter oppoſuit.*) مارأه *cum illo diſputavit; contendit*, *litigavit*, *altercatus eſt.* المرية *Dubitatio. hæſitatio. diſceptatio. altercatio. controverſia.* مري حقه & مراه *Se aliquid debere inficiatus eſt.* Hæc linguarum callens ſtatim ſentit eſſe ſecundaria. Quid jam primarium? En tibi. מרי المري *fricatio*, *attrectatio; preſſio ſtringens.* مري الناقة *Cameli ubera ſtrinxit mulgendi ergo*, ut eſt apud *Golium.* Item *inflixit* illi centum flagelli ictus. Formula eſt in *Camuſo* מרה פלן מאה שוט مري فلانا ماية سوطا *Illum centies flagello verberavit.* Ad verbum, *ſtrinxit illum centum ſcuticas.* Id eſt *ſtringentibus plagis inflixit illi.* Iterum, *ad vehementiorem curſum ſcutica aliave re egit* equum. مري الفرس *ſtrinxit*, *perſtrinxit equum*, abſolute ſic nonnunquam poni amans. Porro *in pluviam diſſolvit ventus* nubem. مري السحاب. a *mulſione*, *emulſione aquæ* quæ fit *preſſione ſtringente venti.* Similitudine ducta ab المري ſive *Camelo quæ ſtricto ubere lac radiatim emittit.* Alio adſpectu, *Anteriores pedes in ſolo motitavit* equus, *præ agilitate*, vel *præ noxa;* quaſi dicas *præſtrinxit*: denique, *inficiatus fuit*, *aliter ſibi conſcius*, *& denegavit quod deberet.* Sic *Golius* vertit formulam ſupra jam propoſitam ex *Giggejo* مراه حقه, ad verbum *ſtrinxit eum jus ſuum*, cum duplici accuſativo, hoc eſt, *ei in jure ſuo obſtitit*, *obſtrigillavit*, *& contumacia rebelli obluctatus eſt.*

Digitized by Google

CXXXIV. Ex gloſſematis hiſce Arabicis evidenter apparet, מרה in Origine ſua valuiſſe *ſtrinxit*, *perſtrinxit*, *præſtrinxit*; atque inde ductu proclivi emanaſſe, *ſtringendo preſſit*. Item *ſtringente ſcutica percuſſit*. Item *obſtitit*, & *diſputando contendit*, ut *Gollus* in 3. conj. ماري declarat. *Alcorano* perfamiliaris eſt hic uſus. *Sur.* 53: 10, 11, 12. فاوحي الي عبده ما اوحي ما كذب الفواد ما راي افتمارونه علي ما يري *Revelavitque Servo ſuo id quod revelavit. Non finxit cor* Muhammedis *id, quod vidit. An ergo diſceptabitis cum illo, de eo quod vidit?* Sic vertit *Maraccius*, proprie eſt, *ſtringendo contendetis*, & *contumaciter reſiſtetis*. Locum in *Camuſo* citatum infeliciter vertit *Giggejus*, ut fit, quum ſeries, unde aliquid excerptum eſt, ignoratur. Iterum *Sur.* 42: 17. *Deus eſt qui demiſit cœlo Alcoranum cum veritate, & Stateram* inſtantis judicii: *quo pacto autem ſcies utrum Hora iſta ſit propinqua? Accelerari & repræſentari volunt, qui non credunt in eam: qui vero crediderunt, eam reformidant, & ſciunt eſſe ipſiſſimam veritatem.* الا ان الذين يمارون في الساعة لفي ضلال بعيد *Nonne porro, qui diſputant de Hora, in errore ſunt longiſſime avio?* Sic *Maraccius*. Alii pro *diſputant* dant *dubitant*: vis phraſeos Arabicæ adfert *ſtringendo pertinaciter contendunt*. Plura hujus generis non congeram, quod hinc ſat luminis ad Sacræ Scripturæ conſimiles uſus ſit redundaturum.

CXXXV. Signara eſt formula in ſacris מרה את פי יהוה, *Num.* 20: 24. & 27: 14. *Thren.* 1: 18. &c. &c. *Immorigerus fuit verbo Jehovæ*. Ita *Coccejus* in Lexico. ſubſtitue, *diſputando*, *cavillando*, *dubitando*, *abnegando*, *contentioſe reluctari*, *& Os ejus Sacrum veluti ſtringere*. Hæc eſt idea Orientis, quam conſtructio per accuſativum enunciata inculcat. Item *Pſ.* 105: 28. לא מרו את דבריו *Non contentioſe ſtrinxerunt mandata ejus*; id eſt, *nec dubitando, cavillandove; nec detrectando reſtiterunt iis. Perſonam* etiam, cui *contumaciter reſiſtitur* elegantior ſtructura *ſtringere* dicitur pervicax. *Jer.* 4: 17. אתי מרתה prout Arabes formant مراه *ſtrinxit eum*. pro *reluctatus eſt ei*; & cum gemino accuſativo مراه حقه *ſtrinxit eum jus ejus*, pro *in eo quod ipſi debebatur*, *contentioſe & pervicaciter ei reſtitit*. Intercedere quoque poreſt præpoſitio مراه ب حقه *Strinxit eum in jure ejus*, eodem ſenſu; & ماري في الشي *ſtringendo & contendendo in re aliqua repugnavit*, & vel *incredulum dubitatorem*, vel *contumacem* juſſorum *detrectatorem ſe præbuit*. Ita *Hoſ.* 14: 1. מרתה באלהיה id qui facit, eſt בן סורר ומורה *Filius retractator & ſtrictor*; ſive *contentioſius & contumacius* juſſa paterna *detrectans*. *Deut.* 21: 18. &c. &c.

CXXXXVI. In *Hiphil* ſimiliter ratio conſtructionis procedit. Ut *Joſ.* 1: 18. כל איש אשר ימרה את פיך ולא ישמע את דבריך *Qui obſtrigillaverit os tuum* liceret vertere, ex veteri forma loquendi, qua *obſtringillare*, vel *obſtrigillare*, a *ſtringendo*, *eſt contentioſius reſiſtere*, *reluctari*, *adverſari*. Ex *Ennio* apud *Non. Marcellum* habemus. *Reſtitant, occurrunt, obſtant, obſtringillant, obagitant.*

Item

Digitized by Google

Item ex *Varr.* de vita P. R. *Quod Curio dicebat, ut illi renuntiaretur, ſe obſtringillaturum, ne triumphus decerneretur, aut ne iterum fieret conſul.* Plura adhuc ibidem exhibentur. Paulo aliter poſuit *Senec. ep.* 115. *Multa obſtrigillant, & aciem noſtram aut ſplendore nimio repercutiunt, aut obſcuro retinent.* Simpliciter *Lipſius* declaravit *obſtant, ſe opponunt*, Fortius eſt, & ſignat *obſtant ſtringendo*, alluſumque crediderim haud invenuſte ad phraſin *perſtringere*, vel *præſtringere aciem.* Redeo ad Hebræa. *Pſ.* 107. 11. המרו אמרי אל *contumaciter immorigeri fuerunt dictis Dei.* Sic *Coccejus.* Subſtitue, *Obſtrigillarunt dicta Dei*, & Latino ore vim Hebraiſmi repræſentabis: nam ex æquo ſtructum fuiſſe videtur a Veteribus, *obſtrigillare aliquem*, & *obſtrigillare alicui.*

CXXXVII. Quo autem tum hæc, tum ſecutura etiam exempla, pleno in die collocentur, inferam hic derivatæ voculæ מרי ampliſſimam potentiam. *Rebellio, Contumacia* eſt in Lexicis. *Coccejus, inobedientiam*, ſatis molliter exponit; niſi quod mox *pertinacem inobedientiam* ſubnectat. Eſt proprie *obſtrigillatio, contentioſa & ſtringens reluctatio*, ſeſe apud Arabes ſub maſcul. forma مري, & fæmin. مرية præbens ad omnem *altercationem, dubitationem, diſceptationem, cavillationem, juris debiti denegationem, claræ veritatis abuegationem*, & *pervicacem reſiſtentiam atque inobedientiam.* Inſtar omnium ſit illud *Alcor. Sur.* 41: 55. الا انهم في مرية من لقاء ربهم *An non illi ſunt in contentioſa obſtringillatione circa occurſum Domini ſui* i. e. *Diem judicii.* Non eſt *dubitatio* tantum, & *cavillatio*; ſed *contumax abnegatio*, cum *inobedientia pervicaciſſima*, quæ vis ex עם מרי *Eſaj.* 30: 9. & בית מרי *Ezech.* 2: 5. aliiſque locis etiam relucet.

CXXXVIII. Reſumo jam filum ut hanc ſignificandi emphaſin vindicem *Ezech.* 5: 6. ותמר את משפטי לרשעה מן הגוים. Forma תמר eſt ex *Hiph.* per apocopen a noſtro מרה Belgæ tamen, aliique præclari viri, tanquam a מור eſſet, converterunt, *& commutavit judicia mea in impietatem præquam gentes.* Nollem factum. Melius *Coccejus. Et refractaria fuit judiciis meis, ut impie ageret præ gentibus.* Error natus ex ſtructura rariore & admodum nervoſa. *Obſtrigillavit judicia mea ad impietatem*, id eſt, *ſtatuta & jura mea cavillans, contentioſe abnegans, ejuranſque contumaciter, ſeſe projecit ac profligavit ad impietatem præ gentibus.*

CXXXIX. Vindicanda etiam ſunt loca quædam, in quibus ad thema מרר *amarum eſſe* ſeſe contulerunt docti interpretes *Pſ.* 78: 17. *perrexerunt autem peccare adverſus eum:* למרות עליון *ad exacerbandum Altiſſimum in deſerto.* Sic *Belgæ.* Sic etiam *Coccejus.* Fruſtra. Exprimitur enim *indomita* illa *contumacia qua* Dei *miraculis obſtrigillarunt.* In *Pſ.* 106: 33. המרו את רוחו *Belgæ* iterum, *Exacerbarunt ſpiritum ejus*; pro quo accuſandi caſu retento præbeo, *Obſtrigillarunt Spiritum ejus*, & *continua ſua* מרי *cavillatione, dubitatione, infidelitate ac pervicacia, impulerunt ad aliquid temere labris ſuis effutiendum.* Videbantur tamen, qui *exacerbationem* ex מרר mutuati ſunt, præſidium habere in *Eſaj.* 3: 8. *Nam lingua eorum, & quæ exantlant audacia facinora, ſunt adverſus Dominum*, למרות עיני כבודו *ad exacerbandum oculos gloriæ ejus.* Id concinnius cre-

Digitized by Google

credebatur, quam *ad rebellandum oculis*, quod ſane incommodum. Sed en tibi ſententiam multo pulcherrimam, *ad obſtrigillandum oculos gloriæ ejus:* Id eſt, ad *oculos* ejus *ſanctiſſimos & glorioſos* turpiſſimis ſuis facinoribus *perſtringendos* quaſi, ac *male urendos*; anſa percommoda in iſtam nobilem figuram porrigente uſu thematis, qui adfert *ſtringentes plagas*; ut quum dicitur مري فلانا ماية سوطا מרה פלון מאה שוט *Strinxit* ✝ *deva centum ſcuticas*, pro *centum ſcuticæ plagis illum perſtrinxit*.

CXL. Nil mirum eſt in talibus aliquid erroris ſubrepere, quum Linguæ priſca ditio ac conditio non tota patet, radicumque fines accurate regi vix poſſunt; tunc enim vicinitas literarum neſcio quid fuci ſæpe facit, & perſpicaciſſimis quoque blanda ſpecie imponit. Documento erit, quod a Celeb. *Vitringa* annotatum reperio ad *Eſaj.* 63: 10. והמה מרו ועצבו את רוח קדשו „ LXX. *ἐρεθίζειν* & *παραπικραίνειν* reddunt τὸ מרה, quod Hebræis eſt „ *inobedientia quem repellere*, vel *amarore afficere*, *exacerbare*. *Utro ceperis modo* „ *non erraveris*. Multum tamen differunt tum natalibus, tum uſu, מרר مرّ *amarus fuit*, etiam apud Arabes, & مرب *ſtrinxit*; ac proinde non ſine errore hæc themata commiſcerentur. Bene ergo, quod tum magnus Commentator, tum *Belgæ* dederint. *At illi contumaciter reſtiterunt*, *& dolore adfecerunt Spiritum ſanctum ejus*. Sic tamen non ſatis tralucet vis tranſitiva ✝ מרה, ad quam exprimendam Clar. *Vitr.* formavit ideam *repellendi inobedientia*. Commodius ſtructuram expediet noſtrum *Obſtrigillare*, ſingulari gratia & emphaſi hic conjunctum cum עצב, quod item in antiquiſſima ſua ſcaturigine habet *arctius ſtringere*, *& ſtringendo urere*, unde ſecundatio *dolore afficere* prognatum eſt. Tota ergo ſententia ſic decurret. *Obſtrigillarunt*, *& ſua* מרי, dubitatione, cavillatione, murmuratione, abnegatione miraculorum, reliquaque indomita contumacia, *male uſſerunt Spiritum Sanctum ejus*.

CXLI. *Stringendi* hanc originem radici noſtræ ſubfuiſſe, dubitare haud patitur derivatum מורה *Novacula Jud.* 13: 5. & 16: 7. & 1 *Sam.* 1: 11. Adde *Pſ.* 9: 21. שיתה יהוה מורה להם *Appone ipſis novaculam Domine*, in figura gravi & appoſita. *Coccejus* ſub מרה illud proponens, ambigit an ob הורה & מורה thematis ירה *jaculatus eſt* potius ſit deducendum. Id voluerat jam *Jarchius*, cui *novacula* ſic dicta videtur, quod *pilos a mento dejiciat*, & quaſi *jaculetur*. Valido opus eſt ſtomacho ad tale veriverbium concoquendum. *Guſſetio* a מרה *rebellavit*, מורה *novacula* quod *rebellet in pilos*, *quibus aciem infeſtam obvertit*, elici poſſe viſa fuit. Ipſe tamen id dilutum fatetur, & mallet ab *obfirmatione ad lædendum* quam ponit primariam, & formalem, ut vocant, vim radicis, Id non longe jam a ſcopo; a *ſtringendo* enim *novacula* nomen illud invenit, ut תער vocitata fuit a *Nudando*. Eſt autem proprie מורה participium ſæmininum, *ſtringentem* ſonans, ſubſtantivo ſubaudito. Græcis ſimili anſa natum eſt *ξυρόν*, a *ξύω* *ſtringo*, *rado*; at Latinum *novacula* a *novando mento* defluxit; quod moneo, ut in tranſitu condiſcant linguarum ſtudioſi, quam diverſis e fontibus ſæpe una eademque res dimanet.

CXLII.

Digitized by Google

CXLII. Novam a *ſtringendo* faciem & lucem quoque ſumit 2 *Reg.* 14: 26. *Nam vidit Dominus* את עני ישראל מרה מאר *afflictionem Iſraelis valde amaram.* Sic plerique, a מרר opem mutuantes. *Cocceius* ex *immorigero* & *contumaci* tentat, *inopiam non cedentem remediis, & quæ per nulla ſolatia vincitur, ut deſinat eſſe moleſta.* Id elegans, doctumque; nec ſperno proinde, quum pulcre conſiſtere queat cum *obſtrigillatione* vel *ſtringente contumacia*, quam repoſui. Sed commodius erit & ſimplicius, *adflictio*, *vexatio*, *ſtringens admodum.* metaph. deſumta a *flagello incuſſo*, quod *ſtringere* dicitur, quum *acrius urit*, & *cum laceratione cutis ſanguinem elicit*; ex formula ſuperius jam adducta, مري فلانا ماية سوطا *perſtrinxit illum centum ſcuticas*; quod loquendi genus pertritum etiam fuiſſe veteribus Hebræis, quum lingua viveret ac vigeret, nemo jure inficias iverit.

CXLIII. Lubet hic, illuſtrandi ergo, inſerere Gloſſas *Nonii Marcelli*, quibus indolem & uſum varium verbi *Stringere* declaravit. Series ejus ſic habet. *Stringere*, *percutere*. Ut *Æneid.* 10.

> *Atque animum patriæ ſtrinxit pietatis imago.*

Stringere, *nudare*; ut *Æn.* 11.

> —— *Strictum rotat acer Lucagus enſem.*

Stringere, *rarefacere*, *exſcindere.* ut *Georg.* 2.

> —— —— *Tunc ſtringe comas, tunc brachia tonde.*

Stringere, *decerpere*, ut G. 1.

> *Sed tamen & quernas glandes tum ſtringere tempus.*

Stringere, *radere*, ut *Æn.* 8.

> —— —— *pleno quem flumine cernis*
> *Stringentem ripas* —— ——

Stringere, *vulnerare*, ut *Æn.* 9.

> —— —— *Hunc primo levis haſta Camillæ*
> *Strinxerat.* —— —— ——

Habes ubertatem Latini ſermonis ex uno tantum *Virgilii* fonte hauſtam, neſane exhauſtam, quando plures hic ſcatent venæ; ut quum *ſtringere*, eſt *compendifacere*, & *preſſis narrandi metis*, ut *Silius* loquitur, *celeriter præterire* aut *trans-*

Digitized by Google

tranſcurrere: unde *ſtrictim & breviter dicere* paſſim; & in compoſitione *perſtringere & attingere tantummodo aliquid.* Alio adſpectu *ſtringere* eſt *diſtringere* & *diſtrabere*, ut apud *Amm. Marc.* 17: 3. *Magnis curarum molibus ſtringi*, qui crebro ſic utitur. Iterum *ſtringere* eſt *frigore adſtringere & congelare*, unde *Val. Fl.* 1: 512.

—— —— Horrida ſævo
Quæ premis arva gelu, ſtrictosque inſedimus amnes.

Aliter adhuc *ſtringere*, *terere*, *atterere*, & quidem *raptim*: ut in illo *Val. Fl.* L. 2: 449.

Citum ſtrictis alius de cautibus ignem,
Oſtendit foliis; & ſulfure paſcit amico.

Ill. *Heinſ.* mallet *tritis de cotibus*, concedens interim *ſtrictas cotes* commode poſſe defendi. Sane vere; nam dedita opera *ſtrictas* poſuit *Valerius* pro *tritas*, ut adjuvaret *citum* & *raptim elicitum ignem*, luſu ſimul pulcro ad *ſtricturas*, id eſt *maſſæ cuſæ ſcintillas* facto. Aliud rarius, in quo adhærent ſumma ingenia, habemus *Argon.* 7: 483.

Hei mihi cur nullos ſtringunt tua lumina fletus!

Tentat ibi *N. Heinſ. Nullo ſtringuntur lumina fletu*, vel, *Nulli ſtringunt tua lumina fletus.* Phraſes illæ bonæ; ſed non quicquid bonum, continuo reponendum. Nota Clar. *Burm.* hæc eſt. „ A ſpongia deductam locutionem vult „ *J. P. Pius* quæ preſſa & ſtricta liquorem exſudat. Certe ſingularis eſt lo„ cutio. An dictum, ut *ſtringere tela*, *fulmina* &c. an vero legendum *ſpar„ gere*, ut illa verba apud *Claud.* 1. R. P. 98. etiam permutantur." Videamus. *Stringere manus* apud *Ovid.* eſt, ut *ſtringere tela*, & *ſtringere ungues* ſimiliter poſuit *Statius*, nec non *Horatius* ex felici & ingenioſa emendatione *Bentleji* Od. 1: 6.

Strictis in juvenes unguibus acrium.

Satyricus etiam alter *ſtrictas mamillas* hinc ducere auſus fuit: ſed *ſtringere fletus* iſto colore elatum, nemo approbarit. Ergone *ſpargere fletus* erit reſcribendum? Id ex genio Latii foret *ubertim flere ſparſis per genas lacrimis*, quod *Valerium* non intendiſſe facile mihi aſſentietur Literatiſſimus Editor; quum ne *lacrimulam* quidem *expreſſam* innuat; quorſum *Heinſianæ* etiam correctiones aurigantur. *Stringere*, non tantum eſt *comprimere*, ſed & *exprimere*, proinde ut *oculi nullos fletus exprimere*, recte dicuntur, ſic *iidem nullos fletus ſtringere* pervenuſte dicentur, quum *inſtar pumicis arent*, & ne *lacrimulam* quidem *mittunt.* Apud Arabes مري *ſtringere nubem* dicitur *ventus*, *pluviam eliciens.* Item *ſtringit ubera*, qui *emulget*, ſive *copioſius*, ſive *parcius* humore fluente; quamvis genius linguæ in *copiam* potiſſimum ſeſe inclinet.

CXLIV.

CXLIV. Hinc, ut e diverticulo jam in viam me referam, explicandum eſſe ſuſpicor dictum obſcurius *Jobi* 23: 2. גם היום מרי שיחי ידי כבדה על אנחתי. Præſtantiſſimæ verſiones exhibent, *Etiam nunc contumacia eſt, querimonia mea: manus mea gravis eſt ſuper gemitum meum.* Id exponitur a pleriſque, *querelæ meæ habentur pro ferocia contumaci.* R. *Salomon* maluit *contumax eſt queſtus meus*, hoc eſt, *perſeverat; nihil quippe ſolatii adfertis.* Rectius tum *contumacem queſtum* ſumere liceret pro eo, *qui omnia lenimenta reſpuit, nulliſque ſolatiis mitigari ſe patitur:* qui *obſtrigillat remediis*, ut ſic dicam, prout עני מרה 2 *Reg.* 14: 26. *Afflictio obſtrigillans* capi poſſe ſupra par. CXL. monui. Quia tamen *Afflictio ſtringens* ſimplicius viſum fuit, etiam heic loci *ſtrictio querelæ*, & *lamentationis* forte melius quadrabit, hoc eſt *plaga ſtringens & urens*, quæ *ore querelas*, & *oculis lacrimas exprimit.* Hoc ex illa figura eſſet, qua in *Diw. Hud.* plus ſemel lego, تمتري الريح الغمام *ſtringunt venti nubem*, quum *imbrem* inde *eliciunt*, ad quam formam ſublimior ſtilus aſſumere poteſt, *calamitates* & *plagæ ſtringunt* pectus oppreſſum, ſic ut *lamenta* ex ore, *lacrymarum imbres* ex oculis *extorqueantur.*

CXLV. Periculum conjecturæ hujus facere debui, quod adſpectus, rarus licet, in thematis מרה ingenio, genioque ſimul Orientis, fundamentum haberet. Magis interim inclino in ſimpliciorum vertendi rationem, qua מרי jam non paſſive, *id quod exprimitur*, ſed active, *id quod exprimit*, deſignabit. *Etiam hodie ſtrictio meæ lamentationis exiſtit.* Id eſt, *plaga ſtringens, lamenta mihi acerba exprimens* plane ut ſupra habuimus עני מרה מאר *afflictio ſtringens admodum*; & مري فلانا مايةٴ سوطا *perſtrinxit illum centum ſcuticas*, pro *tot ei plagas inflixit.* Eo magis id adridet, quod in poſteriori membro ידי *manus mea* ſit haud dubie, *manus verberans quæ mihi incumbit*, ſive *ictus mihi impreſſus.* Junge jam מרי *ſtrictionem* cum יד *manu*, & habebis *perſtringentem*, *flagelloque acri incumbentem manum*, quæ *lamentationes* & *gemitus eliciat.* Preſſius adhuc & dilucidius dicam. Vivente lingua Hebræa in multo uſu eſſe debuit יד מורה *Manus ſtringens*, tum *ſimpliciter* pro *manu verberante*, & *ictibus perſtringente*, tum *figurate* pro *ipſo vulnere inflicto per manum ſtringentem*, & *viſcera penetrantem.* Hinc loci conſpectus talis ſeſe exerit. *Etiam hodie ſtrictio lamenta mihi exprimens exiſtit: & plaga mea ſuper gemitum meum gravis eſt.* Id interpretari eſt, vel *dum ingemiſco*, *increſcit*: vel, *ultra quam gemitu ſignificare poſſum*, *crudeſcit*, & *exaſperatur.* poſterius illud, ut ſignantiſſimum, ego quidem præferendum duxerim.

CXLVI. Raritas exemplorum in hiſce aliiſque interpretationibus, quas in medium profero, non eſt quod quemquam offendat: quid enim miri habet, ſi in ſumma penuria rei Hebraicæ, ſolitariæ quædam formulæ inciderint, quum, in media abundantia Græcorum ac Latinorum, multa tamen ſolivaga reperiantur, quæ nemo alius ſic extuliſſe deprehenditur. *Horat* 1. *Sat.* 2: 7. nepotem rogat.

— *Avi*

— — Avi cur atque parentis
Præclaram ingrata ſtringat malus ingluvie rem?

Obſcuriuſcule dictum eſt. Arbitratur *Lambinus* expreſſam eſſe formulam Græcam, qua decoctor dicebatur σφαῖραν ποιῆσαι τὴν οὐσίαν *pilulam facere ex patrimonio ſuo*, atque ita improba fauce, ſimul ac ſemel, illud devorare. Non abludit inde *Cruquius*, qui exponit, *quaſi in maſſam redacta*, *ſtrictim vorare*. Vetus commentator ſimplicius per *conſumere*, *diminuere*, *attenuare*, *radere* declarat; metaph. ſumta a ramis, quos *ſtringimus*, quando illos foliis *nudamus*. Id firmari poſſet ex *Plin. paneg.* 37. *Quanto cum dolore laturi eſſent homines, aliquid deſtringi & abradi bonis, quæ ſanguine, gentilitate, ſacrorum ſocietate, meruiſſent.* Agitur de *tributis* & *vectigalibus*; ea ſi acerbius intendat concuſſor, jam non *aliquid deſtringere*, ſed *omnia ſtringere & radere* dici poterit; itemque *decoctor ſtrenue nepotans rem avitam* ſimul & ſemel *ſtringere* haud male dicetur. Suſpicio tamen mihi inceſſit, *rem avitam ſtringere ingluvie* deſumtum eſſe a *ſpongia*, quæ *ſtrictim exprimitur*, *extorquetur*, & *ſicca* atque *exſucca* relinquitur; de qua figura alibi commodius. Porro inter rariora etiam reputari debet *ſtringere jure forum*, quod apud *Claudianum* non infelici conjectura reponit Nob. *Heinſius Stil.* 3. vſ. 200. ubi etiam *ſtringere volatu terras*, *ſtringere venatu ſaltus*, *ſtringere viſu*, *ſtringere nutu*, adducuntur, ſingularis ſane exempli phraſes, quas Latii genium tuliſſe facile concedo, quamvis *Heinſianis* iſtis lectionibus non ubique accedam. Singulare etiam eſt quod *Senec. in Troad.* vſ. 169. poſuit

— — — Summa jam Titan juga
Stringebat ortu — — — —

Hæc laudem merentur; & vim linguæ venuſte ac potenter exerunt. Sed non eadem laus *Floro* debetur, quum L. 3: 21. ſolito ſibi cothurno dixit, *Hoc deerat unum populi Romani malis. jam ut ipſe intra ſe parricidale bellum ſtringeret* &c. &c. Inſolentia locutionis offenſi Viri Docti *ferrum*, vel *telum* emendant. Sed ſi *Val. M.* L. 2: 7. 3. *diſtringere cenſorium ſupercilium*, ſi ibid. 15. *Iram diſtringere* metaph. a *telo ſtricto* formare potuit, utique tumor Hiſpanus *Flori* ſe extuliſſe quivit ad *ſtringere bellum*, quod cur ab eo profectum dubitemus, qui multo adhuc cothurnatior ſæpe incedit, nihil equidem cauſæ video.

CXLVII. *Stringere bellum* eſt etiam Arabica locutio, ſed diverſum præbens adſpectum, a *ſtricto* & *mulſo ubere* videlicet. Poëta Vetus in *Diw. Hud.*

حرب يكون جلابها علقا ويمريها الغوي ۞

Bellum, cujus emulſio craſſus cruor eſt, quod ſtringit proinde veſanus.

Adducendam putavi formulam, quod Lexicographi Arabum eam prætermiſerint.

مري

Digitized by Google

مري الحرب *Strinxit bellum* ſive *ſtringendo bellum mulſit*, eſt *aleam ejus ſubivit*, vel *præliorum diſcrimina tentavit.* Fervori poëtico ſe permittens alius, *Bello* dedit *ubera*, quæ *ſanguinem radiatim emittant*, & *mulgentem præſentaneo veneno augeant pro fructu laboris.* Cui imagini inſiſtens *Tzachrus Hudeilita* cum زبون *camelo mulgentem calcibus impetente* comparat *indolem bellicoſam*, additque

اذا امتريت ابت الا بالعصب
ودر حلابها مهج الرجال ۞

Quum ſtringitur, renuit, niſi preſſius urente vinculo:
Tum vero fluxus emulſionis ejus ſanguis vitalis virorum eſt.

Habes ibi radices מרה & עצב unam in ſedem ſic admotas, ut מרה *ſtrictionem* ſignet, עצב *urentem vinculi preſſionem*; unde dictio *Eſajæ* מרו ועצבו ſuperius illuſtrata, majus adhuc lumen recipit.

CXLVIII. Colligam nunc tandem in faſciculum omnes haſce gloſſas, atque ad ſcopum meum eas dirigam; qui eſt, non uno fructu Critico Linguarum ſtudioſos impertiri. Arabum مري *ſtringere* decem circiter ſignificationibus auctum comparet. *Mulgere. Inflicta ſcutica in curſum agere. Flagello perſtringere. Motitare pedes & præſtringere. Inficiari debitum. Contendere diſputando. Obſtrigillare contumaciter* & *reſiſtere* in omni re. *In pluviam diſſolvere nubem. In lacrimas oculum.* Denique *bella tractare* & *prælia.* Latinorum ſeries adhuc longior eſt, ubi *ſtringere* eſt *percutere. nudare*, vel *exerere. rarefacere* vel *exſcindere. decerpere. radere. vulnerare. diſtrahere*, vel *occupare. Congelare. compendi facere. comprimere. exprimere. dilapidare* vel *decoquere. celeriter prætere*rire. Adde jam *fulgor præſtringit viſum*, pro quo & *ſtringit* ponere licet. *Vinclis ſecantibus præſtricta manus* ex *Troad. Sen.* quod & *ſtricta.* Item *terram aratro perſtringere*; utique & *ſtringere*: atque inde *perſtringit me dolor*, nec minus ſane *ſtringit.* Commode etiam ſub manu eſt ex *Tac. An.* 16: 16. *Quæ fatigant animum, mæſtitiaque reſtringunt.* Æque dixeris *adſtringunt*, *ſtringunt.* Idem *Ann.* 15: 48. *In tanta vitiorum dulcedine ſummum imperium non reſtrictum nec perſeverum volunt.* Quidni & *ſtrictum?* unde *ſtrictæ leges*, & illud *ſtringere jure forum*, pro *ad ſeveritatem adſtringere.* Apud *Cic.* pro *Planc.* 22. ſunt *Reſtricti & tenaces*, quod *Tacitus* vocat *adſtricti moris eſſe* L. 2. *Ann.* c. 53. Agnoſcis *ſtrictum* pro *parco.* Sunt & in de *Morib. Germ. ſtricti artus*, pro *compactis.* Denique *ſtrictim tondere* eſt phraſis *Plautina*, quæ מורה *Novaculam ſtringentem* percommode illuſtrare poteſt.

CXLIX. Primum omnium hinc obſervari velim, imperfecta eſſe admodum præſtantiſſima quæque *Dictionaria & Gloſſaria.* Inſpice *Fabri Theſaurum* ſub *ſtringo*, & quam reſtricta ibi ac tenuis ſit copia, miraberis. Quam anguſtis quoque finibus nos conſtringat *Nonius Marcellus*, jam abunde liquet. Infero inde, nec *Zjaubarium*, nec adeo *Phiruzabadium* in ſuo *Oceano*, habendos eſſe

 pro

Digitized by Google

pro iis, qui completam nobis ſuisque numeris abſolutam linguæ faciem exhibeant, nec dubitari debere, quin plures adhuc uſus مري poſſideat, in Poëtarum & Oratorum Scriniis deliteſcentes; cujus rei fidem jam adſtructam phraſi مري الحرب *ſtringere bellum*, nullo in Lexico obvia, firmabit quoque hoc *Hariræi Conſ.* 9. كنت امتري نشبا بالادب واجتلب *Stringebam mihi mea eruditione opes & emulgebam.* Ubi *ſtringere*, ut *mulgere*, valet *facultates & divitias acquirere.* Sic in Annal *Eutych. p.* 9. امتري لاجسانه *ſtrinxit beneficentiam ejus*, eſt *elicuit & provocavit.* Aliud adhuc, a Lexicographis neglectum, occurrit in *Hamaſa* هش اليدين بمري قدح او شجير *Agilis manibus in ſtringenda*, id eſt, *tractanda*, *ſagitta aleatoria*, *aut ſortilega.* Unde de aliis bene multis judicium ferri poteſt.

CL. Altera hinc ſubnaſcitur obſervatio ſummi momenti, non comprehendi videlicet univerſum alicujus linguæ ambitum, neque interiorem vim atque indolem phraſium cognoſci, niſi ex librorum diffuſa copia atque lectione. Integrum *Ciceronem* poſſet aliquis lectitaſſe, *Cæſare*, *Livio*, compluribus aliis adjunctis, absque ut vel dimidiam partem teneret earum formularum, quas ſtilus Romanus ſub *ſtringere* admiſit, quotidianusve ſermo uſurpavit: quanto minus ſtrictiſſimis illis reliquiis Bibliorum, amplitudinem radicum Hebraicarum metiri quis poſſet; aut ad interiorem originem cujusve phraſeos penetrare, ſine dialectorum divitum adjutorio?

CLI. Tertia adhuc obſervatione demenda eſt linguæ Arabicæ nota, qua adſpergi ſolet, quaſi ſuamet mole praegravetur, & inextricabili laboret ſignificationum cum multitudine, tum diverſitate. Non linguæ culpa illa, ſed Lexicographorum; qui confuſe & permiſte gloſſas ſuas multiplicant, quas diſtincte debuiſſent digerere, & ex uno fonte ac capite ductas derivare. Sed quis hoc unquam in lingua patria praeſtitit? Vide modo *Nonium Marcellum* ubique per Quartum illum Librum de *Varia ſignificatione verborum.* Opus eſt Latinæ linguæ cultoribus admirabiliter prælucens, ſed tum demum prælucens, quum aliunde vim & proprietatem cujusque verbi longa lectione imbiberunt, & Chaos illud primo conjectu oculorum perrumpere valent. An jam *Nonii* in arte Critica imperitiam, indeque natam confuſionem, Linguæ Latinæ imputare fas erit? Similis eſt ratio Lexicorum, vel dicam verius Gloſſariorum Arabicorum. Quicquid ibi turbatum, defectu artis criticæ turbatum eſt; qua facem præferente omnia, quæ nunc indigeſtæ molis inſtar confuſa jacent, nativo ordine explicari, atque in illuſtri luce collocari poterunt.

CLII. Annectenda hic eſt quarta adhuc obſervatio, eos qui vernaculam tantum callent & colunt linguam, diverſas quidem thematum poteſtates longo ſtudio collectas tradere poſſe, ſed neutiquam vel pro ſe perſpicere, vel pro exteris promtum habere, quo pacto ſignificationes aliæ cum aliis ſub una radice conſiſtant, aliæque ex aliis ſine confuſione propagentur. Multarum cognitio & contentio linguarum hoc judicium Criticum format atque elimat. Nec

Bel-

Digitized by Google

Belga, nec Germanus, nec Gallus, quantumvis patrii ſermonis callentiſſimus, & conquirendarum undique phraſium ſub quoque verbo ſtudioſiſſimus, hanc provinciam rite ſuſtinere atque ornare aptus natus fuerit, ſi deſtituatur lumine, quod ex ſubtiliore cultura complurium linguarum redundat. Sic nec priſcus quidem Hebræus, etiam vivente cum maxime, & vigente Lingua, iſtam Spartam impleviſſet, ſi nil niſi Hebræa unquam tractare didiciſſet; multo minus id muneris a Rabbinorum natione potuit impleri. Nil mirum proinde, ſi & Arabum Lexica hac in parte laborent, & quam longiſſime etiamnum abſint ab illo ordine & ſplendore, quem Critica accuratior variarum luce linguarum ſuccenſa, infundere & admovere ſola poteſt.

CLIII. Quæ hactenus diſputavi ad מרה, conſimilem curam impertire monent affinis venæ ac originis themati עצב, cui ſubjici ſolent notiones *triſtitiæ*, *doloris*, *mœroris*, *pœnitudinis*. Has eſſe ſecundarias, quamvis Lexica ſileant fere, dubitari nequit. *Forſterus* & *Avenarius* id agnoverunt; nataleſque, per ſolennem ſuam allitetationem, arceſſiverunt ex בצע *ſauciavit*, *vulneravit*, quod qui *contriſtet* & *dolore afficiat aliquem*, ejus *animum ſauciet*. Acute enimvero, ſed parum ſolide. Tutius multo, quod Arabes ſubminiſtrant ſub iisdem plane radicalibus عصب עצב, *firmiter vinxit*, *arctiusve ſtrinxit*. Excerpam ex *Giggejo*, id eſt, ex *Camuſo*, quantum huic Origini firmandæ conducet. عصب القوم ארעצב العصب *Nervus*, *vincula juncturarum*, *tiara*, *cidaris*. עצב אלקום *præſtantiſſimi in populo*, quaſi vel *Cidares* dicas *gentis* & *ornamenta*, vel *Nervos*, & *firmamenta*. عصب اللحم *Multum nervoſa fuit caro*. العصب *cum quid plicatur*, & *adſtringitur*; ſpeciatim *cum adſtringuntur teſticuli hædi aut arietis*, *ita ut inutiles reddantur*, *absque ut recidantur*. Item alio uſu ſpeciali العصب من فخذي الناقة *cum adſtringuntur femora cameli*, *ut lac abunde præbeat*. العصابة *id quo aliquid adſtringitur*. العصاب idem. عصّب راسه *caput adſtrinxit tænia*. تعصّب *Ligatus*, *adſtrictus fuit*. اعتصب الناقة *cameli femora adſtrinxit*, *ut copioſum lac reddat*. ناقة عصوب *camelus non niſi hac ratione lac reddens*.

CLIV. Hæc primariam vim in *ſtringendo* ſitam evincunt. Inde ſylva quædam metaphorarum excrevit, quas nullo ordine, nullo lumine Critico tum *Phiruzabadius*, tum *Zjaubarius* effuderunt. Poſterior ille ad hunc modum procedit.

العصبة واحدة العصب والاعاصب اطناب المفاصل تقول عصب اللحم
اي كثر عصبه وانعصب اشتد والمعصوب الشديد اكتناز اللحم
والعصب الطي الشديد ورجل معصوب الخلق وجارية معصوبة حسنة
العصب اي مجدولة الخلق والمعصوب في لغة هذيل الجايع
والمعصب الذي يعصب وسطه من الجوع قال ابو عبيد هو الذي

عصبته

عصبته السنون اي اكلت ماله وتقول ايضا عصب راسه بالعصابة تعصيبا وعصابة الرجل بنوه وقرابته لابيه لانهم عصبوا به اي احاطوا به وعصبت الابل بالما اذا دارت وعصب القوم بفلان اي استكفوا حوله وعصب الريق بفيه اذا يبس عليه وقال ابن احمر

يصلي على من مات منا عريفنا
ويقرا حتي يعصب الريق بالفم ۞

ويقال عصب الريق فاه وقال

يعصب فاه الريق اي عصب
يعصب الجناب بشفاه الوطب ۞

Id eſt. עצבה *ſing.* & עצב & אעאצב *tendines articulorum. Dicis caro* עצב, *quum magnis tendinibus & nervis prædita eſt. in conj.* אנעצב *vehemens fuit.* Et מעצוב, *cui caro vehementius eſt compacta.* עצב *porro eſt complicatio & convolutio vehementior. dicitur etiam vir* מעצוב *circumcæſura corporis, & puella* מעצוכה, *idem quod* מגדולה *quum eleganti ſunt ſtatura.* מעצוב *autem Dialecto Hudeilitica eſt famelicus, &* معصب, *cujus ilia fame adſtringuntur. Abu Obaid adfert* עצבתה שנין *ſtrinxerunt illum anni, calamitates, pro opes ejus conſumſerunt. Aliter dicis* עצב ראשה בעצבה *in 2. conj. cum infin.* תעציב. *ſtrinxit & circumvinxit caput ſuum Cidari. Alicujus* עצבה *etiam vocantur Filii, & propinqui paterni, quod eum veluti circumvinciant & circumdent. Cameli quoque dicuntur aquam circumvincire, quum eam cingunt; & circumvincire multitudo aliquem, quem avide ſpectat & imminet; & circumvinciri ſaliva circum os, quum ibi areſcit & concreſcit. Sic uſus eſt Ibn Ahmar.*

Precantur pro mortuis noſtris neceſſarii,
Et ſacra lectione funguntur donec ſaliva ori circumvinciatur.

Nec non, circumvinxit ſaliva os: ut in illo.

Circumvincit os ejus ſaliva quam vehementiſſime,
Prout ſpuma lactis camelini labra utris circumvincit.

CLV. Poſterior illa figura *circumvinxit*, ſtrinxitque, *ſaliva os*, deducta eſt a *cidari*, ſeu *faſcia alba, qua frons redimitur*; cum qua comparatur a poëtis *ſpuma circum os concreſcens*, *idque* veluti *redimiens*. In *Diw. Hud.* de *Dromadibus* in curſum effuſis

صوادتها

Digitized by Google

صوادقها اعتجرن اللجين

Strenuiſſimæ earum adinſtar cidaris redimitæ erant ſpuma.

Iterum alibi de iisdem

عمم الحبيها اللجين

Maxillas earum veluti cidari ſtringit ſpuma oris.

Habe & illud, nova figura auctum

تعممن اللجين كانه
علي مستدار الهام عطب مندف

Pro cidari adſtringunt ſpumam, haud ſecus ac ſi
Super ambitu capitis eſſet Goſſipium excuſſum.

Sine quibus exemplis diu quæreretur, quo pacto in una ſede convenirent *circumſedit* os labiave *ſiccescens ſaliva*, & *vitta faſciave revinxit* caput ſuum; quæ notiones apud *Golium* ſub عصب proponuntur.

CLVI. In *Diw. Hud.* reperio etiam aliquid quod diligentiam *Zjaubarii & Phiruzabadii* fugit, ubi annus *ſterilis* vocatur عاصب עוצב *ſtringens*, *conſtringens*; id eſt, explicante *Scholio*, شديد لا مطر فيه تقول عصب الزمان يعصب عصوبا *durus, ſine pluvia; dicis enim* עצב הזמן *tempus ſtringit, quum durum eſt & calamitoſum; cum fut. keſrato, & infin.* עצוב Excuſari tamen poſſunt, quod compendia ſectantes, formam conj. 7. انعصب *ſtrictus*, *conſtrictus fuit*, per اشتد declaraverint, quod ampliſſimæ eſt ditionis, & *vim*, *vehementiam*, *robur*, *duritiem*, *ſterilitatem*, *calamitatem*, *miſeriam*, *triſtitiam* & *anxietatem omnem* amplectitur; ut quousque شدّ *valide ligavit*, ſeſe per diverſas ſuas tranſlationes extendat, eo usque etiam عصب *conſtrinxit* ſeſe extendere poſſe intelligatur.

CLVII. Sic non male conſultum ſpero themati עצב, cum ſuis ſibi derivatis, ad id, quod hactenus enucleari ſatis non potuit, Origine deliteſcente, eruendum. Et primo quidem a *conſtringendo* & *arctius religando* emanaſſe liquet ſignificationem *triſtitiæ ac doloris* animum *arctantis* & *conſtringentis*; prout e contrario *laxandi*, *relaxandi*, *ſolvendique* vocabula *lætitiam* conſignant. Pulchre ergo *Eſaj.* 63: 10. מרו ועצבו *ſtrinxerunt*, *quin* intimo dolore *conſtrinxerunt Spiritum ejus ſanctum.* Similiter *Pſ.* 78: 40. ימרו ויעציבו Eleganter etiam *Eſaj.* 54: 6. *Mulier* עצובת רוח *conſtricta ſpiritu.* Nec minus venuſte Gen. 6: 6.

ויתעצב אל לבו *& dolore conſtrictus fuit ad cor ſuum.* Ex quibus ſpeciminibus reliqua facile expedientur, quæ ad *doloris conſtringentis*, & *intime arctantis* vim ſeſe referunt, in עצב / עצבון / עצבת / מעצבה / ex *Kal*, *Pihel*, & *Hiphil* propagatis formis ſubſtantivis, quoque conſpicuam.

CLVIII. Peculiarem porro poteſtatem exerit verbum noſtrum in *Pihel* *Pſ.* 56: 6. דברי יעצבו LXX. τὰς λόγυς μυ ἐβδελύσσοντο. *Vulgat.* item, *verba mea execrabantur.* Non intellexerunt locutionem grandi figura inſignitam; ad quam nec Recentiorum acies penetrare potuit. Utique nihil eſt *Pagnini* illud, *propter verba mea me dolore afficiunt.* Nihil illud *Junii*, *Rebus meis dolorem afferunt.* Aliquid eſt, & quidem concinnum ſatis, quod *Belgæ* exhibent, *verba mea detorquent*; niſi quod minus concinne in notis remittant ad *Job.* 10: 8. ubi *fingere* & *formare* exponi ſolet. Secutus tamen eſt in Lex. *Coccejus. Job.* 10: 8. ידיך עצבוני vertens, *Manus tuæ elaborarunt me*, & inde *Pſ.* 56: 6. *verba mea laborioſe fingunt & torquent in ſenſum alienum.* Sed alia eſt metaphora *Jobi*, alia *Pſaltis.* Poſterior hæc ducta eſt a עצב عصاب, *nervus*, ſpeciatim, *funis quo conſtringitur femur cameli, ut lac copioſius reddat.* Inde verbum عصب ſingulari uſu valet, *Religavit & conſtrinxit camelum in femore, ut copioſius lac reddat;* ut eſt apud *Golium.* In *Hamaſa* poëta vetus.

لا نـــدرّ لـــعـــاصـــب

Lac non emittimus femora nervo conſtringenti.

Id *Tebrizius* declarat لا نعط علي القسر من قولهم عصبت الناقة اذا شددت فخذيها عند الحلب لتدر وناقة عصوب التي لا تدر الا علي العصب *Munera non largimur coacti; ex eo quod dicunt עצבת conſtrinxi camelum, quum ligas ambo ejus femora inter mulgendum, ut ubertim lac mittat; eſtque camelus* עצוב, *lac non reddens niſi ſub tali conſtrictione.* Similia habet *Zamachſjari* ad *Florilegium* acute dictorum, quod *Nawabig* inſcribitur, ubi extat

الحر لا يـــدر عـــلـــي العـصـاب
ولا يـــذل وان مـنـي بـالـصـعـاب ۞

Ingenuus lac non mittit nervo conſtrictus:
Neque obnoxium ſe gerit, etiamſi dura conflictetur fortuna.

Ubi ait العصاب اسم حبل تعصب بة الناقة للحلب وناقة عصوب التي لا تدر حتي تعصب Vocabulum עצב *deſignat funem quo conſtringitur camelus inter mulgendum, & talis camelus* עצוב *audit, lac reddere negans, niſi conſtringatur.* Inde in *Diw. Hudeil.* malum poëma, unde ſenſus nullus vel fidiculis exprimi poſſit, figurate appellatur

ابيـة

ابية العصاب زبون

Nervo conſtringenti reſiſtens, & recalcitrans.

Latiore porro uſu *nervo conſtringere* alicujus *verba* hinc dicere poſſunt, pro *vexare*, *torquere*, & *veluti fidiculis exprimere inde*, *quicquid lubeat*, *præter mentem loquentis*; quam imaginem *Pſalti* ob oculos verſatam fuiſſe, haud difficulter, credo, impetrabo.

CLIX. Eſt etiam inter dicta acuta *Salomonis*, quod hinc novam lucem fœnerari ſuſpicor. *Prov.* 10: 10. קרץ עין יתן עצבת Non eſt otium, quæ docti interpretes hic conantur, exequi. Habe modo nunc conjecturam meam, *Oculis adnictans* adulando, *apponit funem ad ubera difficiliora emulgenda.* Ut ſenſus ſit, divitum *arriſores*, eſſe ſimul *arroſores*; & *munerum* callidos *emunctores*, quæ *admoto* עצבת *fune conſtringente exprimunt*, *atque emulgent.* Elegantiſſimarum imaginum, tum hujus, tum ſuperioris illius, crebriora occurrerent veſtigia, ſi copioſior ad nos veteris Hebrææ Linguæ ſupellex devoniſſet.

CLX. Diſpiciamus porro, quid in ſinu gerat illud *Jobi* 10: 8. ידיך עצבוני. Male Recentiores multi, *Manus tuæ dolore me adficiunt.* Rectius plerique, poſt veteres, *effinxerunt*, *formarunt me.* Aſſumſit *Coccejus*, *Elaborarunt me*, quaſi dicas *laborioſe*, & cum dolore, *finxerunt.* Fallitur. Non a *dolore* fluxit hæc notio, ſed a *ligamine* & *nervo*, ut pluribus adſtruxi *in ſpecimine Obſervat. Arab.* poſt *Libellum* quo ad *Jobum* præluſi; unde vertendum eſſe conſtat *nervis & tendinibus artificioſe colligarunt me.* Talis *vir* abſolute معصوب מעצוב vocitatur, & *fœmina* معصوبة מעצובה, quod ex *Zjaubario* jam ſupra adductum eſt; *Golius* vim circumſcribit per *Eleganti corporis ſtructura & ſymmetria præditum.* Nempe Hebræis æque ac Arabibus עצב ſæpe eſt *Nervus*, *Tendo*, a *conſtringendo* nomen nactus. Inde *Prov.* 14: 23. בכל עצב *In Omni Nervo* exponendum eſſe oſtendi *diſput. altera de verbis ex ambiguo ſignificantibus* par. XXXI. Ecquid diſpliceret iſta formula proverbialis *Eſaj.* 59: 3. כל עצביכם תנגשו *Omnibus Nervis veſtris exactores agitis? Rigidiſſime* & *nervis*, quod dicitur, *intentis exactiones exerceris.* Quam laborent aliorum interpretamenta, deprehendes ex *Comment. Clar. Vitringa.* Iſtam *Nervi contentionem* frequentant Arabes in 8. conj. quæ apud *Golium* notat *vires in inceſſu intenderunt* cameli *Giggejus* habet ſub 12 conj. اعصوصبت الابل *In itinere celeres fuere cameli*, proprie *Nervoſi fuere cameli*, vel *Nervum intenderunt:* quin imo اعصوصب الشر *vehemens fuit malum*, quaſi tu dicas, *Nervoſum*; *contento* velati *nervo infeſtius opprimens*; quod ad *Eſajæ* uſum quam proxime accederet. *Nervos* etiam tum *proprios* corporis, tum *improprios* crumenæ, ac rei familiaris, *Prov.* 5: 10. per עצבים indicari, in eadem *diſp.* par. XXXII. declaratum eſt. Ceterum conſtructionem, vimque phraſeos *Eſajanæ* illuſtrabit elegans hæc imago *Theocriti Id.* 1: 42.

Φαίη

Φαίη κεν γυίων ἓν ὅσον σθένος ἐκποτεύειν
Ἀι δὲ οἱ ᾠδήκαντι κατ' αὐχένα πάντοθεν ἶνες

Diceres ipſum totum membrorum robur piſcari;
Nam illi tumuerunt undique per collum nervi.

Ubi & *Scholiaſten* conſuluiſſe non pœnitebit ad illud γυίων ἓν. σθένος. כל עצבים.

CLXI. Ad *Nervi* ſignificationem reduxero inſuper *Jer.* 22: 28. העצב נבזה נפוץ *Vir hicce Chonia?* vulgo *idolum*, *ſimulacrum*, notione illa, quae in derivato עצבים celebratur. A *dolore* ajunt viri docti, quem cultoribus ſuis important ſimulacra. Mallem ego ab *artificioſa ſtructura & fabrica*, quam parag. præced. quoque vidimus. Non tamen uſque adeo quadrat in iſta comparatione *ſimulacrum idololatricum;* quapropter *Coccej.* placuit inducere *vas elaboratum*, quia mox כלי ſubjungitur. Sed male tutum & firmum eſt illud *vas.* Firmiore talo ſtabit *Nervus*, figurate ad principem traductus, in quo *Robur* eſt & *firmamentum* Reipublicæ. *An nervus*, *ſpretus & excuſſus*, eliſus, ejectus, *eſt vir ille Chonia? an vas haud quaquam deſiderabile?* cui expoſitioni ſubſeruit Arabum عصب *Meliores* & *præſtantiores* exprimens, qui عصب القوم *Nervi populi* plena phraſi dicti videntur. Non tamen inficiebor; ſcrupulo me aliquo etiamnum hic attineri, atque ampliandum de hoc loco cenſere.

CLXII. Lucem inſuper aliquam debeo *Hoſeæ*, cujus Ænigmaticum, & ex ambiguo feriens, dictum ex *Cap.* 4: 17. produxi *in diſp.* 2. *de Ambig.* par. XXVII. ubi חבור עצבים valere oſtendi, partim *ſociatus idolis*, partim *notatus & inuſtus veſtigiis vinculorum quibus ſtimulata œſtro animalia ſolent conſtringi.* Hæc eſt peculiaris illa *conſtrictio*, qnam *Giggejus* ex *Camuſo* radici noſtræ ſubjecit, العصب declarans *Quum adſtringuntur teſticuli hædi aut arietis, ita ut inutiles reddantur absque ut recidantur.* Apud *Golium* eſt, *Arcte vinxit teſticulos* capri arietisue, *ut marcore perirent citra evulſionem.* inde jam عصاب ſpeciatim adhibere licet pro *eo vinculo*, aut *nervo*, *qui libidini domandæ inſtringitur;* quæ notio ex *ancipitis dictionis* ſchemate non tantum *Hoſeæ* obverſata, ſed & *Pſalti* in mentem fuiſſe videtur, quum *Pſ.* 16: 4. in *idololatriæ*, & *adulterii ſpiritualis libidinem* effuſos ſic perſtringit, ירבו עצבותם אחר מהרו *Multiplicabuntur dolores eorum qui alium dotant*, vel ut alii malunt, *qui verſus alium feſtinant.* Utcumque ſumatur, una cum *doloribus* עצבות commode exprimere poſſunt *urentia illa vincula*, quæ Deus injiceret *ſcortatrici nationi*, ad *furiatum* ejus *impetum refrenandum.*

CLXIII. Atque hæc quidem de עצב & מרה hactenus. Succedat nunc thema, multo tritiſſimum quoque, עלם, quod par. CXXXII. promiſi. Ex ejus *Kal* nihil ſupereſt præter formam partic. paſſ. עלומים *Pſ.* 90: 8. in *Niphal* נעלם apud *Coccejum* eſt *ignotum; occultum eſſe*, *ignorari.* λανθάνειν. In *Hiphil.*

Digitized by Google

phil. העלים *ignorare facere*, *abſcondere*, *diſſimulare*. In *Hithp.* התעלם *Abſcondere ſe*, *negligere*. Aliter *Job. 6: 16. ſuperſternere ſe*, ad occultandum. Apud *Buxtorfium* נעלם declaratur *latitavit*, *abditus*, *abſconditus fuit*; & ſic paſſim apud alios; nec profecto male, quum indubitata ſit poteſtas; quæ tamen tam multis vocabulis circumſcripta verius quam definita, haud dubie *ſecundaria* cenſeri debet, primaria & antiquiſſima ſtirpis indole, una cum conjugatione *Kal*, oblivioni data, neque ſine lumine dialectorum unquam revocanda.

CLXIV. Sane ſecundarium eſſe illud *abſcondere*, quod τῷ עלם aſſignatur, non tantum diverſitas idearum modo allata, ut & compoſitio Latina ex *abs*, *cum*, & *dare*, quam nemo Hebræis obtruſerit, facile evincit, ſed etiam reliqua illa copia verborum, quibus item *abſcondendi* ſignificationem ſubjiciunt Lexica. חבא, & טמן, & כחד, & כסה, & סכך, & ספן, & סתר, & צפן. Quæ omnia ut ſuam habent genitivam notam, atque proprietatem, qua alia ab aliis internoſci queant, ita nunc rogaverim, quid ergo proprie & primitus valuerit עלם, quove ex fonte in uſum *abſcondendi* cum tot aliis vocabulis conſpirare cœperit? Si quis, aquam hic ſibi hærere ſentiens, curioſius id quam utilius eſſe regeſſerit, momenta rerum non ſatis perſpecta ſeſe habere oſtendet, quum incredibilis ſæpe fructus ex illa curioſa veſtigatione originis primigeniæ redundet, ut tum alias jam evidentiſſime liquere potuit ex iis quæ tractamus, tum in hoc ipſo themate liquida luce liquidius demonſtratum dabo.

CLXV. Aliquid præter *occultandi*, aut *abſcondendi* ſignificationem generaliorem hic requiri, viderat jam *Avenarius*, quum *proprietatem* figere ac finire ſatagens, recurrit ad cognatum עלף, indeque neſcio quibus fidiculis extorſit, *eſſe oculis limis & lippis*, *qui non clare vident ob marcorem in illis contractum*; Græco λημάω per aphæreſin hinc quoque deſcendente, quin & Latino *limus*, ſi hujus Architectonis regulæ Criticæ nos permittimus. Potuiſſet vel ſine aphæreſi γλημάω protuliſſe, τὸ עלם ad amuſſim, ſcilicet, repræſentans; ſed plane γλήμης oppletos habebat oculos bonus *Avenarius*, quum tam abſona atque abſurda producere maluit, quam ingenue, id quod res eſt, profiteri, ex reliquiis Biblicis abditam Originem thematis hujus non poſſe ſatis expediri, atque propterea dialectorum opem eſſe circumſpiciendam, num forte inde fugitiva proprietas retrahi, atque reſtitui, poſſit.

CLXVI. Si *Chaldaicæ* & *Syriacæ* linguæ ſinum excutiamus, non multum erit emolumenti, ob eandem ſcilicet paupertatem, qua cum matre Hebræa laborant. *Æthiopum* uſus *Æternitatem* frequentat a עולם. Habent & *Arabes* עולם عالم *ſeculum*, *mundus*; unde paſſim رب العالمين *Dominus ſeculorum* רב עולמין. Apud eoſdem præterea עלם *adoleſcens* عيلم, quod uſitatius غيلم, communis generis quidem utrumque, ſed priore forma *puellum*, poſteriore *puellam* magis reſonante, & quidem الفتاة الحسناء المغتلمة *puellam pulcram adultiorem*, ut diſerte docet *Scholiaſtes* ad *Diw. Hud.* Vel المراة التامة *feminam jam perfecta ætate nubilem*. Sic ex indole linguæ *Arabica*

bicæ intelligendum eſt illud interpretamentum *Golii*, غيلم *puella libidinoſa.* Nempe quæ jam *matura & nubilis*, *naturæ primos ſtimulos ſentit*, *intacta* interim, *Venerisque expers.* Id niſi probe teneatur, ingentem pareret confuſionem. Similiter verbum غلم cum *Gain*, ut eo melius diſtingueretur nempe a علم cum *Ain*, apud *Golium* eſt, *Coëundi cupidum & libidinoſum eſſe*; & غلم *libido*, غلم *libidinoſus.* Vehementer errabis ſi indefinite id ſumſeris. Intenditur *maturitas* ad venerem, & *ſignum illud pubertatis*, *quo juvenis aut juvencula ſeſe intelligit plenis jam annis nubilem.* Maſculina appellatio *talis juvenis* eſt غلام, pluralia fracta exhibens غلمة, & غلمان, & اغلمة, quæ latius quidem complectitur *quicquid a nativitate ad pubertatem eſt ætatis*; ſtrictius vero, *plena ætate jam puberem & adultum*, *atque adeo nubilem.* Iſtum ſtatum pluraliter Hebræi per עלומים efferunt; Arabes ſingulariter غلومة & غلومية *Adoleſcentia*, ſive *latior* illa, quæ *inde ab ortu* numeratur, ſive *ſtrictior*, *quæ cum pubertate*, & *primis naturæ* adhuc *integræ* & *ſignatæ ſtimulis* demum exiſtit. Quæ quantas adferant opportunitates ad vexatum illud עלמה in ſua integritate, & flore, ut ſic dicam, virgineo, adverſus temeratorum conatus, turandum, & jam pellucere incipit, & ſole adhuc clarius relucebit, quum unde עלם & עלמה nomen invenerint, declarata totius radicis natura, ſua ſponte omnium oculis occurret.

CLXVII. Sed hic nos deſtituere videntur *Arabes*, quin imo turbare potius, quam adjutare. Quid enim cum *abſcondendi* certiſſima notione, commune habet hæc ſignificationum ſeries apud *Giggejum* e *Camuſo* proſtans? *Conj.* 1. علم *Rem ſcivit*, *novit*, *expertus eſt.* 2. علمه العلم *illum docuit ſcientiam.* 4. اعلمه اياه *illum rei conſcium fecit.* 5. تعلم *edoctus fuit* &c. &c. Item تعلمه *Rem firmam reddidit.* Iterumque in 4. *Conj.* اعلم القصاب الثوب *fullo veſti ſigna appoſuit* ثوب معلم *Veſtis cui nota appoſita* العلمة עלמה *ſciſſio in labro ſuperiori*, علم الرجل *Labio ſuperiori fiſſo fuit vir* هو اعلم & هي علماء *vir*, *mulier*, *ſciſſo ſuperiori labro.* العلامة *Nota. nota inuſta. ſignum. argumentum. character. judicium. aſteriſcus. vexillum.* علامة الطريق *aliquid in via erectum*, *ut iter indicet.* العلم من الجبل *Mons excelſus.* علم القوم *Dominus gentis* &c. &c. &c. poſtremo, ut ſupervacua amputem, *Conj.* 10. اعتلم الماء *fluxit aqua.*

CLXVIII. Hæc profecto cuncta ne minimam quidem communitatem habere videntur cum Hebræorum התעלם, העלים, נעלם; totoque cœlo, quod dicitur, tam diverſa abire, ut e fulgore fumum dare tandem, atque commotas ſpes ſubito deſtituiſſe cenſeri debeam. Sed expectetur paululum. En tibi lucem ex hoc fumo. En *proprietatem* thematis علم עלם, tanquam in abdito quodam cubili perveſtigatam, certisque notis ac veſtigiis deprehenſam.

Digitized by Google

ſam. *Signo impreſſo notavit*, ſecundum vim illam quæ in علامة tam luculenter ſeſe prodit, *nota. nota inuſta. ſignum. character. judicium.* &c. &c. Ex *Zjaubario* ſimpliciter apud *Golium* habes principe loco, *ſignavit;* dein *fidit in ſuperiore labio;* tanquam *notavit*, aut *nota ſignavit* videlicet. Item intranſitive *ſuperiore labio fiſſus fuit*, nempe *notatus*, vel *ſignatus fuit* proprie. Iterum *ſcivit*, *ſcientia polluit*, quaſi dicas *notis* & *ſignis* rerum *alte impreſſus* & *imbutus fuit.* Peropportunus in rem locus *Cicer. Acad. Qu.* 4: 22. *Nihil ita ſignari in animis noſtris a vero poſſe, quod non eodem modo poſſit a falſo.* Et *cap.* 24. *Tum Zenonem ita definiviſſe viſum, ex eo quod eſſet, ſicut eſſet, impreſſum & ſignatum & effectum.* Pro *effectum* tamen melius cum *Lambino* repones *effictum*, certiſſimo fundo ipſo *Zenone* cum ſuis, apud *Diogen. Laërt.* L. 7. ſegm. 46. καταληπτικὴν μὲν φαντασίαν, τὴν γινομένην ἀπὸ ὑπάρχοντος, κατ᾽ αὐτὸ τὸ ὑπάρχον, ἐναπεσφραγισμένην καὶ ἐναπομεμαγμένην. *Inſignitam atque impreſſam altius*, dat interpres. Rectius *imprimendo ſignatam atque effictam* dabis. Paulo ſupra eadem hæc ſchola *viſum* definiebat τύπωσιν ἐν ψυχῇ: τοῦ ὀνόματος οἰκείως μετενηνεγμένου ἀπὸ τῶν τύπων ἐν τῷ κηρῷ ὑπὸ τοῦ δακτυλίου γινομένων. *Impreſſionem in animo; tranſlato proprie nomine a typis ac figuris quæ per annulum in cera fiunt.* Id Arabes dicerent معلوم מעלום *ſignatum*, id eſt, *probe notum, perceptum, comprehenſum, ſcientiaque infixum.* Huc ſpectat quoque illud in *Tuſc. Qu.* 1: 25. *An imprimi quaſi ceram animum putamus, & memoriam eſſe ſignatarum rerum in mente veſtigia?* Itemque de *Fato Cap.* 19. *Sic viſum objectum imprimet & quaſi ſignabit in animo ſuam ſpeciem.* Ex quibus jam evidentiſſime liquet, Arabum علم proprie & primario *ſignandi* vim continuiſſe, indeque per varias tranſlationes uſum ſuum explicuiſſe, quas apud *Golium* quivis nunc per ſe intelligere poterit.

CLXIX. Haud pœnitendum hinc lumen ſeſe diffundit per univerſam, quæ patet, radicem עלם, veſtigiaque illa, quæ in ſacro Codice ſparſim impreſſa reliquit: veſtigia inquam, quia multo pluribus figuris & tranſlationibus lingua vivens ſeſe omnem in partem debuit explicare.

CLXX. Uſitatiſſima eſt metaphora illa, in *abſcondendo* ſita, quæ enim condimus ea fere *ſignamus*, vel *ſigillo impreſſo claudimus.* Hinc *ſignatum ſcrinium* apud *Val. Max.* L. 6: 5, 6. *Signare lagenas* apud *Mart.* 9: 89. luſu admodum faceto ex ancipiti notione vocis.

Adfert neſcio quas mihi tabellas
Et dicis — — — — —
Signa. Cras melius, Luperce, fiet.
Nunc ſignat meus annulus lagenam.

Apud *Plautum* in *Perſa* extat, *allium ſervo obſignare cum ſale*, & *Cic.* L. 6. ep. *matrem* ait *lagenas etiam inanes obſignaſſe.* Adde & illum ex Ambiguo jocum lepidiſſimum *Neronis* in ſervo furace, *ſolum eſſe, cui domi nihil ſit nec obſigna-*

tum nec occluſum. Laudat acute dictum *Cic.* de *Orat.* 2: 61. Iſtoc ſenſu & *Reſignare* pro *claudere*, *condere* poſitum putat *Servius* in illo poëtæ *Æn.* 4: 244.

Dat ſomnos adimitque & lumina morte reſignat.

quamvis alias ἀποσφραγίζειν potius valeat, & *reſignator* ſit ἀποσφραγιστής in *Gloſſ. Cyril.* Subſcriptor & ſignator *Servio* acceſſit Magnus *Turneb.* neque durius id cenſeri debet quam *recludere in carcerem* apud *Juſtin.* 26: 1. quum alias *aperire* deſignat. Iſtam formulam *oculos ſignavit*, *reſignavit*, *obſignavit* pro *condidit*, *arctiusque clauſit* reſtituere nunc poſſum Hebræis cum aliqua, credo, gratia Lectoris. *Prov.* 28: 27. *Qui dat pauperi, nullus egebit:* ומעלים עיניו *maledictionibus opplebitur.* Vulgo *Abſcondens oculos ſuos.* Aptius viſum *Coccejo, qui amovet oculos ſuos.* Quanto venuſtius? *Obſignans oculos ſuos. qui ſic oculos* a paupere *abſcondit*, *quaſi eos ſub ſigillo condidiſſet atque occluſiſſet ſic ut ne rimula quidem commiſerationi pateat.* Eadem imago reddenda eſt *Eſajæ Cap.* 1: 15. *Et quum manus vos veſtras expanditis* אעלים עיני מכם *Obſigno oculos meos a vobis.* Sermo communis induceret *clauſos*, ſed *cum* πάθει & *indignatione vehementiore elatus* inducit *obſignatos.* Ea obſervatio & reliquis locis pro clavi ſubſerviet. Dicit *Samuel* 1 *Lib. cap.* 12: 3. *Et cujus e manu ſumſi pretium* ואעלים עיני בו *ut clauſos obſignarem ei oculos.* Id eſt, *ut non animadverterem in ipſum connivens ad delictum*; pro quo nunc *penitus occludens* intulit, ad majorem emphaſin. Aliter etiam locus a quibusdam exponitur, quaſi eſſet, *Cujus e manu ſumſi pretium? quin abſcondi oculos ab illo.* Suppone & hic, *Clauſos obſignavi.* Sed prius magis arridet, *Conniventiam* quoque præferente uſu *Lev.* 20: 4. אם העלם יעלימו את עיניהם *ſi obſignando obſignaverint oculos ſuos ab homine illo*, qui de ſemine ſuo immolarit Molocho, *quo minus illum capitis damnent.* Nonnunquam & *negligentiæ* notionem induit, ut *Eſech.* 22: 26. *Sacerdotes violant legem meam* &c. &c. &c. ומשבתתי העלימו עיניהם *Coccejus* id enucleaturus ait eſſe *oculos ſuos fecerunt ignorare Sabbata, atque ita ab iis obſervandis averterunt.* Minus feliciter. Eſt omnino, *oculos ſuos a Sabbatis meis* reſpiciendis & honorandis *occluſerunt*, contumaciusque adeo *obſignarunt.* Quæ periphraſis declarat, quanto cum judicio, quantoque cum nervo, id verbi adhibere voluerit *Eſechiel* in profligatiſſima Sacerdotum irreligione deſcribenda.

CLXXI. Non minori venuſtate ad *aures* quoque *occluſas* applicatur illud *obſignare*, ut *Thren.* 3: 56. אל תעלם אזנך לרוחתי לשועתי *Ne obſignes aurem tuam ſuſpirio meo, clamorique.* LXX. Μὴ κρύψῃς τὰ ὦτά σου εἰς τὴν δέησίν μου. Vulg. *Ne avertas aurem tuam.* Nec tam figurate, ſi quid ſentio, nec tam commode. *Coccejus*, vi ſententiæ ductus, expreſſit, ſane quam commodiſſime, *Ne obtures aurem tuam.* Elliptice etiam העלים *obſignare* dicitur, qui ſive *oculos* ſive *aures claudit* atque *obturat*, quo minus ullo ſenſu miſericordiæ tangatur. *Pſ.* 10: 1. *Quare ſtas procul?* תעלים לעתות בצרה *Obſignas*, atque ita ſubducis *temet temporibus arctiſſimis.* Confer *Thren.* 3: 43, 44. Iterum

Digitized by Google

rum in *Hitpah. Pſ.* 55: 2. האזינה תפלתי ואל תתעלם מתחנתי *Auribus percipe deprecationem meam, neque temet obſignes a ſtridulo tinnitu meo audiendo.* Id jam ad *aures* palam ſeſe refert ſerie duce. Ad *oculos* reflectitur *Deut.* 22: 1. לא תראה את שור אחיך או את שיו נדחים והתעלמת מהם *Non videbis bovem aut ovem fratris tui palantes, atque temet obſignabis ab iis.* Id eſt, *eris ac ſi clauſis ſignatisque oculis non conſpexiſſes.* Quæ amplitudo ac vis figuræ ſeſe exerit etiam *Eſaj.* 58: 7. כי תראה ערם וכסיתו ומבשרך לא תתעלם *Quum videris nudum, utique conveſties illum, neque a tua ipſius carne temet obſignabis.* Si quis duriusculum autumet, *ſemet obſignare*, conjicias quæſo oculum in hanc imaginem *Taciti*, *Ann.* 3: 15. *Nullo magis exterritus eſt, quam quod Tiberium ſine miſeratione obſtinatum clauſumque vidit, ne quo adfectu perrumperetur.* Talem *obſtinatum clauſumque* una voce מתעלם appellare poſſunt Hebræi *ſemet ſigno veluti impreſſo claudentem*, quo nec gravius quicquam, nec elegantius ulla lingua extulerit. Habent quidem Latini *obſeratas aures*, *obſtructasve*, habent item *oculos*, *affectus*, *obſtructos* ad quos nec aditus, nec rima pateat ulla; ſed *obſignatio* tum ſubtilius, tum efficacius quoque, in hanc figuram, atque exaggerationem, ſeſe porrigit, illuſtrique documento commonſtrat, multo majorem tum gratiam, tum efficaciam, in Veteri Hebræorum lingua reſidere, quam unquam cuiquam in mentem venire poſſet, quam diu *Origines* verborum *clauſæ* atque *obſignatæ* jacent.

CLXXII. Reddamus ſuum etiam ſplendorem jucundiſſimæ imagini quæ *Job.* 6: 16. ſeſe offert. Deſcribitur *torrens convallium*, ποταμὸς χειμάῤῥους *multa nive auctus tempore hyberno*, & perennem aquarum copiam cum vere novo præferens,

— — — *Gelidus canis cum montibus humor*
Liquitur — — —

Qui tamen mox, vere jam adulto, & *ſole invaleſcente*, *exareſcat*, atque *ſpem ſitimque viatorum deludat.* De hiſce jam *aquis* hyberna nive *concretis* ſimul, ſimul *increſcentibus*, poëtice & magno cothurno profertur, הקדרים מני קרח עלימו יתעלם שלג *Quæ atratæ ſunt a gelu, ſuper eas obſignat ſeſe nix.* Id eſt *conſtricta* & *quaſi ſignaculo firmiter compacta jacet.* Habes hoc pacto *Cocceji* illud, *ſuperſternit ſe eis nix*, & quidem nobiliſſima, nec minus audaci ſane, figura illuminatum. In aliorum conatibus nihil eſt ſolidi, ſi a *Chaldæo* diſceſſeris; de quo ſtatim. Haud injucundum fuerit contuliſſe phraſes poëticas, quæ *Clauſum cælum*, *annum*, *diem*, *clauſam* item *humum*, in *frigore nivali* concelebrant, æſtiva luce *recluſam* eandem, & *reſeratam* exhibentes, collectas a Clar. *Burman.* ad *Val. Fl.* 1: 655. & ad *Ovidium* non uno in loco.

CLXXIII. Quamvis autem *Obſignationis* adblandiatur imago, in ſcena ubi χίων & κρύσταλλος πεπηγὼς introducuntur, ut LXX dedere; aliquid tamen incommodi ſubeſſe omnia rite expendenti patebit, quia non tam *compacta* & *ſignaculo* veluti *clauſa nix* hic requiritur, quam quidem *reſerata*, & *verno tempore*

pore reſoluta ut inde *torrenti* ingens accedat *incrementum*. Hoc forte voluit *Chaldæus*, quum exhibet עליהון יתחיל תלגא *ſuper eas invaleſcit nix*. Quicquid intenderit, id ambigi nequit, abiiſſe ipſum ab uſitatiore notione radicis עלם, & ex ſua dialecto aſſumſiſſe *invaleſcendi* poteſtatem, qua עלם, in *Targumim* auctum comparet. Id pro חרם, vel & אלם tunc poſitum autumant. Sed rectius a nomine עלם *adoleſcens* cum *Sebaſt. Schmidio* derivabis, nam & *adulta* Latinis ſunt *robuſta*, *valida*, *vehementia*. Hinc *Tacit.* H. 1. 31. *Seditio nondum adulta*. & H. 5. 8. *Parthis nondum adultis*, i. e. *invaleſcentibus*. Item *Ann.* 3: 53. *praevalida & adulta vitia*. Egregie *Cic.* 5. de *Fin.* *Cupiditas adoleſcit una cum ætatibus*. Apud *Tacit.* iterum *Ann.* 2: 33. *Auctu imperii adoleviſſe etiam privatus opes*. Satis ſpecioſe etiam *Amm. Marcell.* 18: 7. & 22: 8. dixit *Advenis aquis fluvium adoleſcere*, quamvis militaris hominis ſtilus in *adoleſcendi* verbo ſæpiuſcule modum excedat. Tale quid & Arabes התעלם recepiſſe, a עלם *adoleſcens* nova formata ſignificatione, liquet utique ex illo *Gloſſemate Phiruzabadii* اعتلمت الماء *fluxit aqua*. Proprie *adoleuit & excrevit*, ſi bene calculos pono, niſi quod ſuſpicer majorem adhuc vim ineſſe, ut ſi proprie *cum impetu juvenili ac vegeto exuberavit*. ἡβᾷν. Huc tendit altera *Gloſſa* in *Camus* الإعتلام infin. conj. 8. *cum modum excedis in re aliqua*, quaſi tu dicas *juvenari*; itemque tertia hæc اعتلم البحر *Mare concitatum excrevit*, *& fines exceſſit*. *Sæviit juveniliter*. Hoc jam fundamento verba עלימו יתעלם שלג ſic convertere liceret, *ſuper eas concitata fluxu & impetu deſævit nix*, nempe *verno tepore jam Colliqueſcens*, &, *magno æſtu* veluti, *e montibus ad Convalles ſeſe præcipitans*, atque ita ποταμὸν χειμάῤῥουν *profundum*, *turbidumque torrentem efficiens*, cujus *aquæ nunquam interareſcere* poſſe videantur, quum tamen cum prima æſtate penitus evaneſcant.

CLXXIV. Superſunt loca compluſcula quæ *ſignationem* haud dubie continent, in quibus vim ac pulcritudinem linguæ Biblicæ curſim declarabo. 2 *Reg.* 10: 3. 2 *Chron* 9: 2. *Expoſuit Reginæ Sabæorum Salomon quicquid verborum protulerat*: לא היה דבר נעלם מן המלך *nullum omnino verbum regi fuit abſconditum*, *quod non expoſuerit ei*. Ecquid hunc in ſenſum jam diſplicebit *Obſignatum nihil?* Id utique tum fortius, tum venuſtius. Conſimiliter *Eccleſ.* 12: 14. *Omne opus adducet Deus in judicium*, על כל נעלם *quantumvis omne ſit ſignatum*, *qua bonum*, *qua malum*. Sic illud על, quod turbat interpretes, ſumendum autumo. Huc pertinent תעלמות לב *ſignationes cordis*. *Pſalm.* 44: 22. Et *Pſ.* 90: 8. עלמנו *ſignata noſtra*. pro *occultiſſimis & in profundo cordis occluſis* atque *obſignatis* veluti *meditationibus*. Iterum 2 *Reg.* 4: 27. יהוה העלים ממני ולא הגיד לי *Jehova obſignavit hoc mihi*, *neque notum fecit*. Et *Lev.* 4: 13. ונעלם הדבר מעיני הקהל *Et ſi obſignata fuerit res illa ab oculis coetus*. Adde *Num.* 5: 13. Pari ratione *Job.* 28: 11. ותעלמה יוצא אור *Signationem educit in lucem*, & *Job.* 11: 6. ויגד לך תעלמות חכמה

חכמה *&* *exponet tibi ſignationes ſapientiæ.* id eſt *abſtruſiſſima* quæque, & tanquam *obſignatiſſima.* Nec aliter *Job.* 42: 3. מי זה מעלים עצה בלי דעת *Quis eſt ille qui ſignat conſilium impenetrabile,* ac *nulla cognitione pervium!* Longe aliter interpretes, nec ſane feliciter, quum *Jobum* volunt eſſe illum מעלים עצה, qui *inſipienter conſilium abſconderit*, vel ut *Coccejo* viſum, *qui non in rem ſuam conſuluerit.* Imo vero *Deus* eſt מעלים עצה, ut tota ſeries dictat, profitente nunc tandem *Jobo* ſe de Deo locutum quæ non intelligeret, & mirabilia ejus a ſe ignorari, quippe qui *Conſilii* ſit *Obſignator*, ad cujus profunditates rimandas omnis acies hebeſcat.

CLXXV. In alia omnia diſceſſerunt hic interpretes ob Cap. 38: 2. ubi *Jobus* ita perſtringitur, מי זה מחשיך עצה במלין בלי דעת *Quis eſt ille obtenebrator conſilii, idque verbis ſcientia vacuis?* Intellige ſis *Conſilium* divinum, ejusque *ſapientiſſimam providentiam*, quam *Jobus* diſputationibus ſuis *obſcuraverat.* Hoc quum cap. 42. repeti viderent, pauculis immutatis, idem eſſe collegerunt. Id ſi foret, nihil quicquam mihi decederet; nam מעלים *obſignator*, pro מחשיך *obtenebrator* utique ſtationem ſuam facile tueretur. Sed, niſi me omnia fallunt, longe aliud nunc intenditur, & *Jobus* Cap. 42. ſuas loquendi vices habens, appoſitiſſime reſpondet. *Quis eſt ille Obſignator Conſilii, abſque ut ſciri illud poſſit!* Tu enimvero Deus, qui me *obtenebratorem tui* vocas *conſilii*, Tu ipſe es *Conſilii tui Obſignator*, ut proinde *in mera* nos homunculi *caligine* verſemur, quum de Te Tuisque viis ratiocinamur; idque במלין בלי דעת *verbis ſcientia vacuis*, quandoquidem tu ſic *theſauros conſiliorum* tuorum *claudis*, *condis*, *ſignas*, ut ſint בלי דעת, nulla *humana cognitione penetrari* queant.

CLXXVI. Omnes illi uſus, quos hactenus perſecutus ſum, non parum illuſtrantur per ſimilem translationem ſub alio verbo *ſignandi*, quod eſt חתם, regnantem. Inde habemus *Deut.* 32: 34. חתום באוצרתי *ſignatum in ſcriniis* ſive *theſauris meis.* Alia ejusdem indolis dabunt Lexicographi, obſervavitque jam *Coccejus* de hoc חתם *ſignavit*, aliquando eſſe *recondere*, *non publicare*, quod *obſeratis* imprimi ſoleant *ſigilla.* Hinc etiam *Job.* 9: 7. בעד כוכבים יחתם *Obſignat ſtellas* pro *abſcondit.* Et *Job.* 37: 7. ביד כל אדם יחתם *manum omnis hominis obſignat*, pro *includit*, *&* *ab opere arcet.* Quæ referas velim ad *cœlum*, *diem*, *terram*, omnia, *clauſa* atque *obſerata*, quum vel *nocte*, vel *hyeme conduntur*; de quibus locutionibus *Par.* CLXXII. remiſi ad Doctiſſimum *Valerii Flacci* Editorem. Huc quoque pertinere poſſet *Job.* 24. 16. יומם חתמו למו *interdiu ſeſe obſignant*, nam ſtatim ſequitur, *lucem non noverunt*, quod de *Lucifugis*, & *nocturnis graſſatoribus* non invenuſte dictum foret. Hic vero jam roget aliquis, quid ergo differant חתם ختم, & עלם علم? Id, quod *ſigillum*, & *ſignum* eo *impreſſum.* חתם nempe *actionem ſignandi*, עלם *notam ſignando expreſſam* continet; ita ut admoto חותם خاتم, aliquid efficiatur נעלם *Charactere impreſſo notatum*; quamvis ſubtilior illa diſtinctio non ſemper obſervetur.

CLXXVII.

CLXXVII. Hicce porro adſpectus radicis עלם, quo cum חתם conſpirare deprehenditur in *recondendis*, & *obſignandis rebus*, quas nulla acies humana queat attingere, aperit nobis interiorem vim derivati עולם *Æternitas.* Nomen ab *ignorantia* deductum, ait *Coccejus*, quia *tempora* hominibus ſunt *incognita.* Aliis ab *abſcondendo* manaſſe placet. Nec male, nec tamen per omnia bene, & plene; nam a *ſignando* fluxit, quaſi dicas *ſignatam durationem*, *conditionem*, in qua

Prudens futuri temporis exitum
Caliginoſa nocte premit Deus.

In iſtum uſum nota ſunt *ſigilla*, σφραγῖδες, quæ ſolus Deus valet *reſignare.* Sed in re liquida verbis parcendum.

CLXXVIII. Non fruſtra tamen operæ aliquantillum tribuemus *Eccleſ.* 3:11. *Omnia Deus fecit pulcra ſuo tempore:* גם את העלם נתן בלבם *ne homo aſſequatur opus, quod Deus fecit, a capite ad calcem uſque.* Multi fluctus ſententiarum circa dictum abſtruſiſſimum. Aliis enim *ſeculum indidit in cor eorum*, eſt, Deum hominibus *opinionem* quandam *inſeviſſe*, quaſi *ſemper hic forent victuri.* Alii hinc eliciunt *deſiderium æternitatis hominibus innatum.* Aliis *ſeculum cordi inditum*, eſt *curioſior inveſtigatio temporum.* Aliis denique *cupiditas mundi* & *rerum ſecularium.* Nihil horum tangit ſcopum; quem feries, ſi mecum convertas, *etiam ſignatam conditionem cordi*, id eſt *meditullio*, *omnium rerum*, *indidit & impreſſit Deus.* Sentis rationem cur *inveniri* nequeant Divina opera, in ſua illa pulchritudine, quam cuncta ſimul & ſingula, ſuis quæque temporibus, poſſident, *Meditullium* videlicet rerum omnium, in quo latet pulcritudo, & Deo digna ſapientia, nobis homunculis eſt *obſignatum;* qui circa corticem minus ſpecioſum laboramus, in eoque ſæpius offendimur. Si Deus עולם *ſignatam conditionem æternitatis*, & *interiorem* illam *relationem*, qua ſumma mediis, media imis reſpondent, æternique Conditoris finibus ſubſerviunt, introſpiciendam nobis præberet, ut a Capite ad calcem omnia apta undique & coagmentata cerneremus, ita nihil non multo pulcherrimum, & ſapiente Artifice digniſſimum, exclamare cogeremur.

CLXXIX. Vindicemus nunc etiam τῷ עלם *adoleſcens*, & עלמה *adoleſcentula*, *virgo*, nativum ſuum florem atque honorem. *Nonius Marcell.* Cap. 2. *de honeſte dictis veterum* annotavit, *ſignatam virginem vetuſtas dicere voluit integram;* atque ex *Lucilio* ſubjungit, *Chryſidem negat ſignatam reddere*, hoc eſt *intactam*, *inviolatam* viro. Reperio etiam *obſignatam naturam* apud *Cic. de Divin.* 2: 70, 71. ſed paululum diverſo adſpectu. Figuram hanc placuiſſe Hebræis in *virginitate illibata*, liquet ex *Cant. Salom. cap.* 4: 12. ubi *ſponſa* appellatur מעין חתום *Fons ſignatus*, ad quem locum *virgo ſignata Lucilli* adducta eſt ab *Ill. Grotio.* Hanc *intactæ virginitatis* obſignatam hactenus conditionem, qua عيلم עלם, & uſitatius غلام, *adoleſcentis*, qua غيلم עלמה, & fre-

frequentius adhuc غلامة *adoleſcentulæ*, conſignantiſſimo vocabulo Hebræi pluraliter expreſſere עלומים, quaſi dicas *obſignationes*, vel *obſignata* naturæ; ut proprie ſit *participium paſſivum*. Arabes id in *ſubſtantivum* converterunt, ſingulariter efferentes עלומיה غلومية, id eſt *ſtatus* τῶν עלומים quo complectuntur *omnem* illam *ætatem*, quæ *a nativitate* fluit *ad maturitatem:* ſtrictius tamen *nubili* jam ἀκμῆ nonnunquam aſſumta, quod *Scholiaſtes* ad *Diw. Hudeil.* intendebat, quum עלמת declarabat الفتاة الحسناء التامة *puellam pulcram perfectam*, hoc eſt *nubilem*, hactenus tamen *ſignatam*. Qua occaſione non poſſum quin obſervem grande incommodum, quod ſæpe premit Arabica in Latinum traducta, nam verbum غلم a עלם *adoleſcens* formatum, in *Golio* & *Giggejo* valet *Coëundi cupidum & libidinoſum eſſe*, quum idea Arabica adferat in origine ſua *plenis annis eſſe nubilem*, indeque *primos* naturæ *ſtimulos experiri*. Ἀκμάζειν. *Adoleſcentiari. Pubeſcere.* Ἡβᾶν.

CLXXX. Non ſpero, diſplicebit Viris Doctis, hoc pacto omni cavillationi exemtum nunc videre *Jeſajanum* illud הנה העלמה הרה וילדת בן *Ecce virgo ſignata concipit & parit Filium*. Quum Lingua Hebræa florebat, iſta *Signatæ* proprietas ultro ſe omnibus ingerebat; unde rei inauditae magnitudo, & Oraculi emphaſis, haud pœnitendum ſumit pondus. Conſimilis emphaſis ſeſe exerit in vexatiſſimo altero dicto *Prov.* 30: 19. דרך גבר בעלמה *Via viri in virgine ſignata*, cui *ſignationi* vis ac gravitas ſententiæ innititur. Uberius quoque intelligi nunc poterit, quam gratioſe & venuſte dicatur in *Cant.* 1: 3. עלמות אהבוך *Virgines ſignatæ*, pleniſque annis nubiles; *te diligunt*; ex quibus de reliquis judicium cuilibet relinquo.

CLXXXI. Necdum tamen e longo curſu portum capere licet. Novum mihi metaphoræ iter capeſſendum, quod ignorata Radicis Origo interpretibus præcluſit. *Deut.* 28: 61. rebellibus denuntiatur, *Etiam omnem flagellationem atterentem omnemque plagam, quæ non ſcripta eſt in libro Legis hujus* יעלם יהוה עליך עד השמדך Forma eſt *fut. Hiph.* a עלם: quod tamen *abſcondere* nullum commodum pareret ſenſum itum fuit ad עלה, indeque exſculptum, *adſcendere faciet eas Deus ſuper te, donec extermineris.* Id voluiſſe videntur LXX. ἐπάξει ἐπὶ σὲ; & *Vulg. inducet ſuper te*, ut & *Onkelos* ייתנון עלך *venire faciet eas ſuper te*: quo proclivius ſecuti Recentiores. Arabs, pedarius alias, hic ſuus eſſe voluit, يسلط عليكم *faciet dominari ſuper vos.* Cui עלה quoque obverſatum, *ſuperavit*, in *dominandi* poteſtate. Tentabat *Coccejus* citra anomaliam a עלם *negliget ſuper te*, hoc eſt *te negligendo ſuper te venire ſinet*, ex notione *diſſimulandi*, *quam* τῷ העלים aliquando ſubeſſe ſtatuit. Id quam dilutum, in tanta acerbitate comminationis, nihil dicere attinet. Laud interim conatum, nam haud dubie radix עלם ibi retinenda; unde genuinum loci conſpectum ſic pando, *Omnem flagellationem, omnem plagam* —— *ſignabit Dominus ſuper te, donec extermineris.* id eſt *notis ſignatiſſimis* & *exſtantiſſimis*

mis inuret. Similiter *ſignandi* vocabulum applicuit *Hieronymus* in *Ezech.* 16: 8. *Cham æterna maledictione ſignatur.* Id eſt *notatur*, altius *impreſſa nota inuritur.* Hanc *ſignandi* vim attendit quoque *Silius* L. 8: 298.

Signataque mente cicatrix

Id eſt *dolor altius impreſſus atque inuſtus, per notam ignominiæ.* Videlicet *ſignare* & *notare* ut ſynonyma ſunt, vel verius cognata, ita unam facile ſedem intrant. *Cic. Tuſc.* 1: 28. *Ut cum videmus omnium moderatorem & ducem ſolem, lunamque, accretione & deminutione luminis quaſi faſtorum notantem & ſignantem dies.* Sic egregie *Daviſius* e *MSte*, pro vulgari *ſignificantem*; adductis tum aliis, tum hoc *Manilii* exemplo L. 1: 594.

Et per quinque notat ſignantes tempora fines.

Ejusdem notæ ſunt *ſignare humum longo limite* apud *Ovid. Met.* 1: 136. *ſignare ſulco mœnia* apud *Sil. Ital.* 13: 117. & apud *Val. Fl.* 6: 710. *ſignare comas liquido auro:* cum quo conferri poterit *Luciani* illud in *Tragopod.*

Ἀλλ' οὐκ ἔχει κοινὴ σφραγὶς κόμαις.

Iterum apud *Petron. cap.* 131. *Frontemque repugnantis ſignat.* Hinc anſa præbita ad *notam ignominiæ*, in fronte, alibi *veluti ſignatam*, & *impreſſam.* Elegans eſt, & rarum, hoc *Livii* L. 24: 16. *Hanc mulctam ita æquo animo feretis, ſi reputabitis, nulla ignaviæ nota leviore vos deſignari potuiſſe.* Ad eandem rationem bene Latine dixeris *notis ignominiæ ſignari*, vel & *ignominiis omnibus notari ſignarique*, quas *notas* qui *imprimit* atque *inurit ſuper* alicujus *fronte, dorſo, corpore*, Hebraice dicetur העלים על: atque ita *notatus, ſignatus, inuſtus*, ſenſu illuc vocante, etiam abſolute נעלם appellari poterit; haud ſecus ac Latinis *notatus* eſt *publica ignominia inuſtus* quando ſeries illuc invitat.

CLXXXII. Non abs re fuerit graviores quosdam uſus τῷ *Notare* hic ex *Cicerone* inſeruiſſe. In 5. *Verrin.* c. 68. *Sic in hac urbe notati ambulant, ut non vera, ſed cœno obliti eſſe videantur.* Pro *Fl.* c. 15. *Damnatus turpiſſimis judiciis domi, notatus literis publicis de probris, adulteriis, ſtupris* &c. &c. Pro *Dom.* c. 9. *Omnium ſcelerum libidinumque maculis notatiſſimus.* Et *cap.* 27. *Hunc tu portenteſa peſtis, exſulem appellare auſus es, cum tantis ſceleribus eſſes notatus &c.?* Iterum *Cap.* 38. *In Vacci pratis domus fuit M. Vacci quæ publicata eſt, & everſa, ut illius facinus memoria & nomine loci notaretur.* Habet aliquid interioris literaturæ hoc pro *Font.* 1. *Modo ſubacti, modo bello domiti, modo triumphis ac monumentis notati, modo agris urbibusque multati ſunt.* Item & illud pro *Sext.* 61. *Qui tripertitas orbis terrarum oras, atque regiones, tribus triumphis adjunctas huic imperio notavit.* Præconem agit *Pompeji*, & *notavit* adhibet pro *nota ſervitutis publica inuſſit.* Eandem vim captavit in *de Prov. Conſ.* 2. *ut*

via

via illa noſtra militaris non ſolum excurſionibus Barbarorum ſit infeſta, ſed etiam caſtris Threiciis diſtincta ac notata. Non video id ab interpretibus enucleatum. Silet utique *Manut.* ſilent reliqui, quod quidem ſciam. Figura tamen digna erat, quæ verbulo ſaltem illuſtraretur. Eſt illud *Ciceroni* adamatum *Ambiguum*, latenti feriens aculeo. Simplex adſpectus dat provinciam Caſtris hoſtilibus occupatam atque obſeſſam. Interior ſenſus ſpectat *notas ſervitutis*, quibus *provincia* ſic a Barbaris occupata, quaſi *inuſta & compuncta* cenſeri debebat. Apud *Val. Max.* 9, 13: 13. ext. habemus, *Barbarum Threiciis notis compunctum.* Proinde κατάστικτον inducit provinciam, ſimulque *ſtigmate notat* ejus præſidem ignavum atque diſſolutum, ſub quo nomini Romano iſta *macula* erat *impoſita.*

CLXXXIII. Sic jam plenius adhuc illud יעלם עליך *Deuteronomii* intelligetur, *ſuper te notabit, ſignabit, notis altius imprimet, omnem flagellationem & plagam, ſcriptam, non ſcriptam, in Lege.* Quilibet ſtatim ſentit *ſervilia ſtigmata*, Reip. Judaicæ gentique *inurenda*, quale *ſtigma* etiamnum Arabes appellant עלמה علمة ut patet ex notionibus ſupra adductis e *Giggejo* ubi & *nota inuſta* comparebat. Sentit etiam quilibet alias adhuc *notas ignominiæ publicæ*, & *pœnarum atrociſſimarum*, quibus *ſub manu* Dei *compunctus ſignatusque* ille populus, ad omnem poſteritatis memoriam traducendus foret.

CLXXXIV. Ad hanc figuram revocandum quoque putem *Nah.* 3: 11. *Etiam Tu inebriaberis*, תהי נעלמה A *Rabbinis* manavit duplex fere ratio vertendi; *eris abſcondita* primo, id eſt *latebras quæres;* eo ſenſu quo mox ſubditur, *etiam Tu effugium tibi quæres ab hoſte:* ſecundo, *eris deleta, extincta, abolita, tam profunde merſa & abſcondita ac ſi nunquam extitiſſes.* Id poſtremum intendebat *Coccejus* convertens *eris ignorata.* Utrique ſenſui aptare poſſem *Signatæ* imaginem; *ſignat* enim *ſemet* quaſi, qui *altiſſimas in latebras ſeſe abſtrudit*, ut *Job.* 26: 16. *interdiu ſeſe obſignant.* Itemque *ſignari, obſignari* certo quodam uſu & adſpectu eſſe poſſet *ignorari*, & *oblivione condi ac ſepeliri.* Sed quid colores quæro pro verſionibus quas delendas autumo? *Signata* enim omnino in hac ſerie eſſe debet *notis ignominiæ publicæ inuſta*, atque ita *pro exemplo traducenda ad ſeram poſteritatem.* Conſeratur vſ. 10. & vix umbra dubitationis ſupereſſe poterit. In iſtum ſenſum Veteres quoque conſpirant verſiones, quamvis figuram non valuerint exprimere. LXX. ὑπερεωραμένη. *Vulg. deſpecta;* quod & *Arabs* ac *Syrus* tenuere. *Chald.* מסלעמא *peſſumdata, perdita.*

CLXXXV. Agmen jam tandem claudat *Pſ.* 26: 4. *Non ſedeo cum ſociennibus vanitatis; neque ad* נעלמים *intro familiariter.* Multi fluctus. LXX. μετὰ παρανομούντων. *cum ſuperbis* verſio *Vulg.* in *Targum. cum occultantibus ſe ad malefaciendum.* A עלם *puer* alii, *ludentes* vel *illuſores* extuderunt, invita ſane lingua. Hæc & alia vide apud *Mercerum* in *Diction.* Sunt etiam qui *abſconditos in inſidiis* exhibent. *Calvinus* dedit *tectos & implicitos*, quod & *Belgæ;* nec aliud *Coccejus* qui *ignoratos* i. e. *diſſimulatores.* Hoc poſterius ſic ſatis placeret, *ſignatos* pro *tectis* ſubſtituenti, quos *Galli* vocitant *Cachez;* niſi *ſignati*

Digitized by Google

gnati notatique in hac ſerie, ubi præceſſerunt כתי שוא *ſodales vanitatis*, commodius eſſent *notis publicis affecti*, *notatiſſimi* homines, ut *Cicero* loquitur, *maculoſi*, *infames*.

CLXXXVI. Ecce adhuc aliud, incertius tamen an a עלם. Utique & Codices & verſiones recentiores in *Pſ.* 48: 15. exhibent fere, *deducet nos* על מות *ſupra mortem*. Ex veteribus etiam *Syrus* לעל מן מותא. Sed LXX. una voce legerunt עלמות εἰς τοὺς αἰῶνας. *Vulgat.* item *in ſecula*. *Arabs* & *Æthiops* pariliter. Hæc non multum me moverent, nam palam vitioſa ſunt, ſed movet *Chaldæus* עלמות efferens ביומי טליותנא *in diebus adoleſcentiæ noſtræ*; qui *conjunctim* & *ſingulariter* legiſſe debuit עלמות. Iſta veſtigia prementes alii maluerunt *ducet nos infantiliter*; *ut infantes tenelli ſolent deduci*. Id melius, quam quod aliis adhuc adlubeſcebat, *ducet nos abſcondite*, *modo quodam imperveſtigabili*. Si *Pſaltes* עלמות junctim dedit, figura exibit *deducet nos ſignate*, *ſignatura paſtoritia notatos & diſtinctos*. Inter peculiares notiones vocis علم eſt *nota fronti*, vel *femori*, vel alteri *membro* addita, qua pecudes dignoſcuntur. *Oves* Chriſti habent σφραγῖδα crucis, *Fronti*, immo *Cordi* impreſſam. σφραγίζεσθαι eſt *Cruce notari*; *ſignari*, *inſigniri* apud Patres. Et *Spiritu* Chriſti σφραγίζεσθαι eſt notum e Sacris. *Abraham* & *Abramidæ*, externe, interne, σημεῖον & σφραγῖδα gerere debuerunt *carnis*, *cordis*, *circumciſionem*. Quibus, aliiſque adhuc, σφραγῖσι myſticis, aliquid forte gratiæ conciliabitur lectioni vetuſtae עלמות; a qua tamen diſcedere cuilibet liberum eſto.

CLXXXVII. Illuſtrandum nunc porro ſuſcipio thema קלם par. CXXXII. propoſitum, ut ex eo quoque eluceat, aliud eſſe, exteriorem uſum & adſpectum alicujus verbi locorum collatione collegiſſe, aliud, interiorem vim ac indolem enucleaſſe. Exhibent Dictionaria paſſim, *irridere*, *ludificari*, *ſubſannare*; alii maluerunt *ſpernere*, *deſpicatui habere*, *vilipendere extenuando*. LXX. præivere, quibus valet ἐμπαίζειν. χλευάζειν. ἐντρυφᾶν. Alia interpretamenta nunc mitto, & verbo tantum dicam exempla Bibliorum tendere ad *ludificationem contumelioſam*; quod ut ſole clarius cernitur, ita obſcurum eſt, & manet hactenus, unde iſtam ideam derivarint Hebræi, id eſt, ex qua *propria* & *primaria* notione hunc uſum *ſecundarium* conformarint: fueritne illa in *vilipendendo*, *extenuandove*, an in *deſpiciendo*, an in *ſannis* & *geſtibus contumelioſis*, an in alio aliquo ſignificatu, qui commodam *ludificationi* anſam præbere aptus natus erat.

CLXXXVIII. Hanc principem notionem, ſi *Forſtero* credimus, miniſtrat cognatum literis קלט *contrahi*, *tenuari*, ut קלם inde *proprie* valuerit *extenuare*, *vilipendere*. Eandem vim ex alia affinitate cum קלל *levis fuit* nobis exſculpſit *Avenarius*. Quæ ut leviſſima ſunt; ita nullius gravis interpretis aſſenſum meruerunt. Longe diverſam viam ingreſſus fuit *Coccejus*. Obſervarat ille a Rabbinis quibuſdam duplicem ſignificationem tribui huic radici, ut in

aliis

aliis locis ſit פירושו בזיון *interpretatio contemnendi*, in aliis פירושו שבח *interpretatio laudandi*, *celebrandi*, in quem ſenſum traxerunt *Eſech.* 16: 31. & *Hab.* 1: 10. Hoc fundamento jam tradit princeps ille Lexicographus קלס in *Pibel* eſſe *ironice celebrare* & *magnifacere*, hoc eſt, *irridere*; adeoque *Coccejo* arbitro proprietas thematis antiquitus poſita fuit in *celebratione* & *magnificatione*, indeque *ludificatio* per ironiam ſeſe propagavit.

CLXXXIX. In his nihil eſt, quod magnopere placere queat: & turbarant Rabbini, quum ex *Chaldaiſmo* advocarunt ſignificationem *celebrandi* ad *Eſech.* 16: 31. & *Hab.* 1: 10. commodius explicandum. Manet ergo in obſcuro, unde *contumelioſiſſima ludificatio* ſub קלס emerſerit, neque id video ſolidius promtiusque expediri poſſe, quam ex Arabum قلس *vomuit*, *convomuit*, ejusdem fere notionis cum קוא قاء, niſi quod poſterius hoc & *natura*, & *uſu* ſit gravius. Gloſſaria Arabum audienda. *Camus* ſtrictim, القلس ما خرج من الحلق ملو الفم او دونه فان عاد فهي قي والرقص في الغناء والغنا الجيد والشرب الكثير من النبيذ وغشيان النفس وقذف الكاس والبحر امتلا وبحر قلاس زخار אלקלס *eſt quod ejicitur e gutture pleno ore, aut etiam minus pleno, neque eſt* קיא *vomitus proprie dictus; quod ſi repetatur, tunc eſt* קיא *verus vomitus.* קלס *etiam eſt ſaltatio cum cantu: & cantillatio ſuavis: & potatio multa vini: & deliquium animæ; poculi item* קלס, *eſt exuberantia vomens quaſi, ut & maris, quum plenum eſt: diciturque mare vomens, quod pleno æſtu intumeſcit & excreſcit.*

CXC. Expromam etiam quæ *Zjauharius* dederat, ut ita de *Gloſſatoribus* illis Arabum, ex utriusque collatione, judicium ferri queat. Sic ergo ille القلس القذف وقد قلس يقلس وهو قالس وقال الخليل القلس ما خرج من الحلق ملاء الفم او دونه وليس بقي فان عاد فهو القي وقلست الكاس اذا القي بالشراب لشدة الامتلاء قال ابو الجراح في ابي الحسن.

ابا حسن ما زرتكم منذ
سنبة من الدهر الا والزجاجة تقلس ۞
كريم الي جنب الخوان وزوره
يحيا باهلا مرحبا ثم يجلس ۞

وبحر قلاس اي يقذف بالزبد Id eſt. אלקלס *eſt vomitus*, *& verbum* קלס, *cum fut.* יקלס & part. קולס. *Auctor eſt Elchaliil* אלקלס *proprie eſſe quod ejicitur e gutture, pleno ore, vel etiam minus pleno, neque eſſe* קיא *vomitum*, *ſed*

ſed ſi redierit; tunc eſſe קיא *vomitum. Hinc* קלטת אלכוס *vomuit calix, quum vinum nimis plenus facit exuberare. Ita Abu'l'jarrab de Abi'l' Haſen*

Abul Haſen nunquam viſitavi vos, inde
A longo temporis ſpatio, quin poculum vomeret.
Generoſus ad latus menſæ: qui viſitantes ſe
Salutans officioſiſſimis formulis ſtatim diſcumbit.

Dicitur etiam mare vomens, id eſt, ſpumam ejectans.

CXCI. Conferenti floridior apparet *Zjaubarius*, copioſior & denſior *Phiruzabadius;* uterque ſumma tantum Linguæ faſtigia ſtringens; quorum collectio illa magnis acceſſionibus poſſet locupletari ſi veterum Poëtarum, aliorumque in Eloquentiæ palæſtra nobilium ingeniorum monumenta excuterentur. Id iterumque mihi inculcandum, quod vaſta ſatis volumina *Golii* & *Giggeji* promittere videantur omnibus ferme numeris abſolutam ſignificationum recenſionem, quum tamen innumeræ ex iſtis *Gloſſariis* metaphoræ abſint, eaque in univerſum ſit conditio Lexicorum, quæ ad divitem aliquam, & a præclaris ſcriptoribus excultam Linguam, concinnantur, ut in iis non niſi præcipua enotari poſſint, re alias ſua ſemet mole prægravatura, & vix decem, viginti, triginta forte maximæ formæ voluminibus comprehendenda; præſertim ſi univerſus contextus, id quod ad judicium de diverſis uſibus ferendum omnino requiritur, in tali aliquo *Theſauro* vel *Oceano* conſignaretur.

CXCII. Sane plures figuras ſub قلس *vomere* contineri, quam Duumviri illi prodiderunt, declarabit phraſis قلس البحر *vomitio maris*, jam non pro *æſtuante & ſpumante impetu;* ſed pro *exhalatione* in *Diwan Hudeilitarum* ubi Poëta

سوام كقلس البحر جون وابقع

Grex pecudum ſicut vomitio maris
Niger partim partim nigro & albo diſtinctus.

Ubi *Schol.* قلس البحر السحاب *vomitio maris eſt nubes.* Nempe *vomere* etiam nonnunquam Latinis eſt *exſudare.* Sic *Colum.* 2: 8. *ſolet terra ſalſam & amaram uliginem vomere.* Porro *exſudare* eſt *exhalare*, unde Sil. 12: 123. *vomens letale virus Avernus:* indeque *evomitio*, *exſudatio maris* pro *nube.* Aliud in eodem Syſtemate *Hudeilitico*

رجل بصفحته دبوب تقلس

Vir cujus in latere ſanguine fluens vulnus vomebat.

Itemque

تنوح وتسبى قلاسة وقد غابت الكف والمعصم ❁

Plo-

Plorat, & explorat illa vomens vulnus, abdita in illud manu ſimul & carpo.

Ubi *Schol.* قلاسة طعنة تقلس بالدم واصل القلس القي اليسير *Kallaſa eſt confeſſio quæ vomit ſanguinem in Radice autem* קלם *ineſt* קיא *vomitio, ſed exigua.* Mitto alia ejusdem naturæ. Similiter *Apulejus* dixit *vomere rivos ſanguinis:* & *vomere cruores, Sil. Ital.*; adde *Sen. Oedip.* 979.

—— —— Et lacerum caput
Largum revulſis ſanguinem venis vomit.

Metaphora eſt a *fonte* qui dicitur *vomere aquam*: ut *undas argenteas evomere* apud *Apulejum*, & *Tot fontes, tot capita fluminum, ſubitos omnes vomentia* apud *Sen. H. N.* 2. 6: 7. Hinc & *vomitoria* dicta fuere in Amphitheatris *oſtia unde homines undatim exeunt*: ad quod alluſum a Poëta *Georg.* 2.

—— —— Ingentem foribus domus alta ſuperbis
Mane ſalutantum totis vomit ædibus undam.

Honeſte etiam & ſpecioſe *Claudian.* in *Conſ. Olybr.* vſ. 48.

Præceps illa manus fluvios ſuperabat Iberos
Aurea dona vomens —— —— ——

Nec non in *Laud. Seren.* 77.

—— —— Oblatum ſacris natalibus aurum
Vulgo vena vomit —— —— ——

Apud *Ovid. m.* 2: 120. *Ignem Vomere* dicuntur equi ſolis; & apud *Sil.* 1: 462. *fax vomit radios*, itemque apud *Arnob.* L. 6. *ſidereos fulgores evomere:* & apud *Sil.* 12: 720. iterum *vomere flammas & nimbos* dicitur *Ægis Jovis*; apud *Val. Fl.* 1: 688. Navis *ſpumas vomit ære tridenti.* Dixit etiam *Lucr.* L. 6. *vitam vomere;* qui eſt ipſiſſimus uſus noſtri قلس קלם pro غشيان *deliquio animi.* Denique apud *Cic.* in *Piſ.* 37. eſt, *Acceptam & devoratam pecuniam evomere:* quod *Plautinum* eſt ex *Curcul. Sta ſis illico atque argentum propere propera vomere:* cui præiverat *Ariſtophan.* in *Equit.* 1145. κλέπτοντας πάλιν ἀναγκάζω ἐξεμεῖν ἅτ᾽ ἂν κεκλόφωσι μου: ne ſacro quidem ſtilo id refugiente, *Job.* 20: 15. חיל בלע ויקאנו מבטנו יורישנו אל

CXCIII. Adſtruxi, quod dixeram, de penuria Lexicorum, ſi divitias interiores Linguarum congerere quis vellet, ſimulque inſtruxi explicationem loci male habiti hactenus *Eſech.* 16: 31. unde nunc redordior enucleare paucula ſane loca Biblica, in quibus thema קלם remanſit. Perſtringitur ibi *Mere-*

Digitized by Google

Meretricia Eccleſia, quod quum reliquæ *meretrices mercedem capiant*, *ipſa* contra *amatores larga mercede invitet*, in eumque ſenſum ponitur לא היית כזונה לקלס אתנן *Non extitiſti ut meretrix faciendo vomere mercedem.* Nil pote gravius aptiusque. Meretrices, inſatiabiles emunctrices, cogunt amatores identidem *vomere argentum*, quæ videtur fuiſſe formula ſolennis hoc in negotio, in qua partim ſpectatur vis radicis in *fluctu* & *unda*, ſive *copia largius effuſa*, dum *præceps* in largitiones *manus*, *aurea dona vomit*, quomodo *Claudianum* vidimus loquentem; partim illud *extortum* & *expreſſum*, quod idea *vomendi* etiam ſubminiſtrat; dum non ſine aliqua *concuſſione ſtomachi* usque & usque *datare* coguntur voluptatis mancipia. Latitante *Vomendi* Origine, nil mirum ſi tam reconditam figuram aſſequi non valuerint docti interpretes; variasque in formas ſe converterint, ad aliquid commodi ſenſus exſculpendum. Quidam enim, *ad laudandum munus:* quatenus *laudando* munera, munera nova *provocantur*. Per ironiam *Coccej. ad magnificandum*, id eſt *pro vili irridendum*. Plerique *ad ſpernendum munus*, id eſt, *illud callide elevandum*; quæ; & alia adhuc, æqui bonique conſulere par eſt, dum nihil melius occurrebat, in quo pes figeretur.

CXCIV. Ab origine *vomendi* porro ſponte etiam dimanat *contumelioſiſſima illuſio*, quam reliqua exempla Biblica ſuggerunt; quaſi dicas *conſpuere*, atque *convomere* & *vomitu fædare* aliquem. In *Hitpahel* iſta ſeſe vis exerit *Hab.* 1: 10. והוא במלכים יתקלס *in reges ipſe devomit.* Iſto colore dicitur, *Habere aliquem pro λεκάνη.* Itemque *conſtituere aliquem ἀμίδα*, *σκωραμίδα* כלי אין חפץ בו Adde *Eſech.* 22: 5. 2 *Reg.* 2: 23. Et cum derivato קלסה ex *pihel*, *Eſech.* 22: 4. Segolatoque קלס *Pſ.* 44: 14. *Jer.* 20: 8. *Evomere convitia* ſi quis malit, per me licebit, quum res eodem revolvatur: id modo rite teneatur, eſſe in קלס, ſub hoc adſpectu, *proluviem*, quæ ποταμὸς ὡς ἐπικλύζει illis, qui *omni contumelia obruuntur.* quod cognato קיא, indeque conflato קיקלון *convomitio ignominioſiſſima*, expreſſit *Habak.* 2: 16. קיקלון על כבודך.

CXCV. Quid autem diſcriminis ſit in קוא & קלס, præter id quod jam produxi ex libris Arabum, thematis natalia declarabunt. Utrumque eſt ὀνοματοπεποιημένον, & accuratiſſime repræſentat rem, cui ſignificandæ deſtinatur. Nam קוא Arabice قاء, imitatur *ſonum vomitus difficilis ac vehementioris*, qui *cum concuſſione* totius *corporis* identidem *iteratur*; קלס exprimit *ſuo ſono κλύσιν*, *κλύσμα*, *undantis ſtomachi ſimul*, *ſimul oris proluviem*, *facilius fluentem.* Non dubito quin Græcum κλύζω, quod *undantis* eſt *aquæ*, ejusque *ſonum* proprie deſignat, ſimiliter per ὀνοματοποιΐαν ſit effictum: neque neceſſe eſt κλύζειν illud ex Hebræo fonte derivare, nam in iis quæ ſic naſcuntur, amica eſt conſenſio ſæpe, ac conſpiratio, linguarum nihil alias commune inter ſe habentium.

CXCVI. Quinta claſſe defectuum decurſa, Sextam ingredior, longius adhuc diffuſam, ſeque extendentem ad radices etiam Vulgatiſſimas, & ſexcentis in locis contritas, quarum tamen Origo, & antiqua illa ac genuina indoles

Digitized by Google

doles, ex reliquiis Biblicis nec elici hactenus potuit, quicquid ſategerit præſtantium ingeniorum induſtria, nec ſane unquam elicietur, atque in liquida luce collocabitur, niſi ad dialectos divites accenſa facula præluceat.

CXCVII. Specimina nobis, in hoc curſu perſtringendo, præbeant tres radices, late per ſermonem Biblicum regnantes, in quibus ineſſe videtur notio tam evidens, tam juſtisque finibus circumſcripta, ut nihil amplius queat deſiderari. גדל *Magnus fuit.* חכם *ſapiens fuit.* צדק *Juſtus fuit.* Tria themata circa quæ jam nulla diverſitas ſententiarum, nulla etiam ambiguitas idearum, ut proinde majus lumen requirere vix in mentem cuiquam venire poſſit.

CXCVIII. Qui tamen paulo altius in Naturas, & primævas Origines vocabulorum inquirere didicerunt, & hic notabilem ſtatim defectum deprehendent. Etenim diſputatur unde *Sapiens* Latinorum, unde *Juſtus*, unde *Magnus* ortum duxerint, aliis alios fontes oſtendentibus, quos Etymologicon *Voſſii* indicabit. Sed detur nihil eſſe controverſi aut obſcuri, & *Sapiens* a *ſapore*, *Juſtus*, & *jus*, a *jubendo*, *Magnus* a *μέγας*, profluxerint; an inde continuo inferetur, radices גדל / צדק / חכם / eandem plane proprietatem, eundemque nativum colorem ac ſaporem poſſediſſe. Invitis profecto Muſis omnibus id adfirmaretur, quæ dictant, cuilibet Linguæ ſuum ſubeſſe characterem, ſuas Origines; & præſertim Orientalium ideas, ab ideis Occidentalium ſæpe mirum quantum diſcrepare.

CXCIX. Ad hoc in ipſis illis verbis, quæ præ manibus ſunt, pervincendum, ordior a גדל, Arabice جدل, quod declaratur per قوي *incrementum roburque cepit* adoleſcens, granum in ſpica: ut eſt apud *Golium*. Sic habes *grandeſcere*, *magnum fieri*, *adoleſcere*, *ſuccreſcere*, *roborari*, *invaleſcere*, aliasque ideas *magnitudinis*, quas Dictionaria noſtra τῷ גדל recte & rite attribuunt. Iſtud autem *incrementum roburque cepit*, ſatis apparet eſſe *ſecundarium* ac derivatum. Ex quo fonte? Ex *firmiter torquendo & plectendo funiculo* quod tanquam *princeps* atque *primigenium* radicis enotatur a Criticis Arabum. *Zjauhari* جدلت الحبل فتلته فتلا محكما ومنه جارية مجدولة الخلق حسنة الجدل والاجدول القضيف لا من هزال وغلام جادل مشتد وجدل الحب اي قوي *Dicitur* גדלת חבל *torſi funem*, *quum* פתלחה פתל מחכם *denſiore & firmiore compage intorques. Inde* מגדולה *puella quæ elegantiore eſt ſtatura, &* מגדול *tenui gracilitate præditus vir, non ex macie. Item* עלם גודל *juvenis robuſtior factus, & granum* גדל, *quum ſit grandius & firmius.* Similiter fere *Phiruzabadi.* جدله احكم فتله ورجل مجدول لطيف القصب محكم الفتل وساعد اجدل وساق مجدولة وجدلاء حسنة الطي ومن الدروع المحكمة وجدل ولد الظبية وغيرها قوي *Dicitur* גדל *hoc vel illud, qui firmiter intorquet: & vir* מגדול *vocatur, cui ilia ſubtiliore filo deducta, ſimulque validius compacta membra ſunt. Brachium* אגדל

eſt

eſt robuſtius, compactius. Crus מגדולה *item compactius firmiusque.* גדלא *mulier pulcro plexu textuve corporis prædita; & e loricis, firmius contexta. Et* גדל ולד הצביה *intortus intextusque fuit fœtus capreæ, aliorumve fœtus, pro adoleverunt & robuſti evaſerunt.*

CC. Hanc antiquiſſimam poteſtatem radicis גדל exerit derivatum גדילים *Deut.* 22: 12. & 1 *Reg.* 7: 17. *fila intorta.* In *magnitudinis* notione inſiſtunt *Forſterus*, *Avenarius*, alii; at res ipſa jam loquitur, non a ſecundaria, ſed a primaria *torquendi* poteſtate iſtos *funiculos* deſcendiſſe. Sic planiſſime Arabibus גדיל جديل *e loris plexum quid pilisve*, idem quod פתיל فتيل, niſi quod גדיל *firmius denſiusque* ferme ſit.

CCI. Hinc proclivis fuit metaphora ad *corpus*, quod *nervis*, *venis*, *tendinibus*, *toris intexitur* quaſi, & *firmum* ſibi *ac compactum robur acquirit: Lucretius* L. 1. *contextum corporis*, & *texturam*, ſub hac figura adhibuit: & *Cicer.* 2. *de Nat. Deor.* Pulcre, *venæ & arteriæ crebræ multæque, toto corpore intextæ, vim quandam incredibilem artificioſi operis teſtantur.* Ibidem mox ſubjungit *nervorum implicationem toto corpore pertinentem.* Id in *Alcorano* ſæpiuſcule eſt شددنا اسرهم *firmiter ligavimus ligamen eorum*, id eſt, *corpus ipſis pulcre contextum dedimus.* Quæ idea tam familiaris eſt Arabibus, ut omnia verba *ligandi*, *vinciendi*, *plectendi*, *intorquendi*, ad *Corpus* ejusque *contexturam* applicentur. Ipſum illud قوي, quo جدل declaratur. *Valuit viribus*, *robore*, *potentia* &c. &c. a قوة קוה *funiculus*, ejusque *partibus* inter ſe *compactis* ac *contortis*, originem ſumſit. Ut proinde ne umbra quidem dubitationis circa hanc indolem thematis גדל relinquatur illis, qui quid Linguæ ſint, & quibus fere ſtirpibus naſcantur, dijudicare queunt.

CCII. Ex hac jam origine thematis גדל vel gratia, vel lux etiam nova, ſeſe inſinuabit in loca bene multa. Liquet nunc, verbi cauſa, quantus ſit nervus in formula גדל זרוע *Exod.* 15: 16. Proprie *lacerti compacti & toroſi firmitudo intorta & robuſtior*; quem uſum ſignatiorem quoque frequentari ab Arabibus, indicat illa Gloſſa ex *Camuſo* adducta ساعد اجدل *Lacertus*, *brachium firmius intortum*, *& compactum*, qualis eſt *Athletæ* videlicet, & *fortiſſimi Bellatoris.* Eadem eſt vis & emphaſis in יד גדולה, quæ alias יד חזקה cujus thema חזק حزق itidem ſitum fuit in *compactione firmius revincta.* Ad *firmitatem compactam* etiam reſpicitur *Eſaj.* 1: 2. בנים גדלתי ורוממתי Vulgo, *Filios educavi & extuli.* Subeſt nervoſius quid, & venuſtius. In *Corpore humano*, cum quo comparatur populus Judaicus, duo requiruntur, quæ illud perficiant, ſuisque numeris abſolvant. Prima dos eſt, nervis, torisque validis eſſe inſtructum, unde vires ſubminiſtrantur. Altera, ut bene compactum & firmum corpus, non humile maneat, ſed in altum conſurgat & excreſcat. Utrumque eleganter complexus eſt Propheta in בנים גדלתי ורוממתי. Hæc propria eſt facies orationis. Improprie, in iſto *Corpore Reip. Judaicæ*, illud

בנים

Digitized by Google

בנים גדלתי *Filios nervis compegi & corroboravi*, eſt *opibus & divitiis*, qui ſunt *nervi* rerum, *feci invaleſcere*: רוממתי *in proceram extuli ſtaturam*, eſt *ad Majeſtatis culmen evexi.*

CCIII. Suſpicor ſubtilius hoc diſcrimen, quod natura Linguæ adfert, etiam de induſtria captatum eſſe *Eſaj.* 23: 4, לא גדלתי בחורים רוממתי בתולות *non firmos eduxi juvenes, non proceras educavi virgines.* Nempe laus *juvenum* in *compacto robore membrorum*; quum Virginum potius decus conſiſtat in *erecta & proceriore ſtatura.* Cadit tamen & גדל in *Virginem*, unde جارية مجدولة *Puella pulcriori filo & textura corporis*; ut proinde ſubtilitati huic nimium inſiſtere nolim. Ecce tamen iterum גדל ורומם diſtinčte poſita *Eſech.* 31: 4. מים גדלוהו תהום רוממתהו *Aquæ cedrum iſtam adoleſcere fecerunt: abyſſus eam in altum eduxit.* Prius exprimit *trunci creſcentis compactam firmitudinem*, poſterius *proceritatem* longe lateque *conſpicuam.*

CCIV. Quomodo hinc porro גדול uſum ſuum largiter diffuderit per omnem *magnitudinem*, *adultis* ut ſic dicam *viribus firmam* ac *validam*, enucleatius exequi neceſſe non eſt, quum id cuilibet nunc promtum & paratum eſſe queat. Accedo potius ad locum perinſignem *Jobi Cap.* 7: 17. cujus tenebras ad hanc faculam, ſpero, diſſipabo; quippe cujus intelligentia unice pendet ab Origine thematis, & vetuſta Linguæ indole. Tenendum autem, iſtud *valide intorquere*, quod τῷ جدل ſubeſt, alias quoque metaphoras admittere, interque eas *Dageſſatam conj.* جدّل eſſe *humi ſtravit* adverſarium: *tertiam* جادل *diſceptavit, altercatus, digladiatus eſt* cum alio. *Sextam* تجادل item *inter ſe digladiari.* Iterumque *Septimam* انجدل *Stratus fuit humi.* Ipſa etiam *prima conj.* apud *Golium* exponitur *Cauſam prætexuit.* Planius & plenius *Giggejus*, جدل cum *Keſra* ad mediam, *Digladiatus valide eſt, diſceptavit in judicio.* الجدل *Vis in dimicatione. Vehemens dimicatio. Lis. Altercatio.* Exempla paſſim obvia in *Alcorano.* Ut *Sur.* 40: 4. ما يجادل في ايات الله الا الذين كفروا *Non digladiantur adverſus ſigna Dei, niſi illi qui infideles ſunt.* ibid. vſ. 5. جادلوا بالباطل ليدحضوا به الحق *Mendacio armati dimicarunt vehementius, ut ſternerent humi veritatem.* Vide etiam vſ. 37, 58. ejusdem *Suratæ.* & *Surat.* 31: 19. Significatio iſta orta videtur ab *intorquendo*, ad *Colluctationem* traducto, plane ut פתל *torſit, intorſit*, in *Niphal* dat *Colluctationem* נפתולי אלהים נפתלתי. Eſtque hic pulchre notandum τὸ גדל جدل per فتل פתל ſupra ab Arabibus declaratum fuiſſe, cum eo diſcrimine, quod גדל adhuc vehementius quid ſonet, quam פתל. Συμπλέκεσθαι ſæpe ſpecialem hanc vim induit. *Lucian. Dial. Mort. p. m.* 287. στρατιώταις τοῖς μαχιμωτάτοις συμπλεκόμενος. Et in *Zeux.* p. 582. συμπλέκεσθαι καὶ εἰς χεῖρας ἰέναι. Conſimiliter *implicari, in complexum venire*, ſunt aliquando *bellica* & *hoſtilia* vocabula. *Vell. Paterc.* 2: 51. dixit *obſidione complecti.* Sed id paulo diverſius. Ad rem facit

cit illud, *Cæſar Arioviſto in complexum venire cupiebat.* L. 1. de B. G. id eſt *geſtiebat manus cum eo conſerere.* In tranſitu etiam attendatur illud *conſerere*, quod proprie eſt *connectere*, unde *conſerta* etiam dici queunt *contexta*, & *denſius firmiusque compacta*, quæ *Lucretius* cum veteri participio appellat. L. 2.

Complexa conque globata.

Hinc jam paſſim *conſertæ manus. Conſertæ acies* apud *Silium* L. 6: 316. Pro eo etiam, *implicare acies.* Poëta Æn. 11: 641.

Tertia ſed poſtquam congreſſi in prælia, totasque
Implicuere inter ſe acies, legitque virum vir.

Paulo aliter iſtud *implicare* adhibet *Silius* L. 7: 612.

Impacto proſternit equo, trepideque levantem
Membra adflicta ſolo, preſſa violentius haſta,
Implicuit terræ, telumque in cæde reliquit.

Sic quoque Arabes جدل in 2. *Conj.*, ſecundum hanc Gloſſam *Camuſi* طعنه وجدله *illum transfodit & projecit in terram.* Ita *Giggejus.* Rectius dabis, *illum transfodit & implicuit terræ*, phraſi illa *Siliana.* Scholiaſtes *Haririi* ad *Conſ.* 10. ubi eſt جدله خاسيا *vertigine correptum implicuit humi*, aliam videtur indicare notationem, quæ tamen rite inſpecta, eodem revolvetur. גדלה جدله اي صرعه والقاه علي الجدالة *ſignificat ſtravit ipſum, & conjecit in* גדלה *arenam.* Innuit a voce جدالة *arena, terra ſubtili conſtans arena*, formatum eſſe hunc uſum. Sic non directe eſſet ab *implicando*, ſed per *arenam gladiatoriam* illuc perveniſſet. At unde גדלה جدالة *Arena.* Πάλη? quia ibi *brachia brachiis implicantur*, credo, *victusque*, item *terræ implicatur.* Ergo res eodem tandem redibit.

CCV. Hiſce præmunitis, non alienum, nec audax nimis videbitur, quod *Jobi* 7: 17. verba מה אנוש כי תגדלנו convertere ſuſtineam, *Quid eſt Mortalis*, O Deus fortis, *quod Tu Te implices cum eo? adverſus eum deſcendas in arenam, tanquam luctator, & gravis adverſarius, cum eo manus conſerens, digladiansque?* Hunc ſenſum Univerſa ſeries poſtulat. Nam acerbiſſime conqueritur *Jobus* per totum hocce caput, ſe nimis graviter vexari a Deo, & dies noctesque perterreri, impatientia eo usque etiam provectus, ut vſ. 15. in hanc vocem erumpat תבחר מחנק נפשי. Ἄγχεσθαι malim, quam ſub tantis plagis & cruciatibus miſerum trahere ſpiritum. Addit vſ. 16. מאסתי: *Diffluo, contabeſco, inſtar vermiculi terræ* ſponte *conſumor*, etiam ſine verbere conterente. לא לעלם אחיה *Non vivam in æternum. ſum* ἐφημέριος. *Temporarius.*

rius. Momentaneus. per figuram Μειώσεως. חדל מכני כי הבל ימי *Deſiſte ergo a me*, remove iſtos tuos terrores, qui me dies noctesque exagitant, & reſpirare non ſinunt, *nam dies mei ſunt vapor:* ſponte *evaneſcent tenuis* inſtar *halitus* aut *nebulæ*. Sequitur jam מה אנוש כי תגדלנו Vulgo, *Quid eſt homo, quod eum magni facias?* Id cum plane abhorreat a filo ſuſcepto, multis fluctibus involvit interpretes, ut videri poterit apud *Mercerum*, *Pinedam*, *Schmidium* aliosque. Qui aliquid ſcopo reſpondens protulere. *Jobum* velle ajunt, *indignum eſſe hominem quem Deus curet*, *multoque abjectiorem*, *quam ut vel manum ferientem & conterentem adverſus eum extendere tanta Majeſtas debeat.* ita *Mercerus*. Paulo aliter *Deodatus*, qui hanc mentem *Jobo* tribuit, *quum tam arcta cuſtodia a Deo includatur*, *tam rigideque tractetur*, *ſe a Deo conſiderari tanquam Magnum & formidabilem Adverſarium*, *quem tantis plagis contundere ſit neceſſe*: *quum revera ſit miſer tantum vermiculus.* Generaliore adſpectu ſumſit *Coccejus*, de *humani generis indignitate*, quod tamen Deus *educat* atque *evehat* ſupra alias creaturas, eo usque, ut *obſervet*, *annotet*, *ad animum revocet*, *quæcunque facit.* Non definit, in *bonumne*, an in *malum obſervatio* iſta, *annotatio*, & *revocatio ad animum* nunc tendat. Crediderim in *malum* voluiſſe, & *in tentationem*, quia vſ. 19. in ſpecie *Jobo* applicat, quod vſ. 17. in genere poſitum fuiſſe autumabat. *Semper mihi inſtas. Nullum momentum tibi ſumis a mei exagitatione vacuum. Ne tantillum quidem temporis eſt, quo non tenter a te.* Judæi multi, qui *Humani generis indignitatem* quoque hic inveniebant, nimis honoratam, ſi eam *vel plagis ſuis viſitet Deus*, *ſingulisque momentis tentet*, abnegatæ providentiæ dicam *Jobo* ſcripſerunt. Stolide. Fluctuationem hanc, aliamque aliorum, quorum conatus amputo; componere poterit metaphora illa radicis גדל جدل, quæ *Colluctationem athleticam* adfert; in vſ. 19. etiam ſatis clare expreſſam, dum ne *ſalivam* quidem *deglutiendi ſpatium ſibi concedi* queritur: quia videlicet *faucibus* eum *prehenſum* quaſi tenebat Deus, & *tanquam Luctator* validiſſimus *opprimebat.* Hoc adſpectu non de *indignitate* hominis, quæ parum ad ſcopum, ſed de ejusdem *imbecillitate*, quæ ſcopum unice ferit, ſententia erit declaranda, & תגדלנו poëtice pro תגדל עמו poſitum eſſe poterit. *Colluctaris eum*, pro *Colluctaris cum eo*, ut *Pſalm* 5: 5. *Non* יגרך *commorabitur te*, pro *tecum*. Et cum ipſo noſtro verbo *Job* 31: 18. גדלני כאב *Intortus fuit viribus*, id eſt *adolevit* & *crevit me*, pro גדל עמי *adolevit mecum.* Similiter hic, *Te intorques & implicas mecum*, tanquam *Luctator.* Si quis tamen malit vim accuſativam in *affixo* retinere, תגדלנו prægnanti uſu vertere licebit, *colluctando ſternis & implicas eum*, nempe *humi*; quam vim induere Arabum جدل in *conjug. Dageſſata* ſupra viſum fuit.

CCVI. Alterum noſtrum exemplum erat חכם *ſapiens fuit.* Non eſt abhorrens, Latinos *ſapientiæ* ſecundariam notionem duxiſſe ab eo quod *ſapit*, id eſt *gratum præbet ſaporem*; nam *ſapientia* habet *ſalem*, & *ſapidiſſima* eſt omnibus; ut *ſtultitia* tanquam *inſulſum* quid & *inſipidum* reſpuitur. Iſtam imaginem ſub radice טעם adamarunt quoque Hebræi; unde טעם *ſapor*, pro

Digitized by Google

ſalſum & *ſapidum iſtud* quod eſſe debet in homine, ad ipſum commendandum; ſive *principium ſanæ rationis*, *conſilii*, *prudentiæ*, *ſapientiæ*. Arabice اطعم *ſapida fuit* caro, *ſapidus evaſit matureſcens* fructus. طعم *ſapor*, peculiariter *ſuavior & expetitus in cibo*. Hinc in *Proverbiis* אשה סרת טעם, *Mulier cujus ſapor diſceſſit*, id eſt, *ſapientia carens*, *ſtolida*. Item *Pſalm.* 34: 1. בשנותו את טעמו *quum ſaporem ſuum mutaret coram Abimelecho*. Id eſt, *ſe inſipidum ſtolidumque fingeret*. An inde jam colligemus חכם eandem quoque *vim* & *originem* exeruiſſe? precaria foret illa collectio, nullius exempli Biblici, nullius auctoritate Dialecti firmata. Ne veriſimilis quidem; quod quum טעם ex *ſapore* pepererit *ſapientiam*, חכם ex alio fonte *ſapientiam* quoque, & quidem *perfectiſſimam* illam, *ſuisque numeris abſolutam* peperiſſe veri eſſet ſimilius, etiamſi omni reliqua luce, ac probatione, heic deſtitueremur.

CCVII. Genuinum Orientis ideam ſervarunt nobis Arabes; qui cum *ſapientia*, *prudentia*, *ſcientia*, *arte omni*, ſub ſuo חכם حكم frequentant *firmitatem* πυκινῶς ἀρηρυῖαν, *aptiſſime nexam*, *compactam*, *ſolidam*, *durabilem*. Hinc apud *Golium* in *conj.* 1. habes حكم *firmiter ſolideque ſecit aliquid*. In 4. احكم *firmavit munivitque* rem. In 10. استحكم *Firmus*, *bene firmatus fuit*. Apud *Giggejum* ex *Camuſo* plenius adhuc & diſtinctius אחכמה لاحكمه *Firmum reddidit illud. Valide adſtrinxit nexuitque*. Et الاستحكام *Firmitas. Cum aliquid valide nexum eſt, & adſtrictum. Cum quid durat & firmum eſt.* Operæ pretium fuerit vim & amplitudinem hujus uſus exemplis quibusdam declaraſſe. ſupra *Par.* CXCIX. reperies فتلا محكما *denſiorem firmioremque compagem* funis torti. *Intorſionem* πυκινῶς ἀραρυῖαν. Et جدل expoſitum per احكم فتله *firmiſſime & compactiſſime intorſit*. Hæc ſedes vel maxime propria cenſeri debet. *Scholiaſtes* ad ſeptem *Moallekât* السحيل الذي لا يحكم فتله والمبرم الذي احكم فتله *Appellatur Sabiil*, *plexum cujus intorſio non eſt denſius firmiusque compacta: quod vero firmiſſime compingitur & intorquetur Mubram vocitatur*. Idem محصد محكم *Mohſad vocatur quod eſt* מחכם חפתל *firmiter & denſius intortum*. Obiter obſerva apud *Golium* iſtud محصد *firmus plexu tortuve* funis, *mente* vir. Cui πρακίδες πυκινῶς ἀραρυῖαι ſcilicet. Habuimus etiam ſupra par. CXCIX. محكمة من الدروع *firmiſſime denſiſſimeque compactas loricarum*. Πυκινῶς ἀραρυίας. Inde poëta Vetus in *Hamaſa*.

شدوا دوابر بيضهم في كل محكمة القتير ☼

Adſtringunt extremitates galearum ad firmius compactas capitibus clavorum loricas.

Dicunt

Digitized by Google

Dicunt etiam ܪܒܛܗ ܪܒܛܐ ܡܚܣܢܐ *Religavit illud ligamine firmius adſtricto atque connexo.* Hinc in *Hiſt. Tamerl.* p. 56. ثم ربط في ذنبها قدرا من النحاس ملفوفة في قطعة لباس وشدها شدة احكم وثاقها *Tum religavit ad caudam illius equi, lebetem æneum, involutum ſegmento panniculi, eumque nodo firmiſſime connexo adſtrinxit.* Ibidem p 71. in metaphora *firmius compacti ædificii* adhibetur: راي ان لا ينبت له في بنيان ممالكه اساس يحكم *Vidit ſibi in Regnis ſuis exædificandis, nullum ſtabile, & ſolidius compactum, fore fundamentum.* Hebraice diceres אשיש יהכם. Similiter *Hariri Conſ.* 9. فاما احكم ما شاده *quumque firmius ſolidiusque compegiſſet, id quod exædificaverat.* Apud *Homerum* πυκινὸν δῶμα, & πόλις πύργοις ἀραρυῖα: & ἀρηρότα τείχεα. Confer præterea *Abilpharag.* pag. 367. & 506. Jam vero ut Græcus ſermo adfert fabricam τεῖχος πύκα ποιηθὲν, & armaturam πύκα θωρηκτάων *Iliad.* 15: 689. aliaque ejusdem indolis, ſic eleganter & graviter πύκα φρονεῖν extulit, ſecundum illud *Iliad.* 14: 217.

Πάρφασις, ἥ τ' ἔκλεψε νόον πύκα περ φρονεόντων.

Unde νοῦς πυκνὸς, ἀνὴρ πυκνὸς τὰς φρένας, multo magnoque uſu porro invaluere: & πυκινὴ βουλὴ, πυκινὴ ἐφετμή: itemque πραπίδες πυκινῶς ἀραρυῖαι. Apud *Pindarum Olymp.* 13. reperio Σίσυφον πυκινώτατον παλάμαις. *Ariſtop.* in *Avib.* 427.

Ἄφατον ὡς φρόνιμος.
Ἔνι σοφόν τι καὶ φρενί;
Πυκνότατον κίναδος.
Σόφισμα —— παιπάλημ' ὅλον

Et in *Equit.* 1129. εἴ σοι πυκνότης ἔνεστ' ἐν τῷ τρόπῳ *Si ſolidum quid, ſapiens, ineſt tuis moribus.* proprie *ſolida compactio*, prout πυκνότης alibi ab eodem etiam Comico adhibetur, in *compactione* denſa nubium.

CCVIII. Nemo nunc, credo, dubitabit, quin חכמה planiſſime ſit πυκνότης, & לב חכם φρὴν πυκνή. & חכמי לב πυκνοὶ τὰς φρένας, abſoluteque porro חכמים πυκνοί. Ut autem non ſine gravi incommodo ignoraretur proprietas illius Græci vocabuli in *denſa* & *firma compactione*; quia ſine iſta primigenia notione loca infinita, vel plane non intelligerentur, vel in pravum ſenſum deflecterentur; ſic nonnihil quoque, hic illic, obſtitit interpretibus, principis hujus poteſtatis ignoratio, ſub noſtro חכם: ac proinde jucunditatem inventæ originis, utilitas, & opportunitas ejusdem, cumulabit; nova luce perfuſis quibusdam contextibus, quorum interior intelligentia dependet ab interiore ſtirpis cognitione.

CCIX. Perinſignis, ſed abſtruſior eſt ſententia *Jobi* 4: 21. qua humani generis *vanitate* ipſa *levior vanitas* expingitur. הלא נסע יתרם בם ימותו ולא בחכמה. Vulgo. *An non proficiſcitur, migrat, excellentia ipſorum in ipſis: moriuntur, & non*

non in ſapientia? Hoc eſt, ſecundum *Cocc. citra aſſecutionem ſapientiæ.* Alii malunt, *moriuntur nulla ſapientia* fatum avertere valentes: quorſum & *Junius* dedit, *nec ulla arte vivunt.* Aliis alia adhuc adriſerunt. Nil mirum in poſtremo membro hæſiſſe, quibus primum haud ſatis expedite proceſſerat. לא נסע figura Dithyrambica eſt *Nihil Revulſum* vel *Convulſum*, ab antiquiſſima poteſtate rad. נסע *vellere*, *convellere*, ut palum, funem, tentorii: inde ſecundario, *migrare*, *proficiſci.* Sed hic primaria vis tenenda. *Nihil convulſum*, eſt τὸ μηδὲν in ſummo gradu, undique *labans*, *ruens*, *convulſis* velut *fundamentis ad interitum tendens.* Series tota ſic habet. *profecto Nihil, & quidem Convulſum*, eſt *Nervus eorum in ipſis: diſſolvuntur neque ſunt in ulla ſolida compactione.* Cernis filum decenter continuatum. Praeſertim attendi debet, voces יתר *Nervus*, *funis firmior*, & חכמה *ſolida compactio*, ſecundum linguæ genium priſcum ſe invicem pulcre adjuvare, ut ex uſibus ſupra præſtructis eluceſcit. Verbum מות *mori*, in Origine valuit *macerando diſſolvi.* Nervoſiſſimi dicti amplitudo, & late patens conſpectus, ſe jam ultro ingerit, neque ulla commentatoris ope indiget.

CCX. *Solidam* quoque *compactionem* & *firmitatem* exercere videtur verbum חכם, *Proverb.* 13: 20. הלך את חכמים יחכם ורעה כסילים ירוע Vulgo. *Qui cum ſapientibus verſatur ſapiens fiet: at ſocius ſtultorum conteretur.* Non eſt juſta oppoſitio. Non adeſt etiam acumen, quod in talibus dictis debet τὸ κέντρον ἐγκαταλείπειν, in poſteriori parte cum pulcra alliteratione hanc deprehendo emphaſin, *paſcens*, familiariter verſans, *cum elumbibus*, ſtolidis & lumbo infracto enervibus, *conteretur*, eliſo velut nervo ac lumbo *male diſperibit.* In priori non minus lumen & acumen quilibet animadvertet, expreſſa modo nativa poteſtate verborum, *Ambulans cum ſolide compactis*, *compingetur ſolidiſſime.* Prius חכמים *ſolide compacti*, ſunt *ſapientes* πύκα φρονέοντες. Poſterius יחכם *ſolidiſſime compingetur*, non utique ad *ſolam ſapientiam* nunc reſtringendum, ſed *ad omnem firmam*, *ſtabilem*, *ſolidamque fortunam*, ac *felicitatem*, extendendum: ut ירוע *conteretur*, *male peribit*, & יחכם *ſolide compingetur*, directe ſibi invicem reſpondeant. Habebimus hoc pacto unum ex דברי חכמים *dictis* τῶν πυκινῶν, quæ ſint *tanquam ſtimuli aut clavi*, בעלי אספות *Domini compactionum*, id eſt *Compactores*, *& coagmentatores*, quibus figuris ſententias ſuas circumſcripſit Rex ſapiens *Eccleſ.* 12. Exemplum talis uſus in phraſi اساش يحكم אשיש יחכם *fundamentum ſolide & firmiter compactum*, ſupra jàm ex *Hiſt. Tamerl.* præmunivi.

CCXI. Ad *compactionem ſolidiſſimam*, ſed variante metaphora, pertinet præterea *Pſalm.* 58: 6. חובר חברים מחכם *incantans incantationibus ſapientiſſime.* Sic vulgo. Thema חבר *compaginare*, *coagmentare* proprie ſonat: inde ſpeciatim transfertur ad *compaginationem*, & *coagmentationem carminis Magici.* Iſti ergo formulæ חובר חברים *coagmentans coagmentationes* magicas, ſubſertum illud מחכם, ſic *ſapientiam*, *ſolertiam*, & *peritiam* incantatoris exprimit, ut ſimul ob oculos ponat, *compactum* illud, & *firmiſſime* ſuis *nodis magicis illigatum & contortum*, quod in iſta arte continetur. *Intorquendi &*

ſoli-

Digitized by Google

ſolidiſſime compingendi vim, ſub hoc adſpectu, parag. CCVII. exhibuit.

CCXII. Tentemus porro, an commodius quid, ex fonte hoc, expromere queamus pro *Pſalm.* 105: 22. ubi de *Joſepho Ægyptiis impoſito*, & totius regni frena moderante, dicitur, datum eum, a *Pharaone*, לאסר שריו בנפשו וזקניו יחכם *Ad ligandum principes ejus pro arbitratu: utque Senatores ejus ſapientes redderet.* Sic verti ſolet יחכם. Tolerari poteſt, & explicari de eminentiſſima illa *Joſephi* ſapientia, qua conſummatiſſimis etiam in ſenatu Regio poterat prælucere. Id tamen incommodi ſubeſt, quod deflectatur a *metaphora*, cum verbo אסר *Ligare* ſuſcepta; nec audiendos putem, qui pro יחכם יסר *erudire* id poſitum autumant. Clar. *de Dieu* hoc ſcrupulo impulſus, יחכם cum *affixo* deduxit a חכה, *Et Seniores ejus fecit expectare.* Summi principis argumentum eſſe ait, ne ſeniores quidem ſtatim admittere ad colloquium, ſed jubere ut expectent. Frigidum. Ne nunc dicam, quod Vir Doctus ipſe ſenſit, חכה non eſſe tranſitivum. Periculo, quod facturus ſum, præſtruendus uſus ſingularis & elegans Arabum ſub ſuo حكم, *Frenavit* equum, *annulo mentum ſubſtringente*, *cobibuit*, *repreſſit* inſipientem. Ita *Golius ſign.* 4. Derivatum حكمة *Hbacama* item, *Lupatum frenum*, ſeu *annulus ferreus ori equino injectus* & *mentum ſubſtringens.* Uſurpatur in Arabica verſione *Eſech.* 19: 4. Apud *Giggejum* habes præterea احكم الفرس *equi habenæ validum nodum adhibuit.* Et حكّم الفرس idem. Et جعل اللجام الحكمة, quod eſt ad verbum, *fecit capiſtro nodum dictum* חכמה *Hbachama.* Id eſt *capiſtrum ita ori injecit*, *mentoque ſubſtrinxit*, ut modo viſum ex *Golio.* Ibidem adhuc حكمت الدابة *jumentum camo coërcui.* Liquet a *firma* & *ſolidiore adſtrictione* peculiarem notionem deſcendiſſe. Hanc Hebræis quoque cognitam fuiſſe, opulentia priſca Linguæ vigente, veriſimillimum eſt ex *Pſalmi* loco, quem tractamus: ubi mirifice quadrat illa imago. *Ad ligandum* freno moderaminis ſui *principes pro lubitu: Senioresque ſubſtricto* velut *mento capiſtrandos.* Digna Spiritu Poëtico figura: atque ad *potentiam Joſephi*, cum *ſapientia* ejusdem, *pingendam* perquam accommodata.

CCXIII. Habeo adhuc aliud, unde veſtigium *frenationis* & *capiſtrationis* elucet. *Prov.* 10: 23. כשחוק לכסיל עשות זמה וחכמה לאיש תבונה Sententia haud ſane expedita. Plerique *veluti luſus eſt jocusque ſtulto patrare ſcelus*, *ſed ſapientiam viro intelligenti*, ſupple, patrare luſus jocusque eſt. *Sapientiam exercere intelligenti tam promtum eſt & facile*, ut id pro *ludo* habeat *jocoque.* Acumen eſt nimis forte ſubtile. *Mercerus* hunc exſculpſit ſenſum. *Pro luſu eſſe ſtulto deſignare ſcelus: ſed ſapientiam* eſſe *viro intelligenti*, per quam a ſcelere deſignando retrahatur. Secuti ſunt *Gejerus*, *Coccejus*, alii. Id intendiſſe *Salomonem* & ego autumarim; hiulcum tamen aliquid relinquetur, ſi חכמה hic nude ſonet *ſapientiam:* aſſumerem proinde *frenationem* illam ſupra deſcriptam, ut ſit *Refrenatio autem adeſt viro intelligenti.* Solidius compacti &

& revincti per ſapientiam pectoris officium vel maxime eſt, *affectus* ſuos *injecto* velut *freno*, *coërcere & ſubſtringere*. Sic emergeret figura ex ambiguo; qua inculcatur, eum qui *Hhochma* חכמה poſſidet, id eſt *ſapientiam*, poſſidere ſimul *Hhachama*, quod & *Hhochama* poteſt pronunciari, id eſt *validum & firmiter ſubſtrictum frenum*, quo a זמה *ſcelere* patrando ſeſe retrahat. Ad gratiam dicti penitius percipiendam, obſervetur inſuper, זמה *ſcelus*, *aggreſſionem audacem facinoris*, profectum eſſe a זמם *alligavit*, jumentum, currumve, ad curſum ſuſcipiendum. Sic זמה & חכמה, formabunt luſum haud invenuſtum, quorum prius exprimit *aggredientis impetum*: poſterius *retractionem*, & *refrenationem* ſui.

CCXIV. Enucleandum reſtat ſub hac claſſe thema צדק, *juſtus*, *verus fuit*. Hujus principem ac nativam vim quilibet percipiet, & lubens, credo volensque etiam recipiet, ex idea *Rigoris inflexibilis* quam Arabes una cum *juſtitia* ac *veracitate* ſub hiſce radicalibus frequentant. Significatio iſta apud *Golium* ſeſe exerit tantum in derivato صُدّقْ *Dura*, aliis *æquabilis* haſta: niſi quod & صِدْقْ *vehementia*, *ſoliditas*, huc pertineat, quaſi dicas *rigorem*, & *rectum rigidumque tenorem*. Quid autem ſibi velit illud interpretamentum *Golianum* ex ipſius *Zjaubarii* verbis perſpicietur الصدق الصلب من الرماح وغيرها ويقال المستوي ويقال ايضا رجل صدق اللقاء وصدق النظر אלצדק *in haſtis*, *aliisque*, *ſunt rigidæ; Alii dicunt*, *rectæ & æquabiles: dicitur quoque vir* צדק *in occurrendo*, *& in contuendo*. Ultimas illas gloſſas, non declaratas a *Zjaubario*, quia omnibus uſu domeſtico & quotidiano tritæ erant ſcilicet, ſine interpretatione etiam poſuit *Golius*. Tu vertas, *Vir rigidus in occurrendo*, *& in contuendo*. Exemplum unum alterumve non poterit diſplicere. *Almoſawir Ibn Hind* in *Hamaſa*

ولنا قناة من ردينه صدقة
زوراء حاملها كذلك ازور ❀

Eſt nobis haſta Rudeinitica rigidiſſima;
Inflexa ad vulnus, *quique portat eam item inflexus* ad vulnerandum.

Ibi *Tebrizius* hoc nos lumine impertit. الصدق الصلب ومنه قيل للصدق صدق لان له قوة يقال نظر الي نظرة صدقة اي صلبة وصدقوهم القتال صلبوا فيه. واشتدوا وتمر صادق الحلاوة شديدها צדק *vocantur rigida quæque: indeque juſtitia & veracitas dicta eſt* צדק, *quia habet vires. Dicitur intuitus eſt me intuitum* צדקה, *id eſt rigidum. &* צדקו *ipſis cædem*, *pro rigidi fuere in ea & vehementes. Item dactylus* צודק *ſuavitate*, *pro vehementer ſuavis.*

CCXV. Hoc exemplum eo lubentius adduxi, quod inde ſimul liquere poſſit; cur Critici Arabum diſſentiant in thematis صدق proprietate figenda, dum alius *rigidum* ponit, alius *rectum & æquabile.* Nam iſtius verſiculi duplex a *Tebrizio* exhibetur interpretatio, quarum altera premit ideam *rigoris duriſſimi*, altera magis reſpicit vim *tenoris rectiſſimi.* Atqui ſi quid meum hic valere poſſit judicium, utraque poteſtas erat conjungenda, ut cum *rigore tenor*, vel cum *tenore recto rigor inflexibilis* exeat, & conſtituat קנה צדק *haſtam recto-rigidam*, quam vim attendi a Poëta indicat luſus in adjecto زوراء, *inflexam* tamen vocans eam *recto-rigidam* & *inflexibilem* alias; nempe *inflexam* & *inclinatam* ad ictum inferendum, etiam *haſtato* ſemet *inclinante* & *inflectente* ad certius vehementiusque feriendum.

CCXVI. Alterum exemplum, quod ancipiti cura diſtincre potuit Criticos Arabum, eſt in *Moallekât*, ubi *Antara Ibn Sjedad* ita præconem agit ſuæ fortitudinis.

ومدجج كره الكماة نزاله
لا ممعن هربا ولا مستسلم ۞
جادت يداي له بعاجل طعنه
بمثقف صدق الكعوب مقوم ۞
فشككت بالرمح الطويل ثيابه
ليس الكريم علي القنا بمحرم ۞

Sæpe Panoplia indutum, cujus abborruiſſent vel armati occurſum,
Nec fugere unquam, nec dedere ſeſe ſuetum
Liberaliter donarunt manus meæ perceleri confoſſione,
Per æquabilem, rigidam articulis, & rectam lanceam.
Et haſta illa longa transfixi armaturam ejus:
Non eſt nobilis pro haſtis etiam ſacroſanctus.

Quid hic inter *æquabilem* & *rectam* lanceam adfert صدق الكعوب *Rigida articulis?* Nil promtius quam *dura*, *robuſta* alii tamen maluere *æquabiliter tornatam.* ſed fruſtra in optione inſtituenda laboratur, ubi utrumque ex mente Poëtæ, & ingenio linguæ eſt retinendum, quod jam fidentius dicere poſſum auctoritate *Nabbaſi*, cujus Scholion eſt الصدق الصلب المستقيم צדק *bic ſignificat*, *durum ſimul & recto tenore præditum.*

CCXVII. Percommode autem hic cadit, Latinorum quoque *Rigor* & *Rigidus*, duplicem iſtum adſpectum recipere, & nunc *durum*, nunc *rectum*, nunc *utrumque* ſimul exprimere. *Rigorem auri*, *ferri*, *lapidum*, *frigoris*, nemo ignorat, in *ſumma duritie.* Quin *Rigidam* ſqualore perenni *comam* dat *Sil.* 3: 541. *Rigida ubi conſtat craſſa caligo inferum* ex Poëta veteri eſt *Tuſc.* 1. Inde

 Ri-

Rigidæ nationes apud *Sidon.* 4: 1. ſunt *horridæ*, *aſperæ*, *incultæ* Et 5: 5. *ſenſu ac corpore rigidi indolatileſque.* Ecce interim *Rigidum* etiam pro *Recto*, uſurpatum a *Lactant.* de *opif.* 8. *Hominem ad coeli contemplationem Rigidum erexit*, *bipedemque conſtituit.* Et alibi. *Nobis datum eſt rigidis ac ſtantibus cœlum tueri.* Vim *recti* quoque exerit Agrimenſorum formula, qui *Rigores* diſtinguunt a *Flexibus*; & priori illa *Rigoris* appellatione adficiunt, *quicquid inter duo ſigna vel in medio lineæ rectum perſpicitur.* Vid. *Salm. Exerc. Plin.* 480. &c. &c. Utramque autem poteſtatem *recti* ſimul, ſimul *duri* præfert. *Rigida cervix*, proprie apud *Suet.* in *Tib.* &c. improprie apud *Senec.* in *Epiſt.* LXX. *Qui omnium rerum adverſarum onera, rigida cervice ſuſtollit, qui ſupra fortunam exſtat.* Vides *Erectum*, cum *inflexibili* conjunctum. Addendus ex eadem Epiſtola locus perinſignis. *Unum bonum quod Honeſtum. Hoc nec remitti poteſt, nec intendi: non magis quam regula, qua probari rectum ſolet; quam ſi flectes, quicquid ex illa mutaveris injuria recti eſt. Idem de virtute dicimus. Et hæc recta eſt: flexuram non recipit. Rigidari quidem, amplius intendi non poteſt.* Inſolens verbum, nec tamen inelegans, *Rigidari*, illuſtravit *J. F. Gron.* oſtendens fuiſſe *Artificibus* proprium, *Fabris* puta, aut *Agrimenſoribus*, quorum *Regula rigidari* dicebatur, quum ad *perfectum rigorem* ſive *recturam* perducebatur, omni *flexura* & *inæqualitate correcta.* Bonæ frugis obſervationem ſic concludit Vir Magnus. *Rigidum hic non durum, ſed rectum, ut mox infra. Onera rigida cervice ſuſtollit.* Mallem ſcripſiſſet, non tam *durum*, quam *rectum*; ita tamen ut cum *recto tenore* conjuncta eat *duritíes inflexibilis.* Nam duæ hæ dotes haud dubie, ut in *Regula*, ſic in *virtute*, & *generoſo* illo *Honeſto* requiruntur.

CCXVIII. Hac amplitudine *Rigoris* feliciter uſus eſt *Claud. Olybr.* 38.

> —— —— —— —— *Virtutibus ille*
> *Fortunam domuit; nunquamque levantibus alte*
> *Intumuit rebus: ſed mens circumflua luxu*
> *Noverat intactum vitio ſervare Rigorem.*

Dexterrime item *Rigeſcendi* vocabulum ſic poſuit 2. in *Eutrop.* III.

> *Nec dum Mollitiæ, nec dum, germana, mederi*
> *Poſſumus Eoæ? nunquam corrupta Rigeſcent*
> *Secula?* —— —— —— —— ——

Id eſt *corrigerentur ad rigidum* illud *honeſtum*, quod *viros fortes* decet. Similiter. *Horat.* 1. *Serm.* 1.

> *Æquus virtutis cultor, Rigiduſque ſatelles.*

Et *Lucan.* 2: 389.

> *Juſtitiæ cultor, Rigidique ſervator honeſti.*

Apud

Apud *Livium* quoque L. 39: 40. habemus *Rigidam innocentiam;* quæ *recto & inflexibili tenore* ſemper ſui ſimilis exiſtit.

CCXIX. Hinc porro *Rigorem juſtitiæ*, ac *veritatis*, pro *rectiſſimo* & *inflexibili* ejus *tenore* Latini magno & multo uſu ſuſceperunt. Quod autem iſta *Catonis immota ſecta æquabilem* & *inflexibilem* in omnibus ſervans *rigorem*, ingratior fere accidat multitudini, & alioquin facile in *nimium* degeneret, factum, ut vocabulum *rigidus* aures radere cœperit, & *odioſi vitii* nota ſit adſectum *Plin. Lib.* 8: 19. *Exit hic animi Tenor aliquando in Rigorem quendam, Torvitatemque naturæ duram & inflexibilem, affectusque humanos adimit.* Commode interim *Claud.* 4. *Conſ. Hon.* 402.

Triſte rigor nimius? Torquati deſpue mores.

CCXX. Reducet me ab hoc excurſu in viam locus inſignis *Prudentii Hymn.* 1: 69.

Tunc Mortis oppreſſus Rigor:
Tunc Lex ſubacta eſt Tartari:
Tunc vis diei Fortior
Noctem coëgit cedere.

Nempe quum Chriſtus ab inferis victor ac Triumphator emerſit. Iſtud magnum opus domiti *Rigidi Tyranni*, qui Mortis potentiam gerebat, cecinerat *Eſajas* Cap. 49: 24. *An capietur a potente captura? & an* שבי צדיק *liberabitur?* Vertitur *Captiva turba juſti*, & ſpecioſi conquiruntur colores, cur Diabolus *juſti* titulo hic inſigniatur. Eos autem colores facile miſſos feciſſent graves & ſolidi interpretes, ſi *Rigidi* Originem in voce צדיק perſpectam habuiſſent: neque enim dubitari poteſt, quin ut Latini, ſic Hebræi, *Rigidum* ancipiti uſu donarint, & nonnunquam in *nimio* illo uſurparint, quod *duritiem inflexibilem*, *inexorabilem*, ac *penitus implacabilem* adfert; quo ſenſu poſitum fuiſſe ab *Eſaja*, tum reliqua monſtrat ſeries, tum vocabulum עריץ *Violentus*, *terribilis* pro noſtro צדיק ſubſtitutum vſ. ſequenti. Præclare ergo Vener. *Vitringa* vi ſententiæ ductus צדיק *ſeverum* & *ferocem* hic interpretatus eſt, quamvis a *Jure* minus feliciter expediat, id quod ex *Rigore* dimanaverat.

CCXXI. Aliam adhuc anſam nodo difficili exſolvendo porrigit *Hieronymus*, צדיק *Robuſtum* convertens. Improbatum id & alienius judicatum a genio linguæ. Quid luminis hic Docto Patri prælucere potuerit, dicere non habeo, quum Commentarius ipſius ſileat. Id tantum adfirmare poſſum, non invita plane Lingua *Strenui Robuſtique* notionem aſſumi. Nempe צְדָק صَدْقٌ Arabibus quoque ſonat *Robur*, & *Vehementiam invictam* in *præliis*, aliisque *laboribus*, & ذو مصدق *Dominus* מְצְדָק, apud *Golium* exponitur. *Strenuus* vir,

 ve-

velox, equus. *Impetu & curſu minime fallax.* Ad verbum eſſet *præditus ſtrenuitate.* Naturam locutionis ita declarat *Zjaubari.* يقال للرجل الشجاع والفرس الجواد انه لذو مصدق اي صادق الحملة وصادق الجري كانه ذوصدق بما يعدك من ذلك *Dicitur de viro Forti, & de equo Strenuo, eſt ille Dominus* מִצְדָק, *id eſt* צודק *verax in impetu, & verax in curſu, quaſi dicas veracitate præditum in eo quod promittit tibi de his rebus.*

CCXXII. Secundum *Zjaubarium* ergo *Strenuitatis* & *Fortitudinis* poteſtas ſub verbum צדק recepta eſt per figuram, ex ſecundaria notione *Veracis* derivatam, quomodo apud Latinos nonnunquam *verum* quoque ac *juſtum* traduci poſſunt, ut *Juſta* aut *vera pugna* ſit *fortiter* ac *ſtrenue pugnata.* Apud *Joſephum Antiqu.* p. 742. eſt ἐξ ἀληθείας ἀγωνίζεσθαι *fideliter, ſtrenue depugnare, vero* illo & *juſto* Virorum *impetu.* Id Arabes efferrent صدقوا القتال צדקו הקתל *Veri* i. e. *ſtrenui fuerunt in pugna*, quam formulam ſupra ex *Tebrizio*, produxi; qui tamen diverſum ſentit a *Zjaubario*, atque ad primigeniam indolem *Rigidi* eam reducit, ut ſit *Rigidi fuerunt in pugna.* Laudabat idem *Tebrizius* phraſin تمر صادق الحلاوة *Dactylus* צודק *ſuavitate*, pro *Vehementer ſuavis*; itemque نظر الي نظرة صدقة *intuitus eſt me intuitu vehementiore, rigidiore.* Sed quidni illa a *Vero* potius fluxiſſe ſtatuamus? ut *vera ſuavitate dactylus*, & *vero intuitu* in aliquem *conjecta acies*, elegantiſſime fuerit formatum.

CCXXVIII. Undecunque autem formula صدقوا القتال *ſtrenuam ediderunt pugnam* emanaverit, ſive a *Rigido tenore*, ſive a *vero & juſto vigore*, digniſſima ea eſt quæ exemplis quibusdam illuſtretur, ut ita dijudicari queat, an illuc forte referendus ſit צדיק *ſtrenui Bellatoris* commodiſſimum jam Epitheton. *Abulphar. Hiſt. Dyn.* 177. فصدقهم العجم القتال وثبت بعض بعرب وانهزم البعض *Et Strenue cum ipſis Conflixerunt Perſæ, partim manentibus Arabibus, partim in fugam converſis.* Non debuiſſet Cl. *Pocok* صدف in textu retinere, quum id longo diverſum reſonet. *Hiſt. Tamerl.* p. 78. وانفذ جيشا كرارا بل بحرا زخارا فتلاقيا بصدق نية علي مدينة سلطنية فصدق كل منهما صاحبه الضراب وسدد لنحره السنة الاسنة وسهام الحراب *Miſitque* Tamerlanus *exercitum impetuoſum, imo vero mare tumidum undoſum, & manus conſeruerunt*, Tatari & Bagdadienſes, *ſtrenuiſſima intentione, ad urbem Sultania, atque ſtrenuis ſe invicem ictibus appetiverunt, directis in jugulos linguis cuſpidum & ſagittis mutuæ cædis.* Bis ibi adhibetur צדק, notione illa bellica; & dicerem ferme *Arabsjadem* captaviſſe duplicem adſpectum thematis, modo a me propoſitum, in *vero juſtoque vigore*, itemque *rigido ac inflexibili tenore*, ut prior phraſis صدق نية *veracitas intentionis* deſignet illum *verum viri fortis animum* quo pugna capeſſitur, ἐξ ἀληθείας depugnanda: poſterior

صدق

Digitized by Google

صدق الضراب potius exprimat *rigidam* ictuum *vehementiam* quibus ſe invicem conficiebant.

CCXXIV. Bis iterum dexterrime locatum hoc bellicum צדק p. 84. *Hiſt. Tam.* ubi *Altoun* milites ſuos in Tataros hiſce dictis inſtimulat. *Perfringite mediam aciem horum ignobilium; quod ſi voti compotes fiatis; aut etiam ſi moriamini ſuper dorſo equorum, Nobiles profecto exiſtetis:* اذ لا ينجيكم من هذا الكرب سوي الطعن الصادق والضرب *quando nihil vos ex hac calamitate eximere poteſt, præter ictum lancea & gladio ſtrenuiſſime illatum* צודק. Verſiculo deinde interjecto in hanc ſententiam

Nobilis mortem oppete, moriturus alias ignobilis:
Per Deum poſt mortem non ultra reſtat mori.

Subjungitur فتعاضدوا بهمة صادقة علي حصول الخلاص واثقة *Tum mutuum ſibi Brachium præſtiterunt cum veraci illa & ſtrenua animoſitate, quæ ſalutem ſibi parere præſidebat.* In poſtrema ſede *vigorem verum*, in prima *rigorem* magis ſpectari arbitrer; quod in Phraſi طعن صادق *Hebr.* טען צורק *Confeſſio ſtrenua* alluſum videatur ad *Rigidum* illud & *inflexibile*, quod primæva vis radicis exprimit in *haſtis*.

CCXXV. Apparet צדיק, Dialecto Arabum, ſingulari & venuſto uſu valere poſſe *ſtrenuum* & *Robuſtum Bellatorem;* vel a *Rigore*, vel a *Vigore* & *vero viri impetu* ſic appellatum. Idem Hebræis quoque placuiſſe magna & juſta credendi ratio eſt. Exempla ſi quis petit, injuſte petit, nec perpendit ſatis in quam tenui & anguſta re Hebraica verſemur. Quid quod vel centum libros Arabicos aliquis lectitaſſe poſſet, nec tamen in *Bellicum* hocce incidiſſe? Ecce tamen aliud adhuc veſtigium Biblicum *Pſ.* 45: 5. clare ſatis conſignatum atque impreſſum. *Accingito gladium tuum ad femur O Heros. Accingito decus tuum, tuamque Majeſtatem. Et Majeſtate illa tua felix victorque invehitor ſuper verbo veritatis;* ועָנוה צדק *& Reſponde Rigorem vigoremque juſtiſſimum: atque doceat Tua Tibi Dextra res terribiles.* Admirabiliter contexta ſeries, in ambiguo vel duplici potius verborum ſignificatu pulcherrime ludens. Ejus partem poſtremam tantum ita nunc enucleo. עְנוה צדק. *Reſponde Rigorem*, hoc eſt *ſtrenuitatem invictam exero*, tanquam Fortiſſimus Bellator, *ictus* tibi illatos *retundendo*, & *gravia* inimicis *vulnera* e contra *infligendo*. Is primus adſpectus. Secundus ducit ad *Juſtitiæ Evangelicæ tenorem*, *vigorem*, *rigorem inexſuperabilem.* Sequitur ותורך נוראות ימינך. Duplex quoque conſpectus. Alter, *Et Jaculetur Tibi Terribiliter Dextra tua.* Quænam illa *Jacula? Doctrinæ Cæleſtes gladio ancipiti*, atque adeo *fulmine*, *penetraliores.* Unde alter exiſtit ſenſus, *Et Doceat Tua Tibi Dextra Res Terribiles.* Verbum תורה duplici hac poteſtate *jaculandi* & *docendi* auctum, in propatulo eſt. Affixum *Tibi* expreſſi, quia per Pleonaſmum, gratiæ & emphaſis ergo, acceſſit: quum ceteroquin ſine diſpendio ſententiæ abeſſe potuiſſet.

CCXXVI.

Digitized by Google

CCXXVI. Primigenia porro vis *Rigidi* ſcrupulum omnem eximet, qui *Eccleſ.* 7: 16. vexat interpretes. אל תהי צדיק הרבה *Ne ſis juſtus multum* reddi ſolet. Id ita enunciatum habet quid duri, & peperit cavillationes. Mollis erit ſententia, nihil anſæ prurientibus ingeniis relinquens, ſi proprietate retenta exprimamus, *Ne ſis rigidus multum.* Cave in *Rigido* & *inflexibili* nimium illud, quod in odioſiſſimum vitium degenerat. Conſimilis eſt ratio in altero dicto ibidem, ואל תתחכם יותר, *& ne nimis te* πυκνὸν *compactum præbeas.* Habet πυκνότης חכמה ſuos fines, quos ultra ſi intendatur, *compactæ mentis firmitudo* degenerabit in *ſtuporem inſenſilem*, qui *compactum* deceat *Lapidem* magis quam Hominem. Aliud τὸ πυκνὸν, aliud τὸ πεπηγὸς.

CCXXVII. Suſpicor ad *recti rigoris* & *tenoris* primitivam poteſtatem quoque alluſum eſſe *Pſ.* 23: 3. ינחני במעגלי צדק *Ducit me in orbitis Recti ac Rigidi tenoris.* Id literali adſpectu exhibet *orbitas non ambagibus ſinuatas* & *intortas*, ſed *recta linea pergentes*, veluti ad *Rigorem* illum, quem ex Agrimenſoria arte ſupra adducebam. Spiritualis ſenſus ob oculos ponit *veritatem* & *juſtitiam* Euangelicam; cum *rigidiſſima innocentia ac virtute* conjunctam.

CCXXVIII. Sunt bene multa alia loca, quæ per proprietatem, a me reductam, acceſſionem ſentiunt lucis & gratiæ, ſive ea *juſtitiam factorum* conſignent, ſive *veritatem dictorum*, ſive utrumque junctim. Sed quum proclivis ſit eorum ad hanc *Regulam recto-rigidam* applicatio, id judicio & induſtriæ cujusque relictum atque commendatum eſto.

CCXXIX. Ad Septimam deſcendo Claſſem Defectuum, Spinoſiorem paulo illam, quippe quæ pertineat ad Grammatices Regulas atque Fundamenta. Hic quamvis incredibili diligentia tum Rabbinorum, tum Noſtrorum, admirabiles factæ ſint progreſſiones, non tamen, omni ex parte, Ars ſubtiliſſima elimari atque perpoliri potuit: quin, quod neceſſe fuit, nonnulla irrepſerunt quæ ad uberius lumen dialectorum emendari deſiderant.

CCXXX. Scilicet quum Grammatica Hebræa compoſita ſit, & conformata, ad reliquias Biblicas, tenuiſſimas illas, & profecto ne ad centeſimam quidem partem Linguæ pervenientes, nemo non ſtatim intelligit, Regulas e tam curta ſupellectile concinnatas haud quaquam pertingere poſſe, ad omnem amplitudinem priſci Sermonis Hebraici permetiendam. Analogiamque illam accuratiſſime figendam, atque finiendam, quæ tanquam Clavis reputari debet in omnibus omnino Linguis, ad adyta earum, profundioresque receſſus, referandum.

CCXXXI. Accedit huc ſermonem Biblicum, alibi plus, alibi minus Dialectorum habere admixtum, atque ſparſim veſtigia offerre Chaldaiſmi, Syriaſmi, Arabiſmi, id quod conſona voce ab omnibus Eruditis agnoſcitur. Jam vero multum quidem adfectum, atque profligatum eſt, a præſtantiſſimis ingeniis in Dialectorum collatione inſtituenda, maximosque magnorum virorum ſudores felix ſucceſſus penſavit; reſtat tamen adhuc ſylva quædam rerum, ac materia ſatis copioſa, quæ falcem expectat, & novis curis perpurgari, ad liquidioresque rationes perduci poſtulat.

CCXXXII.

Digitized by Google

CCXXXII. Hic vero non poſſum, quin meritis laudibus impertiam Virum Clariſſ. *Franciſcum Tſepregi*, Profeſſorem Claudiopolitanum, qui eximios in Linguis Orientalibus profectus; ante hos tres annos, in Academia noſtra teſtatos ac conſignatos reliquit Doctiſſima Diſputatione, *De Authentia Selectiorum Cethibim;* in qua ope Dialecti *Arabicæ* magnam partem iſtorum nodorum, quos diverſitas Lectionis *Maſorethicæ* nectit, ſagaciſſime & feliciſſime explicavit, evidentibus tum argumentis, tum exemplis evincens, anguſtos nimis fines *Grammaticæ* haſce anguſtias ac ſalebras peperiſſe, quæ ſua ſponte evaneſcant, atque complanentur, ubi priſca Linguæ amplitudo, apud Arabes præſertim conſervata, ſub conſpectum poſita fuerit.

CCXXXIII. Ut autem cognoſcatur, quantum hic materiæ reſtet perpurgandum, & quam in partem, defectibus ſarciendis, cura converti debeat, ſtrictim percurram ſupellectilem Grammaticam, tam quæ ſimplicem ſpectat *Analyſin*, quam quæ ad *Syntaxin* pertinet, & interiorem genium ſtructuræ.

CCXXXIV. Ad *Analyticam* ditionem quod attinet; *Primo*, amplificandus eſt numerus conjugationum. *Secundo*, Verborum imperfectorum commodior ratio eſt expedienda, cum ortu primigenio, & forma eorum perfecta conjunctior. *Tertio*, Conjugationis cujuſque vis atque emphaſis adhuc curatius eſt enucleanda. *Quarto*, penitius eſt intrandum in formarum derivatarum interiorem indolem, qua aliæ ab aliis, ſecundum genium Linguæ, diſtinguuntur: atque in primis enucleatius eſt demonſtrandum, quid quælibet ex Literis האמנתי vel principio, vel fini appoſita, in formationibus vocabulorum adferat, atque conſignet. *Quinto*, Adjectivorum & Subſtantivorum diſcrimen limatius eſt exigendum, & præſertim multæ formæ participiales, qua Activæ, qua Paſſivæ poteſtatis, diſtinctius enotandæ. *Sexto*, *Particularum* diligentior cura eſt habenda, eæque pauciſſimis exceptis, vel ad *Subſtantivorum*, vel ad *Adjectivorum*, vel ad *Verborum* ordinem ſunt redigendæ. *Septimo*, *Præfixorum* uſui diverſo multum adhuc luminis accedere poteſt. Idem *Octavo*, de *Adfixorum* uſu aſſeverare poſſum. *Nono*, in *Epentheticis* & *Paragogicis* literis, dictionibusque, quas vocant, *Encliticis*, plus continetur ſignificationis, quam vulgo creditur. *Decimo*, *Dageſh forti* qua *Peregrino*, qua *Euphonico* graviſſima & certiſſima ſubeſt ratio.

CCXXXV. Hæc omnia ut ſubtilitate ſua, & דקדוק, vel Sexcenta ingenia delaſſare poſſunt, in lingua præſertim intermortua, atque anguſtiſſimis nunc finibus incluſa: ita facile intelligent boni judices & arbitri, haud aliunde melius ſpinoſam & intricatam materiam poſſe enodari, quam ex copioſiore aliqua Hebrææ Linguæ dialecto, eaque viva ac vigente, &, quod caput eſt, integram atque illibatam puritatem etiamnum conſervante: in qua vivus uſus, vividiſſimum ſane lumen præpandere queat, ad difficultates, alias inextricabiles, ſuperandas, & de interiore genio atque ingenio ſingularum formationum, aliquid certi ac fixi pronunciandum.

CCXXXVI. Idem ratiocinium valet in *Syntactica* ratione Linguæ Hebrææ. Laborat etiamnum hæc pars Grammatices, non tam diligenter exculta, ſolidisque præceptis illuſtrata, quam ſuperius illud opus Analyticum, ad quod per-

Digitized by Google

perpoliendum remis veliſque properatum fuit undique terrarum ac gentium, quum hic tantum appareant Rari nantes in gurgite vaſto. Nil mirum. *Analyſis* etiam tractari poteſt ab iis, qui interiorem Linguæ guſtum nunquam ſatis perceperunt; *Syntaxis* poſtulat virum non tinctum, non coloratum, ſed penitus penituſque imbutum, atque ut ita dicam madidum, vivo illo & vegeto ſucco, quo Venæ abſtruſiores linguarum fluunt, atque in locutiones, & ſtructuram omnem verborum ac ſententiarum influunt.

CCXXXVII. Non defuere quidem Viri in Hebraicis pervolutati, qui Provinciam hanc ornandam ſuſceperunt, atque etiam egregie ſuſtinuerunt: ſed nec a paucis tam arduum munus undique perfici potuit: nec qui in hac palæſtra elaborarunt, omni illo lumine gaviſi fuerunt, quo inſtructus eſſe debet is, qui Hebraicæ Syntaxeos arcana, ex primis principiis Linguæ, & ex genio Orientis recludere aggredietur, per infinitam illam varietatem, quam diverſitas ſtructuræ infert, in *Nominibus* inter ſe jungendis, *Verbis* cum verbo, nomine, particula connectendis, *Præpoſitionibus* vel inſerendis, vel omittendis, *Ellipſibus*, *Pleonaſmis*, *Idiotiſmis*, omnibuſque adeo formis ac faciebus, quas res hæc recipere poteſt.

CCXXXVIII. Hujus jam copioſiſſimæ materiæ ſpecimina atque documenta, deſcripti Operis fines non admittunt: longiſſime enim vel tenues ſtricturæ omnium harum rerum nos diſtinerent: per ſpinaſque & ſentes erependum foret mecum illis, quos adhuc per libera ſatis, nec inamœna, ſpatia deduxiſſe mihi videor.

CCXXXIX. Octavam potius Claſſem ingrediar, floſculis nos ſuis allicientem; quippe quæ complectitur *integras* loquendi *formas*, Orientali cœlo proprias, quas tum genius erectior, & ſublimis, illorum populorum, tum peculiare ingenium Linguæ proſeminavit: quarum proinde nativa venuſtas ac gratia nullo pacto queat attingi, ſine apparatu Eloquentiæ Orientalis, & interiore cognitione figurarum, in quibus ſibi nationes illæ ſemper audacius indulſerunt.

CCXL. Pro ſpecimine nobis inſerviat *Arabum* انف אַף *Naſus*; luſtremuſque in quam diverſas ſeſe flectere poſſit figuras. *Zjaubari.* انف كل شي اوله *Naſus omnis rei* vocatur *anterior pars.* انف الناب طرفه حين يطلع *Naſus dentis prominuli*, eſt *extremitas ejus quum primum prodit.* انف الجبل نادر يشخص منه *Naſus montis*, eſt, *ſingularis & eminentior ejus pars.* وانف البرد اشده من يعقوب *Et Naſus frigoris, eſt ſumma ejus vehementia, auctore Jacobo.* ويقال جاء يعدوا انف الشد اي اشد العدو *Dicitur quoque, venit currens Naſum vehementiæ*, id eſt, *curſum vehementiſſimum.* In *Hamaſa* reperio etiam.

يصفقه انف من ريح بارد

Verberat illum Naſus venti frigidus.

Ubi

Ubi *Tebrizius* الانف من الريح اولها ومن غيرها كذلك *Naſus de vento eſt præcipua ejus vis, & aliarum rerum conſimiliter.* Infero inde, non minus late *Naſum* iſta figura patere apud Poëtas, quam ἴς & μένος in Græca poëſi; ἲς ἀνέμου hoc uſu notiſſimum, μένος ἀνέμων, etiam pertritum, & μένος πυρὸς, ὕδατος, aliarumque rerum, quæ *vehementiam* exerunt.

CCXLI. Quamvis autem Critici Arabum in iſtis poſterioribus formulis, *Naſus venti, frigoris* &c. &c. ſimpliciter attendant ad id quod *præcipuum* eſt, & *eminet;* dubitare tamen non poſſum, quin fortius aliquid intenderit antiquitas, *Naſum flantem* & *ſpirantem* ſibi in hiſce fingens, qui cum *vehementia* incumbat, & quandam quaſi *Iram* exerat; quandoquidem *Iræ* potiſſimum *Naſum* dicatum eſſe voluerunt Orientales.

CCXLII. Hoc adſpectu frequentatur حامي انفه *fervido naſo præditus*, in eo qui *multum* habet *vehementiæ*, & *facile ad iram concitatur.* Præclare *Caſaub. Cap.* I. *Theocr. Lect.* ad illud *Idyll.* I.

Καί οἱ ἀεὶ δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται.

Veterum, inquit; opinio fuit, ut *frontem pudoris*, *riſus lienem*, ſic & *Iræ ſedem* eſſe *nares.* Præbuit occaſionem huic ſententiæ inſimul & dicendi generi, quod in omni graviore *commotione*, maxime autem *Iræ*, *Spiritus* concitatus ac velut *æſtuans*, copioſius & vehementius *ebullit; nareſque* erumpendo dilatat. Adduxit ibi ex *Perſio* quoque

Diſce, ſed ira cadat naſo, rugoſaque ſanna.

Unde liquet *faſtidium*, & *animum contemtorem* ac *ludificatorem* eidem *Naſo* attributum fuiſſe: e quo fonte emanarunt phraſes *Naſo adunco ſuſpendere* pro *ludificari.* Et *Nares Corrugare* pro *faſtidire.* Itemque *Naſus ſtili* apud *Plinium*, pro *Satyrica vehementia;* quem *Naſum Atticum* vocat *Seneca* Pater; Μυκτῆρα & μυκτηρίζειν huc magno multoque uſu permittentibus etiam Græcis. Id ipſum vero in formula حامي الانف *Fervidus naſo* receperunt Arabes; quæ non tantum *iratum* ſignat; ſed & *faſtidioſum*, ac *ſuperbius* partim, partim *acrius illudentem.*

CCXLIII. Habent inſuper Orientales aliquid privum ac peculiare in *Naſo*, quum eum uſurpant pro *indole generoſiore*, ac *celſos Spiritus gerente*, quæ *plena* ſit *gravitatis*, ac *majeſtatis.* Apud *Golium* hinc حامي انفه *qui tuetur naſum ſuum*, id eſt, *dignitatem*, *gravitatem præ ſe ferens*, Ita in *Adagio* eleganti, vel *dicto* verius *ſententioſo* Poëtæ, quod extat in *Adag. Arab.* p. 132.

رب حام انفه وهو جادعه

Sæpe qui Naſum tuetur, eundem amputat.

 Ridi-

Ridicula nempe eſt *affectatio gravitatis*, & *nimia dignitatis* ſuæ *cura*. Iterum p. 118,

الثور يحمي انفه بروقه

Taurus tuetur Naſum cornu ſuo.

In *Hamaſa* gloriatur non nemo, genti ſuæ ineſſe כאף הליש كانف الليث *tanquam Naſum Leonis*, qui prædam aliam attingere non dignetur; niſi quam ipſemet ſtraverit. *Tebrizius* ibi الاسد احمي الحيوان انفا ويبلغ من عجبه بنفسه انه لا يتواضع لاكل صيد غيره *Leo eſt ſervantiſſimus Naſi ſui inter animalia; eſtque maximum ſignum generoſioris indolis in qua ſibi placet, quod ſe non demittat ad edendam prædam ab alio ſtratam.* In Lexico *Zjaubarii* ſub Radice حمي *Ferbuit* enotatum etiam eſt, هو احمي انفا وامنع ذمارا من فلان *Hic magis tutari Naſum ſtudet, & defendere jus ſuum, quam ille.* In *Hamaſa* iterum, *celſum* & contra Fortunæ ictus *inſurgentem* ſuæ gentis *animum* ſic pingit aliquis.

في انوفنا واعناقنا من الاباء كما هيا ۞

In Naſis cervicibusque noſtris indomitum illud generoſum etiamnum reſidet.

Celſi quoque ſpiritus alterum hocce ex *Hamaſa*.

وان ابيتم فانا معشر انف
لا نطعم الخسف ان السم مشروب ۞

Et ſi vos eſtis generoſi; at noſter Cœtus Naſo eſt præditus:
Nulli guſtamus injuriam, Venenum bibere parati.

Senſus, declarante *Tebrizio* eſt, *Venenum bibere & generoſe emori poſſumus, ſi fatum velit: injurias vero nulli devoramus ac concoquimus.* Eſt autem أَنُفٌ *Unuf* derivatum ab أَنْفٌ *Anf*; *Naſus*, proprie deſignans eum qui *facile naſum trahit*, aut *in naſo afficitur ac commovetur.* Id Arabes transferunt ad *gravitatem*, & *majeſtatem* quodammodo *inacceſſam*; quæque *ſui Reverentiam* ſemper *intactam* atque *illibatam* ſervat. Sub hac imagine dixerunt روضة انف *Hortus intactus & illibatus.* Item كاس انف *poculum illibatum, quod nemo unquam deguſtavit.* Tales *hortos*, talia *pocula* Paradiſus Muhammedis promittit. Nil mirum phraſes haſce à Cl. *Golio* haud eſſe reductas ad originem *Naſi*, pro *illibato flore ac honore dignitatis*, quum ne *Nabhaſius* quidem ad

Digitized by Google

ad *Moallekât* iſtam figuram intellexerit. Ibi *Antaræ Ibn Sjeddad* virginem comparat cum روضة انف *Horto cui naſus eſt*; cujus *florem* nemo *tetigit ac delibavit.* Dilutiſſime *Scholiaſtes* ille الانف النام من كل شي وقيل هو اول كل شي *Unuf eſt perfectum de omni re: alii dicunt, eſſe primum ac præcipuum.* Apparet de *Naſo*, quatenus *reverentiam* & *gloriam inacceſſam* adfert, eum non cogitaſſe. Probe tamen Originem hanc perſpexerat *Tebrizius*; quum in *Hamaſa* ad illud معشر انف *ſocietas naſo prædita*, utitur verbo انف *naſum adduxit*, & explicat فانف من الخسف *Naſum trahimus ab injuria.* Ejusdem indolis eſt انوف *Anuf* apud *Golium* rite explicitum de *muliere, quæ pudori & exiſtimationi ſuæ conſulit; ab omni re ſequiore ſibi cavens.* Quaſi dicas nempe, *naſum trahere ſolita.*

CCXLIV. Hanc *Naſi* adfectionem, quæ injuriam omnem repellit, & florem honoremque dignitatis ſuæ illibatum tuetur, uno vocabulo appellant Arabes شمم. *Golius* ſub شم id declarat, *Elatio naſi cum imbricis æquabili protenſione Longitudo & acumen naſi.* In *Hamaſa* hinc eſt.

في عرنينه شمم ۞

In Naſo ejus Elatio eſt.

Figuram illuſtratam dedit *Tebrizius.* اذا قرن الشمم بالانف فالقصد الي الكرم *Quum elatio & longitudo tribuitur Naſo, tunc intenditur generoſa indoles.* Iterum in *Hamaſa.*

كل شمردل اشمّ جزل مواهبه ۞

Omnis celſus, elato naſo præditus, largus donorum.

Ubi *Tebrizius* الشمم كناية عن الكرم واصله ارتفاع الانف *Sjemem ſub figura deſignat generoſam indolem, in origine autem ſignificat elationem Naſi.* Hinc paſſim شم العرانين & شمّ الانوف *Elatis Naſis præditi*, apud Oratores & poëtas, pro *viris principibus, generoſis, ſpectabili gravitate*, vel & *terribili* atque *inacceſſa Majeſtate* reverentiam incutientibus.

CCXLV. Ad hanc imaginem *Majeſtatis inacceſſæ*, in *Naſo* ſeſe exerentis, revocandum cenſeo hocce dictum *Jobi* 8: 13. אלוה לא ישיב אפו *Deus non remittit Naſum ſuum: ſub ipſo ſubſidunt Opitulatores maxime formidabiles.* Brevis ſed nervoſiſſimæ ſententiæ vim ita enucleo. עזרי רהב *Opitulatores formidabiles* habent *ſuum* אף *Naſum.* *Cincti* ſunt *formidoloſa* quadam ac *inacceſſa Majeſtate.* Subſidere tamen iidem coguntur ſub *Naſo*, id eſt ſub *terribili* &.

vere inacceſſa Majeſtate ſummi Numinis, quam quidem *remittere* nec vult, nec ſane *ſubmittere* cuiquam poteſt.

CCXLVI. Talis *Naſus* in homine facile degenerat, atque *faſtum* & *arrogantiam* ſpirat. Illuc pertinet uſus *Eſaj.* 37: 28. *Quod infremueris adverſus me, tuaque inſolentia in aures meas adſcenderit: Ideo ponam Hamum meum in Naſo tuo; & meum Lupatum in tuis Labris.* &c. &c. Proprie ſimul & improprie *Naſus* & *Labra* ibi adhibentur; nam præter *literam* omnibus obviam, Naſus *figuram* gerit *flatus* & *faſtus inſolentis:* Labra autem *figurate* ſimiliter *Jactantias* conſignant, prout איש שפתים *vir Labroſus* pro *Jactatore* uſurpatur *Job.* 11: 3.

CCXLVII. Ad *tumidum* quoque *faſtum*, cum *ferocia* adverſus Deum, palam ſeſe refert *celſitudo* illa *Naſi* quæ improbis attribuitur *Pſ.* 10: 4. Eodemque lubens retulerim obſcuram admodum ſententiam *Job.* 34: 17. האף שונא משפט יחבש *An Naſum oſor juſtitiæ religabit?* Id eſt, *Viſne mibi illum tuum Naſum ferocem refrenare*, quo adverſus Jura juſtiſſimi judicis audacter inſurgis? Ambigo tamen, & ampliandum cenſeo. At dubitare nequeo, quin ex hoc fonte profluxerit formula haud intellecta *Jobi* 36: 13. חנפי לב ישימו אף *Loripedes cordis*, Hypocritæ, *ponunt Naſum.* Non ſubmittunt ſe ſub manu caſtigante Dei, ſed inſolenter ei obmurmurant. *Ferociam* quoque *inſolentem*, & *ſuperbam*, cum *contemtu* conjunctam ineſſe autumo *Eſaj.* 14: 10. *Percutiens populos cum efferveſcentia: Calcans cum Naſo gentes.* Itemque *Pſ.* 55: 4. באף ישטמוני *Cum Naſo adverſantur mibi.* Quæ pro ſpecimine nunc delibaſſe ſatis habeo.

CCXLVIII. Potiſſimus tamen Naſi uſus, in Bibliis, *Iram* & *efferveſcentiam* adfert, eo ex fonte, quem *Caſauboni* verbis commonſtravi ſupra. Formula eſt hanc in rem ſolennis חרה אף *Exarſit Naſus*; quod Arabes حمي انف *efferbuit Naſus*, המה אף, malunt efferre. Vulgo gratiæ locutionis multum demitur, quum *Exarſit ira* vertitur, & in Lexicis traditur, אף primo eſſe *iram*. deinde *Naſum.* Hoc tantundem eſt, ac ſi *Naſum* apud Latinos primo *contemtum irriſionemque*, ac dein *balitus* noſtri *canalem* illum ſignificare quis traderet: aut *Supercilium a faſtu* deveniſſe ad *oculi* illud *ſepimentum*; aut *Stomachum* ab *ira* & *faſtidioſa indignatione* ſeſe extendere quoque cœpiſſe ad *ventriculum concoctorem.* Sic utique decus linguæ præfloraretur. Ergo qui *Naſum* nobis adimunt in omnibus locutionibus per אף formatis, faciem Hebrææ linguæ minuunt, & vitiant. Forma dicendi alta & nobilis teritur in Bibliis עלה אפו *adſcendit naſus*, inſtar *fluminis* nempe *efferveſcentis*, aut *ollæ bullientis.* Verte cum pleriſque *adſcendit ira ejus;* jam figuram luculentiſſimam extinxeris. Ejuſdem indolis eſt עשן אפו *Fumavit naſus ejus.* שטף אפו *Exundavit naſus ejus.* שב אפו *Remiſit*, in ſe *Rediit Naſus ejus*, & *Reſedit*; metaphora a *flumine* vel *olla reſidente.* Ejuſdem quoque grandius hocce זעם אף *Thren.* 2: 6. & alibi. Vulgo, *Indignatio*, *furor iræ.* Imo vero *Spuma Naſi;* per quam ſummus iræ fervor pingitur. Alio flexu אש קדחתם באפי *Ignem* ex-

exterebraviſtis in naſum meum, *Jerem.* 17: 4. &c.&c. non, *ignem ſuccendiſtis in ira mea*, quod rem quidem ipſam dat, ſed *gravem* ac ſingularem rei *Colorem* delet.

CCXLIX. Non jam diſputo quid cujusque interpretis vernacula exigat; pro diverſis enim geniis, aliæ linguæ propius ad hunc Hebraiſmum accedunt, aliæ longius abſtant, & *Naſum*, pro *ira* aliisque adfectibus plane repudiant. Id ergo libertatis nemini adimimus, ſed tantum explanamus originem & nativam ſuavitatem Hebraiſmi; quam offuſcarunt quoque *Rabbini*, eorumque auctoritatem ſecuti noſtri, quibus ארך אפים *Longus irarum* & קצר אפים *Brevis irarum* exprimi ſolet. Si Orientali cœlo magis aſſueti fuiſſent, dediſſent haud dubie, *Longum Nares*, & *Brevem Nares*, prout illas formulas jam explicui in *Originibus Part.* I. *Cap.* 3. *Par.* 10. ubi etiam oſtendi אנף *iraſci*, proprie ſonuiſſe Hebræis *in naſo adfici* & *commoveri*: vel *naſum* illum *faſtiditorem*, & *adfectus indignantis plenum corrugare*; id extra omnem dubitationis aleam collocante conſenſu Dialecti Arabicæ, in qua Verbum انف omnem illum adfectum adſumit, qui in *Naſo* ſeſe exerit; & proprie quidem valet, *Naſum doluit*, *in Naſo læſus & adfectus fuit*: improprie, *faſtidivit*, *indignatus*, *dedignatus fuit*, & ſimilia.

CCL. Sunt alia adhuc loca, ubi *Naſus* ſede ſua motus, turbavit & implicuit, alio ſub uſu atque adſpectu. *Pſ.* 56: 8. באף עמים הורד אלהים vulgo, *in ira populos deturba*, *O Deus*. Id foret ſecundum ſuperiores figuras *Cum Naſo*, cum terribili & irarum plena Majeſtate. Sed aliud hic ſubeſſe autumo, *In Naſum populos deturba O Deus*. Locutio eſt familiariſſima Arabum ارغم الله انفه *Naſum ejus in arenam demerſit Deus*. Pro eum *omni dedecore obrutum proſtravit*. Pulcherrime *Abulph. Hiſt. Dyn.* p. 184. hunc, & præcedentem illum uſum, in unam ſententiam illigavit, ارغم الله انف من رغم انفه *Dejiciat Deus Naſum illius*, *qui Naſo faſtiditore utitur*. Rotundius quoque hinc prodibit dictum *Pſ.* 27: 9. אל הט באף עבדך *Ne inclinare facias in Naſum*, *ſervum tuum*. Ne ignominia obruas, & dejecto in terram naſo proſligatum des.

CCLI. Manum de hac tabula tollenti, atque ad alia feſtinanti, ſuccurrit inſigne adhuc lumen, quo augeri poſſet *Pſalm.* 16: 6. ex uſu illo figurato *Naſi*, qui *eminentiam*, *præcipuam dignitatem*, quin & *intactum florem honoremque* alicujus *Perſonæ* non tantum, ſed & *Rei* adfert. *Funiculi ceciderе mihi in amœnis*: אף נחלת שפרה עלי vulgo. *Etiam Hæreditas ſpecioſa eſt mihi*. Nihil videtur deſiderari poſſe uberius: & tamen uberius quid eſſloreſcet, ſi ſubſtituatur. *Naſus Hæreditatis lectiſſimæ ſpecioſus eſt mihi*, vel potius *ſuper me*. Id quidem noſtris auribus inſuetum, atque abſonum: ſed Orientali genio congruentiſſimum. Recogita modo illam Gloſſam انف كل شي اوله *Naſus omnis Rei dicitur id quod præcipuum eſt*. Adde ſpeciatim انف الارض

Naſus

Naſus terræ, pro *pars terræ lectiſſima*, *aprica*, *& præ aliis ſole gaudens.* אנף הארץ. Inde forma compar. & ſuperlat. الانف אאנף præmiſſo *Aleph*, ut in אכזר אכזב איתן &c.&c, apud *Phiruzabadium*, *Lætiſſima proventu* terra. Sed formula ipſa potius teneatur, quæ eſt هي الانف بلاد الله *illa præcellentiſſima eſt Regionum Dei*, proprie; *Naſo prædita præ aliis.* Conj. 4. الانف האניף partim valet, *effecit ut naſum doleret* aliquis; partim, *ad nova & intacta paſcua deduxit* pecudes, quaſi dicas *fecit pervenire ad Naſum*, hoc eſt *præcellentem quandam & intactam partem terræ.* Prout روضة أنف *Hortus Naſo præditus*, pro *intacto* & *illibato* ſupra adductus fuit. Nihil ergo alienum, nec a ſtylo Orientali, nec a carminis granditate committet, qui *Naſum Hæreditatis lectiſſimæ* in iſto contextu amplectetur, partim pro *Eminentiſſima portione*, partim pro *novo*, *illibato*, atque ab aliis *intacto* ejusdem *flore*, ac *honore*.

CCLII. Felicius interim de hujus figuræ convenientia iſtic loci judicare poſſemus, ſi perſpectam ſatis haberemus vim atque originem thematis שפר *Specioſus*, *decorus fuit*. Significatio illa haud dubie eſt ſecundaria, ſi modo ſatis recte in *Specioſo* illa collocata fuit; quod in præſentia diſcutere non licet. Nonnihil etiam ſcrupuli movet אף uſu Biblico *maſculinum* ſemper, ac proinde *fœminino* שפרה non reſpondens, niſi aſſumatur illa ratio conſtruendi, qua verbum ſeſe refert ad proxime præcedens, etiamſi ad remotius directe pertinebat, quod in קשת גברים חתים ſimilibusque obſervarunt linguæ periti. Ergo contentus conjecturam hanc in medium contuliſſe, judicium Lectori relinquo: meumque ſuſtinebo, donec liquidius aliquid de verbo שפר adfulſerit.

CCLIII. Ecce tamen ipſiſſimum huncce floſculum ſermonis, jam non ex obſcuro lucentem, ſed diſerte ſeſe exerentem 1 *Sam.* 1: 5. *Hannæ dabat* מנה אחת אפים *portionem unam dupla facie præditam*, vertit *Cocc.* in *Lex.* hoc eſt, cujus *dupla* erat *dignitas*. Sic noſtri *ſpectabilem*. *Honorariam* dedit *Boch.* H. 1. 578. R. *Salom.* maluit *portionem dignam quæ hilari facie reciperetur.* Apud *Stockium* reperio *vultu triſti*, quod extra oleas. אפים proprie ſunt *Nares*, nec unquam aliter dualis iſta flexio reddenda, ſi vim & indolem vocis ſpectemus. *Nares* & *Naſus* in easdem figuras flectuntur: ac proinde אפים מנה אחת ſonat, *Portionem unicam naribus præditam;* id eſt, *eminentem*, & *ſuperbiorem*, ut ita dicam, reliquis omnibus portionibus, atque in qua inerat *decus aliquod intactum atque illibatum*, quale ſpirabat ſuperior illa formula כוס אנף كاس انف *poculum naſo præditum*, quod non cum multitudine communicatur, ſed *intactum illibatumque* uni ſoli, honoris gratia, reſervatur.

CCLIV. Atque hæc quidem de figurata amplitudine *Naſi* plus ſatis. Alia nonnulla, aliis occaſionibus ſepono. Nunc faſtidii diluendi ergo, novæ materiæ anſam nobis præbebit idem ille אף, minus feliciter ingeſtus ab interpretibus *Gen.* 31: 34. *Dixitque Rachel patri*, אל יחר בעיני אדני Belgæ noſtri. *Ne exardeſcat* ira *in oculis Domini mei*, *quod nequeam aſſurgere* &c. &c. Iterum

Gen.

Gen. 45: 5. *Ne doleatis.* ואל יחר בעיניכם כי מכרתם אתי & *ne exardeſcat ira in oculis veſtris, quod me vendideritis.* Statuunt Viri Doctiſſimi יחר in iſtis locis elliptice poſitum pro יחר אף *exardeſcat ira*; quam phraſin, ſane quam familiarem in Sacris, demonſtravi valere *exarſit Naſus.* Non negaverim autem חרה *exarſit*, per ellipſin poni poſſe, pro חרה אף *exarſit Naſus*: ſed idem adfirmaverim, nihil inconvenientius enunciari poſſe, quam אל יחר אף בעיניך *Ne exardeſcat Naſus in oculis tuis.* Verbis in re liquida nil opus. Vertendum omnino eſt, *Ne ardor exiſtat in Oculis*; id eſt, *ne Oculi doleant, ne ægrimonia, & acrimonia doloris in oculis exiſtat*; vel ex *indignatione*, quod priori, vel ex *triſtitia*, quod poſteriori loco convenit.

CCLV. Scilicet ſolennes ſunt formulæ Orientalium *Incaluerunt, exarſerunt oculi ejus*, pro *ægritudine, dolore, triſtitia, moleſtis caſibus male uſtus*, atque *affectus fuit.* Contra *frigidus*, vel *frigefactus fuit oculus ejus*, pro *refrigerium, ſolatium, materiam lætitiæ percepit.* Poſterius hoc effertur قر به عينا *Frigido oculo fuit ob illud* קר בו עין id eſt, *lætus lubensque adſpexit, tanquam gratum atque optatum aliquid.* in *Alcor. Sur.* 32: 17. *Nulla novit anima quid recondiderim ipſis,* من قرة عين جزاء بما كانوا يعملون *de refrigerio oculi, in mercedem eorum quæ præſtiterunt.* Et *Sur.* 19: 26. فكلي اشربي قري عينا *Et comedito, bibito, frigida ſis oculum.* Adde Sur. 28: 8, 12. Et confer quæ *Golius* exhibet ſub قرّ, قارّ, & præſertim ſub forma قرير, unde قرير العين eſt *lætitia, quiete, rei amatæ & expetitæ conſpectu gaudens.* Exempla qui cupit, carpat ille ex pratis vernantibus *Hiſt. Tamerl.* p. 137. 139. 155. 361. Ex adverſo חרר עין בה حر عينا به *exarſit oculum ob illam rem*; itemque سخنت عينه *incaluit oculus ejus*; quod *Golius* declarat *calore correptus fuit & lacrymavit oculus.* Addas licet, *omni ægritudine, triſtitia, moleſto ingratoque caſu male uſtus* & *vexatus fuit.* Inde formula imprecationis *Abulpbar. H. D.* p. 206. سخنت عينك *incaleſcat oculus tuus!* Apud *Golium* habes quoque سخنة cont. قرة *calor* oculi, *acrimonia* lacrymarum: *quæ mœrori adſcribitur*: ut *frigidæ lacrymæ gaudio excitæ.* Plenius *Scholiaſtes Haririi* ad *Conſ.* 27. ubi dicebat elegantiſſimus ſcriptor وكان يوما اطول من القناة واحر من دمع المقلات *Eratque dies protenſior quam umbra haſtæ: & ferventior quam lacryma mulieris nullam prolem in vita conſervantis.* Ad quæ ita *Schol.* يقال ان دمعة الحزن حارة ودمعة السرور باردة ولهذا قيل سخين العين اي حزن وقرير العين ضده *Dicitur, lacrimas triſtitiæ eſſe fervidas, lacrymasque lætitiæ frigidas: ac propterea Calidus oculo vocatur triſtis, cujus contrarium eſt Frigidus oculo.* Videntur tamen hæc ſubtilius quam ſolidius dici; ſufficere autumem ſi *oculum incaleſcentem* in *ægrimonia* omni, & contra *refrigeratum* in *ſedatione* moleſtiæ, ac *recreatione* omni retineamus.

CCLVI. In *Oculo* frequentant Arabes انسان *Hominem*, & diminutivè لنيسان *Homuncionem*; alias بنت العين *Filia oculi*, Græcis Latiniſque ſub eadem figura Κόρη, *Pupilla*. Arabibus etiam dicitur بوبو a verbo بابا *ultro citroque ivit*, *celerrimo* fuit *impetu* inter eundum. בבואה per conduplicationem a בוא. Soni & literarum vicinitas ſuſpicionem quidem movere poſſet alicui, a *Pupa* originem eſſe ducendam, ſed fallax eſt iſta vicinitatis & alliterationis ratio; cui ſoli haud facile fidendum. Iſtud jam بوبو mirifice traducunt Orientales: non tantum enim dicunt هو اعز عندي من بوبو عيني *ille carior mihi pupilla oculi*; verum etiam هو بوبو دهره *ille eſt Pupilla ſui ſeculi*. Id eſt *Delicium*, *Ornamentum*, *decus*. Invitabat hunc uſum alter ille, quo اعيان *Oculi* adhibentur pro *Viris principibus*. Eſt ergo *Pupilla* hoc adſpectu سيد ظريف *ad unguem factus & expolitus aliquis princeps*, in ipſis *Oculis* gradum tenens excellentiſſimum. Altius adhuc ſcandit formula هو في بوبو المجد *ille eſt in Pupilla gloriæ*. Id eſt *Centrum* quaſi & *ſummum gradum Gloriæ occupavit*. Eadem ratione *Medium præcipuumque omnis rei* vocitant بوبو *Pupillam ejus*; quo pacto jam latiſſimus & lætiſſimus *Pupillæ* illi aperitur campus, ad omne illud figurandum, quod *Centri*, aut *Meditullii* figura, priſca aut recentior Latinitas complecti poteſt.

CCLVII. Hinc dubium nullum relinquitur, quin *Coccejo* accedendum, quum *Prov.* 7: 9. אישון לילה *pupilla noctis* feliciſſime exhibuit; iterumque *Prov.* 20: 20. *Ejus lucerna extinguetur* באישון חשך *in pupilla tenebrarum*. Utrumque ob oculos ponit *Meditullium* ac veluti *Centrum tenebrarum*. Forma eſt diminituva ab איש *homo*, unde אישון *Homuncio*, utrumque genus amplectitur, prout انسان apud Arabes *ſemininum* non minus, quam *Maſculinum* eſt. Ergo non tantum formari potuit אישון עין *Homuncio oculi* انسان vel انيسان العين, *Deut.* 32: 10. & *Prov.* 7: 2. ſed plenius etiam efferri אישון בת עין, Arab. انسان بنت العين *Homuncio Filia oculi*, *Pſalm.* 17: 8. Contra *Oculi* voce omiſſa, انسان *Homo* etiam abſolute Pupillam ſignare poteſt; indeque luſus ænigmaticus apud *Haririum Conſ.* 44.

وكوكبا يتواري عند رويته الانسان
حتي يري فيه امتنع العجب

Sæpe ſtella exiſtit, cujus ortu conditur Homo:
Ita ut appareat in ea impenetrabile Velum.

Intellige ſis per *ſtellam* in oculo exiſtens *punctum candicans*, ſive *Albedinem*,

non

non naturalem, ſed vitioſam, quam *Albuginem* vocat *Plinius*, quæ *Homuncioni* ſive *pupillæ oculi* inducit *caliginem* & *velum*, quo viſus præpeditur.

CCLVIII. Ad aliud deflecto, intime Genium Orientis exprimens ac reſipiens, ſemel tantum apud *Eſaiam* lectum *Cap.* 22: 8. ויגל את מסך יהודה *Et Reteget*, vel, quod præplacet *Celeb. Vitr.*, intranſitive, *Retegetur Velum Judæ*. Aqua hæret doctis interpretibus, in Figura illa declaranda. Plurimi retulerunt ad *propugnacula* & *munimenta* Judææ *expugnanda*. Alii de *theſauris expromendis* & *erogandis* cogitarunt, illuc etiam inclinante, quem laudabam modo, præclaro Commentatore. Non feciſſet, ſi ampliorem habuiſſet conſpectum *veli remoti* aut *ſciſſi* in ſtylo figurato Arabum, quo ſignatur *miſeria* & *ignominia extrema*. Sed loquantur exempla *Hiſt. Tamerl.* 129. ارسلنا اليكم هذا الكتاب فاسرعوا في رد الجواب قبل ان ينكشف الغطاء ولم يبق لكم باقية *Miſimus ad vos hanc epiſtolam: vos ei quantocyus reſpondete ante, quam retegatur velum, & ne tenuiſſimæ quidem reliquiæ vobis ſuperſint.* Agitur de Literis *Tamerlanis* ad *Sultanum Ægypti* miſſis, quibus ſe ſuaque omnia dedere monebatur, antequam modis omnibus *violaretur*, & *victoris exercitus* furori exponeretur. Similiter *Hulacu* Tatarus, ad *Halebi* Dominum apud Abulphar. p. 529. *Aliorum exemplo docti*, qui male perierunt reſiſtendo, *res veſtras dedite nobis*, قبل ان ينكشف الغطا ويحل عليكم الخطا فنحن لا نرحم من شكا ولا نرق لمن بكا *ante, quam Retegatur Velum, & recidat in vos peccatum veſtrum: nos enim non miſeremur conquerentis, nec tenero affectu commovemur erga plorantem.* Additur pro commentario illius *Veli retegendi*, quod hic neutiquam prætereundum, *jam regiones vaſtavimus, homines perdidimus, liberos orphanos fecimus, & deſolata omnia reliquimus.*

CCLIX. Ad locutionis ortum, progreſſum, & amplitudinem penitius adhuc perſpiciendam, facit egregie *Hiſt. Tamerl.* p. 214. *Sævierunt in Muſulmannos & clientes eorum. prout ſæviunt lupi ſanguinolenti in proliferos greges ovium: & patrarunt quæ nec decet facere, nec ſane memoriæ prodere:* واسروا المخدرات وكشفوا غطا المستترات واستنزلوا شموس الخدور من افلاك القصور وبدور الجمال من سماء الدلال وعذبوا الكبار والاصاغر بانواع العذاب *Captivas enim duxere matronas, & Retexerunt Velum puellarum; & deſcendere fecerunt Soles poſt aulæa latentes, ex orbibus arcium, & Lunas pulcritudinis e cœlo vitæ delicatæ, magnis ſimul & parvis omni tormentorum genere adfectis.* Senſus eſt, milites *Tamerlanis* matronas & puellas *honoratiſſimas violaſſe*, nulla *Veli earum* habita reverentia, id eſt *Matronalis* aut *virgineæ dignitatis*. Hunc eſſe adſpectum noſtri *Veli* elucebit quoque ex *Abulphar.* p. 187. ubi *Ayesja* Muhammedis vidua, in prælium adverſus Ali egreſſa, his conviciis excipitur. *Heus Mater fidelium, certe cædes Othmani minoris erat momenti, quam ut tu domo tua egredereris, maledicto iſto camelo vecta;*

انه قد كان لك من الله ستر وحرمة فهتكت سترك وابحت حرمتك *erat enim tibi Divinitus datum Velum & ſacroſancta dignitas: ſed enim ſcidiſti Velum tuum, & prefanaviſti Majeſtatem tuam ſacroſanctam.* Verſio *Celeb. Pococ.* aliquid impediti habet, *Erat ſiquidem tibi a Deo in operimentum & aſylum, at jam ſecreti tui* velum *dirupiſti, & aſylum tuum commune feciſti.* Præpedivit virum in Arabicis convertendis dexterrimum alias, illud انه, cujus affixum retulit ad بيت *domum*, cum referat ſeſe ad ſequens ستر, ſecundum perpetuam ſtructuram Arabum; unde jam multo luculentius quid & figuratius efflorescit, quum non *domus Ayesja* dicatur ei fuiſſe *in Operimentum*, ſed antequam egrederetur in prælium, & Viris pugnantibus ſeſe miſceret, adfuiſſe ei ستر *Velum*, *Matronalem dignitatem*, & حرمة, aliquid *Sacroſancti* atque *inviolabilis*; ſed jam ſua ipſam immodeſtia *ſcidiſſe ac temeraſſe* illud *Velum*, aliisque *violandum* objeciſſe.

CCLX. Apparet hinc imaginem *veli remoti* aut *ſciſſi* deſumtam eſſe a *Virginibus* & *Matronis pudicis*, quum *vexantur*, *violantur*, & *omni ludibrio adficiuntur*, ac proinde *cumulum*, quod in principio dicebam, *miſeriæ* atque *ignominiæ* ab *Eſaja* intendi, quum *Judææ velum Retegendum eſſe* comminatur.

CCLXI. Quid grandiloquentia Orientalis ſibi in hac imagine permittat, quibusque eam coloribus variet, atque exornet, non injucundum fuerit paulo pluribus exequi. in *Hiſt. Tamerl.* pag. 29. ita narratur altera illius expeditio in *Chorasmiam* ſuſcepta واقام لجميلة بكرها خاطبا فحاصرها وصابرها وضاجرها وشدد علي اعناق مسالكها التلابيب وكاد ان ينشبث باذيالها منه المخاليب *Et inſtitit Pulchræ ejus Virgini procator, obſidioneque cinctam afflixit tædioque adfecit; in colla adituum ejus injectis manibus quæ jugulo apprehenſam traherent, & jam ferme defixis in lacinias illius unguibus.* Ut poſtremum hoc plenius percipiatur, ſciendum اذيال proprie eſſe *ſyrmata*, & *Lacinias fluentes* ſtolæ muliebris: improprie *Oras & extremitates arcium.* Utrumque ex ancipiti dextre complexus eſt *Arabsjades.* Iterum p. 73. *Obſederunt arcem Syrsjan circiter decennium.* وهي بكر لا تفتح لطالبها بابا وعابس لا يملك خاطبها منها خطابا *Erat autem Virgo, quæ proco ſuo portam non aperiebat; & quidem auſtera, unde amator ne reſponſum quidem poterat elicere.* Legendum tamen videtur pro عابس *auſtera*, عانس *innupta, quin & nuptias omnes aſpernans puella, jam adultior;* quam vocem conſimili figura auxit *Arabsjad* p. 223. هذه القلعة عنقاء قلتها تكبر ان تصاد وعرنين عانسها يابي ان يدخل لخاطب تحت مقود انقياد *Hujus autem arcis faſtigium Gryphis inſtar eminens, ſuperbius erat, quam ut venatori ſe daret: & Naſus Innuptæ hujus Domiſedæ faſtidiebat ſubire proco ulli habenas ſubjectionis.* Dein *pag.* 224. deſcripta oppugna-

gnatione, ſubjungit, وحاشا مرض ذيل جلعمتها وعصمتها ان يسام فنتقنا &c. *Et procul averruncavit a ſe futura Syrmatis dignitatis & pudicitiæ ejus ne ullo pacto violaretur* &c. &c. &c. Addatur & hoc *pag.* 330. de *Samarcanda* a Rebelli quodam poſt mortem Tamerlanis impetita, وكشرت اسوارها في وجهة انيابها وارخت عصمتها علي بابها حجابها وسدلت علي جبين منعتها نقابها *Et ſtrinxerunt mœnia ejus contra illum dentes, laxavitque pudicitia ejus ſuper portam velum ſuum: atque injecit fronti inexpugnabilis ſuæ firmitatis ſuum flammeum.* Duo ex hoc contextu menda ſuſtuli, quæ editionem *Golianam* turbabant; nam كسرت in principio periodi, & ارخمت in medio ferri nequeunt. Atque hæc quidem *Veli Virginei* aut *Matronalis* metaphoram in *Regionibus* ac *Civitatibus* abunde declarant, haud falſosque eos interpretes oſtendunt, qui in *Retecto Velo* apud *Eſajam*, *præſidia*, *propugnacula*, *munimenta* omnia, tum *oppugnata*, tum *expugnata* reperiebant.

CCLXII. Hinc explicanda quoque dictio figurata *Nahumi Cap.* 3: 5. de *Ninive* evaſtanda; *Ecce te invaſurus ſum, fatur Dominus:* וגליתי שוליך על פניך והראיתי גוים מערך וממלכות קלונך *Et Retegam Lacinias Tibi tuas in faciem; & monſtrabo gentibus nuditatem tuam, regnisque ignominiam tuam.* Breviter ſed ſolide *Ill. Grotius*, *Tractabo Te, non ut Matronam, ſed ut meretricem.* Par & conſona vox aliorum: nec tamen omne illud perſpectum fuit, quod in interiore receſſu linguæ hic continetur. Tria habeo. Primum ſpectat vim qua propriam, qua impropriam vocis שולים. Alterum pertinet ad duplicem quoque uſum & adſpectum τῦ מער vel מערה. Tertium amplectitur univerſam periodum.

CCLXIII. Primo ergo שולים proprie non ſunt *limbi*, ac *inſtitæ* veſtium, *Zoomen*, ut vulgo vertitur, ſed *Laciniæ laxius & largius fluentes*, quæ *ultra talos deſcendant*, & *humum verrant.* Radix שול شال, & cum *ſin* سال Arabibus nota in *laxo* ſimul & *pendulo.* Potiſſimum tamen illa poteſtas *Lacinioſi Syrmatis* in veſte conſedit ſub ذال, med. *je*, apud *Golium*, *Laciniam, caudam veſtis ſeu Syrma traxit* mulier, *& verrendo humum ſuperbe inceſſit.* Derivatum item ذيل *plur. fr.* ذيول. *Lacinia. Cauda veſtis. Syrma.* Belgice *ſleep.* Ita diſerte *Zjaubari.* ذالت المراة تذيل اي جرت ذيلها علي الارض وتبخترت *De femina adhibetur hoc verbum, quum Laciniam ſuam trahit ſuper terra, & jactantius incedit.* Citat deinde ex *Moallekât.*

اذيال سجيل ممدد

Syrmata veſtis Byſſinæ prolixioris.

Illa *Lacinioſa veſtis* a poëta adfertur in argumentum *Nobilitatis & opulentiæ*, ut

ut *Schol.* monet يريد انها ليست بممتهنة فاذا مشيت تبخترت وجرت اذيالها *Innuit eam neutiquam eſſe ignobilem, quippe quæ inter eundum jactantius vacillet, & Syrmata trahat.* Vides propriam ſedem [illegible] اذيال in *Matronis*, & *Principibus feminis*; notabili etiam hanc in rem exemplo illo *Hiſt. Dyn.* p. 236. امسك ذيلها كانه يريد ان يكشفها *Apprehendit Syrma ejus, ac ſi eam renudare vellet &c.* Et mox بسطت يدها الى اسفل وامسكت ذيلها *Illa vero manum ſuam extendere deorſum, & firmiter retinere ſuam Laciniam*, Proinde *Niniven* cum *ſuperba* & *Potente Muliere* comparans propheta, appoſitiſſime ei addidit שולים *Syrmata.*

CCLXIV. Illa autem *Syrmata* jam porro improprie & figurate deſignant *præſidia*, *munimenta*, *arces*, ut ſupra obiter inſinuatum; atque nunc paulo copioſius pandendum. *Hiſt. Tamerl.* p. 349. فلم يبق لهم قرار وتنادوا الفرار الفرار وتشتتوا في البلاد وتشبثوا باذيال القلاع ورووس الاطواد *Quum ergo nullum remanendi locum haberent, Fugam capeſſendam eſſe promulgarunt; diſſipatique per regiones, apprehenderunt Lacinias arcium, & vertices montium.* Similiter *pag.* 394. وتشبثوا باذيال كل كهف مصون *Et apprehenderunt Lacinias omnis Aſyli muniti.* Et *pag.* 184. وبعض تشبث باذيال الجروف العاصية وتحصن اخرون بالاماكن الغامضة القاصية *Nonnulli apprehenderunt Lacinias petrarum inexpugnabilium; alii ſeſe muniverunt in locis profundis & remotis.* Addatur illud *pag.* 29. ſupra jam exhibitum كاد ان ينشب باذيالها منه المخاليب *jam ferme defixi erant in Lacinias ejus* Regionis *ungues illius.* Id eſt in *munimenta*, & *arces.* Itemque illud pag. 224. حاشا درر ذيل حشمتها وعصمتها ان يسام فتقا لانها وان كانت عذرا اعجزت الفحول لكونها رتقا *Et procul averruncabat a ſe Sutura Laciniæ munitiſſimæ ejus pudicitiæ ac firmitatis, ut ullo pacto violaretur: quippe quæ & Virgo, & naturaliter Clauſa omnem inſilientem frangebat.* Deſcribitur *arx* naturaliter *inacceſſa*, ac proinde nulli unquam *victori* domita. Quæ jam omnia luculenter oſtendunt שולים *Lacinias*, pro *præſidiis*, & *munimentis Regionum* ſublimiore ſtilo Orientis frequentari; illumque adſpectum etiam *Nahumo* obverſari potuiſſe.

CCLXV. Alterum nobis linguæ arcanum retegendum ſub Vocabulo מער *Nuditas*; quæ præter literam, exerit *Loca nuda, patentia, periculis bellorum maxime expoſita & obnoxia.* Sic Arabes عورة ערוה *Nuditatem pudendam* amant transferre. *Camus* العورة سواة الانسان وكل ما يستحيي منه العورة كل خلل يتخوف منه في ثغر او حرب وعورات الجبال شقوقها *Nuditas hominis dicitur* ערוה, *& omne quod pudendum: ita etiam vocatur omnis locus præſidio vacuus in Finibus aut Bello, de quo timetur. Item pudenda montium*

tium ſunt fiſſuræ eorum. Eadem figura aſſumta ſub فرج, quod tum *maris* tum potiſſimum *feminæ pudenda* denotat; nec non *confinia nuda* & *apeita hoſti. Loca metuenda, per quæ vis hoſtilis queat irrumpere.* Ad *Diw. Hud.* annotavit *Scholiaſtes.* فروج الشي عورته ومقتله *Pudenda alicujus rei ſunt nuditas ejus & locus neci patens.* Sic in *Moallekât* reperio فروج السابغة pro *locis illis ubi Lorica ſcindi & violari poteſt, ſive* موضع المخافة *locis infeſtis & metuendis*, per quæ *letalia vulnera* infliguntur. In *Diw. Hud.* فروج الجيش pro *lateribus apertis exercitus alicujus.* In *Hamaſa* فروج الارض pro *Regionis finibus incuſtoditis* per quos irrumpi poſſit, ad ferro & cæde graſſandum.

CCLXVI. Hinc jam Tertium illud, quod totam amplectitur Periodum, non amplius in obſcuro eſt; nempe *Niniven* illam *Reginam ſuperbam* Orientis, Violandam fore, & ſub hoſtili impetu fœdiſſime proſtituendam, *Laciniis* artium munimentorumque *retectis* aut *diſciſſis*; atque *nudatis* Regni omnibus *lateribus*, per quæ irrumpens victor cum ludibrio exitium imperio potentiſſimo acceleraret; ſecundum id quod *Cap.* 2: 8. etiam dixerat vates, הצב גלתה והעלתה *Hutzab Retecta eſt, & Conſcenſorem pati coacta.*

CCLXVII. Offert ſeſe aliud adhuc in *Nahumo* Cap. 1: 10. ex interiore ſtilo Orientis depromtum עד סירים סבוכים *Ad Spinas usque perplexi*; id eſt *ſpineti* inſtar *horrentes*, & *aculeis formidabiles.* Eſt emblema *potentiæ Aſſyriacæ*, quæ *aridæ ſtipulæ* inſtar foret *conſumenda*, quantumvis *ad ſpineti formidabilis perplexitatem* excreviſſet. Ita Arabes ſuum, شوكة שוכה *ſpina, ſpinetum* ſolenniter traducunt, atque de *potentia ad ſummum perducta* dicunt, اشتدت الشوكة *Invaluit ſpina*: & de eadem *infracta* aut *imminuta* وهنت الشوكة *debilitata eſt ſpina*, quod habes in *Hiſt. Sar.* p. 24. Similiter *Eutych. Ann. Alex.* tom. 2. p. 210. ضعفت شوكتهم وذل ملكهم *Debilitabitur ſpina eorum, & in contemtum veniet Regnum.* In *Hiſt. Tamerl.* p. 17. de increſcente illa *fortuna* & *potentia* ejus dicitur, فقويت بذلك شوكته وسكنت القلوب هيبته *Et corroborata eſt per illud ſpina ejus, occupavitque corda timor ejus.* Vide etiam p. 169. & 231. & 384. لم يقدر احد علي رد كلامه لحدة شوكته *Nemo poterat reſiſtere ſermoni ejus, ob vehementiam ſpinæ ejus.* Frequens eſt formula in *Hiſt. Sarac.*, ut *pag.* 4. 178. 189. Adde hoc *Abulphar.* p. 469. *Miſit legatos ad Sultanum Rumææ aliosque* ويعلمهم كثرة عساكر التاتار وحدة شوكتهم وشدة نكايتهم *docuitque eos multitudinem exercituum Tatarorum, & vehementiam ſpinæ eorum, vimque lædendi qua pollebant.* In malum nempe, pro natura emblematis, potiſſimum inclinat, quod & obſervatum *pag.* 301. Non ſupprimendum hic quod in *Hamaſa* invenio.

وذ جبيب

ونجيب داعية صباح بشايب
عجل الركوب لدعوة المستنجد ۞
ونفل شوكتها ونفثا حميها
حتي تبوح وحمينا لم يبرد ۞

Reſpondemus opem imploranti adverſus impreſſionem hoſtilem, exercitu
Celeriter invecto ad clamorem invocantis.
Et infringimus ſpinam ſedamusque æſtum ejus hoſtis
Donec deferveſcat: ſed noſter æſtus nunquam frigeſcit.

Ubi *Tebrizius* obſervavit جعل الشوكة كناية من السلاح والقوة جميعا اصلها فيما تنبته الارض ومن امثالهم لا تنقش الشوكة بالشوكة فان ضلعها معها ثم نقلت الشوكة الي الحديد وكني بها عن الشدة والباس *Fecit ſpinam, figuram armorum & potentiæ ſimul: in origine* שׁכּה *eſt quod e terra naſcitur ſpinoſum; eſtque proverbium Arabum, Spinam ſpina non revelli quum inter ſe conſentiant. Transfertur autem ſpina ad ferrum, & circumſcribitur per eam potentia ac vis bellica.*

CCLXVIII. Hinc ſimul elucet Origo translationum ſub themate شاك *punxit, vulneravit* ſpina. Item *Fortitudinem, robur, acrem in bello virtutem oſtendit.* Nec non, *Panoplia indutus fuit.* Scilicet شايك *panoplia tectus,* & *telis, ſagittis, haſtis* ſimul *inſtructus*, qua *vir*, qua *exercitus*, repræſentat *ſpinetum formidabile, erectis aculeis horrens*, quale illud apud *Eſajam* Cap. 10: 17. *Erit Iſraëlis Lux in Ignem, ejusque Sanctus in Flammam, inflammabitque & conſumet* שִׁיתוֹ וּשְׁמִירוֹ *Vepretum & ſenticetum* Aſſyrii exercitus *uno die.*

CCLXIX. Non poſſum non adjungere vicinam formulam خرط القتاد *decorticatio tragacanthæ*, arboris aculeatæ, qua proverbialiter indicari ſolet *maxima & inſuperabilis ferme difficultas.* Bis ad *Hamaſa* eam adduxit *Tebrizius;* ut دونها خرط القتاد تخاف شوكته اليد *intercedit decorticatio tragacanthæ, cujus aculeatam ſpinam horret manus;* Iterumque قال الشاعر دونها شرط القتاد تشتد شوكته *Ait poëta. Intercedit decorticatio tragacanthæ, cujus robuſtiſſima eſt ſpina.* Uſurpatur potiſſimum in *potentia inacceſſa.* Ut in *Hiſt. Tamerl.* p. 43. ومن ابن الاعرج الجغتاي ان يطا العراقين وان بينه وبين هذا البلاد مخرط القتاد *Unde autem iſti claudo Zjagathæo, ut conculcet duas Irakas? nam profecto inter eum, & haſce regiones intercedit decorticatio tragacanthæ.* Loquitur Sultanus *Babyloniæ*, opes ſui imperii comparans cum *arbore ſpinoſiſſima* & *inacceſſa;* ut ipſe mox ibidem exponit انا قوم لنا باس وشدة والعدة والدولة والنجدة ولنا يصلح النشامخ والنابي

Uti-

Utique nos ſumus populus, cui ineſt vis bellica & robur, apparatusque armorum, & numerus militum: felicitas quoque, & ſtrenua animoſitas: ita ut nobis conveniat altum gerere Naſum, & faſtidire.

CCLXX. Quod autem poſtremus ille contextus دولة *Fortunæ feliciorem ſtatum & curſum* memorat, anſam mihi porrigit ad enucleandam pervenuſtam ſane figuram, qua Orientales *Imperia* & *Opes florentes* circumſcribere ſolent. Thema eſt دال apud *Golium*, *Converſa fuit per vices & Periodos* Fortuna: *Obivit alter alterum in bello & ſuperior evaſit. Celebre ac publice notum evaſit* aliquid. Inde دولة *Daulet* & *Doulet*, *Converſio temporis ac fortunæ*, pecul. *in felicitate proſperitateque qua armorum* & victoriarum, *qua opum* & divitiarum; eſtque proprium ferme vocabulum in *domibus regnatricibus*, *imperiisque* in orbe terrarum *emergentibus*. Sic nota دولة بني بويه *potentia Bowaidarum*. دولة بني سلجوق *potentia Selsjukidarum* apud Hiſtoricos. Quin *Abulpharagius* ſuam *Dynaſtiarum Hiſtoriam* inſcriptam voluit تاريخ مختصر الدول *Chronologiam compendioſam potentiarum*. Illæ notiones omnes ſecundariæ ſunt, propagatæ a دول *ſitula*, idem quod דלי داو; unde Verbum دال eſt *ſitularum inſtar nunc adſcendere nunc deſcendere*, atque *ita per periodos converti*. Proprie ergo دول eſt *Fortunæ mutatio*, *ſitulis quaſi reciprocatis nunc adſcendentis, nunc deſcendentis*. Sic capitur in pulcro dicto *Haſani* imperio ſe abdicare, & *Muawiæ* cedere coacti, ان لهذا الامر مدة والدنيا دول *Eſt huic rei ſpatium finitum, & mundus eſt ſitularum rotatio*. Illuc ſpectant quoque elegantes illi verſiculi, in *Hiſt. Tamerl.* p. 317.

الدهر دولاب يدور فيه السرور مع الشرور
بينا الغني فوق السماء واذا به تحت الصخور

Mundus rota aquaria eſt, qua læta & triſtia volvuntur.
Aliquando quis ſupra Cœlum eſt: & ecce mox jacet imo in antro.

Quum proinde ادال vertitur in Lexico *juvit ac ſuperiorem reddidit*; & داول *Divitias ac felicitatem conceſſit* Deus, probe tenenda eſt imago *ſitularum* & *rotationis*, quod extra omnem dubitationis aleam collocat illuſtris locus in *Hiſt. Tamerl.* p. 367. الحرب كما علمت سجال وكما اديل لك علينا بالامس فان غدا لنا عليك يدال *Bellum, ut noſti, ſitulas refert: utque tibi rotatio conceſſa eſt ſuper nos heri, ita profecto cras nobis ſuper te rotatio concedetur.*

CCLXXI. Hac illuſtri imagine uſus videtur David, *Fortunæ lætioris vices*, quibus ſupra hoſtes evectus erat, ita celebrans *Pſ.* 30: 2. ארוממך יהוה כי דליתני

Digitized by Google

דליתני ולא שמחת איבי לי *Extollam te* laudibus *Jehova*, *quoniam extuliſti me ſitula* reciprocata, *atque hoſtes mihi haud lætos reddidiſti.* Senſum viderunt interpretes: ſchema pulcherrimum minus in promtu fuit, quo jam victor ac triumphator concelebrat ſibi conceſſam دولة, *Felicitatem armorum*, *imperii*, *potentiæ*, cum multa Majeſtate in domo Regnatrice *florentis*, & per ſecula perennaturæ: in quam præterea conferri velim imperatorum Orientalium titulos, صمصام الدولة *Gladius imperii* ركن الدوله *Angulus imperii*, ſive *ſtabilimentum.* ناصر الدولة *Adjutor imperii* بهاء الدولة *Splendor imperii.* عماد الدولة *Columna imperii*, quæque alia fauſta Felicitatis perpetuandæ omina in monumentis Hiſtoricis conſignata ſunt.

CCLXXII. Eſt in Emblematico uſu Orientis perquam trita *Mola* رحي, vel ut *Hebræi* maluere duali forma رحيان, רחים, cujus radix رحي ultima *je*, itemque رحا ult. *vav* ſtatuitur ab *Arabibus*, quum Lexicographi noſtri רחים reducere ſoleant ad ריח. Sed origine miſſa figuras nunc tantum nonnullas producam, quibus *Mola* aucta eſt, inter quas *Dens molaris*, nec non *ungula* cameli & elephanti, a *Commolendo*, ſatis accedunt ad noſtrum genium. Item *pectus* cameli, ſeu *Calloſa* ejus *pars* cui incumbit. Alio adſpectu *Campus pugnæ.* Item *populi Princeps*; nec non *Turba domeſticorum*; denique *Agmen camelorum ſe invicem prementium.* Ad diſtinctiorem conceptum prælucebit nobis *Tebrizius* ad *Hamaſa*, ubi poëta hanc pingit ſcenam.

فوارس لا يملون المنايا
اذا دارت رحا الحرب الزبون

Equites nullo fatorum affecti tædio;
Quum mola belli calcitroſi volvitur.

Ad quæ Scholion ſic ſonat, الزبون الدفوع انما شبهت الحرب بالناقة الزبون ووصفت بصفتها وهي التي تزبن حالبها برجلها ويقال ثبت في مرحي الحرب اي حيث دارت رحاها ورحا الحرب مستدارها *Zaboun dicitur camelus calcitrans, cum jumento autem calcitroſo comparavit bellum, ſive prælium, idque ejus proprietate inſignivit, quæ eſt, mulgentem calcibus appetere. Dicitur præterea, Firmus eſt in loco ubi mola belli circumagitur: nam belli molam appellitant locum ubi volvitur & circumagitur.* Alibi adhuc رحا الحرب معظمها قال استدارت رحاهم *Mola belli, eſt magnitudo & moles ejus. Dixit nonnemo. Volvitur ſeu circumagitur mola eorum.* Lumen addet exemplum in *Hiſt. Tamerl.* p. 21. فقامت بين العسكرين سوق المحاربة ولم ينفق بينهم فيها سوي معاملات المضاربة ولا زالت رحا

رحا الحرب تدور الى ان انطحن عسكر تيمور *Inter duos exercitus Forum digladiationis excitatum ferbuit; nihilque ibi vendibilius extitit, quam mutua ictuum commercia: non deſtititque Mola prælii circumagi donec commolitus eſſet exercitus Timuri.* Luculentum & hocce pag. 211. لنكرن عليك كرة الاسد الغضبان ولنوردن منك ومن عسكرك نواهل القنا موارد الاضغان ولنحصدنكم حصد الهشيم ولندوسنكم دوس الحطيم ولتطحننكم رحي الحرب في كل طريق لما تعانون من غليظ الطعن وجليل الضرب لغظ الدقيق *Inſiliemus in Te ritu Leonis irati; atque aquatum mittemus ex Te Tuoque exercitu ſitientes haſtarum in aquaria odiorum: & demetemus Te prout ſiccum gramen demetitur: proculcabimusque prout lignum aridum proculcatur: atque expellet vos Mola belli in omnem viam, vexatos denſa confoſſione haſtarum, ſpiſſoque ictu gladiorum, prout expellitur farina commolita.* Huc pertinet quoque elegans ſententia in *Nawabig.*

لا تصلح الامور الا باولي الالباب ✲
والارحا لا تدور الا علي الاقطاب ✲

Non recte eunt Negotia, niſi viri adſint cordati.
Et Molæ non circumaguntur niſi ſuper ferreis axibus.

Reſpicitur ad phraſin قطب رحي الحرب *Ferreus axis*, polus, cardo, *Molæ belli*, pro *imperatore exercitus.*

CCLXXIII. Latiorem adhuc conſpectum hujus *Molæ* aperiet nobis duplex proverbium, in *Hiſt. Dyn.* p. 179. 180. ubi cædes narratur *Omari Chaliphæ*, ab *Abu Lulua* obtruncati. *Cauſa ejus fuit*, inquit *Abulpharag.*, *quod cum ad eum acceſſiſſet Abu Lulua conqueſtum de gravitate tributi*, *Omarus repoſuerit*, *Non eſt hoc tibi nimis grave*; فاني سمعت عنك انك لو اردت ان تدير الرحا بالريح لقدرت عليه *Etenim audivi ego de te, te, ſi volueris Circumagere Molam vento, id efficere poſſe.* فقال لادبرن لك رحا لا تسكن الي يوم القيامة *Dixit ergo* Abu Lulua, *Sane circumagam tibi Molam, quæ ceſſatura non ſit usque ad diem Reſurrectionis.* Prioris dicti acumen ſic enucleandum videtur. *Molam vento circumagere* nondum tunc vita didicerat: Proverbialiter proinde quadrabat in eum, cujus incredibilis erat induſtria: ſpeciatim vero, cujus induſtria in lucro per fas, per nefas, comparando eminebat; ut *Molam circumagere* dicti fuerint, qui *emolumentum* & *lucrum* captabant, idque vel vi, vel artibus, conquirebant. Poſterius dictum ſeſe refert ad *Mortem*, & *Deſtructionem*, ſecundum vim illam verbi טחן طحن *moluit*, *commoluit*, quæ in *perdendo*, & *conterendo* uſurpatur. *Zjaubari* الطحون الكتيبة

 كطحن

تطحن ما لقيت *Vocatur* טחון *Turma quæ molit quicquid obviam habet.* Id eſt *proterit & neci dat.* In *Hiſt. Tamerl.* p. 266. يقتل وياسر ويطحن ويكسر *Cædebat, vinciebat, molebat, frangebat.*

CCLXXIV. Hunc ipſum uſum טחן, atque *Molam deſtructionis, oppreſſioniſque* ſimul offert nobis inſignis locus *Eſajæ* cap. 3: 15. מלכם תדכאו עמי ופני עניים תטחנו *Quid vobis, quod conteratis populum meum? & facies pauperum commolatis?* Recte ibi Celeb. *Vitringa. Quæ mola conteruntur, ita attenuantur ut plane in nihilum redigi videantur. Exſugebant illi Magnates omnem plebis ſubſtantiam & vires, nihilque iis reliquum faciebant, quo decus & ſpeciem honeſtorum ac liberorum hominum in Republica tuerentur.* Id indolem Emblematis feliciter repræſentat: a qua longiuſcule alii deflexerunt, qui *faciem commolitam* declarant *pugnis & colaphis contuſam*, nam ut ex allatis exemplis liquet, *Moletrinam exercent, & quicquid ſub manibus venerit, commolunt*, partim qui *pecunias extorquent*, & *corradunt*, partim, qui *deſtruunt* plane atque *diſperdunt* miſeros mortales.

CCLXXV. Perpendendum quoque trado, num *Bellicæ Molæ*, رحي الحرب, adſpectus abeſſe poſſit ab illa imagine, qua *Jerem.* 51. *Babylonia* ex potentiæ ſuæ faſtigio dejicienda, & mergenda, comparatur cum *Lapide peſſum eunte.* In *Apoc.* cap. 18. *Molaris* appellatur *Lapis* ille. Obſervavit ibi Cl. *Vitr.* emblema *Lapidis magni* eſſe aptiſſimum, ad *imperium* vel *regnum* qualecunque figurandum. Coll. *Zach.* 12: 3. tum *quod magna & vaſta imperia difficulter loco moveri poſſint:* tum *quod, qui id tentare velit, facile ſe ipſum lædat, & præſentiſſimum ſubeat periculum:* nempe ne ſub pondere elidatur, ac quaſi in pulverem *commolatur*: haud ſecus ac ſi quis ad *lapidem molarem* ſuo *rotatum* turbine, manus admoliretur; quod ad figuræ hujus majorem cum amplitudinem, tum gravitatem, addendum eſſe videtur.

F I N I S.

A L B.

ALB. SCHULTENS
VINDICIAE
ORIGINUM HEBRAEARUM
ET
OPUSCULI DE DEFECTIBUS HODIERNIS LING. HEBR.
ADVERSUS DISSERTATIONEM
CL. DRIESSENII
De Veris Cauſis & auxiliis Interpretandi Ling. Hebr. Biblicam.

ACCEDUNT

Strictura in Ejusdem V. Cl. Conſiderationes ad Novam Verſionem Libri Jobi.

Iii 3

Digitized by Google

PRAEFATIO.

In lucem emiſſa, nuper admodum, a Cl. *Drieſſenio*, *Diſſertatio de Veris cauſis, & Auxiliis, interpretandi Linguam Hebræam Biblicam.* Ea adverſus me conſcripta. Titulus quo eam inſignivit Celeb. *Theologus* totum *Belgium* erexit. *Ad placidiſſimum examen vocantur Viri Cel.* A. SCHULTENSII *Origines Hebrææ, & Defectus Hodierni Linguæ Hebrææ &c. Radicibus omnibus quas V. D. ex Arabismo induit novo ſignificatu redditur ſuus ſignificatus Hebræus primigenius ſimplex proprius Univerſalis. Accedunt Conſiderationes ad novam Ejus Verſionem* LIBRI JOBI. Præmiſſa eſt *Diſſertatio* iſta, cum *Conſiderationibus annexis*, ejusdem Viri Clariſſimi *Dilucidationi Analyticæ Libri Jobi; in qua verus Controverſiæ ſtatus Jobum inter & tres Amicos, & inter Jobum & Elibu, dilucide indicatur. Verus Behemoth & Leviathan, eaque occaſione piſcis Jonæ, qui hactenus delituerunt in Lucem protrahuntur.*

Jam tres, quatuor, hebdomadas, ante evulgationem *Libri*, uterque *Titulus* comparuerat, & mihi annunciarat id, quod a longo tempore deſideraram; ut aliquis ex ordine *Theologorum*, quorum nonnullos noſtræ non *novæ*, ſed *veteri*, & in natura ipſa fundatiſſimæ, *Rationi*, & *Methodo Hebraica tractandi*, minus favere ſciebam, mecum in placidum, & amicum, congreſſum veniret.

Huc Viros Doctiſſimos, a me diſſentientes, invitavi plus ſemel; non provocans ſane, ſed Veritatem, cui Sacramentum diximus, ſub diſcuſſionem publicam venire diſcupiens, ne privatis amplius vocibus premeretur, & ſuſpectum redderetur, quod Lucem ſuſtinere poteſt, Lucem ſuſtinere geſtit, ad Lucem examinari, & dijudicari, flagrantiſſime expetit, atque depoſcit. Loquatur *periodus*, quæ *par.* VII.

Li-

Libelli de Defectibus Hodiernis L. H. extat. *Quinto ſubnectam & exponam illa argumenta, quæ Methodum meam labefactare videri poſſint, quæque mihi ſaxum hoc volventi crebro occurſarunt: atque ita exponam, ut me non* cupiditate *ferri, ſed* veritatis amore *duci, appareat; quando arma adverſus me acuere & porrigere non detrectabo: lubentiſſime pro bona cauſa* certamen honeſtum *atque* generoſum *ſubiturus; utpote qui tum* VICISSE *exiſtimem, quum* VERITAS *vincit & triumphat.* Hanc Amiciſſimam, & Sinceriſſimam, invitationem repetii ante Triennium *Capite Quarto* ſecundæ Partis *Originum Hebr.* ſub finem: atque inde mox *Capite Quinto* produxi *Quindecim Claſſes argumentorum*, quibus ſententia noſtra impugnari poſſe videbatur; aliorum induſtriam ſimul eliciens, ad *Claſſes* illas fortioribus, quæ me fortaſſe fugiſſent, Claſſibus augendas, atque ita Honeſtum illud pro Veritate Certamen, ut Viros facere par eſt, magnanimiter decertandum.

Non poterat ergo non gratiſſima mihi venire Cl. *Drieſſenii Diſſertatio de Veris Cauſis & Auxiliis Interpretandi Ling. Hebr.* &c. quæ aliquid meditatum, maturum, expectatione publica digniſſimum, in *Titulo* promittebat.

Ne quid tamen diffitear, ipſe *Titulus*, prout eum concipere placuerat Cl. *Diſſertatori*, mihi neſcio quid præſagiebat, ex eoque non obſcure pellucere videbatur ipſa illa vis *præjudicatarum Opinionum*, quibus obſeſſi multi Viri Doctiſſimi, *Syſtema* noſtrum ne intelligunt quidem, nedum ut debita prudentia, gravitate, juſtitia, illud examinare vel privatim, vel publice, poſſint.

Accepi, ad finem menſis *Maji*, exemplar à Cl. Auctore amica manu mihi tranſmiſſum. Continuo a capite ad calcem id quod me ſpectabat, perlegi. Inter legendum dici non poteſt quanto ſtupore non ſolum, ſed & dolore, fuerim percuſſus, quod omnis pagina, omnis periodus, omnis verſus, *perpetuam* proderet *ignorationem Elenchi*, cum *occulta averſatione* rerum noſtrarum conjunctam, quæ ſcribentis judicium ubique offuſcaſſet, Ejusque adfectum incitaſſet.

Nil minus profecto videbam, quam *placidiſſimum Examen*, & *Diſcuſſionem Amicam*, qua ſe *ad ſeveram, Logicamque, Methodum* mea examinaturum eſſe pollicitus erat Cl. *Theologus*, tum in *Titulo*, tum *Introductionis* pagina ſecunda. Cernebam contra, unam continentem *cavillationem*, *criminationem*, *condemnationem*; plerumque quidem verbis ſic ſatis mollibus, ſed quæ ſuum puſculum intus foverent, atque ubi-

ubique eam ſererent opinionem, ac ſi per *Methodum* noſtram *Linguæ Biblicæ puritati*, & *Sacrarum Scripturarum certitudini*, aliquid derogaretur, atque *Eccleſiæ* non parum periculi immineret

Viſum quidem fuit Cl. *Drieſſenio*, eadem *pagina ſecunda introductionis*, ubi *Metum* illum tanquam *Juſtum* in prima acie collocavit, per *parenthesin* interferere, „ *Omnem præter & citra intentionem Viri* „ *Sacrarum Scripturarum reverentiſſimi, qui non niſi lucem novam* „ *hactenus deſideratam illis infundere omni induſtria, vigilia, cura,* „ *laborat:* " Sed excuſet me Cl. *Theologus*, floſculis ſub quibus anguiculus latet parum delector. Si *juſtus* ſit hic *Metus*, tum enimvero *intentio mea bona* me nunquam defendet, nec *imprudentiæ*, ac *temeritatis*, abſolvet. Si *juſtus* ſit hic *metus*, nolo mihi parci, nolo mihi verborum honores adhiberi; ſed quantocius ad meliorem mentem, viamque, bonis rationibus reduci, poſtulo: publice declarans, me, ſi *juſtum* eſſe hunc *Metum* convincar, mox *Veritati*, ut ſæpe profeſſus ſum, *conceſſurum*, atque omnia mea, ſine ulla cavillatione, palliatione, tergiverſatione, retractaturum.

Sin vero hic *Metus injuſtus*, ut ſæpiſſime evici, & luce meridiana clarius porro evicturus ſum, tum ſane Cl. *Driſſenius* per univerſam ſuam ſcriptionem non valde in me *juſtus*, *æquusque*, quippe qui *hunc metum* ubique ſparſerit, atque *hoc ſolo metu armatus* adverſus me eduxerit, & in *Fronte aciei ſuæ*, & in *lateribus*, *ſubſidiisque*, paſſim inſinuans imperitis rerum noſtrarum, me *receptos vocum Hebræarum ſignificatus*, *præter* NECESSITATEM, & INVITIS *Veræ Hermeneutices* LEGIBUS, *migrare.* DUBIOS *facere in quam plurimis dictionum Sacrarum* VEROS SIGNIFICATUS. Item, *Temere agere;* & *efficere ut interpretandi* ADMINICULA *Divinitus comprobata* VILESCANT; *in illorumque locum reponere* ADMINICULA OBSCURIORA, *quæ expreſſos illos mirabilis Providentiæ Divinæ Characteres non habent; & de quibus* BENEDICTIONEM DIVINAM *ſibi promittere non poſſit Eccleſia: quin imo quæ forte a* REGIA *& piis Doctisque Majoribus calcata* VIA, *abducerent in* AVIA, & NOVAM *neſcio quam* LINGUAM SCRIPTURIS INVITIS *obtruderent* &c." Ecquid gravius dici poteſt in hominem, qui jam per viginti quinque annos *Linguam Hebræam* in florentiſſimis docuit *Academiis?* Cl. *Drieſſenio* tamen hæc ſatis mitia, quin *placidiſſima*, viſa: nimirum intus ſentienti,

Digitized by Google

inclementius mecum *jure* agi potuiſſe, ſi pio Zelo, quo ſe animatum credit, indulgere voluiſſet.

Non omnis ignis purus & ſacer. Videamus ergo quid puritatis, & pietatis, hicce Zelus ſpiret.

Laudabilis hic Zelus effecit, *primo*, ut Cl. *Drieſſen. Fundamentorum meorum ſoliditatem tentaturus* in *Libro* de *Originibus*, a *Cauſæ* meæ *fundamentis*, & *firmamentis*, tum ſuos, tum Lectorum ſuorum, oculos perpetuo ſtudioſiſſime averterit, & *Arcem* totius *Quæſtionis* ne digitulo attigerit quidem. Id quia ipſemet forte ignorat, probatum reperiet Doctiſſimus *Diſſertator Vindiciarum* mearum Introduct. §. 2. 3. & Orig. Sect. III. §. 1. Sect. IV. §. 1. Sect. VI. §. 1. Sect. VII. §. 1 & 2. Sect. XI. §. 1. & 2. Sect. XII. §. 1.

Laudabilis hic Zelus, *ſecundo*, ſuggeſſit, ut *nullos* eſſe *Defectus Hodiernos Ling. Hebr.* demonſtraturus Cl. *Drieſſenius*, ne quidem *Lectorem* monuerit, quid ego per *Defectus* illos intelligerem; eorumque *Octo Claſſes*, & robora diſtincte a me expoſita, cæca caligine involverit; ut ita victoriam, quam ſibi, ſuisque, de me deſponſarat, citra ullum periculum auferret, atque viridi lauru tempora cingeret. Hoc prudentiſſimus *Diſſertator* jam non neſcit: nam de induſtria factum eſſe in omnium oculos incurret, ſi inſpexerint *Vindicias* meas Defectuum, Introd. §. 1. 2. 3. & Sect. III. §. 1. Sect. VI. §. 1. Sect. VII. §. 1. Sect. VIII. §. 1. Sect. X. §. 1. Sect. XI. §. 1. Sect. XII. §. 1.

Tertio, idem ille *Zelus* laudabilis adeo Cl. *Drieſſenium* averſionis erga me, meosque conatus, implevit, ut nec omnia mea legerit, nec intelligere voluerit; quum hactenus, quod liquido adfirmare poſſum, *ſtatum Quæſtionis*, & *Controverſiæ* verum *cardinem*, ignoret *ſolertiſſimus Diſſertator;* ac propterea omni *pagina*, *periodo*, *linea*, ſuæ *Diſſertationis*, non aliter ſcribere potuerit, quam qui extra *Sphæram cognitionis*, & *ſtudiorum ſuorum*, egreſſus, cum magna confidentia pronunciat, atque decidit, de iis, quorum ne Elementa quidem percepit.

Hæc, hæc, erant illa, quæ quum *Diſſertationem* Clar. *Theologi* ſatis attente perlegerem, & penſitarem, vehementiſſimum mihi, cum ſtuporem, tum dolorem incuterent. Stuporis nemo rationem requiret. De dolore aliquis dubius hærere poſſet. Dicam. In iis circumſtantiis poſitus ſum, ut ſilentium tenere non poſſim. Siluiſſem alias: & Veteri meæ erga Cl. *Drieſſenium Hoſpitalitati*, & amicitiæ, hoc dediſſem. Reſcribendum ergo erat; atque occurrendum præjudicatis illis opinionibus,

Digitized by Google

nibus, quæ tantum detrimenti ſemper *Rei Hebraicæ* adtulerunt, atque etiamnum *Theologicæ juventutis ſtudia* hac in parte ſufflaminant. Jam vero iis occurri non poterat, obnubilatæque veritati ſuccurri, niſi ſimul Cl. *Theologi* in Urbe, & Academia, Patria, docentis, his in rebus imperitiam, & incogitantiam, enudarem. Feci enimvero, *Groningani* mei! ſed invitus feci, & coactus. Utinam licuiſſet non facere! Altera cauſa doloris hæcce, quod quo pacto *Diſſertationem* illam, cum *Conſiderationibus* ei annexis, condigne confutarem, vix reperirem. Cupiebam citra *Adfectum* reſcribere. Qui ei indulgent, inconſulto ſerviunt Domino, & *Bonæ Cauſæ* ac *Veritati* fere officiunt. Ea ſuaſit ut Liberali Joco diluerem, quæ Serio repulſa, & refutata, omni momento aliquid durius, & perſonæ utriusque Noſtrum minus decorum, traxiſſent. A ſalibus non alienum eſſe Cl. *Drieſſenium* animadverti; nam & me nonnunquam lepide tangere voluit. Eum humaniſſime rogatum velim, ut omnia mea ſcripta excutiat, & ſi quid inſulſi inſit, aut male cocti, id ſale etiam ſuo probe conſpergere, ac confricare, dignetur. Sic fiet, ſpero, ut & *Reipublicæ Literariæ* cum Dignitate, ac jucunditate, proſimus; & utriusque noſtrum meditata ad eam maturitatem, atque Sapientiam, ſolidentur, qua & noſtro ſeculo non diſpliceant, & poſteritati ſeſe commendare queant. Dabam *Lugd. Batav.* a. d. 24. *Aug. An.* 1737.

Digitized by Google

PARS PRIMA

CONTINENS

VINDICIAS ORIGINUM HEBRAEARUM.

I.

Quid occaſionem præbuerit huic certamini: & cur Origines *impetitæ ſint.*

Quum ſub finem anni præteriti *Commentarium* meum *perpetuum*, cum *nova Verſione* ad *Fontem Hebræum*, publico committerem, forte ita caſus tulit, ut Cl. *Driſſenii Dilucidatio Analytica* ejusdem *Libri*, jam typis deſcripta, in lucem emicare geſtiret.

Iſti Editioni ego, nihil minus cogitans, vel intendens, ſubita extiti Remora: ſive jam *Echeneïdi*, navim medio in curſu ſiſtenti, me comparare quis velit, hoc nomine, ſive potius *Avi Infelici*, qui liquidiſſima auſpicia Cl. *Drieſſenii* e transverſo turbarim.

Obſervaverat quidem ſolidiſſimus Commentator *Jobi*, *ſuam*, & *meam*, *curam non per omnia idem intendiſſe*, ut p. I. *Diſſert.* extat, *quod ego magis circa* LITERALEM, *ipſe* autem *magis* REALEM, *breviter dilucidata Litera*, SENSUM, *præſertim circa* perpetuam *hujus Libri* Analyſin *occupatus fuiſſet. Videbat tamen ſimul*, *meam* Hypotheſin, & Verſionem, *ſicque* Literalem & Realem expoſitionem, *ut ab Aliorum*, *ſic & ab Ipſius*, *in bene multis abire.*

Faciendum ergo exiſtimavit, *ne opus*, quod immeritis laudibus cumulat Vir Clariſſ. *negligere videretur*, *ut ſi* in his illis *deprenſurus eſſet meam* Hypotheſin, Verſionem, & expoſitionem, *ſua meliorem*, *ſuam cum mea illa commutaret*, *deque eo Lectorem moneret. Si vero* in his illis *mea* Hypotheſis, verſio, & expoſitio, *non recte videretur procedere*, *ipſiusque potius tenenda eſſet*, *diſſenſum*, *diſſenſusque rationes*, *placide breviterque ut ſignificaret*, *ea libertate*

qua

qua merito uſus fuerim in diſſentiendo a mortuis non ſolum, ſed & adhucdum viventibus, vigentibusque.

Laudabam, hæc legens, nobilitatem animi, non ſe, ſed veritatem, quærentis. Sed mirabar ſimul, quid ita operam hanc propere properaſſet Cl. *Theologus*, quæ mihi *feſtinationis* nihil egere videbatur. Non reperiebam *periculum in mora.* Habuiſſet *Orbis Literatus* utrumque *Commentarium* uno fere, eodemque, tempore: Alterum Viri Cl. *Realem*, & *perpetua Analyſi* pertextum, *qui meliorum interpretum Verſiones, & commentationes, ſedulo expenderet, quamvis non ubique omnes allegentur:* ut præfatiuncula nos docet: *quin imo, quo parermenias ubi operæ pretium detegit, & refellit* V. C. *ubi* autem *ſponte labuntur, illo labore ſuperſedet in gratiam Lectoris:* Alterum meum, *Literalem*, qui *Lectori nullam* faciens *gratiam*, eum moleſtiſſima mole onerat Veterum, atque Recentium, interpretationum, quæ longa ſecula in huncce *Librum* conſtiparunt: quique ſine *perpetua Analyſi*, quamvis *perpetuam* teneat *commentationem*, ſcopas referat ſolutas, atque ordinis luce, ac gratia, deſtituatur. Tam notabile diſcrimen inter noſtros Labores, palmam Cl. *Drieſſenio*, vel quieſcenti, facile vindicaſſet: niſi forte veritus fuerit, bonos judices, ipſo tacente, illud haud ſatis animadverſuros.

Ita quidem *feſtinationis* ferme *præcipitis* ſtimulum deprendo ſic ſatis acrem, ab hac parte; qua occurrendum putavit Vir Doctiſſimus, ſibi utique proximus, prærogativæ favoris, quo alias in *Orbe Erudito* opus aliqua cum cura elaboratum, forte, excipi potuiſſet: ſed ab altera parte jam non video, quomodo ſemet abſolvere queat Vir Clariſſimus ab ea *neglectione mei operis*, quam ſupra a ſe removendam ducebat. An ergo non *negligit*, qui *nec legit*? Jam vero *Commentarium* meum *nec lectum*, a Cl. *Drieſſen.* nec *intellectum*, ipſæ illæ *Conſiderationes in novam verſionem Jobi* clamant. Sunt ſtricturæ leviculæ, ac velut ſubitariæ ſcintillulæ, quæ dum rapidus oculus, & ignea Viri mens, *Verſionem*, & *Commentationem* formidabiliter magnam, transvolant, inter celerandum emicuere; ipſæ quid ſibi velint, quid petant, & quo cadant, neſcientes. Hoc quivis *conſiderationes* haſce inſpiciens, mecum agnoſcet. Non negabit etiam, ſat ſcio, V. C. ſeque nec *legiſſe* omnia, nec *legere potuiſſe*, præ temporis brevitate, nec adeo *legere voluiſſe*, propter occultam quandam rationem, quæ mox pateſcet, haud diffitebitur. Ni id foret, & ſi Eum vel *legere potuiſſe* omnia, vel *legere voluiſſe*, ſupponerem, ſimul colligere deberem, longe, longeque, maximam partem meæ *Verſionis*, & *Commentationis*, album calculum abſtuliſſe, & quicquid in *conſiderationibus* non taxatur, eo ipſo ſilentii quaſi ſigillo comprobari, & confirmari. Id nullus, credo, concederet graviſſimus cauſæ meæ Examinator; & ſi illuc arrogantiæ eveherer, ſummo jure eam compeſcere, ac confutare, poſſet ex eo, quod necdum reliqua *legere* vel *voluiſſet*, vel *potuiſſet*, quum hæc ſpecimina ederentur.

Non eſt ergo, quod mihi placeam, aut de reliquo meo opere aliquid confidam. Eſt potius, quod admirer incredibilem ſolertiam, qua Cl. *Drieſſen.* ſemet reliquo *legendi* tædio abſolvit, atque uno ictu univerſum noſtrum *Commen-*

mentarium, cum ſua ſibi *Hypotheſi*, *Verſione*, *expoſitione*, deſtruendum ſumſit.

Iſtud conſilium, quod conſummatiſſimum arguit palæſtritam, indicat *pag.* 2. *Sed quia politiſſ.* SCHULTENSIUS *eandem hic inſiſtit viam, quam in ſuis* Ling. Hebr. Defectibus, *iisque reſarciendis, & Ling. Hebr. Originibus, inflexerat, quod & in præfatione declarat, intelligo horum* Fundamentorum ſoliditatem *eſſe tentandam, ſicque dictas illas* Tractationes *amicæ Diſcuſſioni permittendas eſſe.* Atqui *Hypotheſes* meæ circa *ſtatum Controverſiæ* inter *Jobum*, & *Amicos*, nihil commune habent cum *Originibus*, *opuſculoque de Defectibus*; & jam vereri incipio, ne Cl. *Drieſſen.* ipſam quoque *præfationem* meam *legere* dedignatus ſit, nam diſerte ibi commonui, me *gravitate*, & *mole*, *rerum*, *ſenſuum*, *adfectuum inter ſe colliſorum*, velut magno quodam mari deprenſum, *Originum amœna litora*, quæ legere *Commentatione* mea deſtinaram, tenere non potuiſſe: atque *Verborum* curam enodatiorem amputare coactum fuiſſe; ut totus nodo implicatiſſimo horum certaminum evolvendo vacarem. Qui vel primis labris *Linguæ Jobeæ* guſtum capere potuere, non parcum tantum, ſed ferme ſiccum, me, in ejus enucleatione, non immerito criminarentur. Aliquid hic, illic, fateor, interſperſum, ſed ſerie rerum non invitante ſolum, verum etiam cogente.

Non video proinde, quid Cl. *Drieſſen.* qui *Hypotheſin* meam in *Libro Jobi* explanando trutinare, eique accommodatam *Verſionem*, ac *Commentationem* perpetuam, juſtis lancibus committere debuiſſet, tam ſubitario flexu transverſum egerit, atque ad *Originum*, *Defectuumque*, examen abripuerit: niſi forte, quod quum ſciret, *novas* iſtas *curas* non omnibus æque gratas veniſſe, In eas invadendo certam ſibi deſponſaverit victoriam, qua *Commentarium Jobeum* ſimul triumphare, atque citra ulteriorem Lectionem confutatiſſimum dare poſſet.

Tale quid, ni fallor, elucet ex periodo ibidem p. 2. ſubnexa. *Si ex* Arabiſmo *ea qua vir πολυμαθέςατ⊕ inſtituit methodo lux magna S. codici affundi poſſit, vincat V. C. Hypotheſis, atque per meam banc oppoſitionem nitidior effulgeat.* Nobile: ut & illud; *Grata mihi lux, qua data cumque manu* &c. Sed non idem character ſequentis *pericopæ*, in quam omnia librato ictu deſtinabantur. *Si vero* JUSTUS *poſſit eſſe* METUS, *ſi tot receptæ Vocum Hebræarum ſignificationes, præter neceſſitatem, & invitis veræ Hermeneutices legibus, migremus, vocesque incognito hactenus, longe diverſo, ſignificatu, ex* Arabia *advecto, induamus, ne* SOLLICITUDO *quem inceſſere poſſit*, dubios *eſſe hactenus, in quam plurimis, S. dictionum* veros ſignificatus; *identidem poſſe figi, & refigi, variante Hypotheſi, & methodo:* &c. *haud quaquam probiberet V. D. ſua exigi ad ſeveram, logicamque, methodum.* Magnanimiter, graviter, Erudite, ut nihil ſupra. Inſiſtamus paululum pulcherrimo Exordio, quod totius Libri conſpectum, ſinumque ſimul Scriptoris, enudat. *Si juſtus poſſit eſſe metus ne quem ſollicitudo inceſſere poſſit.* Enim vero ſcio, non ſolum *Drieſſenium* noſtrum huic *metui ſollicitudinis* adfinem eſſe, ſed & alios ſimilis ſapientiæ, ac gravitatis, complures; qui *lucem* ferre nequeunt. Et quid eſt tandem quod *metuitur?*

Digitized by Google

tur? Dubios eſſe, hactenus, veros ſignificatus S. Dictionum in quam plurimis. Neſciebam, *Veritatem* tam *meticuloſam* eſſe. Neſciebam, quod *verum eſſe* ex certis principiis ſciretur, idem quoque *dubium eſſe* poſſe. Si *veri ſignificatus*, non habent ſane quod *metuant*. Stant in arce invicta. Qui eos oppugnat, ludibrium æternum *orbi Erudito* debebit. Sed *recepti* ſunt, inquit Cl. *Drieſſen*. An quicquid *receptum*, continuo *verum?* Senſit ipſe V. D. abſurditatem. Addidit ergo *ſi tot receptos ſignificatus* præter neceſſitatem *migremus*. Optime vero. Adjecit item, *& invitis veræ Hermeneutices legibus*. Nil pote ſolidius. Demonſtretur ergo *Schultenſium* tum *præter neceſſitatem*, tum *invita Hermeneutica*, in ſuis propalandis proceſſiſſe; & deponatur ille Viris indignus metus; quo vereor ne nimis conſtrictus Cl. meus *Adverſarius*, conciderit ante, quam pedem mecum conferre valuerit: per univerſam enim ſcriptionem hancce nuſpiam ſtat, ſed jacet, atque ita jacet, ut juſta *Colluſionis*, meam in gratiam ſuſceptæ, ſuſpicio quem inceſſere poſſet; niſi aliunde de V. C. genio, ingenio, ſententiis, ſenſibus, ſatis conſtaret.

II. Quando interim Cl. *Drieſſenio* ita viſum, ut ab *Hypotheſi* mea in *Jobum*, tranſſiliret ad *Hypotheſin* in *Originibus*, & *Defectibus*, jactam, ut ita omnia uno niſu convelleret; videamus quomodo *parag.* II. manum operi admoliatur. *Ut ergo in rem præſentem veniamus, ſedulo circumſpiciendum eſt, quæ* media, *vel* adminicula, *Divina providentia deſtinarit ad publicum, & magnum in Eccleſia uſum, comprobatum eventu irrefragabili* &c. &c. Reliqua exhibui jam *Diſputat. præmiſſæ Parag.* XX. Enumerantur quatuor *adminicula* 1. *Verſio Græca*, cui *primatus* defertur. 2. *Verſiones* aliæ *vetuſtæ*. 3. *Judæorum opera* 4. *Lexicographi his adminiculis adjuti.* Hæc ſolidiſſimus Diſſertator ait *omni tempore deſtinata a providentia Divina ad publicum, & magnum, in Eccleſia uſum; ea præcipuum quiddam habere: & inſignem cum illis connexam eſſe benedictionem.* Non ſatis capio illud omni *tempore*: ſed tranſeat cum ceteris; neque enim ad verba cavillanda in arenam deſcendo. Rogo tantum, *An hoc jam ſit in Rem præſentem venire?* Meo quidem judicio eſt *rem præſentem, in quam veniendum ſit, penitus ignorare:* vel, ſi hoc malit V. C. *deſerere*, & ad pulverem ſpargendum in alium longe campum divertere. Ego, quum de *Originibus* conſcribere cœpi, arduo molimini ea præſtruxi, quæ magno ſilentio nunc tranſmitti video. Hoc ſilentium non ſine gravi cauſa actum, in omnium oculos incurret, ſi eorum brevem conſpectum denuo aperuero.

Dexteritas Cl. Diſſertatoris in ſtatu controverſiæ ne attingendo quidem.

Introductionis loco paucis attigi, ad quantum nitorem *Græca*, & *Latina*, *Literatura* effloruiſſet: quum *Hebraica* adhuc cum magnis difficultatibus, & tenebris, colluctetur. Hanc *fundi* noſtri *Hebraici calamitatem* variis e Cauſis deduxi, atque palpandam praebui. *Primam* poſui *jejunam* illam *Linguæ* hujus *colendæ rationem*, quæ a longe maxima parte Studioſorum non ultra *Grammatices Elementa* extenditur. *Alteram* addidi, *penuriam Cultorum* ejus, *talium* nempe, qui ex aliorum auctoritate pendere non coguntur; ſed ſuiſmet oculis videre, ſuiſmet ſtare valent pedibus. Adjecta & *tertia*, nec *Rabbinos*, nec *Lexicographos*, iis præſidiis fuiſſe inſtructos, quæ ad *Origines*, & *abdita* Linguæ *penetralia*, facem prælucerent. Denique *quartam* hancce ſubſerui omnium

omnium graviſſimam, unde omnis illa diverſitas, & ſententiarum fluctuatio, quæ in *Verſionibus*, in *Rabbinorum Commentariis*, in *Lexicographis*, regnans, emanarit: quod videlicet lateant ferme, quin & ſpecioſo prætextu velentur. *Defectus* bene multi, non *Linguæ* ipſius utique, ſed *fundamentalis* ejuſdem *Cognitionis*, per quam quicquid tot per ſecula obſcurum, atque infinitis disſenſionibus obnoxium, tandem dirimi, atque decidi, queat.

Hos *Defectus opuſculum* ab iis inſcriptum ad *Octo Claſſes* reduxit, atque quibusdam ſpeciminibus in Oculis omnium defixit. In *prima Claſſe* ſtant, *Radices* quæ *Linguæ Hebrææ* reſtitui debent, ſi *Lectio Biblica*, & *Analogia*, conſtabunt. *Secunda* comprehendit multa *Themata*, vel & *Derivata*, de quibus *Verſiones*, *Rabbini*, *Lexica*, toto cœlo inter ſe diſſident. *Tertia* complectitur verba bene multa, quibus *ſignificatio* addita non *ſua*, ſed *aliena*, ex fonte minus limpido, vel & manifeſto errore, inducta. *Quarta* late ſe diffundit per eas *Radices*, quibus *Lexica* diverſiſſimos, & diſcordiſſimos, ſæpe addunt ſignificatus, quinque, ſex, ſeptem, plures etiam, quorum *Formam*, ſive *Originem*, Cl. *Bohlius*, *Guſſetius*, aliique, in ingenii ſui Officina cudere conati. *Quinta* ſe extendit ad ea *verba*, quorum *uſus exterior* ex Orationis ſerie ſic ſatis percipitur, ſed quorum *interior proprietas* nulla acie humana penetrari queat, niſi major lux accedat. *Sexta*, huic proxime juncta, amplectitur etiam vulgatiſſimas *Radices*, de quarum item *Origine* nec liqueat, nec liquere poſſit, niſi *Dialectorum* fax alluceat. *Septima* verſatur circa infinitam illam *Anomaliarum* molem, qua *Grammaticam Hebraicam* etiamnum laborare nemo ignorat. *Octava* pertinet ad integras loquendi formulas, cœlo *Orientis* proprias, & non niſi ad lumen *Orientalis Literaturæ* intelligendas.

In hiſce exponendis nihil aliud ſecuti ſumus, quam quod res ipſa, & ratio, cuivis ſuggerunt. Qui de iis dubitant, hos nunquam materiem hancce ſatis conſideraſſe, atque expendiſſe, certiſſimum. Nemo unquam contradixiſſet, ſi non ambiguitas quædam vocabuli *Defectus* neſcio quid male fauſti erroris offudiſſet. Exiſtimatum fuit a multis, qui noſtra non legerunt, me ipſi *Linguæ Hebrææ magnos* adfricare *Defectus*, atque ita *Dignitatem*, ac *perfectionem*, *Sacri Codicis* non parum minuere. Atquin, diſertiſſimis verbis conſignatum *Par.* X. *Opuſc. de Defect.* me *octo graviores imperfectiones* partim *agnitas* ab omnibus. partim *minus intellectas*, indicaturum, *quæ Linguæ Biblicæ cognitionem penitiſſimam, & limpidiſſimam, etiamnum præpedirent, omnemque ejus Majeſtatem exhaurire non paterentur.* Num qui ita loquitur *Linguam Biblicam minuit*, an contra evehit, & Cœlo locat? Si quis mihi veri ſenſus, minnunt eam, ejuſque *Majeſtati* debitam non exhibent venerationem, qui ſe eam *perfecte*, *complete*, & *omnibus numeris abſolute*, intelligere dictitant, atque *nullos* in *cognitione* ejus *hodierna defectus* agnoſcere volunt; quibus majore luce occurrendum ſit. Sed hæc alias forte, ex profeſſo, ad *Linguæ Hebrææ veterem amplitudinem*, *opulentiam*, *gravitatem*, atque *Excellentiam*, ex *Naturæ* fontibus adſtruendam. Nunc verbulo hæc attigiſſe contentus, colligo, idque omnes ſolidos Arbitros mecum collecturos perſuaſiſſimus ſum, *tantas* illas *Dotes Linguæ Hebrææ* non poſſe reſtitui, neque, ut par eſt, vindicari, niſi

in

Digitized by Google

in priſtinum veluti Regnum reponatur; atque ex *unius Libri cancellis* educta, immittatur in *ampliſſima* illa *latifundia*, quæ *copioſiſſimæ* ejus *Dialecti* nobis adſpicienda, & perluſtranda, præbent.

III. Huic jam *Majeſtati*, & *Eminentiæ*, *Sermonis Biblici*, quam graviter, & ſapienter, conſulat Cl. *Diſſert.* & quam profunde meditatus ſit ad *ſtatum controverſiæ* noſtræ, de *Originibus*, & *Defectibus Hodiernis*, ex *Parag.* III. eluceſcat. *Quare*, pergit, *nil temere agendum*, *vel* directe, *vel* indirecte; *per quod illa* Adminicula i. e. *Verſiones*, *Rabbini*, *Lexicographi*, *in quibus ſuppeditandis mirabilis & benigna fulſit Dei Providentia* &c. magis, *vel* minus, vileſcant; *& ne in illorum locum reponantur ejusmodi* adminicula obſcuriora, *quæ expreſſos illos mirabilis Providentiæ Characteres non habent* &c. Integrum locum, aliis adhuc floſculis ornatum, jam excerpſi *præced. Diſput. Par.* XX. ibique quantum in iis prudentiæ, quantum pii Zeli, nudavi. Nunc addo, omnia tamen hæcce plane extra oleas ferri, & *Quæſtionem* noſtram ne attingere quidem, nedum ferire. Pro *magnis* habeo *adminiculis* & Ego, *Verſiones Veteres*, *Rabbinos*, *Lexicographos Principes*, qui cum dignitate, & judicio *Hebraica* tractarunt, *Providentiam Divinam* in his *adminiculis* nobis ſubminiſtrandis, adoro atque deveneror & Ego. Sed hæc apta eſſe ad *Origines Linguæ Hebrææ* nobis pandendas, nemo adhuc in *Orbe Erudito* aſſeveravit, præter Cl. *Drieſſen.* Alios omnes Viros Doctiſſimos, qui in Palæſtra hacce ætatem contrivere, alia præſidia, & adminicula, circumſpexiſſe ad hanc *Linguæ* abſtruſiſſimam partem reſerandam, nuper palam factum. Inde non ſine ſtupore quodam, credo, perceptum ab iis, qui *Sacra* noſtra procul venerantur, quid *Forſterus* & *Avenarius* deſignarint, in *Vitreo Syſtemate* conflando, quod inter manus ludentis ſemet confringit. Quid *Boblius*, quid item *Guſſetius*, auſi fuerint, *Verſionibus*, *Rabbinis*, *Lexicographis* omnibus, quos Cl. *Drieſſen.* conſecratos voluit, res ſibi ſuas habere juſſis; ut & *ſignificationes*, & *Origines Verborum* ſimul, ex *ſagacis ingenii Officina* conſtituerentur. Mitto *Hieroglyphicum* illud *Syſtema* Cl. *Neum.* & *Læſch.* quod magnam ſui admirationem commovere debuit Cl. *Drieſſenio.* Non capio cur omnium horum nullam mentionem moverit. Minus adhuc percipio, cur in ſuperiori *Catalogo adminiculorum*, *in quibus benigna Dei Providentia fulſit*, *& quorum uſus longo tempore Divina Benedictione uberrima comprobatus fuit*, non compareant *Dialecti*, *Chaldaica*, *Syriaca*, *Arabica*, unde tot Magni in *Literatura Hebraica* Viri, tantum luminis, in præcipuas *Linguæ* partes certatim infuderunt. Dicamne Cl. *Drieſſen.* eorum *nomina*, *merita*, *ſcripta*, ignorare? Non licet. Non fas eſt. Cur ergo non laudantur? Cur debitus iis honor non habetur? Cur *Dialectorum fontes*, unde ipſi LXX. *Hieron. Rabbini*, *Lexicographi* etiam, quotquot vel minimum dignationis poſſident, hauſere, in iſta *recenſione* plane ſupprimuntur? Non percipio, ut dixi: niſi forte quædam dexteritas id ſuaſerit, quæ non permittebat, ut *Dialectorum Cognitio* inter *Adminicula Clara*, & *recepta*, collocaretur: quia ſic *jocularíam* eſſe totam hancce *aggreſſionem* omnibus, etiam materiæ hujus minus intelligentibus, in oculos incurrere debuiſſet.

Eodemque obſcurando, & involvendo.

Non fuiſſet certe tunc locus *fortiſſimæ* huic *inſtantiæ*, qua ſe animoſius paulo infert noſter oppugnator, ſic pergens, *imo quæ forte a* Regia *& calcata piis, Doctisque, Majoribus noſtris* via, *a Vero S. Literarum ſignificatu*, *& puriſſimo Idiotismo Biblico*, *in* avia, *& ſignificatus alienos*, *inficetos*, &c. *abducerent*, *& novam neſcio quam Linguam Scripturis invitis obtruderent*. Vides arma *Decretoria*: quæ tamen *Luſoria* plane extitiſſent, ſi Superiori *Catalogo* jam inſertæ fuiſſent *Dialecti Orientales.* Quos autem *Majores* ſuos numeret Cl. *Drieſſen.* ad *Periodum* hanc *ſtemmate Sacro* ornandam, neſcio. Ego quidem in Veſtigia inſiſto *principum Theologorum*, & *Philologorum*, qui ubique *Regionum*, inde a tribus jam ſeculis, *Rem Hebraicam* ex ditiſſimo penu *Linguarum Orientalium* illuſtrarunt, & novo ſplendore perfuderunt. Hanc ſolam agnoſco *Viam Regiam*, ad *Defectus Verſionum*, *Rabbinorum*, & *Lexicorum*, explendos: quum qui hinc reſiluerunt, ipſi in *avia* præcipites abierint, & nobis *incerta*, & *periculoſa*, illa *Hebraizandi fundamenta* reliquerint, quæ Diſputatione præmiſſa luſtravimus. His *Majoribus* ſuperbire Cl. *Drieſſenium* facile patimur: nos noſtris contenti, ad eorum exemplum *Linguam Biblicam* a ſordibus ignorantiæ magis magisque repurgare conabimur; ut ſic non *Nova*, ſed *Renovata*, atque ad priſtinum Decus reſtituta, eniteſcat, *Scripturis* non ſane *invitis*, ſed hoc ipſum officii depoſcentibus ab iis, qui *Sacratiſſimorum Oraculorum interpretationi* manum admovere volent.

Hic vero mirari ſubit Clementiam Viri, qui poſtquam tam gravibus armis me ſtraviſſet, mox in gratiam cum *Dialectis*, ipſa quoque *Arabica*, redit, uno halitu addens: „ *Lætus*, *lubensque*, *agnoſco*, *ſi quæ* Dialectus Orientalis, „ *præſertim* Arabica, *Illuſtrandæ matri Hebrææ officium filiale præſtet.*" Nomine *Dialectorum* grates quam gratiſſimas perſolvo Cl. *Drieſſenio*, quod eas non excluſiſſimas, ut facere prima fronte minabatur, eſſe juſſerit: *Arabica* præſertim ſolidum gaudet gaudium; quod quum poſtponi à multis ſolita ſit, quin & pro peregrina contemni, nunc ceteris præpoſitam ſe cernat. Dolet tamen iterum, quod verſo mox ſtilo configatur denuo: *ſed nullus admiſerim hactenus*, *ex Lexicographis & Scriptoribus Arabicis lucem ea ac volunt Viri D. D. aliqui methodo in Hebræam matrem infundi*: *hujus adminiculi uſum tam eſſe prædicandum*, *&* receptis adminiculis *tam eſſe anteferendum*, *ut de his abjecte ſentias* &c. *Contraria mihi prorſus ſedet ſententia.* Si auderet obloqui *Dialectus Arabica*, diceret, hoc pacto ſimul frigidum, ſimul calidum, uno ore proflari: ſed ne limites verecundiæ excedat, contenta eſt reſponſione quam pro ipſa dedimus *Par.* XX. *diſput. præced.* atque ad reliquam etiam Orationem adverſus ſe conſumtam à Cl. *Diſſertatore Parag.* III. nihil aliud reponet, quam quum *Amphora inſtitui* cœpiſſet, *urceum*, currente rota, *exiiſſe*: atque ex fulgore tandem datum eſſe fumum, qui totum Controversiæ Statum penitus obſcurarit; atque oculis Legentium ita ſubduxerit, ut quo de agatur, cum ignariſſimis juxta ignorent.

Methodus Hebraizandi

IV. Ingredimur cum Cl. *Diſſertatore* in *Parag.* IV. ubi cornua commovet diſputationis ſuæ, atque in aciem adverſus me ita educit. „ *Verſiones*, *& ex* „ *iis Lexicographi*, *facientе Divina providentia*, *reddiderunt nobis vel ſignificatus* „ pri-

Digitized by Google

„ primarios, ſimplices; *vel* ſecundarios: *ſignificatus* univerſales, *vel* deter- *Drieſſe-*
„ minatos: *quando mediante ſignificatu ſecundario, vel univerſali bis, illis, par-* *niana.*
„ *ticularibus applicito ad ſignificatum* primigenium *pulchre adſcendimus. Conſer-*
„ *varunt, inquam, ſi non Interpretes & Lexicographi omnes ubivis, certe* pleri-
„ que, *ſaltem* aliqui, *ſignificatus vel* primarios, *vel* ſecundarios: *quando ex*
„ *locorum attenta conſideratione, adhibito* judicio critico, *ſolide* dijudicamus,
„ *qui interpretes, & quibus in locis,* &c. *verum ſignificatum tenuerint, & an ab*
„ *ipſis expreſſus ſignificatus ſit primigenius, an ſecundarius,* &c.

Quanta vis *Eruditionis*, & *Solidioris Critices*, ad *Medullam veritatis* recta pergentis, in hac *periodo*, admirabiliter tornata, reluceat, *Parag.* XXI. *præced. diſput.* ſtrictim inſpectandum dedimus. Nunc profundiuſcule in eam, ſi pote, penetrandum, quod pauciſſimæ hæ lineæ nobis aperiant, emuniantque, *Regiam* illam *Hebraizandi viam*, quam Cl. *Diſſertator* ipſe, haud dubie, ſemper tenuit, atque omnibus, qui ad *Hebrææ Linguæ adyta* admitti cupiunt, obſervandam commendat.

Ne quid, quod ad rem facit, invidus premam, aut *juvenes*, quibus hæc *Methodus* arriſura, celem; narrabo, quid, ante annos quinque admodum, ſermonis mihi cædere contigerit, cum Studioſo erectioris ingenii, qui quum longo ſatis tempore fortem *Philoſophiæ*, & *Theologiæ*, operam navaſſet in *Academia Groningana*, ſeſe ad nos tranſtulerat. Apparebat quidem, eum *Linguis* excolendis natum non eſſe; & tamen *Linguæ Hebrææ* grande ſtatuebat pretium, ejuſque penitius diſcendæ cupidiſſimus videbatur. Poſt aliquot ſeptimanas, menſesve, ſub diſciplina noſtra transactos, ad me acceſſit. Rogat, num neceſſe foret ad *Cognitionem interiorem Linguæ Biblicæ* tam longum ire iter, atque etiam *Dialectos* tam late fuſas perrimari? Reſpondi, aliam viam, nec naturam rei dare, nec mihi cognitam eſſe. Ibi ille: an non *optimæ* dantur *Verſiones*; & *Lexica*, à magnis in hac palæſtra viris confecta? Sane vero, inquam. Ergo, inquit, non eſt cur tam longum, & moleſtum, iter ſuſcipiatur. Quid ita? inquam. Nempe, inquit, ex illis *Verſionibus*, & *Lexicis*, optimum quidque non ita difficulter ſeligere potero, bona *Logica*, & *Metaphyſica*, armatus. Tum ego; nil fallacius iſto judicio, quod non aſſidua Lectione ipſorum Fontium alitur, & vegetatur. Ingens præterea *Lexicorum* inter ſe diſſenſio, & pugna. Denique in nullis *Verſionibus*, *Lexicisve*, reperire eſt; pro magna ſaltem parte, illud *primigenium*, quod nativam pulchritudinem *Linguæ* adſpiciendam præbet. Ibi tum ille, non deſpero, inquit, me omnes illas diſſenſiones, & obſcuritates, ad lumen *Philoſophiæ* perrupturum, quin ipſum illud *primigenium*, quod deliteſcit, vel ex farragine diſſonantium notionum, exſculpturum. Hic finis factus, niſi quod ſubridens adjicerem, mihi non tam beatam eſſe ingenii venam, ut ad tantum in Arte mea faſtigium unquam poſſem eniti.

Redeo ad Cl. *Drieſſenii* profundiſſimam illam præceptionem, quam ſupra vidimus. Neſcio quid primum in ea admirer, quid ultimum, adeo omnia eminentem quandam lucem ſpargunt. Nil meditatius, in primis, illa pericope, *Conſervarunt inquam, Interpretes*, & *Lexicographi, ſi non* omnes *ubivis,*

certe plerique, *ſaltem* aliqui, *ſignificatus vel* primarios, *vel* ſecundarios, &c. Eſto: ſed *quinam illi aliqui?* ut ſciam quos ſequi debeam. Inter *Lexicographos* quidem non plus concordiae reperio quam inter *Structores turris Babylonicæ*. Rogo nunc, quinam veram *Linguam Canaänis* loquantur? Eadem res cum *Rabbinis;* cum *Verſionibus*, qua *Veterum*, qua *Recentiorum*. Sed ex *attenta conſideratione*, inquit, *locorum adhibito judicio Critico*, ſolide dijudicamus, *qui interpretes, & quibus in locis S. Scripturæ* (*ſi iidem interpretes non omnibus locis eandem dant verſionem*) *verum ſignificatum tenuerint*. Habes ultimum conatum ingenii humani, quo nihil vel ſublimius, vel ſolidius, quicquam productum in *Orbe Erudito*, ad *Rem Hebraicam* magnifice conſtabiliendam, atque ad ſupremum culmen uno momento provehendam.

Ut magnitudo *inventi*, & *Inventoris* incredibile in hiſce acumen, in illuſtri locentur, *quinque*, *ſex*, *Canones* dabo, ad quos omnia redeant. *Primus eſt*, *providam Dei*, *Eccleſiæ ſuæ invigilantis*, *curam jam curaſſe*, *ut in* Verſionibus, Rabbinis, & Lexicis, *omne illud lumen contineatur*, *quod ad* Linguam Hebræam *in omnibus ſuis partibus*, *maximis*, *minimis*, *rite conſtituendam*, ac præſertim ad *primævas Origines* enucleandas, & claro in die collocandas, requiritur. *Secundus*, illud *lumen ſi jam non* omnibus Verſionibus, Rabbinis, Lexicis *inſit*, *certe* plerisque, *ſaltem* aliquibus *ineſſe*, *non ſolum pro* ſecundariis, *ſed etiam pro* primariis *Radicum ſignificationibus;* quia alias Divina providentia non ſatis providam *Eccleſiæ* curam geſſiſſet. *Tertius*, quum infinitum quantum inter ſe diſſideant *Veteres Verſiones;* toto etiam cœlo a ſe invicem abeant ſæpe *Rabbini:* denique *Lexicographis* fere quot Capita, tot ſenſus ſint: *ex attenta conſideratione loci*, vel *locorum*, *ubi vox aliqua occurrit*, *adhibito* judicio Critico *mox* ſolide dijudicari poſſe, quinam *verum Vocabuli Hebraici ſignificatum* expreſſerint, ſimulque an *ſignificatus* ille *primigenius* ſit, an *ſecundarius*. En *quartum;* ad *Linguam Hebræam* pulchre *reſtituendam*, ad ſplendoris faſtigium educendam, nil opus eſſe *lumine* ex *Orientalibus Linguis* hauſto, ſed bonam *Logicam*, ac *Metaphyſicam*, illi provinciæ præficiendam. Ita diſerte graviſſimus Scriptor, *Diſſert.* p. 61. *Sanior Philoſophia*, *ancillata locorum S. Script. meditationi*, *collationi*, & *longo uſu probata auxilia*, i. e. Verſiones, Lexica, *aſſumens*, *plus præſtat quam omnis Arabia.* Item p. 64. *Mirum*, *quod heic nihil opis attulerit ex Arabia. Sed opus non eſt*, *nihil laboramus adjuti* receptis auxiliis, & Sano ratiocinio, *quod utinam magis atque magis in Lexicis regnet*, *per omnem paginam lucem ſparſurum præ omni Arabia!* Dignum magno *Philoſopho*, & *Theologo*, votum! En aliud adhuc *pag.* 79. proſtans. *Denique Arabes illi non dicunt & ſimul probant illos ſuos ſignificatus figuratos eſſe primigenios*, *ſed indicant uſus receptos:* & *quis ab ejusmodi* Philoſophis *expectet erutas primas & ſimplices rerum notiones*, *in quibus vel ipſe Vir Doct. alibi agnoſcit ordinem nullum*, *nullum Lumen Criticum? Addat nullum Metaphyſicum*.

Cave tamen credas, *Dialectum Arabicam* iterum e gratia Viri Cl. excidiſſe: pergit enim uno halitu *Ibid. Sed an igitur nullus* Arabismi *uſus in Lingua Biblica? Certe idem qui Syriasmi*, *Chaldaismi* &c. Non expectaras: ut nec hoc credo: *Si quæris quæ* Dialectorum *in hoc uſu principatum teneat*, *non eſt* opis

meæ

meæ *iſtam Litem componere*. Quid audio? An Cl. *Drieſſenius* has *Dialectos* ergo non didicit? non intelligit? Id ne ſuſpicari quidem forte fas fuiſſet: & ecce nunc rotundis verbis id credere nos cogit modeſtiſſimus Virorum, qui nihil ſibi arrogatum vult in incognitis hiſce materiis, quamvis integram de iis *diſſertationem* adverſus meam *Hypotheſin* deproperarit. Atqui *nulla* hic *Lis* inter principes noſtros, qui ad *Dialectorum Fontes* penitius admiſſi. Hi communi calculo *Arabicæ Dialecto*, ut *Opulentiſſimæ*, *principatum* detulere. Contradictum ab iis quibus ad hæc *Sacra* accedere vel non lubuit, vel non vacavit. Hanc *Litem* ipſi, qui eam movent, ſtatim component, atque *periment*, ſi *Arabica* diſcere non dedignabuntur. Alias nunquam eam ſopiendam fore prævideo.

Agmen claudant *Quintus*, & *Sextus*, *Canon*, omnium mirificentiſſimi, & qui *Methodo Drieſſenianæ palmam* vindicant, præ omnibus quotquot ſunt, fuerunt, erunt. *Confido*, inquit, *pag.* 78. *τῶν ἅπαξ λεγομένων ſignificatum*, *ſi non ubique propriiſſimum*, *eum ſaltem*, *qui loci ſenſum non turbet*, realiter figi *poſſe ex nexu*, *ſcopo*, &c. *mediantibus illis quæ Deus supereſſe voluit adminiculis*; i. e. Verſionibus & Lexicis. *Et quod ad* derivata *quorum* Radix *jam deſideretur*, *ſi vere deſideretur*, Radix *qualis fuerit*, & quid ſignificarit, Judicio Logico *adſequimur*, Jam, ignoſcite Sancti Manes! ſubiraſcor ferme venerandis meis præceptoribus, quorum ab ore in *Academia Patria* pependi, quod Divinam hancce *Logices* potentiam mihi *Orientalium Linguarum* amore flagranti non indicarint; ſed contra Auctores fuerint alacriter curriculum hocce decurrendi. O quam celerem, quam ſublimen, tunc volatum capere potuiſſem, qui nunc lentis illis niſibus, greſſibusque, quibus *Dialectorum Orientalium* ardua ſuperare conatus ſum, necdum tamen finem video, ſed ſemper ulterius quid dari deprehendo. O quam ſolide tunc *Origines Hebræas* pandere valuiſſem, etiamſi forte leviculam tantum, ut fieri ſolet, harum *Literarum*, tincturam percepiſſem. *O mihi præteritos referat ſi* &c! Sed mea quidem jam tempora abiere & nunquam, ut video, ad tantum hocce faſtigium potero aſcendere. Vos læta ſtudioſorum cohors, quibus *Lingua Hebræa* nihil moleſtius, *Dialectis* ejus nihil triſtius, terribiliusque; fortunas nunc Veſtras laudate, & tantis ſub auſpiciis, ad *Canonum* horum acumen ſimul, & lumen, *Literaturæ Orientalis* culmen, ſine ullo labore, conſcendite, atque de rebus, quas nunquam didiciſtis, Judices quoque, Veſtro tempore, Viri inter Viros facti, ſedete.

Ne interim quem fugiat, a quibus principiis profectus *Origines* non in *Verſionibus*, & *Lexicis*, indagandas, ſed ex *Dialectorum Orientalium* fontibus hauriendas cenſuerim; exponam & ego *Canones*, quod mihi uſus *Linguarum* ſuggeſſit, tam alteque infixit, ut ne latum quidem unguem inde deflectere ſuſtineam. I. *Omnes Linguæ* habent aliquid *ſingulare*, *domeſticum*, *ſuum*, præſertim circa *Origines*, quod in alias *Linguas* non eadem *virtute*, *dignitate*, *venuſtate*; & *amplitudine*, transfundi poteſt. II. Hic *Character* præ omnibus aliis, ob ſummam antiquitatem, eminet in *Lingua Hebræa*, ejusque *Dialectis* *Chaldaica*, *Syriaca*, & *Arabica*. III. Omnes *Linguæ* ſub *uno* vocabulo *unam* tantum *ſignificationem propriam*, & *primariam* poſſident. IV. Eædem tamen

omnes fœcundæ ſunt in *ſignificationes*, quas vocamus, *ſecundarias*, per *Metaphoram*, *Metonymiam*, *Synecdochen*, *Ironiam*, aliosve *tropos* Rhetoricos. V. Tanta hæc fœcunditas, ut *una princeps*, & *propria*, *poteſtas*, ſeſe aliquando ad *triginta*, *ſexaginta*, atque adeo *centum*, & ultra, *ſecundarias*, atque *tranſlatas*, explicet, & diffundat, haud ſecus ac *ſtirps* ramos, majores, minores, quaquaverſum dimittit. VI. Inter has *ſecundarias notiones* nulla ſæpe convenientia, nulla concordia; ſed contra diſſimilitudo, contrarietas, pugna. VII. Harum *diſſonantium ſignificationum concordia* inveniri nequit niſi præ manibus ſit *primaria*; unde *ſecundariæ* illæ profluxere. VIII. Hæc *primaria*, *princeps*, *propria*, *una*, in omnibus *Linguis* eſt rariſſimi uſus: quum ex adverſo *Metaphoricæ*, & *ſecundariæ*, multo creberrimæ ſint, & regnum obtineant. IX. Id adeo verum, certumque, ut aliquando *primigenia poteſtas* in magno *Libro*, & *Auctore* copioſo, ne ſemel quidem occurrat, ubi *ſecundariæ poteſtates* omnem paginam implent, & ſexcenties recurſant. X. Quo minor copia *Librorum* in aliqua *Lingua*, eo impeditior inveſtigatio harum *Originum*. XI. Si *unus* tantum *Codex* ex aliqua *Lingua* ſuperſit, per rei Naturam fieri nequit, ut in eo *plerarumque Vocum Origines* contineantur; ſed, ut inſinuatum, vel *nullæ* ibi comparebunt, vel multo rariſſimæ; ut ſane vix *ducentæ* dantur *Radices*, quarum *princeps* illa *poteſtas* in *Bibliis* conſervata, quia nulla ſeſe offerebat occaſio eam adhibendi. XII. Jam vero quæ *proprietas Linguæ* in ipſo, quo gaudemus *Libro*, vel *Auctore*, non continetur, ea ex illo certe *Fundo* effodi, & erui, nequit, etiamſi totam vitam in acerrima collatione, & contentione, locorum, conſumeremus. XIII. Nempe *ſecundariæ* illæ *notiones*, quæ per *Metaphoras*, *Metonymias*, *Synecdoches*, aliasque *figurationes* efflореſcunt, adeo liberæ ſunt, & ſolutæ, ut *a priori* nullo ingenio humano, nullo judicio Critico, nulla *Logica*, aut *Metaphyſica*, vel ſublimiſſima, attingi queant: ſed a poſteriori demum reperiuntur, id eſt per *Originem* pateſcunt, atque ſe ſua luce, & gratia, omnibus inſinuant. XIV. Ut *Origines Hebrææ* in *Verſionem Vernaculam* quamcumque transfundi nec debent, nec poſſunt, ita a ſenſu communi abhorret, eas ex *Verſionibus* ſive Veterum, ſive Recentiorum, indagare velle. XV. Quæ *Origines* ne in *Codice* quidem *Hebræo* conſervatæ, multo minus adhuc in *Verſionibus* exprimi potuere. XVI. *Primariæ* iſtæ *poteſtates Linguæ Hebrææ*, quæ in *Bibliis* non occurrunt, ſecundum naturam, & conditionem, rei, nuſpiam alibi nec reſidere poſſunt, nec veſtigari debent, quam in *Dialectis* ejus, totoque *corpore Linguarum Orientalium*. XVII. Nulla *Dialectus* ſibi ſufficit, ad *Origines* ſibi *ſuas* præſtandas; ſed omnes mutuam opem, lucemque, deſiderant. Nulla ſatis docte, ſolide, profunde, tenetur, niſi omnes ſub *conſpectu* habeantur. XVIII. Is *conſpectus* non in *Lexicis* panditur, ſed in *Libris*; quos qui non aſſidue verſat, nunquam ad vivum, & vegetum, harum *Linguarum* ſenſum perveniet.

Omnes hæ Regulæ, alibi exemplis, & rationibus, latius inſtruendæ, eam conſtituent Aciem, quæ omnem contradictionem facile ſit diſſipatura. Adjicientur & aliæ, quæ *Originum veſtigandarum* viam ulterius emuniant. Nunc ex omnibus hiſce dijudicandum cuivis relinquo, quid tandem de Cl. *Drieſſen*. uni-

Digitized by Google

univerſa *ſcriptione* ad *Origines* ſit ſtatuendum: quum ne quidem quid *Origines* ſint, meditatum, perſpectumque, Ei fuiſſe, appareat. Ergo id paſſus V. D. quod omnis, qui *Sphæram activitatis* ſuæ egredi ſuſtinet: atque nihil omnino, quod non ſemet deſtruat, ac confutet, adverſus me in medium produxit.

V. Expendendum reſtat, in *Exordio*, grave illud monitum, quod paragr. V. conſignatum. „ *Id vero probe attendendum, an Verſiones, & Lexicographi, exhibeant ſenſum primigenium, an ſecundarium; ſimplicem, an tralaticium. Hæc cura præprimis commendanda, ubi ex Lexicis, & Scriptoribus, Arabicis lucem aliquam Hebræis vocibus infundendam eſſe exiſtimamus* &c. &c. „ *Finge ejusmodi Lexicon ex quo primos, proprios, ſignificatus haurias, Narrare dicitur de Cœlis, de expanſo. Scaturire, de die, de nocte. Lætari, eſſe inſtar ſponſi, & Herois tentorium habere, de Sole: Pſ.* 19. *præliari, de ſtellis Jud.* V. *Novacula, de Rege. Duo titiones, de duobus Regibus, Jeſ.* VII. „ 4. 20. *Hoc tibi primigenios dabit ſignificatus?* " Sapientiſſimum hocce præceptum ideo mihi ſpeciatim inſinuatum, quod alicubi dixerim, *non ſemper Arabibus ipſis* Fontem primævum *eſſe introſpectum.* Veretur ergo Vir Cl. ne *Logices*, & *Metaphyſices*, lumine deſtituti, quippe quod in piſtrino *Linguarum* non luceat, diſcernere haud valeamus inter *primarium* & *ſecundarium*, ſed *Novaculam*, vel *Titionem*, *proprie*, *ſimpliciter*, *extra figuram*, capiamus pro *Rege bellatore:* atque ponamus voces התער, & אור, *primario Regem* ſonare, *ſecundario Novaculam*, vel *Titionem*. Id fiet quum σκιᾶς ὄναρ *umbræ ſomnium* principe loco, & ſine figura, *Hominem* ſignificare judicabimus, & quidem *Doctiſſimum;* quia omnes quotquot vivimus ἐπάμεροι, judice *Pindaro*, nil niſi σκιᾶς ὄναρ ſumus. Grata tamen ſubmonitio: & curabimus, ne vigilantes ſomniaſſe reperiamur.

Sapiens monitum Cl. Diſſertatoris.

S E C T I O I.

Qua Origo Radicis ישע *confirmatur.*

I.

Quum a longo tempore deprehenderim, eos qui *Origines* noſtras cavillantur, ne *Fundamenta* quidem *demonſtrationum* noſtrarum intelligere, res paulo altius repetenda; dandumque retro relapſis in *Belgio* ſtudiis humanioribus, ut quæ nemini non notiſſima olim exiſtimabam, nunc docere aggrediar, non ſine pudore.

Acceditur ad Rad. ישע

Qui *Origines*, & *opuſculum* de *Defectibus*, percurrere dignabitur; animum facile advertet, me debitum ſeculo meo exhibuiſſe honorem, & ubique ſup-

Digitized by Google

ſuppoſuiſſe *Lectores* ab *Humanitate*, & *Literatura*, tum *Græca*, non imparatos: ſaltem *communi* quodam *Literarum*, & *Linguarum*, *ſenſu*, eatenus prædítos, ut *exteriorem uſum* vocabulorum ab *interiore* eorum *Forma*, & *Origine*, diſcriminare valerent. Univerſa *Oratio Inauguralis*, qua *Profeſſionem* L. L. *Orientalium* juvenis auſpicatus ſum in *Ill. Academia Friſ.* quæ *Franekeræ* eſt, inſcripta, *de Fontibus ex quibus omnis Linguæ Hebr. notitia manavit*, *horumque vitiis*, *& Defectibus*, iſtam ſuppoſitionem omnis pagina præfert. Non potui aliter; non debui: niſi vanus videri voluiſſem, & arrogans, qui Doctorem agerem rerum notiſſimarum, & quæ inter *principia Elegantioris Literaturæ* cenſentur.

Quid primarium ſit, quid ſecundarium, in Linguis? Documento fuerit vel ipſum illud palmarium *ſpecimen* noſtrarum *Originum*, in *Themate* ישע, quod Cl. *Drieſſ.* fatetur *ſpecioſiſſimum*, *quo uſus Arabiſmi admodum commendari queat*, *ſi is ſit verus*, *& primigenius*, *ſignificatus*, quem in medium tuli. Nempe *principem* ejus *poteſtatem* poſueram, *laxum*, *ſpatioſum*, *amplum eſſe*; unde הושיע proprie ſonet, *laxum facere*, *elaxare in ſpatium*, *cum libertate*, *amplitudine felicitate omni*, *eum*, *qui miſeriis & anguſtiis arctabatur*. Iſtam *notionem*, diſerta *Dialecti* auctoritate ſubnixam, tam lucidam opinabar, tamque uberem ſimul, ut nullus ambigerem, quin velut radio ſolis ſcripta, ſeſe omnibus inſinuaret, præ reliquis aliis ideis, quibus *Verſiones*, & *Lexicographi*, ante hac uſi; *ſervare*, *ſalvare*, *tutum*, *ſoſpitem*, *incolumem præſtare*: *auxilium*, *opemve*, *ferre*. Adjiciebam, ex copia *Latini* ſermonis, *eripuit*, *liberavit*, *in integrum reſtituit*. Potuiſſem quoque, *vindicavit*, *aſſeruit*, *extraxit*. & alia, quæ aliis ex fontibus in eundem uſum exteriorem concinunt, atque conſpirant.

Omnes hoſce *ſignificatus* eſſe *ſecundarios*, ne nunc quidem a me impetro, ut quemquam fugere, aut fallere, poſſe credam, qui vel tincturam habet literarum. Et tamen eo jam deventum, o tempora! o ſtudia humaniora! ut hæc notiſſima eſſe omnibus, qui inter Eruditos nomen ſuum profitentur, ſupponere non liceat. Coactus itaque nunc moneo, *ſervo-avi*, fluxiſſe a *Græco* ἐρύω *traho*. *Salvare* a *ſalvus* productum, hoc autem a σάος, inſerta liquida, derivatum traditur. *Tutari* eſt a *Tutus*; & is a *Tueor*, quod eſt *video*, dein *ſervo*, ſic dictus. *Incolumis*, cujus primigenium eſt *Columis*, ſi *Iſidoro* id accredimus, eſt proprie, *Columnæ inſtar firmus & erectus*. *Eripere* palam *a rapiendo*, ut *extrahere* a *trahendo* ductum. *Vindicare* eſt *vim*, *injuriamve*, *defendere* ac *propulſare*: unde *Vindici* nomen factum. *Aſſertor* eſt *qui liberali cauſa aſſerit* aliquem *manu*, eumque *penes ſe ſtatuit*, impoſita in caput manu, cum ſolenni formula, *Hunc ego hominem ajo jure Quiritium liberum eſſe oportere*. Eſt propagatum a *ſerere* quod eſt *pangere*, *ſtatuere*, unde & *deſerere ſtipitem*, pro *deſtituere in agro*. Denique *Reſtituere in integrum* nihil habet obſcuri pro priori verbo, ſed non omnibus æque promtum, quid *integer* in ſinu gerat. Diſcant ergo hinc, qui ſacris hiſce non initiati, quid, & quantum interſit inter *primariam*, & *ſecundariam*, *poteſtatem*. Qui vel primis labris guſtavit *Latina*, in promtu habet, quis ſit, *integer vitæ*. *Integritas* præſertim *morum*. Eſt & *integritas corporis*, quæ alias *incolumitas*. Hinc *in integrum reſtitui* pro

con-

Digitized by Google

convaleſcere. Latius tamen patet formula, & per *ſecundarios uſus* ſeſe diverſimode explicat, atque diffundit. Roga jam temet, quid in *Origine Latina* ſit *Integer*, atque hoc ipſo diſcerne, quidnam ſit illud quod *Originem* vocitare ſolemus. Si ea Tibi præſto ſit, ſimul perſpectum habes, *primariam* iſtam *vim* perraram eſſe: quum *ſecundaria* millenis in locis compareat, ſi eam ignoras, tanto magis ſentias *ſecundarium* alicui in familiari uſu eſſe poſſe, absque ut unquam de *primario* cogitarit. Quid ergo tandem *integer?* Idem planiſſume quod *intactus*. Nempe *tango* Veteribus erat *Tago*. Inde *adteger*, eſt, qui *attingitur;* vel *cujus aliquid adtactum:* contra *integer*, eſt, *non tactus; quem nemo tetigit*, *læſit*, *violavit*, *imminuit*, *delibavit*, *præfloravit*. Alluſit *Lucret.*

Avia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita ſolo; juvat integros accedere fontes.

Sic *vas integrum* pro *intacto*, *virgines integræ*. *Integerrimæ pacatiſſimæque gentes* apud *Cic.* Item 4. *Verr.* c. 28. *ut pulchritudo hujus donarii recens atque integra ad oculos hominum perveniret*. Conſimili venuſtate, *Integerrimi diutina pace populi* apud *Liv.* 6. 7. & 7: 16. *Integer longinqua pace ager:* & 7: 13. *Res & gloria eſt integra.* Hæc omnia tamen palam *ſecundaria*, quatenus *tangere* per *Synecdochen* valet *lædere*, & *intactus*, pro *illæſo* frequentatur. Magis adhuc *ſecundaria* illa, *ſervare ſe integrum*, pro *neutrarum partium:* & *res integra. Integrum judicium. Integer*, *innocens*, *& religioſus Judex.* Item, *reſtituere in integrum damnatos:* &, *res adflictas reſtituere in integrum;* quæ apud *Ciceron.* paſſim proſtant.

In hiſce omnibus jam, *uſu ſecundario* conſignantibus, plus, minusve, id ipſum, quod *Hebræis* fuit הושיע, hactenus nihil habemus, quod *Originem Thematis* ישע declarare, vel definire, queat. Si dixeris eſſe *ſervavit*, pro *ſecundario adſpectu* concedo; pro *primario* qui eſt *traxit*, ne Tu quidem ipſe jam contenderis, credo. Par ratio reliquorum. Omnium minime conveniret, *in integrum reſtituere*, quatenus notio negativa *integri*, ſive *intacti*, non poteſt conſtituere *Originem* τῷ ישע, quod *poſitivum* quid ſignare debet. Ajo præterea operam ludi, quum *Origines*, ſive *primigeniæ poteſtates*, ex Copia *Latini Sermonis* in *Hebræum* inferuntur; & *Lingua Orientis* ſub peregrinum mittitur jugum.

Dices, Te *Verbis* iſtis *Latinis* uti ad *vim*, & *Emphaſin*, *Thematis Hebraici* tanto clariore in die locandam. Id facile patior: & ea conditione jam lubens amplector, quod Cl. *Cocc.* in *Lexico* poſuit, יֶשַׁע notare *ſtatum tutum, & incolumen*, *poſt miſeriam*. Atqui hoc apertiſſime *ſecundarium:* noſtra autem indago *primarium* quid perſequitur, atque inveſtigat. Id diſertiſſime inculcavi *Origin.* Part. I. *pag.* 8. eoque fundamento dixi *Originem hujus Radicis tanto majoribus tenebris implicari*, *quanto amplior lux*, *ex verborum ubertate*, *præfertur: non enim agi nunc*, quem uſum *noſtra Radix in conſuetudine loquendi ſuſcipiat*, *ſed id quæri*, *id laborari*, *quid ex* primo *ſui* ortu הושיע *denotarit.*

Digitized by Google

Adjeci, ut par erat, *nihil inde laudi Doctiſſimorum Virorum decedere; ſi verbi tam uſitati* Naturam, *id eſt* Originem, *&* primariam notionem, *expedire non potuerint, quia ea ne unico quidem in loco S. Codicis conſervata: quum alter ille* transſumtus, *& a prima ſtirpe* deflexus, uſus, *loca trecenta & quadraginta admodum occupet.* Ecquid moneri potuit expreſſius? Et tamen non intellectus fui. Quid cauſæ? Quia *ſecundarium*, & *primarium*, perpetuo fere confundere ſolent, qui ad interiora *Linguarum* non ſatis attendunt.

Appoſui *ibid.* quod ſaltem doctos Lectores advertere debuiſſet, *hinc effici, a Nemine unquam* Veram *hujus verbi* Indolem *vel indagari, vel ſaltem finiri, & certa ratione conſtabiliri, poſſe, niſi uberiori abundet ope, & luce, atque ea eſt, quam una ſola Sacri Textus lectio, & meditatio, ſuppeditare valet.* Iterum non intellectus fui: & tamen *Axioma* me poſuiſſe cenſebam: ut ſane omnibus qui *Linguas* callent nil notius, nil certius, nil dubitationi magis exemtum. Quando tamen hæc jam *paradoxa* nonnullis videntur, ex iis quæ ſupra perluſtravimus, rem illuſtremus. *Aſſerere* pro *Vindicare, liberare*, ſexcentis in locis occurrit. Poteſtas haud dubie *ſecundaria* eſt. Pone nunc, nuſpiam locorum apud *Latinos Auctores* obvium τὸ *ſerere*, pro *pangere, ſtatuere*, ſed *ideam* iſtam penitus ex *Libris* exulare; ecquid in tali caſu fieri poterit, ut ad *Originem aſſerendi* ulla humana acie, aut induſtria, cum certa demonſtratione, perveniatur? Eadem plane ratio in *ſervando*. Infinitis in locis *ſecundarium* exerit *uſum*. Ne unicus quidem ſupereſt in tot *Auctoribus*, qui *Originem* redoleat: nemo enim *Veterum*, quod quidem nunc ſuccurrat, *ſervare* pro *trahere* uſurpavit; quum apud Græcos ἐρύω & εἰρύω paſſim utramque vim exerat, *trahendi primigeniam* æque, ac *ſervandi* & *cuſtodiendi* translatam, atque *ſecundariam*. Sexcenta talia produci poſſunt.

Jam vero quis ille qui ſine *ope*, & *luce, Græciæ*, hanc *Originem* indagare, & vel ſuſpicione attingere potuiſſet? An non vaniſſimus mortalis in *Orbe Erudito* audiret, qui ſimile quid ſibi arrogaret? Et tamen eo usque tum ſui, tum materiæ ſuæ, obliviſcuntur nonnulli, qui *Hebraica* tractant, ut quod in *Linguis profanis* nefas judicarent, id in *Lingua Sancta*, videlicet, ſanctum & religioſum, cenſeri vellint. Mitiſſimum, quod de iis pronunciare poſſum, eſt, doctos illos viros diſcrimen *primariæ*, & *ſecundariæ, ſignificationis* nunquam ſatis percepiſſe: atque propterea omni momento cadere, & ruinas dare, ubi pulchre ſtare ſe autumant, imperitorum plauſibus excepti.

Quum ergo hæc eſſet conditio *Thematis* ישע, ut *Origo* ejus ex *Sacro Codice* exulans, inde nulla ingenii acie elici poſſet, *Dialecti* evidentiſſimam auctoritatem advocare non dubitavi, ad *primigeniam notionem* firmiſſima ancora fundandam. Nempe *Arabes* tum *ſecundariam* illam *poteſtatem*, quæ in *ſalute*, & *fortunarum* omnium *copia*, conſiſtit, magno, & multo, uſu amplectuntur: tum *primariam* quoque retinuerunt, in *laxitate*, & *ſpatioſa amplitudine*, ſitam: unde ſuperior illa prono, & limpidiſſimo ſane, alveo defluxit. Exiſtimabam tum temporis, atque etiamnum exiſtimo, nihil in hoc genere evidentius dari poſſe. Hinc continuo ſubſumebam; *hæc vera* Hebrææ Radicis *vis eſt, hæc dignitas, hæc Majeſtas, ad quam commendandam, ſi vel verbum addam, pu-*

tidus

tidus ſim &c. Adtexebam, nec pœnitet; idemque nunc multo fidentius adhuc reſumo: *Eant nunc viri docti*, *& Sacrum Textum ſolis inſtar ſuo ſe ſplendore aperire*, *pugnacius contendant*: *Eant*, *& ad omne foris illatum lumen oculos claudant*. Nempe ne umbra quidem dubitationis, ad hoc ſpecimen, ſupereſſe poſſe cenſebam apud omnes, qui non dicam judicio pollent, ſed vel ſenſu communi utuntur. Hinc ultima inſtantia concludebam, *Neminem fore*, *qui ultra dubitare poſſit*, *niſi qui*, *quum ſolis ſplendore perfrui poſſit*, *tenebras tamen*, *& noctem*, *ſequi præoptet*. Dubitavit interim Cl. *Drieſſen*. quin & rationes adverſus originem hanc ſat conferta acie inſtruxit. Diſpiciendum itaque, Vanusne ego, *qui tam fidenter*, *tam gravique oratione perorarim*; an Cl. *Drieſſen*. is ſit, quem Character a me poſitus, nihil minus quam ipſum intendens, deſignabat.

II. In anteceſſum non diffitetur generoſæ indolis *diſſertator*, qui *ſancta ἀδιαφορίᾳ*, ut ipſe teſtatur, *hæc ad pedes Domini deponit*, non parum commendari *Arabismum*, *ſi bic ſit verus ſignificatus Thematis* ישע, *quod poſt Nomina Dei hocce principatum teneat inter omnes voces Biblicas*. Jam ambigere nefas, quin qui ita incipit, Tribunal teneat veritatis, atque inde mera Oracula edat. Ea ut tanto magis ferire queant, diſtincte exponam. *Primum* ſic ſonat. „ *Eſto*: *Verbum illud apud* Arabes *eo ſit in uſu*, *teſtibus Lexicographis*. „ *An Lexicographi illi Arabes in Lexicis ſuis* curate Philoſophantur, *ſimplices* „ *rerum notiones evolvunt*, *ſicque* ſignificatus primigenios *figunt*: *an vero* ſigni- „ ficatus *maxime* uſitatos, *pleroſque* ſecundarios, *&* tralatitios, *promunt?* " **Prima Cl. Drieſſenii inſtantia refutatur.**

Deciſa Lis eſt. Fruſtra omnis contentio. Cauſa mea uno ictu ita jugulata, ut jam exequias ei vivus, videnſque, ire poſſim. *Arabum Lexicographi* non poſſunt *curate philoſophari*. Ne *ſimplices quidem rerum notiones evolvere* poſſunt; atque ſic *ſignificatus primigenios figere*: Sed *promunt ſignificatus maxime uſitatos*, *ſecundarios*, & *tralatitios*. Nimis ergo ineptus ego mortalis, qui ex *Arabum Lexicis* aliquid *primigenium* hauriri, atque *Hebrææ Linguæ* reſtitui poſſe, opinatus fuerim. Ne tamen dicam dolo, parum credulus ſum talibus *Oraculis*, niſi bonis documentis fulciantur. Vereor etiam, ne qui ita decidunt, & pronunciant, de *Lexicographis*, & *Lingua*, cujus ne *Elementa* quidem attigerunt, dignitati ſuæ parum conſulant in *Orbe Erudito*; atque in univerſa hac quæſtione nec nomen, nec momentum, facere poſſe cenſeantur. Verum quidem eſt *Lexicographos Arabum* non ſemper ea accuratione uſos, qua debuiſſent, ad *primigenium* a *ſecundario* dirimendum: Verum quoque, eſſe *Radices*, quarum *principem poteſtatem* ne ipſi quidem *promere* valuerint. Sed an inde jam conſequitur, ubique eorundem operam hac in parte ceſſare? Ego, qui eos quotidie verſavi, atque etiamnum verſor, cum reverentia publico debita, confirmare poſſum, utique eos in longe maxima parte *Linguæ*, *ſimplices rerum notiones evolvere*; atque ita *primigenios ſignificatus vel* per ſe *figere*, vel aliis *figendos* porrigere. Cum *Lexicographis* tamen ſemper conjungi volumus *Lectionem præſtantiſſimorum Auctorum*, ut ſic ex ipſis *Fontibus* ſapiamus; atque vivum ſenſum *Linguæ* imbibamus. Hoc me non neglexiſſe, ſcire utique vel potuiſſet, vel debuiſſet ſaltem, Cl. *Drieſſen*. qui, ſi ita ei vi-

videatur, ſic interrogationem iſtam, a dextro latere claudicantem, ſuffulciet, *ſed an Arabes in Lexicis ſuis, vel etiam in Libris, ſimplices rerum notiones evolvunt, atque ſignificatus primigenios unquam uſurpant?* Nos verecunde adſirmamus: Cl. *Drieſſenius* negat: non quia id verum eſſe convictus eſt, ſed quia alias vincere nequit. O Sanctam ἀδιαφορίαν!

Item ſecunda. Audienda & altera deciſio, qua ſecundo pedatu *Origo* noſtra confoditur. ,, *Sed fidem faciet recte conſtituto ab Arabibus* ſignificatui primigenio *ex locis* ,, *Scripturæ S. manifeſtis*, *Pſ.* 34: 7. & 45: 8. & *Jer.* 14: 8. ubi eſt מִכָּל ,, צָרוֹתָיו הוֹשִׁיעוֹ *ex omnibus anguſtiis ejus in ſpatium, laxitatem, copiam am-* ,, *pliſſimam omnis ſalutis, eduxit eum* &c. &c. *ſed quæ hæc argumentandi me-* ,, *thodus? Verbi alicujus* ſignificatus primigenius *rationem* boni *complexus, ſū* ,, *ſit* univerſalis, *quod de verbo noſtro mox demonſtratum dabimus, opponi poteſt* ,, *non uni* malo particulari, *unde nunquam ex illa oppoſitione huic illi* malo ſingu- ,, lari *ſignificatum ſimplicem univerſalem determinas*" Eſt obſcuriuſculum. Videre tamen mihi videor, quid intendatur. *Vindicare ex anguſtia*, recte dicitur. Minus recte tamen inde colligeretur, *vindicare*, cujus poteſtas ex *Origine* latiſſima, quatenus valet *vim* omnem *defendere ab aliquo*, proprie eſſe, *relaxare*. Si pro הוֹשִׁיעַ nihil aliud præſidii attuliſſem, calculum male ſubductum ultro faterer. Atquin attuli diſertiſſimam auctoritatem *Dialecti Arabicæ*, quæ a *primaria ſignificatione laxitatis*, & *ampliſſimi ſpatii*, adſcivit *ſecundariam* omnis *ſalutis, commoditatis, felicitatis*: & *ampliſſimæ beatitudinis, quam nihil anguſti coarctet*. Hanc *Originem* tam *dilucidam* duxi, ut me putidum fore dixerim, ſi *vel unum facerem verbum, ad eam amplificandam; aut ad divinam gravitatem nominis* Jeſu *ex hoc fonte ſupra aſtra evehendam*. Cernis me non aliud *fundamentum* jeciſſe, quam quod cavillationi exemtum, ſuo ſe pondere ſuſtinet. Adjeci tamen ſatis caute, *illud tantum monuiſſe, fortaſſe non plane de nihilo fuerit, frequentari* a *Sp. S.* oppoſitionem *inter* צָרָה *anguſtiam*, & יֶשַׁע, ſive יְשׁוּעָה, *quod proinde* laxitatem *proprie, dein omnis* felicitatis abundantiam *ſonare, nemo eſt qui* ultra *dubitare poſſit, niſi qui tenebras, & noctem præ ſplendore ſolis præoptet*. Hocce *ultra*, quod manifeſto recurrit ad *Demonſtrationem veritatis* ex *Dialecto* præmiſſam, dexterrime iterum a Cl. *Drieſſen.* ſuppreſſum, ut oculos præſtringeret imperitorum, quaſi *prava argumentandi methodo* uſus fuiſſem. Atqui ſemel evicto, הוֹשִׁיעַ in *Origine* eſſe *in laxitatem vindicavit*, plane fieri nequit, ut non Sp. S. in locis laudatis eo reſpexerit, quemadmodum *Latinus Scriptor* phraſin adhibens *relaxandi* aliquem *ex Anguſtiis*, utique elegantiam ex *oppoſitione* oriundam intendiſſe cenſebitur ab omnibus peritis; quamvis imperitiſſimi eſſet iſti ſoli *oppoſitioni* proprietatem *laxitatis*, quæ aliunde conſtare debet, ſuperſtruxiſſe: quum & *Levare, eripere, eruere, liberare, ſervare*, aliaque verba, ad eandem hancce locutionem ſeſe adhiberi patiantur.

Et tertia. Vide tamen *tertio*, quam me premat ſtrenuiſſimus pugnator, & velut nimbo telorum obruat. ,, *Ea qua utitur V. D. methodo probabo, quod etiam* פָּדָה ,, *ſignificet* dilatare, *quia opponitur Pſ.* 25: 22. *omni anguſtiæ*: פְּדֵה יִשְׂרָאֵל מִכֹּל ,,

Digitized by Google

„ מכל צרותיו *Redime Iſraëlem ex omnibus anguſtiis ejus. Pariter Verbum* נצל „ & הציל *Videat V. D. Pſ.* 34: 18. *etiam Pſ.* 54: 9. *Sic* חיה *proprie non* „ *ſignificabit* vivificare, *ſed* dilatare. *Vid. Pſ.* 138: 8. *Idem ſic ſtatues de Verbo* „ חלץ *Vide Prov.* 11: 8. ".

Formidoloſam enimvero dextram. Sed aſſume illud *ultra*, quo Ego uſus, in concluſione mea pro ישע adſtringenda, & ſenties omnia hæcce *tela* in *ſtipulas*, *plumäsve*, converti: neque enim ad *Themata* פרה, נצל, חיה, חלץ, quarum diverſiſſima *Origo*, id vocabuli ſeſe vel fidiculis diſtorqueri patitur.

Cernis quam nobili ratione ad victoriam contendat Cl. *Drieſſen*. Interim tanta copia *Hebraici ſermonis* me inſtructum gaudeo. Dabitur occaſio, eam cum fœnuſculo reddendi.

En adhuc *quartam* inſtantiam, quæ ſalis aliquid vulneri illato inſpergit: *Quarta*
„ *Per ejusmodi* Logicam Etymologicam *etiam conficies primigenium τȣ͂* ישע & *jocularis.*
„ הושיע *eſſe* beneficere, *quia opponitur omni* malo. *Vide Prov.* 28: 16. "
Valde potentem eſſe *Logicum* oportet, qui hanc *Ægida* toties oculis noſtris incutit. Inſpexi locum citatum, & in vicinia, *Vſ.* 18. reperi, הולך תמים יושע ונעקש דרכים יפול באחת *Ambulans integer laxitate omni augebitur: at intortus viarum cadet in unum*, nempe *malorum*. Si hunc contextum reſpexerit V. C. vereor ne tum in *Logica*, tum in *Etymologica* ſua, ſe ſolum habeat admiratorem.

Sed jam ipſe ferme addubito, an non Amiciſſimus noſter *Drieſſenius* nobiscum colludat, & ſubtiliſſime orbi Erudito illudat: nam locus hicce inter illos, quibus per *Originem* noſtram in *laxo*, *ſpatioſo*, *amplo*, decus ſimul & pondus, accreſcit. Eſt alius adhuc contextus *Prov.* 20: 22. *Ne dicas, rependam* malum; *expecta Jehovam*, ויושע לך *& in laxitatem te educet. Vindicem aget oppreſſionis tuæ:* Nova ſuſpicio *colluſionis*: nam *Benefacere* nec meus ibi communis ſenſus admittit, nec vel *Drieſſeniana* illa potentiſſima *Logica* extundere valeret. Plures mihi non ſuccurrunt. Bona tamen phraſis, הושיעני מכל רע *Vindicavit me in laxitatem ab omni malo:* ubi ſi *Benefecit mihi* ſupponerem, illam *Logicam* ſequerer, qua lubenter per omnem meam vitam carebo.

En tandem *quinto* aliquid non omnino joculare. „ *Si cupis ſignificatum ſin-* *Quinta*
„ *gularem τȣ͂ ſingulari ſignificatui* צר, *&* צרה *oppoſitum*, *illum habes* non *in* *paulo ſpe-*
„ *verbo* ישע *ſed in* רחב *Pſ.* 4: 2. בצר הרחבת לי *in anguſtia dilataſti, amplum* *cioſior.*
„ *ſpatium feciſti, mibi* ". Optime vero. Sed unde ſcitur הרחבת ibi *oppoſitionem* directam efficere? An ex illo contextu? Non dicet V. D. niſi in ſua ſeſe tela induere velit, quæ tam dextre in me intorſit ex נצל, חיה, פרה, חלץ, etiam *anguſtiæ* oppoſitis. Unde ergo? Ex clariſſimis locis, quæ רחב pro *lato*, proprie nobis offerunt in reliquiis *Biblicis*; veluti quum *longitudo*, *latitudo*, & *profunditas arcæ*, *templi*, *aliarumque rerum*, ſignatur. Accedit firmiſſimus *Dialectorum* conſenſus, quæ hanc *proprietatem* dubitationi eximunt.

Sic ergo Vir. Cl. ipſemet *Methodo*, quam in me damnabat, utitur; & *oppoſitionem* iſtam non negligendam duxit. Laudo: atque ex *Job.* 36: 16. adjungo completiſſimam imaginem, *Inſtigavit te ex ore Anguſtiæ* מפי צר, *in latitudinem* רחב, *ſub qua nihil coarctati: & ubi miſſus menſæ tuæ plenus opimitate.* Monui ibi מרחב *Latitudinem*, *locum late ſpatioſum*, in Sacris uſurpari pro *læta*, *lauta*, *beata*, *conditione vitæ*, *quam omnis felicitas cumulet.* Id *Arabibus* quoque ſolemne ſub رحب, & مرحب, indeque مرحبا وسهلا. *Latitudinem & Mollitiem*, pro *felicitate omni fruaris.* Jam omnis quæſtio huc redibit, an ſi רחב *latus fuit*, apud *Hebræos* æque ac *Arabes*, tranſierit ad *felicitatem*, & *ſalutem*, *nulla anguſtia coarctatam*, ullo pacto veriſimile ſit, eandem *tralationem* ſub ישע *laxus*, *amplus fuit*, adſcitam; atque ita etiam *Radicem* hanc *Anguſtiæ* rite opponi. Cl. *Drieſſen.* negat, quia *ſancta* ἀδιαφορία adverſus me diſputat. Qui eo usque puræ virtutis necdum progreſſi, mihi forte conſciſcent, nec ambigent, quin ישע, & רחב ſint *Synonyma*. tam *Originis*, quam *ſecundarii*, & *tranſlati uſus*, intuitu. Quid autem רחב *latum eſſe*, & ישע *laxum*, vel *amplum*, *eſſe*, differant, ſi necdum forte ex ſua *Logica*, & *Metaphyſica*, perceperit acutiſſimus *Diſſertator*, ex *Etymologico* ſaltem *Voſſiano* nunc tandem aliquando diſcere incipiat, ne denuo nos impugnans, nobiſcum colluſiſſe videri queat: ni ſemet eluſiſſe videri mavelit.

Sexta palmaria. Necdum finis. Nempe *ſexto*, poſt tam fortem pugnam, victoria canitur. „ *Diſcimus ex dictis hactenus*, ſignificatum *illum*, *quem V. D. ex Arabia adduxit*, *non eſſe verbi noſtri* ſignificatum primigenium, *ſimplicem*, *univerſalem*, „ *ſed* ſecundarium, *& metaphoricum.* *Et certe dilutus nimis eſt ille ſignificatus* „ dilatandi, *qui non exprimit ipſum* opus, *quod verbum noſtrum ſignificat*, *ſed* „ *metaphorice ſaltem aliquod ejus conſequens.*" Jam tanta vis *Logices* in me incumbit, ut ubi ſim, neſciam. Argumenta Cl. *Drieſſenii* evicerunt, notionem *ſpatioſi*, *ampli*, *laxi*, quam *Arabes* ſub ישע وسع, frequentant in *rebus corporeis*, non eſſe *primigeniam*, & *ſimplicem*, ſeu *ſecundariam*, & *metaphoricam.* Vel nihil plane intelligo, vel hic debet eſſe ſenſus, quod *Arabes* a notione *felicitatis*, & *ſalutis* pervenerint ad *ſignificationem laxi*, *ampli*, *& ſpatioſi*, & verbi gratia, primitus dixerint *fortunæ laxiores*, *lautiores*, *beatiores*, indeque *ſecundario* ſubſumſerint *laxitatem omnium rerum;* ut *locus beatus* ex eorum *Dialecto* ſit *locus ſpatioſus*, & *equus beatus*, vel *ſalute præditus* واسع, ſit *equus amplo greſſu pollens:* Item *brachium beatum*, ſit *laxum*, *liberum*, *ſolutum*, *ſpatioſum:* quin *vas beatum* ſit *vas amplum*, *capax*, *laxiſſimum.* Atqui diſertiſſime monebant *Lexicographi* illi, quos Cl. *Drieſſen.* negabat *curate Philoſophari* ישע الوسع in *Origine* deſignare خلاف الضيق *Contrarium anguſtiæ;* i. e. *laxitatem*, & *amplitudinem.* Hoc Natura ipſa dictat eſſe *primigenium*, & *ſimplex*, & vel ſine *Logica* quivis id perſentiſcit. Cl. *Drieſſen.* cum *Logica* ſua id non ſentit; ſed *laxitatem* iſtam *metaphoricam* eſſe, & *ſecundariam*, pugnat. Dicat ergo, etiam *Anguſtiam* primario eſſe *miſeriam*, *ærumnam*, *calamitatem*, *omne malum;* indeque ſignificationem *arcti*, & *anguſti*,

locis

Digitized by Google

locis rebusque accreviſſe; ut *locus miſer*, & *ærumnabilis*, pro *anguſtiore* cœperit frequentari. Egregia profecto ſpecimina, quæ *Orbi Erudito* promittunt *Lexicon Etymologicum*, quo a *materia*, & *corporeis rebus*, mentes avocare, atque ex puriſſimo fonte *Metaphyſices* veras ideas haurire, condiſcat.

Septima ejusmodi ponderis.

„ Sed, inquit, Vir. Cl. *nimis dilutus eſt ille ſignificatus* dilatandi, *qui non* „ *exprimit ipſum* opus, *quod noſtrum verbum ſignificat*, *ſed* metaphorice *ſaltem* „ *aliquod ejus conſequens.* " Quomodo *dilatatio*, proprie ſumta, ſit *conſequens ſalutis*, & *metaphorice* inde derivari queat, capturn meum transſcendere fateor. Non capio etiam, quo jure *dilatandi* notionem in *ſalute præſtanda* reſpuere poſſit Cl. *Diſſertat.* qui eandem modo ex *Pſ.* 4: 2. ſub formula הרחבת לי. *Dilataſti*, *amplum ſpatium feciſti*, *mihi in anguſtia*, produxit. Fortius adhuc, & plenius, הושיע *in laxitatem eduxit*; pro *Vindicavit ab omni miſeria.* Quid in eo diluti, niſi quod ſibimet aliquis diluit? An dilutus quoque Titulus *Laxatoris*, Verloſſer, quem *miſeriarum Depulſori*, & *Vindici*, *noſtro*, vernacula noſtra dicavit? Et tamen *laxare Latinorum* non exhaurit *Hebræum* הושיע, quum & *laxari* dici poſſint *vincula*, quæ nonnihil tantum remittuntur: & *laxari e carcere*, *e vinculis*, pro *emitti*, non continuo adferat *cumulatam* illam *felicitatem*, quam הושיע plerumque ſecum fert. Plerumque dico, nam qui id perpetuum contenderet, haud dubie limites iterum tranſiliret. Hoc alibi preſſius, & enucleatius, demonſtratum dabo. Nunc *certamini* invigilandum, cujus major adhuc moles cum ſequente paragrapho ingruet.

Cl. Drieſſen. conatus infeliciores.

III. Nempe profligata mea *Origine*, ad ſuam expromendam ſic firmo pede progreditur Cl. *Diſſertat.* „ *Loca S. Script: quibus occurrit*, & *ipſam rei natu-* „ *ram ſi recte inſpicis*, *primigenius* & *Univerſalis* (*habet univerſalem vide Pſ.* „ 36: 7. *ſervas hominem* & *pecus*) *ſignificatus eſt* rem ſervare integram, *in* „ *diſcrimine ſi verſatur*, præſtare ſalvam, *collapſa ſi eſt*, reſtituere in inte- „ grum, *rem vel in ſtatu ſuo conſervare*, *vel in illum reſtituere. Et ſic opponi-* „ *tur* τῷ אבד *perdere* ". Ad hæc paucis defungar. Diſſertare ſe credit Cl. *Drieſſen.* de *ſignificatu primigenio*, & omnes, qui quid *Linguæ* ſint, vel tenuiſſimo guſtulo percepere, ſtatim animadvertunt, cuncta hæcce eſſe *ſecundaria*, ac proinde in tota hacce *diſſertatione* nihil aliud quam *aëra cædi*, atque *pulverem concitari*, qui non tam Legentium, quamtumvis imperitorum, quam ipſius Cl. *Auctoris* oculos impleat; ut ipſe ubi ſit, & quo de mecum diſputet, planiſſume ignorat.

Nequidem Origines quid ſint dignoſcit Vir. Doct.

Vel *Belgica* noſtra *Lingua* aurem vellere potuiſſet Cl. *Diſſertatori*, ad *vim ſecundariam*, a *primaria*, his in uſibus, diſcernendam. In *Pſalmo* 36: 7. Vernacula noſtra recte, & rite, exhibet, Gy behoudt Menſchen/ en Beeſten. Illud Behouden/ haud dubie, in quotidiano noſtro ſermone, valet, *rem ſervare integram*; in diſcrimine ſi verſatur *præſtare ſalvam*. collapſa ſi eſt, *reſtituere in integrum*: ſed quis jam adeo domi ſuæ hoſpes; ut *ſignificatus* hoſce *primigenios* autumet? ac non continuo perſentiſcat, eos a *tenendo*, *retinendo*, quod eſt Houden/ Behouden/ profluxiſſe?

Mutemus ſcenam: & quæramus quid *ſervare* apud *Latinos* in *Origine* reſonet? Cl. *Drieſſen.* graviter reſpondebit, *ipſam rei Naturam*, & *loca Auctorum*, oſten-

oſtendere, *primigenium* & *univerſalem ſignificatum* eſſe, *rem cuſtodire*, *retinere*, *integram:* in diſcrimine ſi verſatur *præſtare ſalvam;* collapſa ſi eſt, *reſtituere in integrum* &c. & ſic opponi τῷ *perdere.* Quæramus denuo, quid ſit *perdere* in *Origine Latina?* Ex eadem, credo, *Logica*, & *Metaphyſica*, ſimili gravitate reſpondebitur, *primigenium*, *ſimplicem*, *proprium*, & *univerſalem*, illius verbi *ſignificatum* eſſe, *rem non ſervare integram; neque, ſi collapſa ſit, in ſtatum ſuum reſtituere, ſed ſinere, vel facere, ut pereat.*

Atqui omnia hæcce palam *ſecundarii* ſunt *uſus*, propagata a compoſitione illa, qua *perdere* valet *per-dare:* & *non tenere*, *retinere*, *reſervare*, *cuſtodire.* Ad eandem rationem & *prodere*, alio flexu, *notiones* ſuas *ſecundarias* adſcivit. Item *perire*, nil aliud in *Origine* quam *per-ire;* doorgaen: vergaen: ut *interire*, eſt ondergaen. Sic *Hor. Truditur dies die*, *Novæque pergunt interire lunæ.* Item, *verborum vetus interit ætas.* Eleganter *Plin.* H. N. 8:43. *Pullos aſinorum epulari inſtituit Mæcenas: poſt eum interiit auctoritas ſapori.* Pulcherrime, & ad genium Linguæ, *Cic.* L. 3. *de Fin. Ut obſcuratur, & offunditur, luce ſolis lumen lucernæ, & ut* Interit *magnitudine maris Ægæi* ſtilla muriæ, *& ut in Divitiis Cræſi* teruncii acceſſio, *&* gradus unus *in ea via, quæ eſt hinc in Indiam: ſic omnis iſta rerum in corpore ſitarum æſtimatio, ſplendore virtutis, & magnitudine, obſcuretur, & obruatur, atque* intereat, *neceſſe eſt.* Hinc in latiorem campum curſus verbi permiſſus.

Eandem *pereundi*, vel *intereundi*, *proprietatem* poſſediſſe *Radicem* אבד, *Origines* noſtræ, procedente opere, evincent. Quod ſi jam aliquis exiſteret, qui vernaculum noſtrum Ondergang, ut *Literator* videlicet, expoſiturus, ejusque *primigeniam indolem* ſub conſpectum daturus, diceret magno conatu, eſſe contrarium vocis, Behoudeniſſe: atque denotare *fortunæ*, *famæ*, *ſalutis*, *amiſſionem*, ac *ruinam* tum *temporalem*, tum *æternam:* idque vocaret, *Vocabula e ſaniore Philoſophia enucleare;* nonne omnes illum *nucleum* interioris ſapientiæ Homini lubentiſſime remitterent, & *putamina* mallent, quæ vera *Origo* in manus tradit?

Tranſmitto reliqua, quæ *Parag.* III. ad *ſignificationem primariam* illuſtrandam attexuit, de *Chriſto* מושיע ſervatore, „ *qui e Diametro oppoſitus* τῷ *A-*
„ *baddon, & Apollyon*, perditori; *quippe qui veniret* ſervare τὸ ἀπολωλὸς *quod*
„ perditum *erat:* deque gemino uſu verbi הושיע, partim in *Natura*, ubi ſi-
„ gnificet *Actum illum Providentiæ Divinæ benevolentiſſimum, quo omnia* con-
„ ſervat, *fovet*, *refocillat*, *vivificat Pſ.* 36: 7. partim in *Gratia*, ubi *exhau-*
„ *riat opus ſalutis omne. Gratioſum Dei Triunius Conſilium æternum. Filii Dei*
„ *vadimonium: obedientiam ejus Activam, & Paſſivam: ſtatum Humiliationis,*
„ *& Exaltationis: Electi peccatoris regenerationem, ſanctificationem, Glorifica-*
„ *tionem, per quæ omnia Jeſus eſt* Σωτὴρ *Salvator.*" Ad ea ſimpliciter tantum rogabo, an omnia hæc etiam in *primigenium ſignificatum Radicis*, quem ſe conſtituturum promiſit copioſiſſimus, & ſolidiſſimus, *Theologus*, intrent? Rogare non ſuſtinuiſſem niſi *argumentandi* ratio Cl. *Diſſertatorem* id inculcatum ire voluiſſe juberet. Quin, ni fallor, diſertiſſime hoc inſinuatur nova adverſus me inſtantia, quæ ſimul mirificam hanc *Originem* ad *Mathematicam demonſtra-*

ſtrationem evehat. „ *Nunquam occurrit in Kal; non venit intranſitive, quia ne-* *Aliquid ſuave.*
„ *mo* ſalvus *eſt niſi* ſalvatus: *cui derogat ſignificatus ille Arabicus, qui etiam ve-*
„ *nit intranſitive.* Primigenius *Radicis noſtræ* ſignificatus *eſt qui* intranſitive
„ *venire nequit.*" Præpotentem in *Linguis* experior Virum: & aperiuntur *myſteria* hactenus nemini audita, ישע nunquam occurrit in *Kal*; nec vivente *Lingua Hebræa* ullus illius *conjugationis primæ*, unde in *Hiph.* הושיע conformatum, extare potuit uſus, quia nemo *ſalvus* eſt niſi *ſalvatus.* Atqui crediderunt omnes, quotquot *Hebraica* tractarunt, etiam *Rabbini*, & *Lexicographi*, ישע *ſalus*, ſat crebrum in Sacris, ex *Kal* deſcendere, ejusque *vim intranſitivam* liquide repræſentare. Idem judicium tulerant de ישועה item *ſalus*, *incolumitas.* Nunc docemur has *formas* ex *Niphal* deducendas, vel reluctante *Analogia*, ut נושע *ſalvus factus eſt*, *ſalvatus eſt*, utramque hanc propaginem fuderit, quia nemo *ſalvus* eſt, niſi qui *ſalvatus*: & nulla *ſalus*, niſi *ſalvatio.*

Tanquam Corruptores *Linguæ*, itaque, res ſibi ſuas habeant *Arabes*, qui *intranſitivam poteſtatem* in *Kal* adoptare, ipſumque *Deum*, per excellentiam, ſalutare auſi, אלוושע الواسع *Ampliſſimum omnis laxitatis, felicitatis, & ſalutis, poſſeſſorem*: nam *Clariſſ. Drieſſenio* liquidiſſime conſtat, *Hebræos* vigente, & florente, cum maxime, *Lingua*, ita nec locutos, nec pro genio ejusdem loqui potuiſſe.

A ſe ipſo deſciſcit Cl. Diſſertator.

Cave putes Cl. *Diſſertat.* non expendiſſe, quid chartis mandaret. Adeo profunde ad hæc meditatus eſt, ut Sibi ipſi *objectionem* moveat, quam ego quidem ei facere nunquam potuiſſem. „ *Eſt equidem*, inquit, *cognatio ali-*
„ *qua inter* ישע, *& inuſitatum* ישה, *unde* יש *quod nominaliter & verbaliter*
„ *venit: &* תושה ſubſtantia, ſoliditas. *bonum ſolidum. Sed ſignificantius eſt*
„ ישע, *vel* השיע, *quod in ſtatu gratiæ dat habere verum eſſe, ſoliditatem, bo-*
„ *num ſolidum.*" Vix intelligis, credo. En Viri acutiſſimi mentem, ni falſus ſum: ישה *intranſitive* notavit olim *eſſe, ſolidam ſubſtantiam habere.* Cum ea *Radice* cognationem habet ישע, nec tamen propterea concludas licet, eam ergo ſimiliter in *Kal intranſitive* venire potuiſſe; eo quod ישע *tranſitive* tantum valere queat *dedit habere verum eſſe, & bonum ſolidum.* Habes *Originem* cui ipſa תושיה *ſoliditas* præſediſſe videri poſſet multis, niſi ſuperior illa *integrum ſervandi*, & *ſalvum præſtandi*, officeret, & tam deſultorio more ad aliud transire prohiberet. Cl. tamen *Diſſert.* cujus *ſimplices*, & *primigeniæ*, *ſignificationes* ſunt *univerſales*, omnia hæc, & plura adhuc, facile in unam ſedem *primariam* compinget, atque confuſionem inde omnem per lumen *Metaphyſicum* arcebit.

Aliquid ex abrupto interſertum.

Sequitur poſt Capitalem hanc obſervationem, altera in me jam iterum reflexa, in cujus connexionem ut penetrare non potui; ita eam ex abrupto hic a me poni nemo mirari debebit; „ *ſenſus ille metaphoricus apud Arabes*
„ *innuit equidem liberationem a noxiis peccati ſequelis*, anguſtiis, anxietate:
„ *ſed primarius debet eſſe ſalvare ab ipſo peccato. Ecquid ſonat* dilatabit a pec-
„ catis? *Et, quod non tantum quod ad hanc Radicem noſtram, ſed & quod ad*

„ *omnes ſecuturas obſervatum velim, ſi nativa Radicis noſtræ indoles ſit ſignifi-*
„ *catus ille Arabicus* dilatandi, *quidni Sp. S. cui nativus genius ſui ſermonis per-*
„ *ſpectiſſimus eſt, hic & alibi in ſcriptis N. T. Hebræa exprimit verbis Græcis,*
„ *quæ ultimam illam ſignificationum Arabicarum Radicem exactiſſime referant?*
„ *Cur* הושיע *in N. T. non eſt* πλατύνειν, εὐρύνειν, *vel ſimile quid, quod* dilatare
„ *dicat. Sed quam dilutum hoc eſſet? Sed, ais, Scriptores N. T. utuntur dictio-*
„ *nibus, quibus verſio Græca. Recte: ſed eo ipſo condocent nos, in* Fundamen-
„ talibus *his* Dogmatibus *Græcos nativam Dictionum Hebræarum indolem, ge-*
„ *nuinam notionem recte dediſſe. Hinc* הושיע *non eſt* πλατύνειν *ſed* σώζειν, *&*
„ ישע, ישועה *eſt* σωτηρία, מושיע σωτὴρ *ſalvator* &c. *Quare in* nativa *vocum*
„ indole *veſtiganda eamus primum, non in* Arabiam *ſed in* Ægyptum &c. &c."
Splendida circumplexio, tanta luce oculos præſtringens, ut quid velit V. Cl. nemo facile cernat. Mihi certe σκοτοδινίαν quandam offuſam ſentio.

Prima inſtantia. Non diſcerno *primo*, cur *primarius ſenſus* debeat eſſe *ſalvari a peccato*; unde *metaphoricus* ille *Arabum* qui in *dilatando*, ego dixeram *laxando*, *in laxitatem educendo*, emanarit. Apud me quidem *laxari* fuit, & manebit, *primarium*; ut *ſalvari a peccato* eſt, eritque *ſecundarium* ſemper.

Secundo. Nullus etiam exputo, *ſecundo*, cur *dilatare a peccato*, nihil ſonet Cl. *Drieſſenio*: præſertim ſi mihi meum fideliter reddatur, quod erat *in laxitatem educere ex peccatorum anguſtia, vinculisque.* **Dan de Sonde verloſſen.** Niſi falſis ideis per totam vitam ſim deluſus, aliosque etiam & publice, & privatim, eluſerim, hæc eſt una omnium nobiliſſima, & in ſcripturis noſtris tritiſſima, imago, atque *Metaphora*; quæ apud me nunquam *proprium*, & *primarium*, *ſenſum*, efficere poterit.

Tertia. Minus adhuc capio, quid ſibi velit *tertia inſtantia*, quæ ad omnes ſecuturas *Radices* ſimul fulmineo ictu potentius pervadat. Non potuit, non debuit, *Spiritus S.* in N. T. adhibere vocabula πλατύνειν, & εὐρύνειν, pro הושיע, quia cujusque *Linguæ* genius ſervandus. Verba illa apud *Græcos* iſtam *Metaphoram* non adſciverunt. Si vel adſciviſſent, ne ſic quidem argumentum ſtringeret; quia magna in his libertas viget, & quia *Origines* in *Verſionibus* communi uſui deſtinatis captare, indecorum, putidum, importunum, veſanum ſæpe. Quis ferret, ut *integer* redderetur *Belgice*, **ongetacht**: ut *ſervare*, ἐρύειν, **trekken/** pro **behouden**: ut *callere artem*, **Verrelt ſyn**: ut *mactare hoſtiam*, **Vermeerderen**; ut *putare*, **ſnyden/ ſnoeyen/** pro **meenen**; nam *Origo* certiſſima illius *verbi* ſita eſt in *reſectione*; unde *putare vitim*, *amputare*, *circumputare* &c. Res nemini Humaniori ignota ex *Gellio* L. 6. C. 5. *Putare Veteres dixerunt, vacantia ex quaque re, ac non neceſſaria, aut etiam obſtantia, & aliena, auferre, & excidere: & quod eſſe utile, ac ſine vitio, videretur, relinquere. Sic namque Arbores, & Vites, & ſic etiam Rationes*, putari *dictæ*. Si hunc locum attendere dignetur Cl. *Drieſſen.* & quotquot cum ipſo ſtant, uno momento noſtri fient, & boni evadent *Putatores*; atque *Rationes* ſuos non amplius conturbabunt; ſed liquidiſſimam nobiſcum *computabunt* ſummam; quæ hæc eſt; *ſecundarios uſus*, a *primigenio* miris flexibus deſcendere, ſecundum cujus-

Digitized by Google

cujuſque *Linguæ* indolem, quæ in aliam transfundi verſionem nec poſſit, nec debeat, niſi omnia ſusque deque commiſcere velimus.

Sed finio; & *quarto*, jam, ex *occupatione*, qua V. D. ſub finem utitur, *Quarta.* mecum omnes, qui vel a limine *Literas* ſalutarunt, concludere debebunt, Cl. *Drieſſen.* in alio *aëre* verſari, quam noſtro hocce *Humaniore*; & pro *nativo* habere, id eſt *primario*, quod nobis *ſecundarium*; & contra: ait enim, LXX. *nativam dictionum Hebræarum indolem, genuinam notionem, recte dediſſe*; *ac proinde* הושיע non eſſe πλατύνειν, ſed σώζειν. Hac lege etiam inferam הושיע eſſe *primario*, ἀμύνειν *defendere*; eſſe βοηθεῖν *opitulari*; eſſe ἐξαιρεῖν *eximere*; nam & his verbis ſuo jure nonnunquam uſi ſunt *Alexandrini*: quod, ut dixi, in *Verſionibus* magna regnare debeat libertas, quippe quæ *primigeniam vim* parum curent, ſi modo *ſecundarium uſum* clare, & nervoſe, expreſſerint. Videat nunc, ut concludam, V. D. atque apud ſuum ipſius Tribunal examinet, judiciumne dictaverit, an Adfectus, & ignoratio ſimul *Elenchi*, *Scriptores N. T. quum utuntur dictionibus Verſionis Græcæ eo ipſo nos condocere, in Fundamentalibus his Dogmatibus Græcos nativam dictionum Hebræarum indolem recte dediſſe*: *ad eamque veſtigandam non eundum in Arabiam, ſed in Ægyptum.* Hoc demum eſt, ubi ſtrenue quem impugnare te putas, nudum ad omnes ictus præbere latus. Ceterum *Rhetoricationi* huic, ut & reliquæ iſti, multo pulcherrimæ, qua prima hæc coïtio, quæ acerrima fere eſſe ſolet, clauditur, ac coronatur, abunde occurſum, Part. II. *Orig. Cap.* VII. *par.* II. Non committet, ſpero, in poſterum, Cl. *Drieſſen* ut in *Criticorum* hominum caſtra transfugium feciſſe, cum *Meibomianiſque* arma ſociaſſe, videatur.

IV. Verbulum ſubnectendum ad novum generoſi animi ſpecimen, quo Cl. *Solatiolum* *Drieſſen.* me erigere, & conſolari, quodam modo, dignatur; iterum inſi- *mibi beni-* nuans, ſe *opem Dialectorum* tamen non repudiare. Dixeram, *eant nunc viri* *gne admo-* *docti, & Sacrum textum ſuo ſe ſplendore aperire, pugnacius contendant: eant,* *tum.* *& ad omne foris illatum lumen oculos claudant.* *Ad* hæc Cl. *Diſſert. Reſpondeo,* inquit, *quamvis attentam Script. S. locorum in ſuo argumento, & cohærentia, conſiderationem, & variorum inter ſe collationem, in* genuino ſignificatu *eruendo, in primis cauſis, & adminiculis, cenſeamus, neutiquam tamen reſpuere* foris illatum lumen; *ſed illud arguo, ex ſola S. Scripturæ Locorum meditatione, & collatione, ſæpe numero certius adfulgere Lumen quam ex omni Arabia.*

Jam tandem video quid erretur, non a *Drieſſenio* noſtro ſolum, ſed ab aliis etiam Viris Doctis, qui neſcio quem metum metuunt, ne *Arabes* conſtituantur *Explanatores Veritatum Cœleſtium.* Ni ſtomachus, jam per viginti quinque annos, ad tales ineptiolas occalluiſſet, biliculæ quoque meæ nunc, data occaſione, ſplendide poſſem indulgere. Sed ut ſemper, ita & nunc tempero, atque dignitati eorum, qui mea carpunt, parcere perſeverabo. Tantum dicam, audiente *Univerſo Orbe Erudito*, *Hypotheſin* noſtram vel non intelligi, vel de induſtria obſcurari. Ad prius potius, quam poſterius, credendum, mens mea ſemper inclinavit. In Cl. *Drieſſenio* id nunc liquido experior. Non reſpuit Ille *foris illatum Lumen*, hoc eſt *Dialectorum*, & præſertim *Arabicæ*, influentiam in *Linguam Hebræam*, ejusve ulteriorem illuſtrationem. Conten-

Digitized by Google

dic tantum, *ex ſola Locorum Sacræ Scripturæ collatione & meditatione* ſæpe numero *certius adſulgere Lumen, quam ex tota Arabia.* Concedo totum argumentum: quin illud *ſæpe numero* erado, atque expungo; ſi de *genuina mente Spiritus Sancti in doctrina ſalutis*, ſive de ipſis *Veritatibus Cœleſtibus* agatur. In eos nihil omnino Juris *Arabiæ*. Hæ *Veritates ſuo ſplendore lucent*, & *domeſticis radiis contentæ*, *ſemet ex collatione, & meditatione Locorum*, *inter ſe illuſtrant.* Hanc provinciam ſane *Theologis* nec demimus, nec minuimus. Sed ſi ſuſtinere auſint, ſe lumine ſuo *Theologico* etiam *Linguæ Hebrææ* abditiſſimas *Origines*, & *primarias poteſtates*, reſerare, atque conſtituere poſſe, ſola Locorum collatione, & meditatione; jam pronunciare non verebimur abſona, & veritati pugnantia, ſuſtineri: atque operam dabimus, pro provincia nobis demandata, ne quid *Res Hebræa* detrimenti capiat; neve deſerta *Dialectorum fidiſſima* luce, ad *infida*, & *lubrica*, aliarum *Hypotheſium*, quas *Cap.* VII. inſpiciendas præbui, deflectatur.

Animus fuerat, ad triumphum veritatis, ſubtexere explanationem aliquot inſignium Locorum, in quibus *primigenia* illa *poteſtas Radicis* noſtræ admirabiliter relucet: quin imo quæ ſine *Origine* a nobis producta Venuſtatem, & Majeſtatem, priſtinam, nunquam obtinebunt. Sed ut ex hac diſcuſſione prævideo, inter manus ſatis excretura hæcce opella, acceſſiones minus neceſſarias recuſat. Liberiori ergo occaſioni, id eſt Tertio *Originum* Libro, volente Numine, iſta cura deputatur.

SECTIO II.

Quæ Radici בלג *priſtinum* nitorem *vindicat.*

I.

Fluctuationes Interp. ad hoc Thema.

Inter *Themata*, quorum parcus, & *ſecundarius* tantum, *uſus* in Sacris, eſt בלג, non niſi *quinque* in locis inveniendum. In ejus *ſignificatione* conſtituenda tanta eſt Veterum, & Recentiorum, inconſtantia, atque fluctuatio, ut plerosque, ipſam quoque *ſecundariam vim* ſugiſſe appareat. LXX. certe nunc στενάζειν, nunc ἀναψύχειν & ἀναπαύεσθαι, nunc διαιρεῖν, nunc denique ἀντία reddentes, nihil certi, fixique, habuiſſe, comperiuntur. *Vulgat.* item, alibi *dolore torqueri*, alibi *refrigerari*, alibi iterum *ſubridere*, convertens; ſibimet non credidit, nedum ut a nobis credi poſſit. *Chaldæus* nunc *Corroborari* edidit, nunc *quieſcere;* nunc *abire*, nunc *irridere.* Eadem hæſitatio *Recentiorum*, quorum plurimi in *Lexicis*, & *Verſionibus*, dant, *confortari*, *corroborari*, *recreare ſe.* Id nimis vagum viſum Cl. *Coccejo*, cui placuit ex *conjectura*, poteſtas τοῦ ὑμαρίζειν *facilitare*, *facile efficere.* At *Forſt:* ex *Vulg.* ſatis ſpecioſe

ari-

arripuerat *refrigerari tanquam e Rivulo*, ex alliteratione cum פלג *Rivus*, eamque *proprietatem* omnibus locis aptare conatus erat.

Nullus dubitabam, quum hanc fluxam in *Verſionibus*, & *Lexicis*, hujus *Radicis* rationem ſub conſpectu poſui, quin omnes aliquid certius, ſolidiusque, tum pro *ſecundario*, tum præſertim pro *primario*, *ſignificatu* deſiderari mecum agnoſcerent, quod non *Conjecturæ*, non *Alliterationi*, ſed firmo inniteretur fundamento *Dialecti*: quia *Natura*, & *Conditio*, *Linguæ*, non aliam *deciſionem* in rebus dubiis admittit. Alia tamen mens ſedet Cl. *Drieſſenio*, qui ut *Hypotheſin* ſuam, de *Verſionibus*, & *Lexicis*, tanquam *ſufficientiſſimis adminiculis* ad interiorem *Linguæ* vim rite declarandam, adſtrueret, ita *Sectionem* hancce exorditur. „ *Animadvertamus an non ex* Verſionibus, *&* Lexicographis, *ab* „ *ipſo addictis*, *ſi non* omnibus *& in* omni *Scripturæ loco*; *ſaltem* aliquibus, „ *&* quibusdam *in locis*, *faciente Divina providentia conſervatus ſit verus* ſi„ gnificatus, *vel* primarius, *vel* ſecundarius, *quo mediante* primarium *recte figi*„ *mus: quas tamen* Verſiones *&* Lexicographos *Vir Cl. heic*, *& paſſim*, *tam*„ *maſcule rejicit*; *& an tandem vera*, *& nova*, *lux*, *heic*, *& paſſim*, *ex* Ara„ bia *adſulgeat* ".

Ejus primaria vis non extat in S. Codice.

Habes iterum luculentiſſimum conſpectum *Methodi*, qua *Theologus* noſter ſe uſum, & perpetuo uſurum, in S. *Scriptura* commentanda, & explicanda, cordatiſſime profitetur. Vide an mentem Viri ſatis perceperim. Fieri inquit, *faciente Divina providentia*, ut non ſaltem *unus eorum*, qui *Verſiones* vel olim, vel recentiore memoria, concinnarunt, *verum ſignificatum* expreſſerit, ſi non *ubique locorum*, ſaltem in *aliquo*: nam alias actum foret de *Eccleſia*, actum foret de *Fide*, & *Doctrina Salutis*. Iſte *ſignificatus* ſi vel *ſecundarius* ſit, me ad *primarium* & *antiquiſſimum* facile deducet. *Judicium* mihi adeſt *Criticum*; cujus face diſcernam quis ille *unus*, qui *uno*, *alterove*, in *loco*, *verum ſignificatum* conſignarit. Hic ſi tantum *ſecundarius* forte fuerit, ejusdem *Judicii Critici* radiis omnes illas tenebras ex facili perrumpam, atque evincam, quibus *Schultenſius* circumſeptas eſſe *Origines Hebræas* perſuaſum ire voluit *Orbi Erudito*.

Nihil me poſuiſſe putem, quod non examuſſim conveniat vel *Hypotheſi* univerſæ Clariſſ. *Theologi*, vel *periodo* tantum quod excerptæ.

Quid ad hæc Ego? Quid aliud, quam ut profitear, atque declarem, me infeliciore genio, & ingenio, eſſe, quam ut tantum *Theologicæ Sapientiæ* culmen ſuſpicere poſſim, nedum ut eo me eſcenſurum, ſperare auſim.

II. Non mirum, ſi tanto lumine circumfluens Cl. *Diſſertator* ſic ſubſumat *Par*. II. „ *Mihi liquidiſſimum eſt ex collatione*, *& attenta conſideratione*, *loco*„ *rum*, *adminiculo Verſionum*, *colligi*, *ſignificatum primigenium eſſe* ", Rectius ſe habere; convaleſcere; Vires recolligere; *ſicque ſe* recreare & refocillare. *Has notiones ſi non* omnes, *ſaltem* aliqui, *& alibi nobis ſubjiciunt*. Jam non eſt, quod ultra quis ambigat. Cl. *Drieſſenio* in medio fluctu Veterum, ac Recentiorum, liquet, & ita liquet, cum *ſecundario uſu*, qui ſolus in *Bibliis* ſupereſt, Divina quadam *Judicii Critici* virtute ſimul liquiſſimam nobis aperiat

Hanc tamen Cl. Drieſſen. *ſagaciſſime indicat.*

Originem, in *Rectius ſe habere*, *convaleſcere*, *vires recolligere*, ſicque ſe *recreare*, ac *refocillare*.

Confundit ſecundaria cum primariis videlicet.

Nos *Grammatici*, & minuti *Literatores*, omnes haſce *ideas* vocamus *ſecundarias*; ut *Rectius ſe habere* veniat a *recto*: *Convaleſcere* ſit a *valeo*, & *validus* pro *firmo*, ac *robuſto*. *Vires recolligere* ſit a *Colligo*, quod a *Lego*: ut *recreo* a *creo*; & *Refocillo*, a *focillo*, quod a *foveo*, & *focus* propagatum; judice Magno *Voſſio* in *Etymol.* quamvis Summ. *Caſaub.* a *faucibus* maluerit, ut ſit *fauces molli lana fovere*. Sed jam, ut video, præ Maximis Viris hiſce ſapuit *Avenar.* qui ſagaciſſime detexit, *focillare* ex *Oriente* derivandum, atque eſſe ipſiſſimum noſtrum בלג, quod per *metatheſin* in בגל converſum, *primigeniam* iſtam *vim* ſub hoc *Themate* poſſederit, atque ſic *Latium* ditarit. An Cl. *Drieſſen.* ab ipſo hauſerit, an ſibi debeat, pulcherrimum acumen, dicere non habeo. Idem tamen *Avenar.* ſe vitreis ludere fulgoribus oſtendit, quando in *Lexico* ſuo hoc *focillare* in בלג iterum deducit ab affini פלג *diviſit*, *quod is refocilletur*, *a quo moleſtia dividitur*, *id eſt*, *diſpellitur*. Totus in talibus vir ille, cujus ingenio nihil luxurioſius ad *proprias*, & *certas*, quas *Lexici Titulus* promittit, *ſignificationes Omnium Radicum Hebræarum ex alliterationibus*, & *Syllabarum aucupiis*, *conſtituendas*: dum interim ne quidem quid *proprium*, & *primigenium*, in *Linguis*, comprenſum haberet. Ei æmulus Cl. *Drieſſen.* in *Titulo Diſſertationis* ſuæ pollicetur *primigenios*, *ſimplices*, *proprios*, & *univerſales*, *ſignificatus Hebræos*; quum ex *ſpeciminibus* hiſce in oculos omnium incurrat, *ſecundariis uſibus* Viri mentem operamque, obhærere, nec diſcernere, aliam eſſe *Originem Convaleſcendi*, aliam *reficiendi* & *recreandi ſeſe*, aliam *ſeſe refocillandi*, quamvis cum aliis bene multis verbis in unum *ſenſum ſecundarium* congruere, & conſpirare, queant.

Nec Cardinem quæſtionis percepit.

Hactenus ergo a Cl. *Drieſſenio* pro *Origine* quidem, in qua *Cardo Quæſtionis* noſtræ verſatur, nihil omnino effectum: & repetere nunc cogor veras illas, quas olim miſi, voces, *dolendam* mihi videri *ſortem Ling. Hebr. quod ſedibus ſuis extorris*, quoad *Origines* videlicet, *emendicatis* quibusdam, & *male conſutis*, *pannis obſita jaceat*, *quæ excuti nequeant*, *quin lapſa defluant*, *niſi forte in auctoritate Magni alicujus Nominis tenacius hæreant*. Nempe qui Cl. *Coccejo* addictiores, non dubitabunt quin ejus ἐυμαρίζειν *facilem efficere* ſit genuinum. Si *ſecundario gradu* id locetur, idem juris habet, quod reliqua, nam & *facilius ſe habere* dicitur, qui *convaleſcit*, vel *refocillatur*. Sed ſi hoc jam *primarium* eſſe tendatur, ſimpliciter reponam, ignorari ergo, quid ſit *primarium* in *Linguis*, & ne ipſum quidem illud *facile* ſatis attendi, cujus notio iſta quæ *difficili*, & *duro* opponitur, palam *ſecundaria*, a *faciendo* ducta. Iterum alii, qui aucupia amant literularum, non ambigent, quin בלג ſit *refrigerari tanquam e rivulo*, ut *Forſt.* ſat ingenioſe; eamque *proprietatem* ex *Vulgato*, & LXX. omni aleæ eximent, quippe qui *Pſ.* 39: 33. dederint *refrigerari*, & ἀναψύχειν. Demiror, cur Cl. *Drieſſen.* qui *Origines Ling. Hebr.* non ex *Arabia*, ſed ex *Ægypto*, e ſinuque *Alexandrinorum*, repetendas pronunciat, tam *liquidam*, *pulcramque*, *imaginem* non ambabus ulnis fuerit amplexus: præſertim quum

Digitized by Google

quum tam dextre *Græcos* illos ab omni ſpecie erroris abſolvere queat, ubi alii mecum eos longe aberraſſe autumabant. Audi modo. „ *Ponamus jam τὸς* „ LXX. *Job.* 9: 27. *Jer.* 8: 18. *& alibi a vera notione aberraſſe, ſi locorum* „ *Scripturæ argumentum recte introſpicis, recte dijudicas veriſſimas notiones quas* „ *in his illis locis ſugeſſerunt. Et quid ſi Job.* 9: 27. *&* 10: 20. & *Pſ.* 39: 13. „ *ſibi ipſis contrarii non ſint? Suſpiria ducendo reſpiramus, dolori ubi licet indul-* „ *gere doloris lenimen eſt. Forte Jer.* 8: 18. *ſenſum reddunt*, plaga inſanabilis „ cum dolore eſt, *ubi in ipſo dolore quærenda eſt refectio, refocillatio.* " Miraculum hominis! Si *Voſſius* ille *Iſaacus*, qui LXX. conſecratos voluit, reviviſceret, *Drieſſenium* noſtrum una cum iis conſecrari, & cœlo locari, juberet, quod *Dolorem inſanabilem*, & *Refocillationem*, in unam, *ſimplicem*, *propriam*, *primigeniam*, & *univerſalem*, *ſignificationem*, potuerit conciliare.

Ego interim, qui in omnibus illis, quæ præmiſſa, nihil reperiebam, ubi pedem tuto figerem, certius quid ope *Dialectorum* promere conatus fui, exhibuique ſignificationem *nitendi*, & *renidendi*, quam *Arabes* frequentant ſub ſuo بلج בלג, in *ſole*, *cœlo*, *vultu*, *ore*, ſive *proprie*, velut quum *lux nitet*, *nitet dens albus*; *nitet etiam frons glabra*: vel *improprie*, quum *mœrore diſcuſſo eadem frons hilaritate eniteſcit*, ut *Quintil.* loquitur. Quum hæc in *Originibus* proferrem, & locis *S. Scripturæ* hujus *ſplendidiſſimæ figuræ* decus inferrem, ingenue dicam, conſenſum omnium etiam imperitorum, mihi ſpondebam. Vanus fui. Seculi mei homines *Originem*, quam luce meridiana clariorem opinabar, quia ex *Arabia* veniebat, admittere auſi non ſunt. Atqui meum illud *eniteſcere*, ſi uſum *ſecundarium*, qui ſolus in *Bibliis* ſupereſt, conſideres, ſub ſe complectitur omnia quæ ab aliis allata, *rectius*, vel *facilius*, *habere*; *convaleſcere*; *vires recolligere*; *refocillari*; *corroborari*; ut eatenus nullus inter nos ſit diſſenſus: iisdemque inſuper, ex *primigenia indole*, ſingularem adfundit *lucem*, & *gratiam*, ad quam nulla præcedentium *ſignificationum* poteſt adſpirare. Nil ſpecioſius ſane, nil dignius, *Metaphora* illa *frontis ſerenæ*, & *nitidæ*, quam *Jobi Cap.* 9: 27. ex hoc fonte reſtitui. Ea ipſi *Drieſſenio* noſtro ante annum adhuc ita placuit, ut pro ſua eam *Dilucidationi Analyticæ* in *Jobum* dignatus ſit inſerere: ſic enim ibi converſum reperio, *Deponam vultum meum, & reſpirabo*, vel *faciem meam nubilam mittam, eamque ſerenabo: Renidentem dabo.* Eodem honore *Origo* noſtra mactata a *Dilucidatore Jobi*, *Cap.* 10: 20. ubi hæc appoſuit: *Recedas a me, ut reſpirem paululum*, vel, *ut pauliſper renideſcam*, *vultum nubilum diſſerenem.* Verum O! omnium rerum viciſſitudo eſt. Quod hodie adblanditur, cras faſtidio eſt. Sed & δευτέραι φροντίδες, σοφώτεραι. Potuit ergo Cl. *Diſſertator* uno eodemque *volumine*, a ſemet, ſuo jure, diſſidere, & quod adoptaverat velut ſuum, denuo repudiare, *Sancta illa* ἀδιαφορία, quæ ex univerſa hac ſcriptione omni periodo relucet. Perpende modo hanc inſtantiam, qua contra *Originem niteſcendi* inſurgitur p. 15. „ *Sed quem Lexicon indicat ſignificatus non eſt primigenius*, *univerſalis*, *ſed particularis vel ſignificatus alicujus* „ *univerſalis ad* ſolem *applicatio. Sic primigenius ſignificatus non eſſet particu-* „ *la-*

Origo noſtra adfirmatur ulterius.

Approbata primum a Cl. Drieſſ.

Nunc improbata.

„ *laris ille* ſolis & auroræ inſtar fulgere, *ſed generalis ille* fulgere, *qui & dein-* „ *ceps quaſi* ſecundarius *a Lexicographo indicatur* ". Hebet oculus præ nitore *periodi*; nec ſatis video, quid legam. An hoc vult ſublimis *Diſſertator*, *fulgere* in *ſole*, in *aurora*, non poſſe eſſe *primigenium*, quia & alia *fulgent*, ac *nitent*: ac proinde *primariam vim* eſſe *nituit*, *generatim*; unde *ſpeciatim* ad *auroram* applicetur? Nil pugno ſane. Ipſe id ut notiſſimum ſuppoſui; non enim libenter inculco, quæ ſenſus communis nemini non dictat. Sed fateor communem meum ſenſum mihi nunquam dictaturum fuiſſe quod probationis loco adjectum. „ *Loca ſcripturæ ubi radix occurrit ſi inſpicis omnia*, *ſignifica-* „ *tur* primario *aliquid relate ad* animum. *Illum prius oportet fieri* ſereniorem, „ *æquum*, *quam* frons niteat. *Ubi* animus *reficitur*, *in vultu*, *mentis ſpeculo*, „ *illud relucet.* " Hoc vult acutiſſimus *Philoſophus*, & *Literaturæ Hebraicæ* ſtator; *nitere* in *ſole*, in *aurora*, quod *Arabs Lexicographus* exhibebat, non *primarium* reputari poſſe, quia *Scripturæ S.* loca *ſignificant* aliquid, quod *ad Animum primario referatur:* ac proinde *primarium* ſtatuendum fuiſſe ab illo *Arabe*, ſi *curate philoſophari* voluiſſet. *Nituit animus*; dein *ſecundario* uſu, *nituit frons*, *ſol*, *aurora* &c. quoniam *frons niteſcere* nequit, niſi *animus* prius *nituerit*, & *ſerenitatem induerit*.

Metaphyſica V. Cl. Originatio. Habes e meditullio *Philoſophiæ* hauſtas *Origines*, ad quas nemo qui in *Linguis* addiſcendis aciem ingenii ſui conſumit, unquam adſpirare queat. Perſuaſeram, fateor heu! mihi hactenus *nitorem*, & *ſerenitatem*, ad *animum* transferri per *ſimilitudinem* quandam, qua *Animus nulla triſtitia obnubilatus* comparatur cum *facie ſerena*, & *nitente*, *cœli*; ſed nunc demum audio, & diſco, *nitorem* eſſe *incorporeum* quid, quod *principem ſedem* teneat in *animo*, indeque *frontem nitidam* emanaſſe; & reliqua porro quæ *nitere* dicuntur, ut *ſolem*, *auroram*, *aurum* &c. &c. &c.

Nempe & *ſerenitas* primario eſt *animi*, ſecundario *frontis*, unde ad *Cœlum* porro tranſitus factus. Contra *nubila mens*, *nubilam* faciens *frontem*, ex ſe propagavit *nubilum Cœlum*; ex *Philologia Drieſſeniana*, quæ ad lumen *Metaphyſicum*, & *Logicum*, veras nobis pandit *Origines*. Jam dubitare nequeo, quin *aptum* ad omnes artes, & ſcientias, *ingenium*, prius ſit quam *apta manus*, qualem in *Diſſertatione* hac *exaranda Orbi Erudito* præſtitit ſcriptor ſolertiſſimus, atque, ut video, omnes *Linguæ* brevi, tantis hiſce auſpiciis, ſplendidiorem faciem induent, quam hactenus habuerunt, e *craſſæ* videlicet, & *obſcuræ*, *materiæ vinculis*, ad *liberum ſpiritum*, *aëremque Philoſophicum*, traductæ; ut ibi demum nativo, & *puriſſimo*, ſuo *nitore* perfruantur.

Non alienus interim Cl. *Drieſſenius* ab idea *eniteſcendi*, ſi modo *primariam ſedem* in *animo* ei aſſignemus: quin, hac ſub conditione, jam Noſter plane factus videtur, ita pergens. „ *Et ſi vel ſimplex*, *& primigenius*, *ſignificatus* „ *eſſet τὸ* nitere, eniteſcere, *ſignificatus ille univerſalis diſtincte erit conſideran-* „ *dus*, *qua refertur ad* animum, *& qua refertur ad* corpus, *& tunc in locis* „ *omnibus non hic erit prior*, Nitere inſtar auroræ; ſereno eſſe vultu: *ſed hic:* „ eſſe animo paulo confirmatiore, æquiore, ſereniore. *Eſſetque de eo diſpi-* „ *ciendum an loca illa omnia Scripturæ requirant*, *vel patiantur illum* fulgorem

„ *fa-*

Digitized by Google

„ *faciei.*" Sentiſne? *primarium* eſſe debet *animus paulo confirmatior*, *æquior*, *ſerenior*, ut ad *ſerenitatem vultus* dein *ſecundario gradu* perveniatur. Hinc craſſior mea methodus ita caſtigatur. „ *Deinde locis omnibus vir Cl. ſubintel-* „ *lectam vult* faciem, *quod durum videtur*, *dum radix univerſaliter & primario* „ *debet aliquid ſignificare per ſe*, *ſine* ſubintellecto *vel adjecto aliquo: & quidem* „ *ſignificare univerſale quid*, *quod tum diſtinctis ſubjectis aptatur*, *neque enim ſola* „ faciès *nitet*, *ſplendet.*" Atqui *facies* diſerte expreſſa, *Jobi* 9: 27. Aliis in locis eam ſuppleo jure *Ellipſeos*, quam omni momento omnes uſurpant *Linguæ*. Sed & illam *Logica*, ac *Metaphyſica*, *Drieſſeniana*, eliminabit forte, *Linguasque* mala hac cruce liberatum ibit. Ad reliqua ſatis reſponſum. Reſtat *Criſis*, quæ *Coronidem* omnibus imponit. „ *Quod ad locum Amoſi*, *cui aptat* „ *ex Lexico hauſtum ſignificatum*, aberrat *a figura*. *In illo loco & conſimilibus*, „ *non alluditur ad lætum auroræ candorem*, *ſed ad ejus τὸ* ſubito, *& ad ex-* „ *panſionem.*" Hæc jam non *colluſio*, ſed vel *illuſio mei*, vel manifeſta *ſui eluſio*. Monueram ego, verba illa *Amoſi*, *Cap.* 5: 9. המבליג שד על עז a *Vatablo*, *Druſio*, aliisque verti, *Qui confirmat vaſtatorem contra fortem*. Adjeci, magis ſe commendare illud Cl. *Cocc.* *Qui facile infert vaſtationem in robuſtum*. Pro eo, in eandem mentem, ex *Origine* certiſſima, ſubjeci, *Qui effulgere facit*, & de ſubito, *auroræ inſtar oriri vaſtationem ſuper potentem*. Quomodo ergo *aberro a figura*, qui id ipſum expreſſi, quod Cl. *Drieſſ*, proponit? Adjunxi & *expanſionem* quam diſertiſſime, ex *Joël.* 2: 2. &c. atque figuram illuſtravi ex *Homerico* illo

—— —— ὅσόν τ' ἐπικίδναται Ἠώς.

Qualiter expanditur Aurora.

Statim ſubnectens, *Nodum ibi in ſcirpo quærere qui aliud quam* nec opinatum adventum, *cum incredibili* celeritate *conjunctum volunt*. Nimis infelix mortalis ſum, qui etiam tunc *aberro* in oculis Cl. *Drieſſenii*, quam idem mecum ſciſcit.

Ceterum ſciri velim, me locum, *Jer.* 8: 18. מבליגיתי עלי יגון majori luce perfudiſſe, in *Diſputatione ſecunda* de *Significatione verborum ex Ancipiti*. *Major lux addita loco* Jer. 8: 18.
Oſtendi ibi הבליג ſpeciatim valuiſſe, *riſit ore nitenti*, *albisve dentibus*, quod *Latinis* eſt *renidere*, *renideſcere:* atque inde elicui illuſtrem hanc *Figuram*, gravi aculeo ferientem. *O Tu quæ renides mihi ſuper dolore*, *in me cor meum elangueſcit*. Duplicem obtuli *riſum*, alterum *illuſorium*, alterum *Sardonium;* cum *Mimeſi* in ultimo colo. Ad *illuſorium* quoque *riſum* referas licet *Amoſi* contextum, ſi ſenſus, quem Doct. *Belgæ* ſecuti, adblandiatur, Die zig verquikt (door) Verwoeſtinge over eenen Sterken. Subſtitue, ex *Origine* verbi, *Qui renidet* ad *Vaſtitatem ſuper potente:* & Confer *Prov.* 1: 26. Apud *Latinos renidere* item in *riſu Sarcaſtico* tritum. Illud *ſe recreare*, quod *primarium* nemo Eruditus, ſi a Cl. *Drieſſenio* diſceſſeris, unquam dixit, ſi ad *nitorem*

vultus reducatur, jucundam ſatis imaginem præhibet: Sed ſi adſciſcas inſuper *albis dentibus ridere*: *renidere*, habebis aliquid gravius adhuc, & illuſtrius, quod Locum iſtum admirabiliter impleat.

Amplexus fuiſſem jam olim; & nunc magis adhuc illuc propenderem, niſi duriuſcula videretur conſtructio, quæ ſine fulcro ſtare non poſſit. Liceat interim de eo ampliare, donec uberior lux adfulgeat.

SECTIO III.

Radici קרח ſimplicitas *ſua vere* Hebraica *aſſeritur*.

I.

Primariæ & ſecundariæ notiones rite diſtinguendæ.

Quam generoſo, & valido, *Marte*, *Origines* noſtras oppugnandas ſuſceperit Cl. *Drieſſen*. Sectiuncula hæcce in omnium oculis defigit. Exorſus fueram *Caput* II. quod *Themati* huic illuſtrando totum impendi, a *receptiſſima* illa *Methodo* ſignificationes *Hebræas* eruendi, & conſtituendi, quam *Forſterus*, *Avenarius*, *Boblius*, *Guſſetius*, aliique, majorem in modum commendarunt, quin tanquam munitiſſimam *viam* verum inveniendi urſerunt; *Collationem* nempe *locorum* ubi *Radix* aliqua occurrit, cum *conſideratione* ipſius *contextus*, in *ſcopo*, *ſerie*, *circumſtantiis* omnibus: unde viri illi Doctiſſ. velut ex *collectis* undique *ſcintillulis liquidiſſimam veritatis lucem* elici poſſe contendunt; non ſolum pro *ſecundariis uſibus*, ſed etiam pro *Origine*, & *primaria Virtute*, atque *poteſtate*.

Hoc poſterius omnem ſuperat abſurditatem; ad eamque caſtigandam, refrenandamque, præter alia, hæc poſui par. 3. illius *Capitis*. *Quid enim? Tamne dextra Natura in lucem mortales extulit, ut ubi nox tenet, tenebræque diem extinxerunt, ab errore tuti eſſe queant, atque haud ſecus, quam medio ſole, explorato pedem ferre?* Hoc certe ſibi arrogant, qui tandem cumque illi, qui *Origines*, ſive *Formales*, quas vocant, *ſignificationes ex ſolis Viſceribus Textus*, ſine ulla ope, & luce, *Dialectorum*, ſeſe veſtigare, ac finire, poſſe dictitant.

Adjeci; *Tamne lætis Orientis Muſis editi ſunt, qui cœlum hauriunt Europæum, ut quod in Lingua domeſtica, ac patria, nemo homo præſtiterit, id in* Lingua Orientali, *toto Cœlo a ſenſibus noſtris ſejuncta, tanquam virgula quadam Divina ducti, efficere poſſint?* Ecquid evidentius ad revictionem? ſubſumſi itaque: *Hoc qui ſibi perſuaderi patitur, næ Hoſpes ille in ratione Linguarum verſatur, earumque profunda ne perfunctorie quidem introſpexit: quippe in quibus omnibus innumera ſeſe objiciunt, denſis circumfuſa tenebris, quas nulla acies humani ingenii perrumpere poſſit, niſi lumen veterum monumenta præpandant.*

Hæc ut dubitationi, ita contradictioni, exemta. Auſimque hanc *Methodi* noſtræ

noſtræ *Demonſtrationem Apodicticam* appellare, gemino confirmatam ſigillo, *Rationis*, & *Experientiæ*. Cl. *Drieſſen.* qui *Fundamentorum noſtrorum ſoliditatem ſe tentaturum* profeſſus eſt, ad omnia hæc profundiſſime ſilet; atque forti gradu hocce Cauſæ meæ invictum præſidium tranſſiliens, a *Paragr.* VI. *Cap.* II. mea *excerpere* dicam, an *concerpere*, inceptat ſapientiſſime. Ne quid diffitear, ſatis tædioſum fuiſſet Cl. *Diſſertatori* longius excurrens illud *Caput* perlegere, eſt enim inter ea, in quibus vereor ne mihi indulſerim, atque patientiam publicam onerarim, quod ad illius *verbi* uſus illuſtrandos majore quadam copia me inſtructum ſentirem; quodque exiſtimarem me non ſcribere pro iis, qui compendioſe docti eſſe cupiunt, ſed pro hominibus Eruditis, quibus liberiores hi excurſus non ingrati venirent.

Diſcrimen hoc non obſervatur a Cl. Drieſſen.

Mea proinde culpa, quod Cl. *Drieſſen.* nec ſequi, nec percipere forte, dignatus ſit vim *demonſtrationis*, qua adſtructum dedi קדח in *ſecundario uſu*, qui ſolus in *Bibliis* quinque locis ſuperſtes, non eſſe *accendit*, ut prima inſpectio, & collatio, ſuadere videbatur, ſed *elicuit*, *laciendo extudit*, *extrivit*, *exterebravit*, אש *ignem*. Bis *tranſitive*. *Jer.* 17: 4. אש קדחתם באפי *ignem terebraſtis*, *terebrando*, *irritando*, *elicuiſtis in Naſo meo*. *Eſai.* 50: 11. *Væ vobis*, *qui terebrando extunditis ignem* &c. Ter *intranſitive: Deut.* 32: 22. אש קדחה באפי ותוקד *Ignis terebrando elicitus eſt in Naſo meo*, *&* *ardebit* &c. Similiter *Jer.* 14: 14. Denique *Jeſ.* 64: 1. כקדח את המסים *ſicut terebrando elicitur ignis fomitum aridorum*, &c.

Hanc *ſecundariam peteſtatem* conſtantiſſimo uſu *Arabum* non ſolum, ſed & reliquarum *Dialectorum*, ſubnixam, oſtendi emanaſſe a *principe*, & *antiquiſſima*, notione *forandi*, *terebrandi*, quam iidem *Arabes* ex ditiſſimo Veteris *Linguæ* penu nobis refundunt.

Eſt *Origo*, qua nihil lucidius, nihil quoque locorum illorum dignitati, & granditati, convenientius, excogitari poſſe, omnes qui Jove judicant æquo, mihi conſciverunt, atque omne per ævum conſciſcent. Ne arrogans videatur, effecit *Clariſſ. Vitr.* in *Comment.* ad *Eſajam*, gemino in loco *Originem* noſtram calculo ſuo confirmans; nec non *Celeb. Melchioris* in *Diſput.* de *Muliere Sota:* a quibus me viciſſim haud exiguam lucem iſtis ipſis in locis lucratum eſſe, profiteor, atque agnoſco.

Qui Evidentiſſimis etiam propterea contradicit.

II. A ſe impetrare tamen potuit Cl. *Drieſſen.* nt *Demonſtrationi* tam *Liquidæ*, quam ulla unquam hoc in genere *Literarum* data fuit, vel dabitur, contradiceret. „ *Loca ſi confers*, inquit, *omnia*, *&* *verſiones*, *certiſſimum eſt* „ primam notionem *eſſe vel eam* incendendi, *vel*, *ſi vis*, *generalius*, ignem „ excitandi; *ſive illum* eliciendo, vel *materiæ combuſtibili ſubjiciendo*. *Quam-* „ *vis mihi verior videtur ſignificatus heic primarius*, incendere, ignem ſubji- „ ciendo materiæ combuſtibili: *quem nobis dant Verſiones*, *&* *Lexicographi.*" Habes judicium Viri, qui coquit, quæ ſcribit, & non apponit, niſi quæ *demorſos ungues* ſapiant. *Primaria notio* ei eſt *ignem excitare*. Hoc omnes alii *ſecundarium* vocitarent; dicerentque anceps. Certe *excitat ignem*, & qui eum *evocat tritu*, *alliſuve*, & qui *elicitum nutrit*, *atque in flammam producit*.

 A

A priore idea non reſilit V. D. ſubjiciens ipſe, *ſive eliciendo illum*: quæ planiſſime mea eſt ſententia. Addit quidem, *vel materiæ combuſtibili ſubjiciendo:* ſed hoc jam *diſputationi* datum; non rationi: ne me impugnans, mecum ſtetiſſe deprenderetur. Sciatur tamen *Arabes* hanc ipſam *latitudinem* ſub noſtro *Themate* nonnunquam adſciſcere, prout in omnibus *Linguis* per *Synecdochen* limites Verborum extenduntur; ac proinde קדח etiam valet *materiæ combuſtili ignem ſubjecit, terebrando elicitum.* Quis interim tam hebes, ut hoc non agnoſcat *ſecundarium*, & a *primigenio fonte deflexum?* Is ergo fons vel ignotus, clauſusque, per omne ævum, maneat neceſſe eſt, vel admittenda *Origo* illa *terendi cum foratu*, aut *forandi cum tritu*, quam non ex *Conjectura*, non ex *fornace* calida *imaginationis*, non ex *ludicro alliterationis*, elicio, atque extundo, ſed in ſolida fundo auctoritate omnium *Dialectorum*, quæ cum *Hebræa* unam primævam tenent ſtirpem. In *aucupio literarum* præſidium poſuit *Forſter.* noſtro קדח tribuens vim *accendendi.* Idem placitum *Avenario*, qui cognationem inſuper habere dicit cum יקד *canduit, incanduit.* Addidit vir ille in *Etymis Latinis* procudendis artifex plane admirabilis: *Hinc Latini interponendo* n, *dicunt* cendo, *quod in compoſitis* accendo, incendo, *tantum uſurpatur.* Nil pellacius iſtis luſibus, quibus etiam magna nonnunquam ingenia indulſere.

Candendi Origo: unde incendere ductum.

Cendo tamen illud nihil eſt, quum Veteres dixerint *Cando*, unde & *Candeo*, quod eſt *albeſco cum ſplendore.* Inde *color Candidus; Candida lux: Caput Candidum*, pro *Canis albicante:* item tralate, *Candidum pectus, Animæ Candidiores.* Conſimiliter *Candor animi, pectoris*, improprie; proprie *Candor nivis, coloris* &c. niſi quod jam videam, ex *Philologia Drieſſeniana*, *Candorem* ab *animo* ad *corpus* potius tranſiſſe, & nos *Philologaſtros* nimis obtuſa gerere pectora, qui a *corpore* ad *animum* talia tranſlata fuiſſe imaginemur. Ajunt olim *ferro Candente* veritatem explorari ſolitam. Quid ſi & noſtram litem finiat? Arripiat illud Cl. *Drieſſen.* & experiatur num manus *integra* ſit manſura. Ab illo ergo *Candere, Candeſieri*, propagatum haud dubie *accendo, incendo, ſuccendo*, quod eſt, *ſecundario* uſu, *igne ſubjecto candens efficio aliquid*, i. e. *ignitum, inflammatum, ardens.* Rogare ergo nunc liceat Cl. *Drieſſenium*, velitne *primigenium ſignificatum* τῦ קדח fuiſſe *Cando, Candeo, Candeſco*, in notione *albeſcendi cum ſplendore*; unde mox, citra *Metaphoram* tamen *primario* quoque, extiterit *incendo?* Vix crediderim; & jam vel inverecundiuſcule ſuſpicari malim, iſtud *incendo* Cl. *Diſſertatori* obverſatum ut *primigenium*, quod cum *Candore* nihil commune haberet: quia alias *primarius*, quem promittit, *ſignificatus*, ad *ſecundarium gradum* ſponte delaberetur.

Cavillatiuncula.

Eo magis id mihi perſuaſerim, quod ſuo ſe gladio petere voluiſſe Virum prudentiſſimum, haud vero ſimile ſit: ſic enim in me pugnare pergit „*Quem* „ *ipſe ex Arabismo adfert, non eſt ſolus primigenius ſignificatus*". Dixi ſatis diſtincte, eſſe *ſecundarium* a *primario terebrandi* ſubſumtum. Vel ego non intelligo Cl. *Drieſſenium*, vel Cl. *Drieſſenius* me non intellexit. Additur. „*Ne-* „ *que locis omnibus S. Scripturæ recte applicatur*". Eſt jaculum ſine acie probationis intortum.

Sed,

Digitized by Google

Sed, vulnera feret valida dextra. „ *Deinde non ſemper hæc concurrunt*, τὸ „ *lacere, extundere ignem, eumque ad magnum excitandum incendium materiæ* „ *combuſtibili ſubjicere; & τὸ ignem elicere, & mox magnum incendium (tale* „ *ſtatuendum eſt in Scripturæ locis omnibus) excitare: poteſt quis ſic incendere* „ *aliquid igne jamdiu ante elicito*". Cum *Philoſopho* mihi rem eſſe ſentio. Nos *Grammatici*, craſſiore noſtra *Minerva* ducti, ad tam ſubtiles calculos nec poſſumus, nec audemus, ſedere. Sufficit nobis, ſi natura patiatur, ut *ſcintillas ex fomitibus terebrando elicitas, aggeſta materia combuſtili, ſequatur ingens incendium*. Qui noſter ſtupor eſt, credidimus quoque, elegantius eſſe, & decentius, ut *ignis in Naſo Numinis exterebrari* dicatur, ad *continuas irritationes pingendas*, quæ tandem in *flammam* erumpant, quam ut uno momento ſtatuatur *accenſus* a *Judæis*, & quidem *magno incendio*, quod reſtingui nequeat. Sed en, quod *Quæſtionem* de plano decidat: „ *Notio* exiliendi, & emicandi, „ *dicit aliquid quod conſequens eſt τῷ incendere*". O me infrunitum, qui Caudam Capiti præfixi. Putabam tamen, me non *emicationem ignis jam ardentis, & extra tectum exilientis*, in קדח exhibuiſſe, ſed ejuſdem *exterebrationem*, & *emicationem*, ex *ſilice*, quum *Lapis circum lapidem flammeum fœtum parturit*; vel quum *Lignum teritur ligno, ignemque concipit attritu.* Vide Part. I. p. 30. *Origin.* Num, & hæc *emicatio ſcintillarum* eſt *conſequens τῷ incendere?* Reliqua hujus *Sectiunculæ* nihil habent, quod non ſponte defluat, ſimilia videlicet ſcintillulis ex *Pyrite* excuſſis, quas nulla materia excipit, nullus fomes ſuſtinet, atque in vigore conſervat. *Validiora intorta tela.*

SECTIO IV.

Qua Radicis נצץ proprietas, *a nobis e* Dialectis *producta*, *conſtabilitur*.

I.

Quanta circumſpectione, atque adeo religione, *Origines* ſcribere aggreſſus ſim, tres priores *paragraphi Cap.* III. cui hæc *Sectio* oppoſita, indicant. Profeſſus ibi jam tum fui, gratiſſimum mihi fore, Si Viri Eruditi, & Graves, de me, meiſque hiſce conatibus, fortiter, & ſevere, in judicium irent. Monui quoque expreſſiſſime, *Par. V. me in conſiliis hiſce meis *Linguam Hebrææm* ulterius *illuſtrandi, nihil dignitati Veterum detractum velle; quum multo uberrimus ex iis fructus redundare poſſit*, pro *ſecundariis uſibus* videlicet. *Aſt in genuinam, principemque, Radicum indolem, vix, ac ne vix quidem, eorum ope intrari poſſe. Contra, magnam fruſtrationem injici neceſſe eſſe illis, qui in hiſce ducibus omnes ſpes, opeſque, ſuas reponunt: quod nihil admodum præſidii ab iis expectari poſſit in poteſtate alicujus radicis figenda.* Addidi, *Artes Cl.* Diſſertatoris, *in cauſa undique debili.*

id

id ſexcentis a me exemplis vinci poſſe; in iisque eſſe noſtrum hocce נכר; quippe quod *vage* admodum; & *confuſe*, in *Verſionibus*, & *Lexicis*, exponatur.

Cl. *Drieſſen.* ultima hæcce excerpens p. 20. ſuæ *Diſſertationis*, ad illa, *nihil admodum præſidii expectari poſſe a Veteribus in poteſtate Radicis figenda*, magnum N. B. in medio appoſuit: quaſi Reverentiam iis debitam minuiſſem videlicet: vel poſuiſſem aliquid, quod a *Ratione*, & *Religione*, abhorreret. An jam non ipſa res, & ratio, flagitabat, ut Cl. *Drieſſen. fundamenta mea tentaturus*, in *Cardinem* univerſæ *Quæſtionis* inſiſteret? atque demonſtratum daret, ita Comparatam eſſe *Naturam Linguæ Hebrææ*, ut non tantum *ſecundarii* ejus *uſus* in *Linguam Græcam*, *Latinam*, aliaſque *Vernaculas*, transfundi, verum etiam omnes *proprietates*, *virtutes*, *Emphaſes*, *antiquiſſimæ Origines*, in iisdem accuratiſſime, exprimi, & repræſentari, potuerint.

Ejus abſurditas nudatur. Ridiculam dices propoſitionem: quæ manifeſtiſſimam involvat abſurditatem. Recte vero. Hac tamen abſurditate ſemet implicant qui ex *Verſionibus*, & *Lexicis* inde confectis, ſe *genuinas*, *proprias*, *ſimplices*, & *primigenias*, *ſignificationes Radicum Hebræarum* enucleare, & definire, poſſe glorian-tur.

Creſcit abſurditas, & immenſum quantum cumulatur, ex eo, quod ne in ipſo quidem contextu *Hebræo* illa *antiquiſſima Origo*, quam quærimus, ſub pleriſque *Radicibus* compareat: ob rationes ſupra inſinuatas *pag.* 454. Repugnantia ergo loquitur, & quid dicat, parum curat, qui ex *Verſionibus* id elici poſſe contendit, quod ex ipſo *contextu Originali* nulla acies humana eruere, ac pro indubitato ſtabilire, queat.

In hæc, ſuo jure, inſurget Cl. *Drieſſen.* & nullam iſti *gloriationi* ſubeſſe *abſurditatem*, evictum dabit, ex *Fundamentis Methodi a ſe jactis pag.* 4. *Diſſertationis de Veris Cauſis* &c. Legebamus ibi hocce *Axioma* ſimul & *Oraculum*; „ *Verſiones & ex iis Lexicographi*, *faciente Divina providentia*, *reddiderunt nobis* ſignificatus *vel* primarios, *vel* ſecundarios, &c. *quando mediante* ſignificatu ſecundario *ad* ſignificatum primigenium *pulchre adſcendimus* ". Retractanda ergo mihi video, quæ nimis imperite, & jejune, declamitabam olim: & jam video *in rerum Natura* Utique *dari Mortales tam lætis Orientis Muſis in lucem editos*, *ut quod in Vernacula ſibi ſua nemo arrogat*, *nedum præſtet*, *id in Lingua Hebræa*, *ſine ullo periculo erroris*, *efficere valeant*: nempe ut a *ſecundariis uſibus* ad *primigenium*, & *antiquiſſimum*, *Fontem ſola vi ingenii*, citra *opem*, *lucemve*, *Veteris Linguæ*, ac *Dialectorum* ejus, *pulchre adſcendant*: ſi modo *Verſiones* & *Lexica* evolverint; & perluſtrarint, quid quiſque *Veterum*, & *Recentiorum*, vel aliquo, vel nullo, fundamento, in medium contulerit.

Inter hoſce eminere, & ſigniferum ſeſe inferre, video Cl. *Drieſſenium*. Tantum iſti Viro luminis, tantum *Judicii Critici*, in pectore viget, ut diem ſibi facere poſſit ibi quoque, ubi Natura diem negavit; utque Confuſionem ipſam in merum, & verum, Ordinem revocare queat. Hoc ut ſuperius Oraculum pro univerſa *Lingua Biblica* promittit; ita *Sectio* hæcce illuſtri *ſpecimine*

Digitized by Google

mine confirmat. Dubitatum hactenus, quænam *genuina* eſſet *ſignificatio Thematis* נפץ, quod aliis *ſpargi*, *diſpergi*: aliis *teri*, *conteri*: aliis *allidi*; aliis *contundi*; aliis *excuti*; aliis aliud adhuc ex copia *Græci*, vel *Latini*, *Sermonis* conſignat. Nempe *Veteres* magnopere in *Radice* hac reddenda variarunt. LXX. habent διασκεδάζω. συντρίβειν. ἐδαφίζειν. συγκόπτειν. διασκορπίζειν. ἐκτινάσσειν.

Firmitas noſtræ cauſæ, & Originis.

Ad hæc *Par.* V. *Cap.* III. *Orig.* inferebam, *neminem tam* Ἄμουσον extiturum, *qui omnes hoſce ſignificatus tanquam* primitivos *unam ſub Radicem conglomerare ſuſtineret*: ac proinde *litem* hanc *terminari* non poſſe, niſi aliunde certior, & liquidior, lux, accedat.

Eam non ex *Arabia* ſolum, ſed ex *Chaldæa*, & *Syria*, id eſt, ex *Dialectorum* omnium conſenſione, & conſpiratione, firmiſſima, *Orbi Erudito* me præſtitiſſe, opinabar, *proprietate* in *Quatiendo*, *excutiendo*, fixa. Hanc vim omnia loca implere, iiſque gratiam, & decus, addere, inductio eorundem cuivis ingerit.

Triplex ergo firmamentum mihi hic aderat, *Veterum* qui [illegible] inter alia adhibuere; *Dialectorum* omnium; & *Collationis locorum*, huic *Origini* manifeſtè faventium: & tamen ne ſic quidem aſſenſum impetro: ſed calculos infeliciter judicor ſubduxiſſe.

Quibus machinis eam quatiat Cl. Diſſertator.

II. Ad hoc evincendum, & Fundamenta mea convellenda, ita *Parag.* II. exorditur Cl. *Diſſertator*. „ *Locis omnibus ubi occurrit Radix* נפץ *perpenſis*, „ *& collatis*, *adhibito* Verſionum & Lexicographorum *adminiculo*, ſignifica„ tus primigenius & univerſalis *ſe ſponte dat*, *qui eſt*, diſſolvere, facere ut „ quid non cohæreat, *ſive relate ad* corpus *aliquod*, *ubi partes ſeparantur*, *ſi*„ *ve relate ad* animum, *ubi conſilia*, *molitiones*, *& ſimilia*, *diſſolvuntur*". Vide, & ſtupe, quam *pulchre* per *ſecundarias* notiones *adſcendere* poſſit Cl. *Drieſſen* ad *primariam*, & quidem citra moram, hæſitationemve, ullam, quum res *ſponte ſe det*, & vel cæco pateat, *primigenium ſignificatum* non alium eſſe poſſe, quam *facere ut quid non cohæreat*, ſive, uno verbo, *diſſolvere*. Cerne etiam quam facile careant ingenia ſublimiora, *Logices*, & *Metaphyſices*, aëri ſueta, cognitione *Dialectorum*, ad *Origines Linguæ Hebrææ* præſtandas. Jam *vera luce* auctus es. Jam habes, quod *Sacri Codicis* dignitati, & Majeſtati, reſpondeat. Experire modo; & locis omnibus novum pondus, ac decus, accreſcere ſenties. Ipſe Vir Clariſſimus, quæ ipſius modeſtia, hoc illatione *locorum* facere noluit. Unum, alterumve, tantum attigit. Merentur omnia ſub conſpectu poni, ſed & nos, ut ex ungue Leo cognoſcatur, unum, alterumve, modo apponemus *Jud.* 7: 19. *Venitque Gideon, & Centum Viri qui cum ipſo in extrema caſtra media nocte, & clanxerunt buccinis*, ונפוץ הכדים אשר בידם *& diſſolvere urceos qui in manibus eorum*, vel *facere ut non cohærerent*: Quis adeo *Muſis* iratis natus, ut non continuo ſentiat, id longe gravius, digniuſque, quam meum illud *Quatere*, *excutere*, *excutiendo diffringere*? Meum profecto merus languor, ad *diſſolutionem* iſtam *Drieſſenianam*, quæ ne unicam quidem particulam alteri forte ſinit cohærere; ſed in

ato-

atomos omnia *reſolvit.* Eadem granditas, *Pſ.* 2: 9. תנפצם ככלי יוצר *Quaties eos ſicut vas Figuli.* Ita ego, ex meis *Dialectis.* Sed apage nunc mihi dilutum illud. Subſtitue quantocyus, *Diſſolves eos, facies ut non cohæreant.* Ejusdem gravitatis complura perſequi nil attinet. Perpende modo longiorem illum contextum, *Jer.* 51: 20. 21. 22. 23. & decerne, an non longe ibi *potentius*, ac *ſonantius*, ſit *diſſolvere*, quam *quatere*, vel *excutere*. *Malleus tu mihi, vas belli;* ונפצתי *& Quatiam per te populos* &c. *& quatiam per te equum, ac ſeſſorem ejus* &c. Hæc jacent, & torpent, præ illis, *Diſſolvam, faciam ut non cohæreant:* jamque ambigere nefas, quin ingenium *Drieſſenianum* omnibus *Dialectis* utilius ſit, & fœcundius, ad *Origines Fugitivas Linguæ Hebrææ* reſtituendas.

Vehemens inſtantia. Merito ergo imprudentiam meam ita caſtigare, & confutare, pergit Cl. *Diſſertator.* „ *Non unus autem eſt* diſſolvendi *modus, qui omnes pulchre exprimuntur in* Verſionibus *ab ipſo allegatis, nempe* conterere, confringere, alliders, collidere, excutere &c. *Quare fruſtra eſt ipſius interrogatio, quæ harum* notionum *obtinere debeat? obtinent omnes, contentæ ſub* univerſali *illa, & habent* ſignificatum ſecundarium *pro diſtincto* diſſolvendi *modo; qui in locis illis diſtinctis pro ipſa rei natura intenditur* ". Pace Cl. *Drieſſenii*, non interrogavi, quænam illarum *notionum obtinere* deberet, pro *ſecundaria*, ſed pro *principe*, & *primigenia*? Gradu *ſecundario* omnes ſtare poſſe, ſatis diſerte agnovi, ſimulque quid vellem declaravi, quum dicerem *Par.* V. *Edat mihi, qui Veteribus omnia defert, quid* in ſtirpe *ſua dicat* נפץ *Eſtne* συντρίβειν; *Ego vero negabo, &* ἐκτινάσσειν prima in Origine *contineri contendam* &c. Adjecique illud ſupra poſitum, *neminem tam* Ἄμουσον, *qui omnes hos* ſignificatus *tanquam* primitivos *unam ſub Radicem velit conglomerare.* Vel ergo Cl. *Drieſſen.* eſt ille Ἄμουσος, quem extare poſſe negabam, qui omnes hos *ſignificatus*, ut *primitivos* ſub unam *Radicem* agglomeret: vel, quia id credere nefas, ſibimet pulverem ob oculos objicit, ne meam mentem percipiat. Non obſcure certe indicat, ſe omnes illas ſuperiores *notiones* pro *ſecundariis* habere; ad quas ſub unam *formam* reducendas, e *fornacula ingenii* nobis deſubito conflavit illud *facere ut non cohæreat, diſſolvere.* An ergo *artificium conjectandi*, & aliquid e ſuo *fingendi*, & *fabricandi*, cerebro, auctoritati *Dialectorum* præponderabit: & *Fundamentum* conſtituet *Originum Hebræarum?* Id vero averruncet Deus; atque *Theologis* noſtris ſaniorem inſpiret mentem; ne *Scripturæ Dignitatem*, & *Veritatem*, ipſimet prodidiſſe reperiantur.

Nervoſior alia. Proſequitur graviſſimus diſputator. „ *Et ſi forte Interpretes ſingularem* diſſolvendi *modum in his illis locis non ſatis feliciter aſſecuti eſſent, ſignificatus particularis refigendus eſſet pro loci cujusque ingenio ex ſignificatu primigenio & univerſali qui eſt* diſſolvere *quique* ipſiſſimus *occurrit*, 1 *Reg.* 5: 9. *Coacta eſt ipſius interpretatio. Quid ſimplicius eſt quam* Cedros ratibus junctas diſſolvi *ſuo loco?* " Scio & alios eſſe *Interpretes*, qui ibi נפץ ceperint pro *diſſolvere*, non *primaria*, ſed *ſecundaria poteſtate*, quæ a *diſpergendo* fluxerit, quatenus *Rates ante colligatæ diſperguntur* a ſe invicem, quum *diſſolvuntur*. Si hic ſenſus foret, jam multo aptius noſtrum *excutere*. Aſt interpre-

pretatione iſta nil dilutius, ſentiet, qui ſeriem inſpexerit, & perpenderit, attentiuſcule. Non agitur, non poteſt agi, de *ſolutione* illa *ratium*, quam Cl. *Drieſſ.* innuit. Minutior res, minutior cura, quam ut *Hiſtoriæ* insereretur. Agitur de *Traditione ratium Cedrinarum e manu Hirami, in manum Salomonis, certo aliquo loco: ut periculum maris, & reliqua earum cura, non amplius Hirami foret, ſed Salomonis.* Elucet ex ipſo filo. *Servi mei comportabunt* Cedros *e Libano ad mare; ponamque eas Rates in mari, ad locum quem ſignificabis mihi: ibique eas excutiam* i. e. emittam e manu mea, *& tu tolles*; i. e. *earum ulteriorem curam ſuſcipies.* Ad talia adhæreſcere non poſſunt, qui aliquam Veterum Lectionem habent.

Ejusdem acuminis eſt *Criſis* in explicationem *Gen.* 9: 19. deſtricta. Dederam ibi, *Tres hi filii Noachi; atque ex his univerſa terra* נפצה *excuſſit ſeſe.* Oſtendi, elegantiore uſu dici, *Mulier uterum ſuum excuſſit*, pro *multam prolem enixa eſt.* Abſolute quoque *excuſſit* نفضت נפצת, figuram præbet *fœcundæ Matris;* נפוץ نَفُوضٌ inde per ſe *proliferam* ſignat, quaſi dicas, *quæ multum excutit.* Hinc obtuli olim, *Ex his terra prolem ſuam profudit:* ſubjecique *Metaphoram hanc haud difficulter ſeſe hominibus Eruditis approbaturam, quod nihil familiarius ſit, quam Terram* Matrem *appellitari.* Ad hæc noſter *Drieſſen.* „ *Interpretatio illa magis faceret illuſtrandis terrigenis, ſi qui darentur, quam* „ *ſimplici narrationi Moſaicæ.*"

Vindicatur explicatio Gen. 9: 19.

Ad *Terrigenos ſatu dentium editos* expoſitio mea, perquam facete, ablegatur; & aculeum habet illud *illuſtrandis terrigenis.* Præſertim ferit, *ſi qui darentur.* Videamus, quid graviſſimus *Theologus* in medium ferat. „ *Sic accipe.* Ex his diffuſa eſt tota terra. *Terra quæ habitata a pauciſſimis, quaſi* „ *eſt coarctata: ſed pluribus inſtructa incolis, ſe qua habitatam quaſi diffundit,* „ *dilatat.*"

Habes *lumina* mera. Nempe *Terra*, quaſi *ſaccus* eſt, qui *circa tria corpora arctior, quo plura inſeruntur*, tanto magis *dilatatur*, *diffunditurque* non ſine periculo *crepationis*, & *diſſolutionis*, ſi nimis farciatur. En aliud adhuc. „ *Vel* „ *omnis terra heic eſt omnis incola terræ, vel omnis colonia terræ.*". Expendamus. *Ex his tribus* נפצה כל הארץ *diſſoluta eſt tota terra*, vel, *facta eſt non cohærere:* hoc eſt *propagatum* eſt *genus, atque per colonias quaquaverſum diffuſum.* Hoc volebant, credo, illi, qui *diſperſa eſt terra*, dederunt; quod pro *diſſeminatum* eſt *genus humanum*, non omnino abſonum; ſi *ſpargi*, vel *diſpergi*, ſimpliciter accipiatur. Cl. *Drieſſen.* grandi figura ſubſtituit, *diſſoluta eſt tota terra.* Nos hac humiliore contenti eſſe poſſumus: *Ex his excuſſa eſt univerſa terra. Ex his tribus univerſum genus humanum proſeminatum.* Nempe non *Mater* tantum *excutit*; ſed & *proles excutitur.* Præferri ſic poſſet adſpectus; quum נפץ alibi quoque *intranſitivum* ſit. Ita venit *Eſaj.* 33: 3. *A voce fremitus aufugerunt gentes; a celſitudine Tua* נפצו גוים *excuſſæ ſunt nationes.* Diverſa eſt *metaphora*, quæ tendit ad *conſternationem*, qua *nationes e ſedibus* velut *ſuis excuſſæ.* Item 1 *Sam.* 13: 11. נפץ העם מעלי *excuſſus eſt a me populus:* pro

Excutere, *varie translatum.*

fuga, & *conſternatione*, *dilapſus*. Redi ad *Origin.* p. 51. ubi exempla *Latina* poſui. Nempe illud *excuti* latiſſimæ dicionis. *Avita ſede excuti*, dixit *Sil. Ital.* *Quid pacem excuſſerit orbi?* eſt apud *Lucan.* L. 1, 69. *Excutit equus ſeſſorem*; & *Vincula*, *Jugum*, *excutit*, qui *ſervitutem* a cervicibus *depellit*. Elegantiſſime *Cicero*, *Explica*, *atque excute*, *intelligentiam tuam*: eo ſenſu quo *Libri* dicuntur *excuti*, quum *diligentiſſime perleguntur*. Sed & *excutitur e manibus Liber*; quem nec ipſi legimus, & aliis, ne legant, auctores ſumus. Hinc *Cic. ſtudia de manibus excutere*. Apud *Quintil.* reperio, *partum viſceribus excutere*. Notius, *dentes excuſſit mihi*: qua anſa *Cic.* *Excutiam tibi iſtam verborum jactationem*. Item. *Noli aculeos orationis meæ, qui reconditi ſunt, excuſſos arbitrari*. Apud *Sen. Agam.* habes, *pavor membra excutit*. Id gravius quam *quatit*: quatenus *aries mœnia quatit* ut *diſcutiantur*, vel *excutiantur*, atque *diſſiliant*. Ea ratione *excutere vas*, plus eſt quam *quatere*: & tamen *quaſſum vas* invaluit etiam pro *fracto*. Uſus *Sen.* ad *Marc.* *Quid eſt Homo? quodlibet quaſſum vas*. Et *de Brev. Vit.* *Per quaſſos, foratosque, animos tranſmittitur*. Idem *quaſſum hominem* vocat *ſenio feſſum fractumque*. Uſitatius *quaſſatum vas*, *quaſſatum corpus*, *quaſſatæ rates*, *quaſſata*, *conquaſſata*, *Reſpub.* In his, aliisque infinitis, minima circumſtantia variat rem. Nempe *excutit vas*, qui *evacuat cum concuſſione*, ne vel minimum intus hæreat. *Excutit* item *vas*, qui manibus abjicit. Denique *excutit vas*, qui *baculo incuſſo illud diffringit*. Inſpice nunc denuo Jer. 48: 12. & quanta ſit *Figuræ* gravitas, atque ubertas, facile animadvertes, & Cl. *Drieſſenio* ſuum *diſſolvent* lubens remittes.

Locus* Dan. 12: 7. *ad incudem revocatur.

Ecce nova lumina, & acumina. „ *Quod ad locum*; *Dan.* 12: 7. *ſi vel di-*
„ *ctio illa* Arabica *eo ſenſu elegantiam haberet aliquam de quo non omnes idem*
„ *ſapient*, *dum omnibus in his non eſt idem guſtus*, *non ſectanda ubivis eſt illa*
„ *humani & divini ſermonis convenientia ut ſic major nitor fulgeat in dictione di-*
„ *vina*, *certe alii ſunt* ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοι, *alii*, διδακτοὶ πνεύματος ἁγίου λόγοι:
„ *neque ſi veras caput illud explicandi Hypotheſes ſequimur* (*de quo dicam in meo*
„ *ad Danielem commentario*) *hactenus concipi debet jam ante Judæo populo miſſum*
„ *fuiſſe libellum repudii.*" Nempe dixeram, נפץ יד ibi eſſe *excutere manum*, eaque phraſi venuſte deſignari *repudium gentis Judaicæ*, ex formula ſolenni نفضت يده נפצת ידה *excuſſi manum ejus*, pro *repudiavi amicitiam & Societatem ejus*. Sic in *Hiſt. Tamerl.* p. 441. نفضت يدي من الرفيق *excuſſi manum meam a ſocio*.

Ad hæc Cl. *Drieſſen.* ſapienter *de guſtibus* incipit *diſputare*. Quum tamen ei *palatum eruditum* adſit, non quidem ipſe *Elegantiam dictioni* iſti *Arabicæ* detrahit, ſed negat *ſectandam* eſſe *ubivis illam humani & divini ſermonis convenientiam*. Jam non miror, ſi Cl. *Drieſſen.* religioſiſſime abſtinuerit ab *Arabicis*, & reliquis illis *fontibus*, unde *Doctarum Linguarum* cognitionem nobis comparamus. *Theologus* noſter altius ſapit; altius haurit: & totus madet non ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, ſed διδακτοῖς πνεύματος ἁγίου, non in *Theologia* ſolum, verum etiam in *Philologia* & *ſtudio Linguarum*. Si ſic pergatur, brevi *Orbis Eruditus* in *Linguas*, earumque *Origines*, infuſum videbit, quod nominare

nolo:

polo: & *ſtudia Humaniora* nocere *Theologiae cultoribus* judicabuntur.

Triumphat veritas haud agnita, neque ſeverius contemtum ſui ulciſci poſſet *Literatura Orientalis*, quam ubi tales nebulæ excitantur ab iis, qui eaſdem omni niſu mecum ab oculis ſtudioſæ Juventutis noſtræ diſcutere, duplici ex obligatione, *Eccleſiaſtica*, & *Academica*, deberent.

III. Peculiarem *Paragraphum* merentur doctiſſima, & coctiſſima, meditata, quibus inſurgitur adverſus explicationem ἅπαξ λεγόμενον *Gen.* 30: 20. זבדני זבד טוב; de quo ipſe *Kimchius* dixerat, *Radicis vis ex loci ſenſu haurienda eſt: dedit mihi donum bonum.* Adjecerat idem, אמר ר׳ יונה שדומה הוא ללשון ערב *teſtis eſt R. Jona, ſimilem eſſe uſum Linguæ Arabicæ.* Hac auctoritate admiſſa eſt ſignificatio *donandi* in *Lexica* & *Verſiones* cum *ſexcentis* aliis, quæ ſimiliter ex *Arabum fontibus* hauſtæ; nam, ut alibi demonſtratum, *Rabbinis Veteribus*, qui primi *Linguam Hebræam* ab interitu, & oblivione, vindicare aggreſſi ſunt; ſeculis X. XI. XII. in *Babylonia*, *Ægypto*, *Africa*, & *Hiſpania*, vernacula erat *Arabica*. Ad ejus ergo lucem, nec non *Chaldaicæ Dialecti*, multa recte, & præclare, conſtituerunt: & graviſſime errat *Iſaac. Voſſius*, quum eos omnia e cerebro confinxiſſe dictitat. Si ſubducatur *Lexicis*, & *Rabbinis*, auctoritas *Dialectorum*, nominatim *Arabicæ*, ingentes mox ruinæ ſequentur; & ſyſtema *Voſſianum*, ac *Meibomianum*, vel & *Pontificium* de *Vulgato*, triumphabit. Ad hoc parum attendunt, qui ſe noſtræ *Methodo* opponunt. Ignorant nempe, unde emanarint illæ ſignificationes, quæ nunc *Lexica* noſtra, & *Verſiones*, inſederunt. Non ex veritate hic Zelus, ſed veritati planiſſume adverſus; quo res *Hebræa* non exſtruitur, ſed ambabus manibus deſtruitur. Infeliciter pugnat, qui crura ſibi ſua, omni ictu, debilitat, atque ſuffringit. Hæc alibi latius; ad convictionem vel pertinaciſſimorum. Tenendum interim *Rabbinis* non ſemper illud vel *luminis*, vel *acuminis*, adfuiſſe, quod ad gratiam *Linguæ* eruendam requirebatur.

Gen. 30: 20. denuo examinatur.

Id nemo negabit; ne *Drieſſenius* quidem noſter; neque enim bonæ menti nuncium remittere decrevit. Hoc fundamento ſubſumſeram, *At veſtram fidem Interpretes, quid leporis, quid venuſtatis, dignitatiſque, huic ineſt ſententiæ, dedit mihi Deus donum bonum*, &c. δεδώρηταί μοι ὁ Θεὸς δῶρον καλόν. Paulo erectius quidem *Vulgat. Dotavit me Deus dote bona.* Sed & hoc tum precarium, tum alienius, a ſerie, quæ in *partu felici* hanc *figuram* excellentiſſimam omnibus bonis Arbitris facile approbabit, *Agitavit mibi Deus utrem meum agitatione bona.* Ut per te rem diſcernas, en tibi copiam *Linguæ Arabicæ*, unde R. *Jona donandi* vim mutuatus fuit, prout Cl. *Golius* eam in *Lexico* promſit. زبد *parum de opibus ſuis dedit* alteri. *Comedendum dedit butyrum.* Item, *Butyri eliciendi ergo* utrem *cum lacte agitavit.* Omnia hæc *ſecundaria*, a *ſpumando*, & *flore ſpumeo* qui eſt in زبد, adſcita; quaſi dicas ἀφρίζειν *ſpumam ciere.* Jam ἀφρίζει *ſpumam ciet*, qui *utrem butyri eliciendi ergo agitat.* Inde accrevit, *comedendum alicui dedit butyrum:* quin & hinc arreptum aliud vilius, & cum contemtu conjunctum, *parum de opibus ſuis dedit* alteri, quaſi dicas, *ſpumam*

ei fecit. Nempe زبد זבד quatenus *donum*, *muniuſculum* deſignat, proprie ſonat *ſpumam:* unde & alia *metaphora* pro *vano ſermone* id vocabuli venit apud *Haririum.* Nempe αφρη *ſpumae plenum os*, rectiſſime dicitur, quod *futilia verba ſine fine fundit.* Iterum *ſpumam ciens*, *largienſve*, *manus*, eſt, *vile quid donans.* Hinc inferebam, *frigidiſſimum fore ſenſum*, ſi *donandi* vim cum R. *Jona* retinere vellemus. Jejunum utique; *Vili me Deus donavit dono bono:* & tamen pro incredibili ſua in hiſce peritia, pronunciare ſuſtinet Cl. *Drieſſen.* „ *Locum Gen.* 30: 20. *rectiſſime vertunt* LXX. *& quem etiam allegat ipſe, R.* „ *Jona.*" Inſtat quin imo, & me meis urguet armis. „ *Et ſi jam diu R.* „ *Jona notionem* τῦ donare *verbo dederit ex Arabismo* quidni acquieſcit?" Hoc tantundem eſt ac ſi quis me rogitaret, *quidni jejunus eſſe velim?* En aliam adhuc inſtantiam, priori illa acriorem adhuc. „ *Quæ ipſe excipit ſe non* „ *probabunt* ſignificatus primigenios *ex veris fontibus haurienti; Verbum ſi no-* „ *tionem* dandi *habet*, *quis credat verbum per ſe magis dicere* magnum *vel par-* „ vum *donum dedit*, *quam vox Latina* dare. *Verborum ſignificatus primigenius* „ *plerumque univerſalis eſt. Et quia Verbum per ſe neque* magnum *neque* par- „ vum *dicit*, *addit ipſa*, *dedit mihi donum bonum.*" Ecquid vides? ex *Veris fontibus* haurit Cl. *Driſſen.* & jam R. *Jonam* ſtrenue adverſus ineptiſſimas meas cavillatiunculas defendit; quia ſi verbum hoc *dandi* habet *notionem*, ut ipſe conceſſi, ea *univerſalis* ſit oportet, quæ nec *magnum*, nec *parvum*, per ſe inferat. Hoc demum eſt *Arcem Judicii Critici* conſcendiſſe: & de *Arabicæ Linguæ*, quantumvis incognitæ, profundis, profundiſſime judicare poſſe.

Ex eadem incredibili capacitate & hocce: „ *Sed ſi vel* זבד *ſignificaret etiam* „ excutere, *certe prior, & ſimplex ſignificatus non eſt* utrem, *vel* uterum, ex- „ cutere; *verbum hoc per ſe non ſignificat: multa ſunt quæ* excutiuntur, *hinc* „ *igitur addendum fuiſſet aliquid*, *quod* utrem, *vel* uterum, *ſignificet.*" Bona cum venia Cl. *Diſſertatoris*, non *excutere* diximus, ſed *agitare utrem lactis*, *butyri cogendi ergo.* Sed transeat. Hoc honeſtiſſime transferri monuimus ad *parturitionem & uteri fœcundi felicem ſolutionem;* exemplo verbi نفض נפץ *excuſſit*, quod ſimiliter hac figura ditarunt. Eſt & tertium مخض מחץ *Concuſſit*, *urnam* in puteo, & figurate *enſem in vulneribus.* Item, *agitavit utrem*, butyri cogendi ergo: & figurate *parturivit; dolores partus ſubiit:* vel & variato nonnihil adſpectu, *in dolores partus conjecit*, *parturire fecit.* In his omnibus, ex *Genio Linguæ*, addi quidem poteſt *uter;* venuſtius tamen ille omittitur, præſertim in ſublimiore, & figurato, uſu, qui ad *parturitionem* tendit. Veriſſimum itaque, *ſignificatum ſimplicem* & *primum*, verbi זבד, non eſſe *agitavit utrem lactis;* nam *Arabs* meus diſerte adjecit زبدت سقاها *agitavit utrem ſuum mulier.* Quum tamen ille *uter* eleganter ſubaudiatur, præcipue ſenſu floridiore, quem indicavi, nullam eſſe inſtantiam hancce, ſtatim perſentiſcent, qui Literis Humanioribus vel paululum tincti. Iidem mihi facile conſciſcent, nihil hac *Figura* in noſtro contextu decentius, & verecundius, excogitari poſſe. Et tamen Cl. *Drieſſen.* „ *Quis credat*, inquit, „ *piam*

„ *piam mulierem ſic locuturam fuiſſe paulo obſcœnius?*" Quid? *obſcœnumne*, vel ad mitiuſculum illud *paulo obſcœnius*, reputabitur, ſi *uter* ſignat *uterum? & agitatio utris*, *reſolutionem uteri in partum?* Quid tum de iis locis fiet, ubi *vulva*, & *uterus*, ſine ullo velamento exprimuntur? *Alliteratio* inter זבד, & זבל, in qua non ſine ſale, & venere, delicias feciſſe *Jacobi* matronam, ſubmonui; non diſplicuit interim Cl. *Drieſſenio*, eam *manere poſſe* ſubdenti. Atqui Virtus omnis illius *Paronomaſiæ* conſiſtit in *verecundiæ velo honeſtiſſimo*, quo utrumque verbum integitur. Si זבד ſimpliciter valeat *dedit*, jacet tota ſententia, jacet *Alliteratio*; & omnia merum frigus ſpirabunt.

SECTIO V.

Qua verbis פצץ, *&* פרץ, *nativus ſignificatus vindicatur.*

I.

Dignitatem *Linguæ Hebrææ*, ejuſque *Analogiam*, qua *Grammaticam*, qua *Rhetoricam*, non leviter imminuit, quod *Lexicographi* multi numerum *Radicum*, quem ampliare debuiſſent ex collatione *Dialectorum*, contractum ire maluerint; atque ita ſæpe, ad adfinitatem quandam, *Literarum* duo *Themata Origine*, & *ſignificatione*, diverſa, in unum confuderint.

Pomerium Linguæ Hebr. *amplianda.*

Conſilium hocce, quod nemo prudens laudabit, vehementer tamen comprobatum ab illis, quibus compendiaria via, optima ſemper videtur: quibusque nihil optabilius, quam ut e carceribus vix egreſſi, metam proſpicere, atque ferme manibus attingere, queant.

Hos inter nomen ſuum profitetur Cl. noſter *Diſſertator*, qui *pag.* 77. hæc ſuismet manibus in publico conſignata voluit. „ *Hactenus igitur Linguæ Hebrææ* Defectus hodiernos *offendimus nullos: unde opus non eſt in ſuas illos* „ *claſſes digeramus. Fateor*, non omnes voces, *quas Hebræa Lingua olim ha-* „ *buit, in S. Script. comparent; ſed continentur illæ voces, & dictiones, quæ* „ *ſufficiunt ad Diviniſſimum ejus argumentum Dogmaticum, Morale, Hiſtori-* „ *cum, Typicum, Propheticum, Allegoricum, notitiæ noſtræ inſinuandum pla-* „ *niſſime, diſtinctiſſime, copioſiſſime, vividiſſime. Quo igitur* pauciores *ſunt* „ voces & dictiones, *quæ tamen abundantiſſime ſufficiunt, eo* facilius ſibi *illas* „ familiaris *reddit Linguæ Biblicæ ſtudioſus; in quo agnoſcimus non Linguæ pau-* „ *pertatem, ſed Dei benignitatem & ſapientiam.*" Magnifica periodus, qua nihil hoc in genere illuſtrius vidit, aut videbit, *Orbis Eruditus*. Ejus profundiſſimæ Sapientiæ, & Eruditioni, ſuccinit altera hæcce pericope, admirabilior adhuc. „ *Neque video, ſi jam ſupereſſent* Radices & derivata, *quas &* „ *quæ Lingua Hebræa olim habuit* omnes & omnia, *quid Lucis adferrent uberio-*

Compendiariæ viæ Amator, idemque Adorator, Cl. Drieſſen.

„ ris Linguæ Biblicæ ; quæ Lingua per ſe eſt plena ; in eoque ſingularis , quod „ omnis ejus conſtructio ſit Divina , eundem habens Auctorem Spiritum S." Quantum ex hiſce, aliiſque *Enthymematis*, reluceat Sapientiæ, gravitatis, & Doctrinæ altioris, necdum pando. Suo loco commodius id, decentiusque, fiet. Nunc tantum hæc attingo, ut mecum ſciat Lector, cur Cl. *Drieſſen.* nullam hac *Sectione* mentionem fecerit *Thematis* פצץ, quo *Cap.* IV. *Origin.* pomœria *Linguæ Hebrææ* amplificavi.

Verbum פצץ *Hebrais reddendum.*

Id tribus locis reſtitui, & vindicavi. *Jer.* 23: 29. *Hab.* 3: 6. & *Jobi* 16: 12. Requiritur ibi *contritio*; vel *diffractio violenta.* Quum forma non omnino repugnaret, a *Lexicographis* loca hæc reducta ad *Radicem* פוץ, non ſine quadam confuſione. Exponitur nempe illud פוץ *diſpergi*, *conteri*, *confringi cum diſperſione:* item, *diſſipari*, *diſſilire:* nec non *diffundi*, *diffluere*, *exundare*, *redundare.* Videſis *Lexica Pagnin. Buxtorf. Schindleri*, *Cocceji*, *Robertſoni*, *Stockii*, &c. &c. Ut congeries hæcce & miſcela, notionum, juſto filo deduci poſſet, ex auctoritate *Dialecti* adſciſcendam mihi videbam *Radicem* פצץ, فضّ, cui *Arabes* attribuunt ſignificationem *frangendi cum divulſione.* At פוץ, & פיץ, فاض, iisdem ſonat *diffluere*, *diffundi*, in aqua *primario:* indeque aſſumta *metaphora* in omnibus quæ *diſſipantur*, & *diſperguntur*. En copiam *Linguæ*, quæ apud *Golium* proſtat فاض 1. *Copioſa fuit* aqua, lacryma. *Redundavit adeo ut effluxerit. Exundavit* fluvius. 2. *Multi*, *magno numero fuere*, improbi. 3. *Dimanavit*, *divulgatus fuit*, nuncius. *Palam evaſit* arcanum. *Effluxit*, perfluxit, *eo* pectus. 4. *Mortuus fuit*, & *profuſa fuit e corpore* anima.

Eſt inter ὀνοματοποιημένα.

Ad פצץ, ejusque *violentam diffractionem*, reduxi *Jer.* 23: 29. *ſicut malleus* יפצץ סלע *diffringit*, (*diſſilire facit*, maluit *Cocc.*) *petram.* Item, *Hab.* 3: 6. *Salire fecit gentes*, & ויתפצצו *violenter diffracti ſunt montes æternitatis.* Denique *Job.* 16: 12. *Prebendit cervicem meam*, ויפצפצני & *violentiſſime diffregit me.* Hanc vim ibi requiri, omnes mecum agnoſcunt: atque inde illud *conterere*, *confringere cum diſperſione;* quod a *Pagnino*, aliiſque, poſitum. Dubitatum modo a nonnullis, *primariumne* foret, an *ſecundarium*, a *ſpargendo* ductum: prout ſane *ſpargere petram* dici poteſt *Malleus*, quam *diſcutit*, & *diffringit*, *particulis* quaquaverſum *diſſilientibus.* Si cui id rideat, per nos ſane licet, modo *Linguæ Hebrææ* non invideatur *Radix* פצץ, quæ liquidiora habet jura, quam ut obſcurari queant. Dubitationem omnem dirimere videtur, quod פצץ ſit inter verba ὀνοματοπεποιημένα, quæ *diffractionem* cum *diſſultu partium* conjunctam ipſo ſono exprimat. Ab his natalibus unam ſedem pulchre intrat cum נתר *ſalit*, *diſſilit*, item ὀνοματοπεποιημένον, proprie ſignans *vibramen tinnulum*, & *tremulum*, *nervi ſalientis.* Hoc *vibramen* ſequitur *ruptura*, & *diſſultus partium*, ſub verbo פצץ, quod accuratiſſime ab *Arabibus* enucleatum, quum *fractionem cum diſſipatione* ei ſubeſſe tradidere.

Quod

Verbi פוץ *natura illuſtratur.*

Quod porro attinet ad alterum illud פוץ, dubium videri poſſet rem juſtis lancibus exigenti, *primariumne* ſit *ſpargi*, an *fundi*, *diffundi*: nam in *Linguis* omnibus a *ſpargendo* ad *diffuſionem*, & viciſſim a *diffuſione* ad *ſparſionem*, translatio obtinet. *Sparguntur fontes*, quorum *aquæ* huc illuc *diffunduntur*: & vicibus inverſis *fundi*, *diffundi*, pro *diſpergi*, in *rebus aridis*, aliisque, elegantiſſime frequentatur. Talem litem, ſi forte incidat, duplici tantum ratione decernere eſt. Prima per examen locorum, inter quæ ſi ſint, ubi *fundendi* vis unice quadrare poſſit, eam eſſe *primariam* poteſtatem, legitime colligitur. Altera, per auctoritatem *Dialecti*, quam qui in talibus negligit, non *judicium* ſequitur, ſed *adfectum*.

Eam in fuſione ſitam, evincitur.

Ad hæc principia *Critica*, *Radici* פוץ *primario* addere ſuſtinui vim *diffuſionis*, unde ad *diſperſionem* ſit deſcenſum. Loca quibus innitor, ſat multa ſunt, *Zach.* 1: 17. עוד תפוצנה ערי מטוב *Adhuc diffluent civitates meæ præ bonis.* In vicinia *Cocc. Adhuc diffundentur civitates ob bonum.* Apud *Schindler.* reperies *redundabunt.* Iterum *Prov.* 5: 16. יפוצו מעינתיך *diffluent*, *diffundentur*, *fontes tui foras.* Et *Gen.* 10: 18. *Familiæ Canaanis* נפצו. *diffuſæ ſunt*: ut denuo *Cocc.* Eſt *metaph.* a *fonte*, vel *fluvio*; qui extra ripas exundat. Hinc pulcherrime figuratum *Jobi* 40: 6. הפץ עברות אפך. *exundare fac efferveſcentias naſi tui.* Vulgarium illud, *ſparge excandeſcentias iræ tuæ*, rem dat non *Linguam*: & *figuram* delet. Hinc eadem granditate ductum *Pſ.* 18: 15. & 144: 6. *Miſit tela ſua*, & יפיצם *exundare fecit eos*, Cœlos; ut *Cap.* V. *Par.* I. II. III. IV. V. *Origin.* veriſimile ſaltem factum. Adde 2 *Sam.* 18: 8. *& prælium diffuſum erat per univerſam terram*: prout iterum nobiſcum *Cocc.* in *Lex.* In omnibus hiſce ſi *ſpargi*, *diſpergi*, aſſumatur, aliquid ſcabri exiſtet, quod unguem, exploratorem veri, offendat. Qui id non ſentit, ſibi imputet.

His ergo locis, aliisque, adductus, accedente auctoritate Dialecti *Arabicæ*, notionem principem conſtitui, in *fuſione*, *diffuſione*; unde *ſecundario gradu* ſit perventum ad *diſperſionem*, & *dilapſionem*, vel *currentium ſponte*, vel *diſſipatorum in fugam.* Quibus *Latinæ Linguæ* copia, & elegantia, ſub *fundi*, *diffundi*, *dilabi*, ad manus, eodem modo *ſecundarios uſus* illorum verborum e *primitivo fonte* emanaſſe, ſtatim intelligent. Vel ſolemnis illa formula *fundere hoſtes*, pro me militare debuiſſet, quo minus aſſenſum negaret Cl. *Diſſertator*; ſi *diffundi* pro *diſpergi*, minus forte promptum haberet.

Cl. Drieſſenii melior lux.

II. Expendamus jam paucis, quæ Cl. *Drieſſenio* & hic nobis objicere viſum. „ *Loca ſi recte conſideres in quibus occurris adjutus jam ſæpius memoratis* „ *adminiculis*, Verſionibus, & Lexicis, *ſignificatum primum recte figes* ſpargi, „ diſpergi, *ſive diſperſione noxia*, *ſive utili.* 2 *Sam.* 18: 8. & 20: 22. *Zach.* „ 1: 17. *Quare quem nobis promit ex Arabia non eſt primus* univerſalis ſignificatus, *ſed tantum uſus verbi appliciti huic illi rei ſingulari. Igitur loca omnia* „ *ad hanc figuram coacte trahuntur.*" Cur ergo loca iſta non vindicantur? Cur altum ſiletur ad *Zach.* 1: 17. *Job.* 40: 6. *Pſ.* 18: 15. &c.? Inſtat tamen V. D. ſuamque incudem denuo ſic tundit. „ *Teneatur* ſignificatus univerſa-

„ lis,

Digitized by Google

„ lis, *applicitus cuique rei pro ejus natura, in allegatis locis. Neque particula-*
„ *ris iſte ſignificatus locis omnibus convenit. Vide* 1 *Sam.* 13: 8. *&* 14: 34.
„ *&* 1 *Reg.* 22: 17. *ubi alia additur comparatio.*" Addubito an omnes ſint intellecturi. En mentem Viri. *Diffundi*, eſt tantum *particularis ſignificatus*, qui *univerſali*, *ſpargi*, *diſpergi*, concedat neceſſe eſt.

Melius loca implens: ſcilicet. Nempe *fundi* tantum venit in *aqua*, at *ſpargi* ſe ad *omnia* extendit. Credo multos ratiocinationem hanc non minus diſſipatam, quam dilutam, judicaturos. Et cur non conveniret 1 *Sam.* 13: 8. ויפץ העם מעליו *populus ab illo ſeſe diffudit*, pro *dilapſus eſt?* præſertim quum oſtenderim apud *Arabet* إفاض הפיץ eſſe *Citato curſu ſe effundere.* Iterum 1 *Sam.* 14: 34. quid impedit, quo minus פצו בעם reddatur, *diffundimini in populo*, pro *celeriter percurrite exercitum*, &c.? Mihi quidem id lectius, aptiusque huic ſedi, quam *diſpergimini.* Sed decidet tertius locus 1 *Reg.* 22: 17. *ubi alia additur comparatio.* Nempe verba ſunt: *Vidi univerſum Iſraëlem* נפצים אל ההרים כצאן אשר אין להם רועה *diffuſos ad montes, ſicut grex, cui nullus paſtor.* Non video, quænam illa *alia comparatio.* An hoc vult Vir Literatiſſimus, *gregem* non eſſe *aquam:* ac proinde non *fundi*, *diffundi* hic quadrare, ſed *ſpargi*, *diſpergi?* Nunc demum ſentio, quid ſit *acumine Critico* præpollere. Inde & hoc. „ *Res*
„ *ipſa loquitur comparationem cum aqua ex verbi natura ad illud reſtrictam non*
„ *eſſe: Hoc ſi eſſet, certe ſic opus non fuiſſet Prov.* 5: 16. *addere* fontes, *ſic*
„ *enim verbum per ſe ſine additis* fontibus *hoc ſignificaret.*" Proh *Criſeos* ſubtilitatem elimatiſſimam! Senſus hicce, ni fallor. פוץ non eſt *fundi*, *diffundi*, quia *Prov.* 5: 16. conſtruitur cum *fontibus*, qui non *diffunduntur*, ſed *diſperguntur.* Ratio hæc; *Verbi natura ſi reſtricta ſit ad aquæ diffuſionem*, fontes, (*qui utique nulli ſine aqua*) *cum eo inepte conſtruerentur. Tautologum foret, fontes diffunduntur.* Equidem nihil hinc diffingere, ſi vellem, poſſem. E limpidiſſimis *Metaphyſices* fontibus *ratiocinia* hæc non *fuſa*, ſed *diſperſa.*

SECTIO VI.

Radicis חמס *genuina* indoles *confirmatur.*

I.

Pleræque Radices in ſacris ſecundario tantum uſu proſtant. Qui paulo altius in ſtudium *Linguæ Hebrææ* ſe penetrarunt, atque de ejus *hodierna conditione* judicium ferre valent, exploratum habent, *Radicum* longe maximam partem *ſecundarios* tantum *uſus* in *Sacro Codice* exerere; hoc eſt *Metaphora*, vel *Tropo* quodam, conveſtitas occurrere.

Iis accenſendum quoque verbum חמס, *Tredecim* ſolummodo locis ſeſe offerens;

ferens; quorum *duodecim* apertiſſime *Tropum* habent: unus *Eſai.* 28: 28. anceps videri poſſet, *propriumne* adferat, an *improprium ſignificatum*, LXX, ut ſolent, fluctu abunde, συνταράσσειν. Ἐξαναλίσκειν· ἀφανίζειν, Ἐξιστάναι. μερίζεσθαι. συγχύεσθαι. περιάγειν, in ultimo illo *Eſaiæ* contextu. *Vulgatus* ibi dedit *vexare:* alibi *exterrere*, *perterrere*, *conturbare*, *occidere*, *interficere*, *devorare*. Senſui utcumque ſatisfieri, ſic convertendo, nemo negat. At *primitivam* verbi *indolem*, & *Originem*, hinc erui, ac ſtabiliri, poſſe, nemo adfirmet, qui non eodem momento omnem ſibi auctoritatem, ut imperitiſſimo horum ſacrorum, detractum eat.

Hinc magna ſemper varietas Verſionum & Lexicorum.

Ex Recentiorum *Verſionibus*, & *Lexicis*, produxi, *profligare*, *quaſſare*, *conterere*, apud *Buxtorf.* Apud *Avenar. Tumultuando deturbare*, *impetu quodam conſternare* &c. Adde nunc ex *Schindlero*, *Tumultum facere*, *turbare*, *conturbare*, *concurrere*, *debacbari.* Ex *Stockio*, *Agitare*, *quaſſare*, *conterere*, *exturbare*, *in talem confuſionem adigere quæ perditionem comitem habeat: Exterminare*, *delere.* De his iterum ſubmoneo, ſi *ſenſum* generatim ſpectes, omnia ſic ſatis convenire, atque fortius, levius, utcumque *ſecundariam vim Radicis* noſtræ adumbrare. Sed & denuo oculis, manibusque, palpare eſt, per omnia hæc *Originem*, & *primævam* illam, quam quærimus, *poteſtatem* adeo non finiri, in ſolidoque locari, ut arena omni mobilior, fluxiorque, reddatur.

Quibus nihil inde deteritur exiſtimationis.

Quum hanc inconſtantiam *Verſionum*, & *Lexicorum*, in medium tuliſſem, atque palpabilem hunccee *defectum* Originis nudaſſem, *Origin.* L. I. *cap.* 5. *Par.* V. VII. VIII. IX. X. XI. ibidem protinus ſubnexui: *Neque tamen id vehementer vitio verto Interpretibus*, *in* Radice, *cujus* propria *& ab ortu* inſita vis *plane extincta eſt*, *& vetuſtate ſepulta: atque ad cujus primam* Originem *nulla* mortalis acies *explorato penetrare queat*, *niſi luce gaudeat Veterum*, id eſt *Dialectorum.* Hæc Demonſtrationum mearum principia, & fundamenta, tentanda ſunt illis, qui noſtra oppugnare volunt: iisque evincendum & *Rationibus*, atque *Documentis*, utique in *Linguis* ad *primam Originem* penetrari, & ut Cl. *Drieſſen.* loquitur, *pulcbre adſcendi*, poſſe, per ſolos *uſus ſecundarios*, vi bonæ *Logices.* In *Græca*, & *Latina*, *Literatura*, eo vanitatis necdum quemquam reperio progreſſum: in *Hebraica* ſatis multos: quamvis nihil abſurdius dici, nihil periculoſius in explicationem *Sacræ Scripturæ* induci poſſe, omnes boni judices facile perſentiſcant. Adjeci ibidem, *me tamen requirere hac in parte poſſe vel judicium ſagacitatemque*, *vel voluntatem ſimplicitatemque eorum*, *qui* Lexica *condiderunt*, *quod aut non perſpexerint*, *aut monere neglexerint*, *in Radicis hujus* primæva indole *extrabenda nihil liquidi*, *dilucidique*, *ipſum Sacrum Fontem ſuppeditare*, *eo quod in omnibus exemplis Metapborica*, ſive *ſecundaria*, *ratio dominetur.*

Cur talia profundiſſimo ſilentio tranſmittuntur? Cur validiſſima hæcce meæ Cauſæ firmamenta ne attinguntur quidem? Ab his utique principiis profectus, adfirmare olim ſuſtinui, idemque nunc denuo confirmo, vel *Originem* iſtius verbi pro *conclamata* habendam, vel ad *Dialectos* eundum, ut inde prudenter eruatur.

Quid proprie valeat חכם

Id qua ratione fecerim, paucis ſub conſpectu ponendum. Oſtendi חכם

Digitized by Google

هم in *Dialecto Arabum* eosdem *uſus ſecundarios* ſervare, quos *Sacer Codex*: atque inſuper exhibere *Liquefaciendi*, vel *Tabefaciendi*, vim *primariam*; unde *translatæ* illæ *notiones* ſumma cum dignitate, & gravitate, ſeſe propagarint.

In *Linguis* noſtris nemo ſanus unquam quicquam deſiderabit, quod hoſce non *probabilitatis*, ſed *demonſtrationis*, fines excedat. Qui hic non acquieſcit, vel neſcit quid velit; vel *Enthuſiasmum* aliquem inducit in genus *Literarum*, quod toto cœlo inde abhorret. Luſtremus loca omnia, & Cl. *Drieſſenio* ob oculos ſtatuamus exempla evidentiſſima, quæ cur in *Excerptis* non compareant, exputare nequeo. Primus locus eſt *Exod.* 14: 24. ויהם את מחנת מצרים *Et exercitum Ægypti* LIQUEFECIT; ſive *pavore*, & *conſternatione*, *fecit tabeſcere*. Sic ego. Tu vide jam an malis, *terruit*, *agitavit*, *quaſſavit*, *conturbavit*, *contrivit*, & alia, quæ ſupra recenſita. Non loquor de *ſecundario aſpectu*, ſed, ut ſæpius inculcatum, de *primario*. In eo *meam Verſionem* longiſſime vincere, quis tandem adeo inverecundus, ut negare auſit? Sed non eſt *mea*. Eſt *Veteris Linguæ proprietas*, quæ per me ſua ſibi jura vindicat. Secundus locus, *Exod.* 23: 27. *Terrorem meum præmittam tibi* והמתי את כל העם *&* LIQUEFACIAM *Univerſum populum*, *ad quem venies*, *eumque tibi fugatum dabo*. Ne verbum quidem addo, ad pondus, & decus, figuræ commendandum. Tertius, *Deut.* 2: 15. *Manus Domini ſuper eos erat* להמם מקרב המחנה *ad* LIQUEFACIENDUM *eos e medio Caſtrorum?* Ecquid gravius, digniusque, concipi poteſt? Quartus, *Joſ.* 10: 10. ויהמם *&* LIQUEFECIT *eos Jehova ante faciem Iſraëlis*. Quintus, ויהם *&* LIQUEFECIT *Jehova Siſeram*, *& omnem exercitum ejus* Jud. 4: 15. &c. Sextus, 1 Sam. 7: 10. *Et intonuit Jehova voce magna ſuper Philiſtæos*, ויהמם *&* LIQUEFECIT *eos*; *& cæſi ſunt ante faciem Iſraëlis*. Septimus, 2 *Chron.* 15: 6. *Nam Deus* הממם LIQUEFECIT *eos omni anxietate*. Octavus, *Eſth.* 9: 24. להמם ולאבדם *ad* LIQUEFACIENDUM, *& ad diſperdendum eos*. Quis tantæ luci veritatis reſiſtere valet? Oculos ergo & ſuos, & Lectorum ſuorum, ſapientiſſime hinc avertit Cl. *Drieſſen.* horumque nihil *excerpere* tutius, & fidelius, judicavit.

Locorum inductio preſſior.

Omnes hoſce contextus *Metaphoricum uſum* præ ſe ferre quivis ſentit. Translate quoque poſitum illud *Jer.* 51: 14. *Devoravit nos Nebucadnezar*, הממנו LIQUEFECIT *nos*. Eſt *figura* ex *ancipiti* multo cumulatiſſima; quam alibi pluribus illuſtrabo. Nunc tantum ſubmoneo, nil opportunius, vehementiusque ſimul, in hac ſerie poni potuiſſe. Redi ad pag. 68. Hic *Nonus* eſt locus. *Decimus*, & *Undecimus*, proſtant *Pſ.* 18: 15. cum 2 *Sam.* 22: 15. *Emiſit tela ſua* ויפיצם, *fulmina ſua jaculatus eſt* ויהמם. Si ad *hoſtes Divinitus fuſos*, *conſternatosque*, id referre placeat, nil aptius, utique, nil plenius, LIQUEFACTIONE, & *contabefactione*. Nobis tamen aliud hic ſedet; & denuo expendendum damus, an non potius *adfixa* illorum Verborum redeant ad *Cœlos; qui exundantes*, & *colliquefacti*, inducantur, ſecundum *Poëticum* illud *Schema*, quod *Orig.* p. 59. propoſui; atque ex interiore uſu Verborum

Digitized by Google

borum פוץ, & המם, confirmavi. Idem dictum eſto ad locum *Duodecimum*, *Pſ.* 144: 6.

Reſtat *Decimus tertius*, *Eſai.* 28: 28. *Panis comminuatur, ſed non in perpetuum triturando triturabit illum* והמם גלגל עגלתו. In duas partes abeunt interpretamenta. Nonnullis per *Ellipſin* placet, *ut vexet* illum *rotâ plauſtri ſui*: vel *quaſſet; terat* &c. Sic nemo non cumulatius adhuc agnoſcat, *ut Liquefaciat* illum *rotâ plauſtri ſui*. Cl. *Cocc.* maluit, *nec agitat rotam plauſtri ſui*: Id nimis languidum, a Cl. *Vitr.* erigitur, adſcito, *nec violenter agitat.* Valde arridet. Sic iterum nihil illuſtrius *figura* noſtra, qua *Liquefacere rotam plauſtri* pro *violentiſſime concitare* capi poſſe indicavi, ex uſu illo ſublimiore *Arabum*, quo *Liquefecit jumentum*, eſt, *ad vehementiſſimum curſum incitavit.*

Cl. Drieſſenii conatus parum ſubidi.

II. Quid jam ad hæcce Cl. *Diſſertator*? primo, prudenter cavit, ne firmiſſima illa mea acies, quam inſpectio, & luſtratio, locorum, efficit, nimium in oculos incurreret. Deinde *Veteres* ſimul & *Recentiores* ſub Umbonem recipiens, ita copias meas difflat. ,, *Significatio* & Univerſalis *&* particularis ex ,, *probe inſpectis & collatis locis*, *ope* Verſionum *&* Lexicorum, *hanc eruimus*, ,, *quod primario dicat*, *ut recte* STOCKIUS, violentam commotionem, *eam*,, *que ego refero vel ad* corpus *vel ad* animum. *Fit autem* violenta *illa* motio ,, *multis modis*, *variosque habet effectus*, *unde recte* agitavit, quaſſavit, con,, trivit, turbavit, exturbavit. *Unde ſicut primogenium ſignificatum* פוץ *per*,, *peram* aquæ, ſic τῷ המם *Arabes perperam affigunt* igni; *atque iterum pec*,, *cant quod* primum ſignificatum *ad ſolam aliquam* in corpore *adfectionem re*,, *ſtringant.*" Habes *Methodum* Hebraizandi *ſcientificam*; quæ veram, liquidam, certam, omni exceptione majorem lucem tibi adferat, & omnes Veterum ac Recentiorum diſcordias in amiciſſimam revocet concordiam. Cl. *Drieſſen.* ex *probe inſpectis*, & *collatis*, *locis*, eruit, & tamen *Stockius* invenit, *violentam commotionem*, quæ ſit & *Univerſalis* & *Particularis* ſimul ſignificatus noſtri המם: unde *agitare*, *quaſſare*, *terere*, *terrere*, *vexare*, *turbare*, & quicquid ſupra ex LXX. & *Vulgato* aggeſtum, limpidiſſimo alveo ſponte dimanarit. Si nihil aliud, quod promeret, habebat Cl. *Diſſert.* quid ni potius tenuit *Cocceji agitare*, vel aliorum *quaſſare*, a *quatiendo* ductum? An non in hiſce *violentior commotio* multo ſimplicius ſeſe exerebat? An non *Liquefactio* & *contabefactio*, præſertim per *ignem*, eſt *violentior* quoque *commotio*? Cur ergo *Tabefactio* iſta, quam diſerta auctoritas *Dialecti* fundat, quam granditas figuræ commendat, ſeponitur; & tanta cum confidentia *Orbi Erudito* offertur vaga quædam, & abſtracta notio, quam ex Cerebro ſolo, ſine ulla ope, ac luce *Dialectorum*, exſculpſiſſe, glorioſum ſibi ducunt ejuſdem inventores? Erubeſco, talia confutans, quin totus confundor, eo uſque, fuga laboris, & operæ *Dialectorum* ſtudio impendendæ, abripi Viros Scripturarum utique reverentes, ut quod aliis in *Linguis* plus quam ridiculum eſſe, communis ſenſus, communis ſancit calculus, id in *Lingua Hebræa* ſibi arrogare auſint. Quid dicam de cenſura in *Arabes* deſtricta, quod *perperam* hunc *ſignificatum*

 igni

Digitized by Google

igni adfixerint, atque reſtrinxerint ad ſolam aliquam in corpore adfectionem? An ergo *Liquefactio corporis per ignem*, non prior eſt, quam *Liquefactio animi per curas, ſollicitudines, anxietates, & mærores?* Si Cl. *Drieſſen.* ſibi *Linguæ Arabicæ* ſcientiam non invidiſſet, ejusdem conſtantiam, dignitatem, gravitatem, & *Hebraicæ* parem Majeſtatem, admiraretur. Nunc, cum novo hocce genere ſcriptionis, nihil aliud ei relictum, quam ut pedes ſuos ferat per ignes ſuppoſitos cineri doloſo; atque omni momento ſemet in laqueos induat, unde emergi non poſſit. Irretitus certe, & conſtrictus, tenetur Noſter, ita concludens. „ *Quare neceſſum non eſt loca omnia Scripturæ ad hanc figuram* „ *trahere; neque particularis ille ſignificatus locis omnibus recte aptatur. Certe* „ *coacta eſt illa interpretatio Jeſ.* 28: 28. *Sic quicquid comminuitur*, liquefiet, „ *& confundentur diſtinctæ notiones, ſi vel dedero, non intelligi debere ipſius* rotæ „ agitationem, *quæ adhuc minus quid cum* liquefactione *commune habet.*" Languidule ſane, *neceſſum non eſt.* Atquin evictum, *proprietatem Linguæ* id poſtulare. Debilius adhuc; *loca omnia.* An quædam ergo *Liquefactionis imagine* ornari concedit? Videtur. At quænam illa? *Omnia*, dicerem ferme, *uno* tantum excepto, cujus *interpretatio* ut *coacta* reſpuitur. Videamus. Oſtendi bifariam ſtrui illud והמם, ab aliisque ad *panem* referri, ab aliis ad *rotam.* Utrobique *Liquefacere*, grande quid adfert, ſive placeat *Terere panem, frumentum;* ſive *violentius agitare rotam.* Certe apud *Latinos* etiam *Colliqueſcere* dicuntur ea quæ *penitus conteruntur:* nec tamen *diſtinctæ* ſic *notiones confunduntur*; ſed *Linguæ gratia*, & *virtus*, additur. Eadem res in altera *figura*; quam præferendam duxi. Adeone *meta fervidis evitata rotis* necdum ad Cl. *Drieſſenii* notitiam pervenerat? Ad eam rationem grandior Spiritus fert, ut *fervidæ rotæ Candeſcere*, quin & *Liqueſcere*, dicantur, *quum rapidiſſimo impetu feruntur.* Pulchre *Ovid. Metam.* L. 2. 727.

Non ſecus exarſit, quam cum Balearica plumbum
Funda jacit, volat illud, & incandeſcit eundo:
Et quos non habuit, ſub nubibus invenit ignes.

Item L. 14. 824.

Corpus mortale per auras
Dilapſum tenues: ceu lata plumbea funda
Miſſa ſolet medio glans intabeſcere cœlo.

Adde *Lucan.* L. 7. 513. & *Virg.* L. 9. 588. & *Servium.* Graviſſime ergo *Eſajas; nec* TABEFACIT *rotam plauſtri ſui:* vel, *ut tabefaciat rotam plauſtri ſui.* Nec ſuæ, nec Scripturarum, dignationi ſatis conſulit, qui talia *Orationis ornamenta* aſpernatur.

SECTIO

SECTIO VII.

Radicis עלל Origo, *&* tralationes *figuratiſſimæ*, *clara in luce locantur.*

I.

Conſilium noſtrum in opere de Originibus.

Conſilium meum in *Opere* de *Originibus*, tam honeſtum, tam neceſſarium, tam evidentibus, rationibus, ac demonſtrationibus, quas *Humanioris Literaturæ principia* cuivis ſuggerunt, ſubnixum, ut emirari ſatis nequeam, unquam a quoquam, qui inter *Eruditos* nomen gerit, ei contradictum.

Contraria omnia, ne quid mentiar, expectaram, & blanda nimis ſpe mihi promiſeram; non dubitans, quin cordatiſſimi *Theologorum* non ſolum conatibus faverent, verum etiam operas, humeroſque, ſociarent.

Quid hanc meam ſpem, ac cogitationem, eluſerit, meum non eſt ediſſerere. *Humanum* eſt, quod mihi hac in parte eveniſſe cerno; & mei ſemper officii duxi, *Humaniter* id ferre. Id tamen & Cauſæ veritatis, quam ſuſcepi, & mihi ipſi quodammodo, debeo, ut nunc tandem palam faciam omnibus, *Hypotheſin* noſtram ne examinatam quidem videri ab iis, qui eam & *privatim*, a longo jam tempore, & *publice*, improbandam ſibi cenſuere.

Non intellectum a pleriſque: ne examinatum quidem.

De *Drieſſenio* noſtro id omnis pagina; quid paginam dico? omnis periodus atteſtatur. Ea ipſa quæ ex *Originibus* meis legit, ne intelligeret, indeque contagiunculam aliquam traheret, metuiſſe videtur caſtiſſimus *Idiotiſmi pure Biblici* cultor. Certe ubique fere in *Excerptis* ſuis tranſſilit, & omittit, quæ *Cardinem* & *Quæſtionis* circa *Origines*, & *Demonſtrationis* noſtræ, eas non niſi ex *Dialectis* reſtitui poſſe, efficiunt. Hac dexteritate omiſſa hæc mea introductio in *Caput* VI. *Origin.* quod hac *ſectione* refutabitur, ſcilicet! *Luculentum ſpecimen exhibui* fruſtrationis *&* erroris, *quem omnibus in Linguis ignoratio effundit* primigeniæ Originis. *Idem hoc in omnium oculis defiget* Radix עלל, *multa & læta propagine florens. Hujus* antiquiſſimum ingenium, *quod nullus omnino locus pure, & extra* Metaphoram *ſiſtat, eam peperit notionum varietatem, & inconſtantiam, unde emergi nequeat. Eam fluctuationem hoc caput componet, ſermoniſque Hebræi* conſtantiam, gravitatem, verecundiam, inexhauſtamque ubertatem, *hoc in verbo ex primis fontibus derivabit.*

Quo conſilio talia oculis Legentium ſubducantur, nec exputo, nec diſputo. Rogo tantum, cui qui *Fundamentorum meorum ſoliditatem tentare* aggreditur, ea ne digito quidem tangat, ſed magnanimo ſilentio contemnat quaſi.

An ſemet ſatis deſtruunt illa, ex *meris Paralogiſmis*, & *perpetua ignoratione Elenchi*, contexta? Imo vero hauſta ſunt ex *Linguarum omnium primordiis*,

Digitized by Google

omni exceptione majoribus, quæ ne ab iis quidem in dubium revocantur; qui *Hypotheſin* noſtram omnibus modis infringere, & debilitare, conantur.

Status controverſiæ. Omnis ergo *Quæſtio* huc redit, *Originesne Hebrææ*, quas in plurimis *Radicibus* abeſſe omnes uno ore confitentur, & ne *Drieſſenius* quidem noſter negare ſuſtinuit; *Originesne*, inquam, illæ ex *conjectura*, ex *ingenio*, ex *Cerebro Docto*, aliquid ad *Verſiones*, & *Lexica*, *imaginantis*, an ex *Dialectis Veteribus Linguæ Hebrææ* reſtitui debeant? Ego cum *Principibus Literaturæ Orientalis*, & *flore delibatiſſimo Interpretum*, pro *Dialectis* pugno, Veritate mihi ad dextram ſtante, animosque faciente: Cl. *Drieſſenius Logica*, & *Metaphyſica*, ſubnixus, pro *ſagacitate ingenii*, *cerebrique*, *ſui*, animoſiſſime propugnat, actumque credit de re *Hebraica*, niſi illa *Methodus*, eliminata noſtra, introducatur.

Illuſtri etiam ſpecimine demonſtratum voluit quantum inter *Ipſius Methodum*, & *meam* illam interſit. Quando tamen Viri Docti *Excerpta* mihi ipſi *Chaos* quoddam offerunt, in quo memet invenire non poſſim, nedum ut Lectores meam inde mentem aſſequantur, juſtitiæ, credo, & veritatis, fuerit, mihi ipſi non defuiſſe; atque *demonſtrationis* meæ conſpectum præbuiſſe.

Exemplo evidenti illuſtratus. Oſtendi, quod etiam attigit Cl. *Excerptor*, *Thema* עלל a Cl. *Buxtorf.* exponi *Fecit. operatus eſt. Adfecit*, *Confecit* malo. *Racemavit. Machinatus eſt. Illuſit.* Adjectum a R. *Salom. Inquinavit.* Ex *Avenario* adduxi: *Infantiliter locutus eſt. Auſus & conatus eſt aliquid infantium & balbutientium more. Corrupit, abrupit racemando: vel depilavit. Illuſit aliis racemando, & inferendo aliquid mali.* Ex *Cocc.* in medium tuli, *vexare*, *vim facere*, κακῶς ποιεῖν, *violenter & pro libidine tractare.* Item ex *Chaldæo* עלל *intravit*, *Racemare*, *Racemando interius penetrare.* Ex *Stockio* denique hunc ordinem notionum exhibui. 1. *Facere operari.* 2. *Facere quod in admirationem rapiat homines.* 3. *Facere quod in damnum & ruinam alterius cedat.* 4. *Scelerate & nefande aliquem tractare.* 5. *Facere quod in contemtum alterius cedat. Ludificare.* 6. *Racemare. Carpere*; tum *proprie*, tum *metaphorice.* Amputavi, ne moles in immenſum excreſceret, congeriem non minus moleſtam *ſignificationum*, qua *Veterum verſiones* nos implicant, & diſtrahunt. Soli LXX. dant, ἐμπαίζειν. καταμωκᾶσθαι. καλαμᾶσθαι. ἐπιφυλλίζειν. ἐπανατρυγᾶν. προφασίζειν. φθέγγεσθαι. σβεννύναι. Omnia hæc ſuis quæque locis ſic ſatis congrua, ſi *ſecundariam* vim quæras: ſi *primariam*, fateare neceſſe eſt, ni vanus, & ridiculus, eſſe cupias, iſtam indagationem excedere ingenii humani fines, niſi aliunde facula ei accendatur.

Eadem ratio eſt *ſignificationum* ex *Buxtorfio*, *Avenario*, *Coccejo*, *Stockio*, productarum. In iis omnibus, ſi *ſecundario uſu* contentus eſſe velis, aliquid ineſt veri: ſed nemo, niſi *Linguarum* rudis, dixerit, *proprietatem & primigeniam indolem Radicis* hinc ſatis clucere.

Thematis עלל *Origo* Ut ſentias me ſcire, quid in publico dicam, en tibi placita *Forſteriana. Congruit*, inquit ille, עלל *ſignificatione cum verbis* עול, יעל, מעל, נעל, *niſi*

quod

quod ut forma ita modo ſignificandi inter ſe varient. Maxime vero affine eſt verbo עלה, adſcendit, *in corde animique affectibus: ſignificat enim meditari, cogitare, conari, moliri, admoliri, agere, facere, deſignare, animi vim, & potentiam, declarare.* Quid horum primigenium? Quid non tale, quod *Originem* in puteo delitefcere clamet, niſi in עלה *adſcendit*, ob affinitatem literarum, pedem figere placeat. *hactenus incognita.*

Vide nunc, quanta religione caverim, ne quicquam honori eorum, qui ante me fuerunt, per me decederet. Negavi *Par.* VII. *Cap.* VI. *famam, & præclara merita* Interpretum *inde minui, quod tam varios ſignificatus cumularint, quod aliter fieri non paterentur tenebræ illæ, &* anguſtiæ, ad quas *Lingua Hebræa* redacta eſt. Addidi, quod omnem utique invidiam, criminationem, cavillationem, ſuſpicionem, prohibere debuiſſet: *Veritatem quoque conſiſtere poſſe confirmo in iſta fluctuatione, & jactatione, ſi mentem Spiritus S. generalius ſpectemus &c.* Ex copia deinde *Latina* ſub verbis *Carpere*, *Libare*, & *Haurire*, in gratiam minus peritorum, oſtendi, quam longe ſæpe uſus ſecundarii deflectant, atque deſciſcant a *primigenia* poteſtate. Inſiſtam tantum in poſtremum *Haurire.* Ejus *ſecundariæ notiones* ſunt *implere*, *defatigare*, *confodere accipere*, *audire*, *videre*, *mergere*, *comburere*, *dilapidare*. Item *Tolerare*, *curſu transmittere*, *abſorbere*, *occupare*, *conſumere*, *intimo ſenſu percipere*. Poſſum adhuc viginti alias ſuperaddere: ſed maneo in iis quæ olim adducta. Pone jam, *primariam notionem hauriendi* hactenus latere, ecquis *mortalis* tam audax, qui confidat, ſe turbatum hocce glomus ex facili evoluturum, & ad *Originem*, ſive *primigeniam vim*, ſola vi ingenii *pulchre adſcenſurum?* Nemo ſane, cui ſanum ſinciput. Nempe *Literatura Latina* ab *Enthuſiasmo* intacta. *Græca* aliquatenus eo adflari cœpit. *Hebraica* eidem penitus expoſita: præſertim a quo *Boblius* vexillum ſuſtulit, ad *Formales*, quas vocitat, *ſignificationes ex officina*, & *fornace*, *ingenii ſui effabricandas.*

Cur hinc tota mente reſiliam, alibi pluribus diſſertatum, & cumulatius adhuc, ſuo tempore, ediſſertabitur. Nunc tantum hinc Æquis Arbitris inſpiciendam præbeo abſolutiſſimam neceſſitatem *Dialectorum*, ſine quibus nunquam *Lingua Hebræa* ex illo ſalo, & fluctu, diſſonantium ſignificationum, in tranquillam, & tutam, ſtationem, quam inveſtigata præſtat Origo, emerget. Hoc principio ductus, aperui divitias *Arabum* ſub eadem hac *Radice*. Eorum uſus cum uſibus *Hebraicis* concinere, maximam partem, ex *contextu Gjauharii*, quem ſolum Cl. *Drieſſen.* excerpſit, relucet. Vel doctiſſimis tamen tales *Gloſſæ* neſcio quam fruſtrationem, & vertiginem, ſæpe objiciunt, niſi exemplorum lumine ex Libris, & Fontibus ipſis, colluſtrentur. Propoſita ergo *primaria notione* in *Hauriendo*, & quidem *identidem*, ſive *repetitis hauſtibus bibendo*, deſcendi ad *uſus Metaphoricos*, & *ſecundarios*, eosque hoc ordine percenſui. I. *Iteratis ictibus ferire*, *vulnerare*, *baurire* aliquem. II. *Iteratis vicibus rem habere* cum aliqua, *& quaſi aquatum ire ad ſitim voluptatis explendam.* III. *Iteratis vicibus mulgere*, *emulgere* ubera. IV. *Emulgere* oculum *iteratis fletibus.* V. *Emulgere*, & *exhaurire*, jumentum *repetitis currendi vici-* *Ejus notiones Arabicæ accurate digeruntur.*

cibus. VI. *Identidem vindemiare* & *Racemare vitim.* VII. *Identidem vectigalia exigere*, & *quaſi racemare.* VIII. *Identidem calumniis carpere*, & *vexare.* IX. Alio flexu in 2. *Conjug. demulcere*, *lactare*, quaſi *identidem hauriendum quid dare in ſolatiolum.* Iterum X. alio canali, in 8. *Conj. Paſſ. Ægrotavit*, proprie *hauſtus*, *exhauſtus fuit*, morbis. Denique XI. *Haurire* tranſlatum ad *ardua moliminum* quæ quaſi *exhauriuntur* & *exantlantur.*

Et cum Hebraicis *conferuntur.*

Magnam omnibus hiſce *Metaphoris* dignitatem ineſſe, nemo inficias iverit. Juſta interim ſuſpicio eſt, Cl. *Drieſſenium* nihil horum vel legiſſe, vel ſaltem percepiſſe. Certe nihil horum, in quibus *demonſtrationis* meæ *vis* ſita, in *Excerptis* Ejus viſitur. Hæc tamen plus lucis præbuiſſent *Lectoribus*, quam *Sceleton Gjaubarianum;* quod per ſe parum habet gratiæ, ac ſplendoris. Ad hoc jam filum, graviſſimas illas *Metaphoras*, quibus verbum עלל in *Bibliis* auctum, evolvendas porro ſuſcepi. Et I. quidem in *vulneribus alius inflictis*, *vitalemque ſpiritum haurientibus*, noſtrum עלל adhibitum produxi ex *Thren.* 1: 12. 22. & 2: 20. item *Job.* 16: 15. *Exod.* 10: 2. 1 *Sam.* 6: 6. nec non *Eſaj.* 66: 4. a *pagina* 89. ad 94. Hinc II. tranſii ad verecundum illum uſum *Hauriendi* in *explenda ſiti* voluptatis, a *pag.* 93. & 96. Acceſſi deinde ad III. & IV. claſſem in *mulgendo*, *emulgendo*, indeque gemmulam figuratiſſimæ orationis reſtitui *Thren.* 3: 51. עיני עוללה לנפשי *Oculus meus haurit* i. e. *emulget animam meam: pag.* 97. ad 99. Inde Claſſis V. nullum ſpecimen in Sacris occurrere monens, deſcendi ad *num.* VI. atque *Racemationem* tum *propriam* tum *impropriam* illuſtravi agmine exemplorum; *pag.* 99. & 100. ſubſumſi VII. *exactiones vectigalium*, & *concuſſiones*, cum *calumniis* fere conjunctas ex claſſe VIII. a *pag.* 100. ad 102. Ad iſtam claſſem tamen directius reduxi *Deut.* 22: 14. iſtud שם לה עלילות דברים reddens, *imponit ei cavillamenta verborum*, *calumnias* &c. Ad IX. in *lactando*, *oblectandove*, relata loca *Num.* 22: 29. *Jer.* 38: 19. 1 *Sam.* 31: 4. Adde *Pſ.* 141: 4. *pag.* 103. & 104. Claſſis X. ſub I. ſubordinarii ſe patitur. Poſtremo XI. in *arduis moliminum*, *facinorumve*, quæ *exhauriuntur*, & *exantlantur:* tam in *bonum;* quam in *malum.*

Nihil horum productum a Refutatore meo.

Qui utramque hanc aciem utraque in *Dialecto*, *Hebraica*, & *Arabica*, adſpexerit modo, a ſe impetrare non poterit, ut non *Harmoniam* ſimul & *Gravitatem* harum *figurarum* admiretur. Præclare ergo ſibi conſuluit Cl. *Drieſſen.* qui haſce meas *copias*, quas *invictas* appellare audeo, ſuo, & Lectorum ſuorum, conſpectui ſubtraxerit; poſt contextum *Gjaubarii* apponens, *Hactenus.*

Ejus luciſſima originatio.

II. Ab illo *Hactenus* ita porro cornua diſputationis ſuæ in me commovet. „ *Certum eſt* primigenium & univerſalem *hujus Radicis* ſignificatum *talia involvere*, *quæ in* ſingulares *multos ſe poſſint devolvere.* " Ut hæc principia ſe dant, aliquid expromettur, quod diſcuſſis omnibus tenebris, clariſſimum nobis diem pandat. En quod expectationi cumulatiſſime reſpondere queat. „ *Loca in quibus occurrit ſi attente perpendo omnia*, univerſalis notio *hæc videtur;* ſtudioſe, operoſe agere; omni niſu virium omnium contentione, opus profligare, in eo perdurare, repetitis vicibus agere, *ſicque* opus conficere, „ & perficere; *ſive actio ſit Phyſice noxia vel utilis*, *moraliter recta vel turpis.* "

Ec-

Digitized by Google

Ecquid copioſius ſimul & luminoſius, pro *primigenia poteſtate*, & *Virtute*, unquam cuiquam in mentem venire potuiſſet? Habes *niſum*, habes *contentionem*, habes *profligationem operis*, cum *perduratione* in eo *repetitis vicibus*, quin *confectionem*, *perfectionemque* ejusdem, *Phyſice*, *moraliter*, in *bonis*, in *malis*, ex *ſimplice*, *propria*, *primigenia Thematis indole.* Nimis modeſtum jam cenſeri debet illud *videtur*, quo Cl. *Diſſertator* in hac *Origine* proponenda uſus. Nunc oculis meis cerno, & intimis ſenſibus percipio, ex *Logica*, & *Metaphyſica*, regione, *certius*, *pleniusque*, *adſulgere lumen*, *quam ex omni Arabia.* Necdum tamen *Origo* hæcce exhauſta. Pergit Cl. *Diſſertator.* „ *In* „ *Hithpahel cum* ב adverſus aliquem agere, ejus opus ſufflaminare, ludere, „ *ſicque illi* illudere, *illi* ægre facere." Nunquam ideas enucleatiores, & medulla ſapientiæ refertiores, vidit orbis. Omnes *Dialectorum* opes, ad tantam opulentiam, & claritatem, nil niſi caligo, & ſterilitas, mera. En novos iterum radios. „ *Ubi* Racemare i. e. conficere *ſignificat*, *quia omne* con- „ ficere *non eſt* racemare *additur* גפן. *vitis*, כרם *vinea.*" Non additur tamen *Jud.* 8: 2. *An non Racemationes Ephraimi*, *melius quid*, *quam Vindemia Abiezer?* Mea mihi *Origo* ibi miniſtrat *repetitas carpturas*, quaſi *hauſtiones*, *legentis uvas:* at Cl. *Drieſſenius* eas faceſſere jubet, ut *Confectiones* lccum occupent. Abeſt etiam *Jud.* 20: 45. *Et racemarunt quinque millia virorum*, ubi jam vel ſine גפן illud *conficere* melius ſedebit, ſi pro *occidere*, *interficere*, ſumatur, naſceturque alia adhuc idea *Conficiendi* quam *Origini* ſuæ inludat fœcundum Viri ingenium. Eidem debes pulcherrimum *Etymon* τοῦ עולל, *infantis*, *pueri*, quem hinc dictum conjicit V. D. quaſi *confectum*, ποίημα, *fœtum formatum;* Activum quid, *dum anima cum illo conjuncta eſt.* Belliſſimum profecto, ποίημα, *Activum quid.* Ad poſterius illud præluſerat Cl. *Guſſet.* cui עולל *puer* ab *agendo*, ab *activitate*, ſignat *fœtum tempore quo motu præditus deprenditur in utero;* & latiore uſu, *infantem ea ætate*, *qua magis quam prius* Activus *eſt.* Talia vel invitis, credo, aſſenſum extorquerent; præſertim iis, qui *Saniore Philoſophia* in *Linguis enucleandis* uti poſſunt: nam nos *Grammatici* diceremus ſimplicius eſſe עולל *Lactens*, *Lac matris hauriens.*

Hinc novo impetu ſumto, ita proſequitur Cl. *Diſſert.* „ *Videbis nunc*, *an* „ *& quomodo ſub hanc* notionem univerſalem *cogi poſſint quæ habent* Verſiones „ *&* Lexicographi; *quamvis forte in* ſignificatum primigenium *ſe heic minus* „ *feliciter penetraverint.* *Attamen quod ad nexum* ſignificatuum particularium „ *cum* univerſali *ea dederunt*, *quorum ope* ſignificatuum univerſalium & ſignifi- „ catuum particularium *cum illo nexum feliciter attingimus.*" Id dicere videtur ſubtiliſſimus *Originum Hebræarum* Inventor, quicquid LXX. *Vulgatus*, *Chaldæus*, reliqui Veteres, & Recentiores, vel in *Verſionibus*, vel in *Lexicis* exhibent, id omne in *primigenium ſignificatum*, quem, ſola collatione locorum, feliciter attigit, pulcherrime conſpirare, atque naturalem cum eo nexum habere. Tenta modo, & nil limpidius agnoſces. *Et acerrima inde inſtantia.*

Merito itaque victorem ſeſe infert, atque in fuſas, fugatasque, copiolas noſtras, ſtrenuiſſimam edit *Racemationem.* „ Sed *an quid ex* Arabia *expectes* *Palmam cum lemniſcis fe-*

rens Victori. „ *melius? Relege quæ ex ipſo exhibuimus.*" Poſt currum vinctis manibus incedo: nihil habeo quo ludibrium a me depellam: Cl. *Drieſſenius* quæ *digna lectu* erant *excerpſit*; eaque attente *relegi* patitur, quæ nemo niſi *Arabice* peritiſſimus intelliget. „ *Quis credat*, inquit porro, *verbi quod de Deo, hominibus, bonis, malis, uſurpatur; de actibus utilibus, noxiis, rectis, pravis; de vel ad animum vel ad corpus vel ad utrumque ſpectantibus;* ſignificatum primigenium *eſſe quem ille ex Lexicis Arabicis repetit.*" In *Grammatica* regione hæc vocarentur *Arena ſine calce:* at in *Metaphyſica*, haud dubie, cuncta ſolidiſſime compacta. Ejuſdem compactionis hæcce. „ *Quomodo omnes* ſingulares ſignificatus, *vel verbum ad* ſubjecta ſingularia *applicitum, hinc explicari poterunt?*" Nempe os ſubleveram mihimet, qui *explicationem* & *applicationem* ſic ſatis concinne proceſſiſſe autumabam. Compactiſſima denique concluſio. „ *Neque neceſſario Scripturæ loca ex illo fonte explicanda ſunt.* „ *Vide quæ in hanc rem habet pag.* 100—102. (*neque enim attinet omnia Typis exſcribi*) *& cogita quam coacta ſint illa.*" Et quis hoc cogitabit, *Studioſus*, an *Profeſſor*? Ni fallor, *Profeſſoris* fuerat id demonſtrare. „ *Sed & attende, quomodo jam hæc metaphora ducat ad magna facinora, qui eſt ſignificatus* „ *rū* עלילה. *Vide pag.* 102. & 103. *& videbis* Magnalia *Dei* opera *ſic* „ *proponi, & eleganter figurari illa dictione* aquam, intrare, haurire. *Quam hæc abludunt!*" Dixi nempe *pag.* 102. & 103. in forma התעלל, itemque derivatis עלילה, & מעלל, ex *Origine* deſignari *ardua molimina*, & *facinora quæ magna mole patrantur, exhauriuntur, exantlantur:* partim in *bonum*, partim in *malum*. Utrumque uſum triplici filo firmavi, tribus verbis adductis, ſub quibus *Arabes* a *deſcenſu in aquam*, vel a *gurgitibus intrandis*, adſciverе ſecundariam vim *aggrediendi alta negotiorum, moliminumque;* tum in *laudem*, & *decus:* tum in *dedecus*, & *flagitium*. Exiſtimabam, hanc *figuram* tam nobilem eſſe, tamque dilucidam, ut omnium conſenſum ſtatim auferre poſſet: præſertim quum & *Latinis* protrita eſſet formula *exhaurire labores, negotia, molimina:* nec non *exantlare;* ex *Græco* fonte, ubi ἀντλεῖν, & ἐξαντλεῖν, ſimiliter transferri amat: *Arabica* & *Hebraica* imagine tamen multo illuſtrius adhuc fulgente. Sed apage nunc *Metaphoram* tam inſubidam: nam Cl. *Drieſſen.* ad omnium judicium provocat, ſimpliciter apponens, *quam hæc abludunt!* Et *unde* quæſo *abludunt?* An a *Linguarum* indole, & arte *Etymologica?* Nihil cum iis conjunctius? Certe *machinatio, ſtudium, facinus*, quod *Verſiones* & *Lexica* habent, tantam dignitatem, & gravitatem, non adferunt. *Opus* νεανικὸν, *juvenile* aſſumſit Cl. *Cocc.* ex עולל *puer.* Si *Originem Drieſſenianam* reſpicio, prodit mihi *niſus, omniumque virium contentio, ad opus profligandum, in eoque perdurandum, cum actione identidem repetita, donec conficiatur, & perficiatur.* Sic demum exiſtit imago *Magnalibus Dei* expingendis apta nata: præ qua *Molimen* meum, quo *gurgites negotiorum ſubeuntur, intrantur, exantlantur*, ipſa aqua dilutius. Finem facio in *Metaphyſica* ſubtilitate Cl. *Guſſetii*, quæ ſuperiora illa lumina, & acumina, præ ſe delet. Obſervat ille עלילה de *Deo* uſurpari *ſplendide*, de *Hominibus* ſecus. Ejus rei rationem editurus, rogat,

gat, *An* עלל *in Origine notat motum agentis a ſe ipſo excitatum? qui ſane decet Deum, quippe qui eſt independens ſimul ac Sanctus, ita ut, quæ faciet motu proprio, non poſſint eſſe alia quam optima. Contra vero homo cum ſit & dependens, & corruptus, neceſſe eſt ut omnia quæ faciet motu proprio, & recedens a dependentia, qua ſubeſt Deo, mala ſint.* Sublimius ſcandi non poſſe, in *Originibus* veſtigandis, & nativa potentia *Linguæ Hebrææ* ex *Philoſophiæ* meditullio eruendo ultro agnoſco: ſimulque confiteri cogor, ſi talia deſiderentur, ad *commentationem Sacri Codicis*, & *Explicationem* ejus, rite inſtruendam; nihil opis, luciſve, ferre poſſe *Dialectos Orientales*: quin reliquis quoque *Linguis* addiſcendis tutius tunc in poſterum abſtinebitur: ne acies *Metaphyſica* per earum cognitionem hebetetur, in *primigeniis ſignificationibus Linguarum* omnium *Matris*, & *Reginæ*, conſtituendis.

SECTIO VIII.

Radicis נהל *indoles antiqua adſtruitur.*

I.

Cum præcedenti עלל magnam adfinitatem colit נהל. Ejus *ſimplex ſpecies*, ſive *Conjugatio prima*, *Kal*, nuſpiam in *Sacris* occurrit. Novem in totum loca offerunt ſpeciem *Pihhel*. In *Hithpahhel* ſemel tantum proſtat, nec quicquam ulterius de hac *Radice* reliquum; niſi quod נהללים *Eſaj.* 7: 9. a quibusdam ad הלל reductum, hinc ſecundum plurimos derivetur, *incerta* tamen *ſignificatione*. *Rarior in Sacris uſus hujus Thematis.*

Iſtud *Pihhel* in *Lexicis* reddi ſolet *Agere*, *ducere*. Hoc quum nimis nudum videretur, nec *Emphaſin* locorum ſatis exhauriret, additum, *ut Paſtor agit oves fœtas*, *lente*, & *clementer*. Ita Cl. *Cocc.* cujus exemplo *Stock. proprie ſignificat ſenſim ac lente ducere, prout duci ſolent ægri & infirmi; vel oves quas paſtor pro ipſarum Viribus prudenter agit, perque commodas vias ad paſcua ducit.* Ex his nihil minuo, nec muto: facile tamen mecum qui *Linguas* callent animadvertunt *ſecundariæ* hæc eſſe *poteſtatis*, quæ *Originem* verbi neutiquam recludant, atque introſpiciendam præbeant. *Secundarius ſemper.*

Ut omnes id planius, pleniusque, percipiant, adducenda mihi copia eſt, qua *Veteres* in hoc verbo exprimendo uſi. LXX. ſemel ἄγειν; ter διατρέφειν & ἐκτρέφειν *enutrire:* item παρακαλεῖν *conſolari;* καταπαύειν *quietum reddere;* ἀντιλαμβάνειν *ſuſcipere;* & διαβαστάζειν *ſuſtentare*, vel *ſuſceptum portare*. A Symmacho alicubi ſubſtitutum τημελεῖν, *ſtudioſiſſime curare.* *Græca copia.*

Vides omnia eſſe *ſecundaria*, per quæ jam *Origo Thematis* plane *fluctuare* incipit, magis adhuc undatura, ſi reliquam *Veterum* varietatem huc congerere vellem. *Reliquæ Verſiones ſeponuntur.*

 Nempe,

Nempe, ut olim monui, *primævus ille fons abſtruſior erat. quam ut genuina ejus vena ex reliquiis Biblicis pertentari poſſet.*

Exiſtimabam, quum talia ſcriberem, omnes mihi, in re clara, facile aſſenſuros: præſertim quum viderent *ubertatem*; & *dignitatem*, *Linguæ Biblicæ*, per *Origines* noſtras amplificari. Aliter tamen, quam expectaram, res cecidit apud multos; quamvis etiam multorum favorabili judicio, aſſenſuque, me honeſtatum, citra vanitatem adfirmare poſſim.

Acceditur ad Originem.

Tollendis ſcrupulis, quibus minus benigne de *Originibus* noſtris ſentientes laborant, obſervare, & pro certiſſimo principio inculcare, mihi liceat, ubi *Conjugatio Kal* deſideratur ſub aliquo *Themate*, ubi plerumque *ſimplicem*, & *principem*, ejusdem *poteſtatem* ſimul abeſſe, atque deſiderari. Quid mirum ergo, ſi ex *Dialectis* reducere coner *ſignificationem ſimpliciſſimam* quæ ſub *Kal* olim, florente *Lingua*, obtinere debuit; unde in *Pibbel* iſtud *leniter*, *clementer*, *agere*, vel *minare*, fuerit propagatum.

In hauſtu primo ſitam.

Hæc ex genio *Linguæ* requiritur *intranſitiva*, quam nemo ſanus ſtatuet fuiſſe *agi*, vel *duci*: quia ſic *Analogia Conjugationum* penitus conturbaretur; & aliquid admitteretur, quod ab omni ſpecie veri abhorret. Hocce *intranſitivum* conſervavit *Dialectus Arabum*, ubi نهل נָהַל in I. *Conjug.* eſt *Bibit*, ſpeciatim, ad ſubtilitatem *Linguæ*, *primo potu*, *hauſtuve:* Item *potu expletus fuit*, *ſitim reſtinxit;* ut Cl. *Gol.* in *Lex.* habet. Ex hoc fonte in *Pibbel* per *vim tranſitivam* profluxit ποτίζειν, *facere bibere; miniſtrare potum.* Id mox ex ſe profudit, *prominare*, *propellere*, *pecus ad bibendum*, *more Paſtoris: Aquatum ducere gregem.* *Græcis* ποτίζειν eadem amplitudine donatum. Hinc porro per *Metaphoram* ortum, *leniter*, *clementer*, *paſtorititia cum cura*, *lactare*, *recreare*, *omni commoditate augere*, ad *laſſitudinem*, & *moleſtiam*, *ſedandam.*

Hanc *Radicis* noſtræ nativam elegantiam, & dignitatem, apertiſſime exerit *Pſ.* 23: 2. *Ad aquas recubationum* ינהלני *agit me ſitis levandæ gratia.* Et *Eſaj.* 49: 10. *Ad ſcatebras aquarum* ינהלם *aget eos ſiti ſedandæ.* Ad hanc *Originem*, & *Figuram* ſimul ſuaviſſimam, reliqua quoque loca reduxi, inſigni cum augmento lucis, & gratiæ; quam non recipere, eſt intranti diei feneſtras occludere; & ſuum *Linguæ Hebrææ* decus invidere.

Cl. Drieſſ. iterum ſecundarium cum primigenio commiſcet.

II. Videamus interim, quæ Cl. *Diſſertator* pro Eruditionis ſuæ lumine, & copia, huic *Origini* obduxit. „ *Radix* נהל *conſultis locis omnibus in quibus* „ *occurrit*, & *adhibitis quæ diximus adminiculis*, Verſionibus, & Lexicis, „ *nobis dicet ſignificatu primigenio* recte leniter ducere *relate ad animum & cor-* „ *pus. Secundarium quid eſt* in ductu illo neceſſaria præbere: *ſed quod tum* „ *addendum quia verbum hoc per ſe ſolum non ſignificat. Huc refer Gen.* 47: 17." Enimvero vereor, ne retractandum mihi ſit, quod ſupra alicubi poſui, Cl. *Drieſſen.* perpetuo *primigenium* cum *ſecundario* confundere, nam hic quidem accuratiſſime ea diſtinguit, & *primarium*, rite *conſultis omnibus locis*, nec *omiſſis Lexicis*, & *Verſionibus*, ait eſſe *Recte leniter duxit*, primo *relate ad animum*, ſecundo, *ad corpus.* In qua *Lingua* hoc *ſimplicem* & *propriam Thematis poteſtatem* conſtituere queat profunde ignoro: in *Hebræa* id obtinere, jam docemur.

Digitized by Google

cemur. Liceat tamen rogare, *primigeniusne* hic *ſignificatus* in *Pihbel* ſit ſtatuendus, an in *Kal?* In *Pibbel* quidem hactenus nil *primigenium* nec novi, nec concipio. *Kal* nullo in loco conſervatum: ut adeo excogitare nequeam, quibus *locis collatis*, & *conſultis*, Cl. *Drieſſen.* tam *pulchre* & *feliciter* ad completiſſimam *Originem* hujus *Radicis* ſeſe potuerit penetrare. De *ſecundario* illo, *in ductu neceſſaria præbere*, ad *Gen.* 47: 17. mox commodius.

Pergit ſummus *Theologus*, & *Philologus*: „ *Ubi vox hæc de opere Divino gra-* *Fortiſſima inſtantia.*
„ *tioſo paſſim adhibetur, quis exiſtimet* ſignificatum primigenium *eſſe illum* „ *quem poſtliminio ex Arabia reponit V. D.?*" Interrogatio graviſſima quæ omnes meas explicationes difflat. Ex *Arabia poſtliminio reponere ſignificatum primigenium* vocabuli, quo Sp. S. utitur in *opere divino gratioſo* exprimendo! Quid abſurdius! Sed ſcire velim, ad quænam loca reſpiciat noſter *Diſſertator*. Ni calculus fallit, intenditur *Pſ.* 23: 2. & 21: 4. *Eſaj.* 40: 11. & 49: 10. *Exod.* 15: 13. hæc enim ſola mihi cognita iſtoc ſenſu. Exiſtimabam ibi *Gratiam Dei* pingi ſub *imagine Curæ, qua Paſtor gregem ſuum propellit ad aquas, ſiti, & laſſitudini, levandæ.* Illuc me ipſi *Scriptores Sacri* invitabant. Sed, ut video, mecum illi aberrarunt, nec *opus Divinum gratioſum* ſatis condigne expreſſerunt. Decorum quoque non ſatis ſervavit, ſcilicet! *Paulus*, quum de *eadem gratia* agens, 1 *Cor.* 3: 2. dixit, γάλα ὑμᾶς ἐπότισα, καὶ οὐ βρῶμα. *O Judicium Criticum* plusquam *Divinum!* Tale & ex hiſce reſplendet. „ *Si-*
„ *gnificatus ille particularis Scripturæ locis omnibus aptari nequit. Verbum per*
„ *ſe non ſignificat quod ipſe vult: ſed per ea quæ adduntur, quod docent loca omnia*
„ *quæ adducit ipſe. Vide Pſ.* 23: 2. *pariter Jeſ.* 49. 10. *Confer Apoc.* 7: 17."
Habes iterum *Logicam*, & *Metaphyſicam*, argumentationem. Eam pauci forte aſſequentur. En viri mentem. נהל non poteſt ſignificare *aquatum duxit* pecus, ſed *vis aquationis* tantum ſubnaſcitur ex iis quæ adduntur, ut מי מנוחות *aquæ requietum Pſ.* 23. & מבועי מים *ſcatebræ aquarum*, *Eſaj.* 49: 10. Vitioſiſſima nempe phraſis, judicio *Drieſſeniano*, *Aquatum ducere ad fontes aquarum.* Videlicet habet hic *Philoſophus*, quod, ut *Tautologum*, deſpuat: quum *Grammatico* talia mirifice adblandiantur. *Proprietas* tamen, e *Lexicographis Arabum* a nobis adducta, erat, ποτίζειν *dare bibere*; atque inde porro, *prominare* pecus *ad bibendum*. Quid jam vitioſi, vel lutulenti, trahunt, *aquæ*, & *fontes aquarum?* Sed *Apoc.* 7: 17. ſimplicius ſtructum, ὁδηγήσει αὐτοὺς ἐπὶ πηγὰς ὑδάτων. Ergo נהל ſimpliciſſime ὁδηγεῖν *ducere.* Acutiſſime ſane, ut nil ſupra: peccaſſet *Joannes*, ſi ibi ποτίσει adhibuiſſet.

Huc tendit nova hæcce illatio. „ *Quæſo quid attinebat* aquas fontes, &c.
„ *addere, ſi verbum per ſe proprio & primigenio ſignificatu dicat* Aquatum du-
„ cere? *Quare ubi illud non additur Jeſ.* 40: 11. *Pſ.* 21: 4. *Jeſ.* 51: 18.
„ *verbum per ſe illud non ſignificat, quod V. D. illud ſignificare jubet. An omnis*
„ *ductus, eſt ductus ad aquas?*" Non ſane. Novi ego *Ductores*, qui ad *ſteriles perducant arenas.* Videat Cl. *Drieſſenius* an & illos מנהלים appellare auſit. Ego ex mea *Origine* Titulum iſtum illuc extendi nunquam patiar.

 Nec-

Digitized by Google

Needum remittit fortiſſimus pugnator. „ *Cur igitur aquæ in his locis omiſ-*
„ *ſæ locis ſuperioribus additæ fuerunt?* " Quia ποτίζειν *Bibendum præbere; agere gregem ut bibat;* & figurate, *Recreare ſitientem, ejuſve æſtum, & laſſitudinem, potu ſedare,* ſine expreſſa adjectione *aquarum* ſæpe grandius effertur: quamvis alibi *aquæ*, & *fontes*, completius adjungantur. O Belgium! O Academia Patria! quorſum deventum? Pudet, profecto, pudet, talia nunc a me tangenda, quæ fugere non poſſunt eos, qui Minerval ſolvunt.

Suave aliquid. En mirificentiſſimam porro inſtantiam; „ *Quod dicit ad Exod.* 15: 13.
„ *rem per ſe ſi ſpectes,* Veriſſimum eſt, *quia in aliis Scripturæ locis diſerte ſigni-*
„ *ficatur: ſed verbum illud heic non dicit per ſe, ſic enim non tantum per ſe vel*
„ primigenio *ſuo* ſignificatu *diceret* aquatum ducere, *vel & pro his divitiis*
„ *metaphoricis* paſtum ducere, *ſed &* modo prorſus miraculoſo *paſtum & aqua-*
„ *tum ducere.* " Nempe ferierat Cl. *Diſſertatorem* adſpectus pulcherrimus loci illius, quem *pag.* 107. *Origin.* exhibui. Ergo *Veriſſimum* agnoſcit, quod ibi dedi; ſed negat inde legitime concludi, *primigeniam vim* eſſe *aquatum ducere* gregem, quia tunc ex illo loco colligi quoque poſſet, *primigeniam notionem* eſſe, *modo prorſus miraculoſo aquatum ducere.* Vigilone, an ſomnio? nam inter vigilantes tale genus ratiocinandi necdum audivi. *Simplex & primigenia, poteſtas* τοῦ נהל mihi eſt, *primo hauſtu bibere*, ſive *potare libando.* Inde in *Pihhel* extitit, *dare bibere.* Hinc *ſecundario uſu* ſuccrevit, *aquatum ducere* gregem; & latius permiſſa poteſtate verbi, *omnibus bonis rebus recreatum, expletumque, aliquem, ritu Paſtoris, fovere, curare, complecti.* Ita explicui quoque 2 *Chron.* 32: 22. וינהלם מסביב *& eos tanquam gregem ſuum bonarum rerum affluentia beavit, ac veluti ad fontes deduxit aquarum, quarum pleniore hauſtu, in ſumma pace, ac tranquillitate, priorem illam ſitim, laſſitudinem, miſeriam, eluerent.*

Hic denuo Cl. *Drieſſen.* negat, *vocem id per ſe dicere.* Nempe ita adverſus me diſputat Vir materiæ ſuæ intelligentiſſimus, ac ſi omnia hæcce in *primigenium ſignificatum* incluſa eſſe tetendiſſem. Qui poſſem? quum univerſa mea ratio, & methodus, hinc reſiliat; atque tam fartas *Originationes* in aliis damnet? Qui poſſem iterum? qui diſerte monui, eſſe *Metaphoram a paſtoribus tranſſumtam, quæ æſtus relevationem, ſitisque in beata aquarum copia depulſionem*, contineat. An & me *Metaphoram* a *primigenia poteſtate* non diſtinguere autumat?

Aliud ejusdem ſuavitatis. Fortius adhuc urgeor. Negat iterum Cl. *Diſſert.* „ *Significatum illum ap-*
„ *plicari poſſe* 2 *Chron.* 28: 15. *quod ibi* cibare, *&* potare, *probe diſtinguatur*
„ *ab eo quod ſignificatur per* נהל. " Ipſe hanc *objectiunculam* mihi moveram, ſed & mox diſſolveram, oſtendens ſingulari *gratia*, & *Emphaſi*, וינהלם iſti contextui inſertum, quatenus latiore uſu etiam valet, *paſtum potumque pecus prominare*, &c. Præſtruxeram *pag.* 108. *Arabes* ſuum אנהל etiam extendere ad *paſtorem*, quum *agit gregem jam pulchre potum, refotumque.* Non expectaram itaque illud: „ *An homines bene paſtos, & potos, ad primos hauſtus ducis?*

Sed

Digitized by Google

„ *Sed attende* novum ſignificatum, *quem neceſſitas V. D. impoſuit hoc in loco* „ *Radici ſuæ dare, itane hæc ſunt eadem?*" Non *novum* dedi, ſed *Veterem* reddidi. Oſtendat Cl. *Diſſert. ficticium* eſſe, & natura *Linguæ* alienum. Æque diluta hæc ultima. „ *Neque felicius ſe expedit in loco Gen.* 33: 14. *Nihil hic* „ *intenditur niſi* propulſionem *fieri non debere majore impetu, ſive continuo* ſe„ cus aquas, *ſive non.*" Concedo totum. En meam paraphraſin. *Viam arripiat Dominus ante me, ego interim pro inceſſu, ac tenello illo pede mei agminis, pecus meum, meosque parvulos;* ארנהלה לאטי *lotos, potosque, prominabo, eorum æſtu, ſiti, defatigatione, idoneis aquationibus refota, ac depulſa.* Iſtam *amplitudinem* a *Moſe* ſignantiſſimo verbo captatam tota ſeries arguit: nam *Vſ.* 13. præceſſerat, *puelli mei teneri ſunt, & oves, bovesque, lactantes* &c. Locum *Gen.* 47: 17. וינהלם בלחם ubi Cl. *Drieſſ.* adſciſcit *neceſſaria præbere in ductu*, eadem ornat *Figura;* eſtque ibi Phraſis prægnans; qualis & *Apoſtolus* uſus 1 *Cor.* 3: 2. γάλα ὑμᾶς ἐπότισα, καὶ οὐ βρῶμα. Magnifice dignitatem *Sacri Sermonis* adaugent, qui ſua ei lumina, & ornamenta, invident.

III. Peculiarem curam poſtulat ἅπαξ λεγόμενον נהללים *Eſaj.* 7: 19. Vehementer fluctuant Interpretes. Ab הלל *Laudatas arbores* alii, alii, per *Antiphraſin, viles, & illaudatas*, arripuere. Mitto alia. Plerique a noſtro נהל maluere *ductus, tractus, viarum.* Ego obtuli ex *Origine, Loca rigua, læta;* oppoſita *ſenticetis*, נעצוצים ſub eadem ſpecie *Piblel.* Utrumque *Emblematice* ſumi poſſe dixi; ſic ut נהללים ſignet *fortunas lautiores, lætioresque*, qua *privatas domuum*, qua *publicas urbium;* נעצוצים *humiliores, ſqualidioresque, easdem.* Hæc eſt florido *Orientis* ſtylo illuſtrata, non exiguum iſti contextui decus addere opinabar. Ad ea Cl. *Drieſſen.* graviter, & condigne; „ *perpe*„ *tuum ſupponit V. D. quod Radix ſua indole* loca aquis irrigua *ſubjiciat. Ne*„ *que* rigua *neque* irrigua loca *ſubjicit ſignificatus primigenius; qui ſimpliciter eſt* „ ducere. *Unde ſimpliciſſima eſt interpretatio, quæ reddit* ductus; *& hic, quia* „ *de locis agitur*, ductus viarum: *& ſenſus eſt omnia ab hoſtibus obſeſſum iri* „ *loca & locorum aditus, etiam* viæ ductus *latentiores.*" Habes *inſigne lumen Orationis:* & jam ſentio, verum eſſe, quod Cl. *Diſſertator* dicebat, *recepta adminicula Arabiſmum omnem, ejusque caligantem, & maleſidam, lucem, multis paraſangis poſt ſe relinquere.* Si Magnus *Eſajæ* Commentator, qui, ex *Kimchio, laudatas arbores* amplectitur, ad *Magnatum palatia*, & *prætoria*, applicandas, faſſus ſe nihil melius habere quod tradat, hæc ſciviſſet, iſtos *ductus viarum* tam faſtidioſo ſilentio non præteriiſſet, præſertim accedente illo, *latentiores:* neque pronunciaſſet נהללים & נעצוצים haud dubie eſſe oppoſita.

Mirum V. Cl. acumen.

Eodem ſublimiore *Judicio Critico* exploſum video frigidum meum Commentum ad *Jobi Cap.* 21: 24. עטיניו מלאו חלב, ubi magno conatu magnas nugas, jam tum, agens, verti malebam, *Loca rigua ejus, ubi poti Cameli procumbunt, plena ſunt lacte.* Hanc vim a R. *Jona*, & *Ab. Eſra*, ex *Lingua Arabica* olim commendatam, uberrimum ibi ſenſum præſtare cenſebam. Addideram

Nobilius adhuc ſpecimen.

dideram imperite, עטינים *rigua* illa *procubitoria* camelorum, *oviumque*, *figuram* ſuſtinere *Ampliſſimarum opum*, *Fortunarumque*; prout *omnium bonarum rerum ubertas*, *affluentia*, *& perennis copia*, colore *Lactis* depingitur. Ad hæc Cl. *Diſſertator*. ,, *Non video*, *quod heic omnino deſideratur*, *Virum Doct. adferre* ,, *Elegantiam Arabicam*, *quæ loca in quibus cameli* procumbunt ad aquas, *&* ,, lac, *conjungat.*" Valde imaginoſum me hominem credere debet Vir gravis, & nihil ſibi indulgens, qui induxerim *Camelos ad aquas*, & *lac* ſimul, *procumbentes*. Merito ergo me hiſce increpitat: ,, *Profecto mirabilis eſſet Al-* ,, *legorica connexio rerum non bene Junctarum*, *ſi vel fingis* Lactis flumina. ,, *Quid illis cum locis ubi cameli procumbunt?*" Nempe in me nunc quadrat.

Humano Capiti cervicem pictor Equinam
Jungere ſi velit —— —— —— ——
Spectatum admiſſi riſum teneatis Amici?

Atqui putabam me pinxiſſe *Camelos*, *aliosque greges circa aquatoria procumbentes*, *qui Dominis ſuis Lactis copiam diſtentis jugiter uberibus funderent*. Hunc conſpectum *Commentarius* noſter majore luce perfudit. Erunt qui læti recipient. Erunt & qui oculos claudent. Clauſis certe luminibus mecum congreſſus videtur Cl. *Diſſertator*, quum ſic me premere pergit: ,, *Et ſi vel ille* ,, *Radicis noſtræ uſus ſit apud Arabes*, *ut ſignificet* loca *ubi* poti cameli pro- ,, cumbunt, *non credo hunc ſignificatum eſſe* primigenium: *dum non conſtat ſi-* ,, *gnificare aliquid quod ad* naturam Cameli *ſpectat*, *cur* primo, *&* proprio, ,, *ſignificatu ſuo potius dicat* loca *in quibus* Cameli *poti procumbunt*; *quam in ge-* ,, *nere* loca, *ubi* pecus quæcumque *pota procumbit*, *& requieſcit.*" Si *Commentarium* meum inſpexit Clar. *Diſſertator*, vidiſſet *primigeniam notionem Radicis* עטן عطن eſſe *fovere*, Broejen: & עטינים ex *Origine* ſignare *incubatoria*, ſive *Loca fotionis*, ubi *Cameli*, *Oves*, *pecudes* omnes, *molliter procumbunt*, quæque *fovent* quaſi; præſertim *circa aquas*. Non potui itaque non ſubridere, quum tam fortem in me pugnam edi cernerem, ab eo qui neſcit quid ferire debeat. Ne Amiciſſima manus ſemet in ſimilibus lædat, teneat, & quum *Lexicon Golii* evolvet, nunquam dimittat, *Arabes* quando *Camelos* inducunt, ad *naturam* alicujus verbi declarandam, non excludere reliqua *animalia*, in quæ *eadem actio*, vel *paſſio*, cadat; ſed eos pro *ſpecimine* tantum adhibere, ob familiarem, & quotidianum, eorundem uſum. Idem de aliis *ſubjectis*, ad quæ a *Lexicographis* verba ſolent applicari, dictum, atque intellectum, eſto. Erratum hic, & graviter nonnunquam offenſum, etiam ab iis, qui *Arabica* guſtarant. Sic ſapiunt, ſcilicet, qui e *Lexicis* tantum ſapiunt.

Tam ſtrenuas inſtantias merita tandem palma ornat, quam ſic ſibi circumdat Victor. ,, *Dum intelligi debet aliquid quod* Lacte repletum eſt, *& liquet* ,, *heic non intelligi* ubera, *atque conſtat* עטן *apud Chaldæos eſſe* intulit, depo- ,, ſuit, impoſuit, *quid*, *amo te*, *ad naturam rei ſimplicius*, *& propius*, *accedit* ,, *quam*

Digitized by Google

„ *quam Mulctrale?* Mulctralia *ejus plena ſunt lacte.* &c. &c. Multa regerere poſſem. Remittere tamen lectorem nunc liceat ad *Comment. Jobi*, ubi omnia quæ *Interpretibus* in mentem venere, diſcuſſa, vertendumque eſſe adſtruxi, *Ejus pecoroſa Latifundia plena ſunt lacte, & medulla oſſa ſua irrigatur.* Concipimus ibi *Camelos, Boves, Oves, greges numeroſos*, non circa *Flumina lactis* recubantes, ſed *irriguis* gaudentes *latifundiis*, quæ *foveant*, & *incubent.* Horum *Lacte copioſiſſimo*, & *medulla perenni*, *ſaginatum* Dominum divitem, & improbum, iſte locus ſic depingit, ut nihil grandius, uberiusque, unquam concipi, atque efferri, queat. Cl. *Drieſſen.* ad *Dialectum Chaldaicam* provocans, in qua עטן valeat *intulit*, *impoſuit*, eam cum *Arabica* juxta intelligere ſe oſtendit. Nihil in *Chaldaicis*, nihil in *Syriacis*, reliquum de noſtro עטן. In *Lexico Chald. Thalmud. Rabbin.* invenire potuit Cl. *Diſſertator* מעטן *vas oleare. Cupa olivarum. Vas in quo reponuntur olivæ minus maturæ, ut molleſcant ad emittendum oleum.* Hunc uſum adſcivere *Doctores* ex *Arabico* עטן عطن *fovit, confovit*, item *fovendo maceravit* pellem *ut molleſceret.* Cave credas *pellem* tantum *foveri*, & *molleſcere.* Eſt *ſpecimen* omnia amplectens, quæ *fovendo ad mollitudinem perducuntur.* Hinc in *Miſna Menach:* עוטנו בתוך הבית *Confovet illam* olivam *in medio domus.* Cl. *Buxtof.* dedit quidem *infert*, *imponit*, *deponit*; ſed apparet eum *exteriorem ſenſum* ſequi, non *interiorem vim*, & *formam*, verbi. Jocularis ergo notio illa *Chaldaica.* Jocularis *Etymologia Mulctralium.* Repeto, quod ſupra inſinuatum: *ſic ſapiant* neceſſe eſt, qui ex *Verſionibus* & *Lexicis ſapere* ſe poſſe gloriantur.

SECTIO IX.

Qua Vocabulum איתן *incudi redditur.*

I.

Brevis erit, & levis, hæc concertatiuncula. Non pugnat jam Cl. *Diſſertator*, non *Originem*, quam promſi, eliminat, atque in *Arabiam* infauſtum pedem referre jubet; ſed eam ſingulari prudentia, atque circumſpectione, in unam cum reliquis omnibus ſedem convenire patitur. Oſtenderam *Cap.* VIII. *Origin.* Noſtrum איתן *vulgo* referri vel ad *Radicem* אית, vel ad *Radicem* אתן, *nulla earum vi ac poteſtate edita.* Id ſatis eſſe arbitrabar, ad evincendum nil de *Origine* conſtare *Lexicographis*, quum ne de *Radice* quidem conſtaret. Subſumſi mox, quod talia in oculos incurrere arbitrarer, *Radicem* eſſe יתן, وتن apud *Arabes*; atque notionem *primariam* non eſſe, *aſper*, *durus*, *horridus*, ut quædam *Lexica*; non *fortis*; *validus*, *robuſtus*, *potens*, ut

Reſtituendum Thema איתן

alia;

alia; non *gravis*, *ſeverus*, *vehemens*, *intractabilis*, ut alia iterum exhibent: ſed Cl. *Coccejum* proxime ad veritatem acceſſiſſe, *rumorem* & *fluxum aquarum* aſſumendo: ותן enim apud *Arabes* proprium locum tenere in *aquis perenni vena præditis*: indeque איתן forma *ſuperlativa* eſſe *jugi fluxu præditum*.

Ejus uſus proprius, & *improprius*.

Hac nativa indole vocabuli e *Lexicis*, *Librisque* ſimul, *Arabum* adfirmata, recenſui loca *Biblica*, quæ iſtam vim vel *proprie*, vel *improprie*, præ ſe ferunt; iisque ex hoc fonte lumen & decus adjunxi. *Amoſ.* 5: 24. *Pſ.* 74: 15. *Exod.* 14: 27. *Deut.* 21: 4. *Job.* 33: 19. & 12: 19. & *Mich.* 6: 2. Item *Gen.* 49: 24. in *figura* multo excellentiſſima: nec non *Num.* 24: 21. *Jer.* 5: 15. cum *Prov.* 13: 18. ubi aliquid peculiare, & abſtruſius, in ſinu *Linguæ* deliteſcere ſubmonui.

Cl. Diſſertatoris *conatus parum felices.*

II. Ne ad hæc nihil reponeret Cl. *Diſſertator*, vereor ne dederit quæ minus nihilo, pro *Origine* conſtituenda, judicari debeant a rerum peritis. „ *Si loca* „ *recte inſpicis omnia*, ſignificatus primigenius *recte figitur in eo quod ipſe ex* „ Lexicographis *adducit*, & *ex Auctore Camuſi.*"

Mira potentia *Methodi Drieſſenianæ*, quæ tam diſſona in unam *primigeniam poteſtatem* conſlare valet. Ego hactenus mordicus tenebam aliud eſſe in *re*, in *Origine*, in *idea* ipſa, *aſperum*, aliud *durum*, aliud *horridum*; aliud iterum *robuſtum* &c. aliud denique *grave*, &c. Sed nunc diſco hæc omnia in *Metaphyſica regione* unam *ideam*, unam intrare *ſedem*; & quidem *ſimplicem*, *propriam*, *primigeniam*, *univerſalem*; quæ tam laxa ſit, & *hoſpitalis* quaſi, ut etiam *jugem fluxum* ultro invitet, atque cum omnibus illis in *jura Originis*, *nativæque indolis* coaleſcere patiatur. Addit Cl. *Diſſertator*. „ *Recte generaliter ſignificat omne* id quod perdurat. *Sed ſignificatus primigenius non re-* „ *ſtringitur ad* aquas, *ſed extendit ſe ad quidvis* quod perdurat: *uſurpatur equi-* „ *dem* & *de* aquis *Amos* 5: 24. &c. *Sed* & *ad alia ſe extendit. Gen.* 49: 24. „ *ad* arcum. *Ubi certe recepta Interpretatio ſimplex eſt. Etiam ad* montes, „ manſionem, &c. *Hinc non neceſſario admittenda ejus interpretatio Deut.* „ 21: 4. *Dicit* vallem horridam, *in ſtatu inculto* perdurantem, *quod ſequen-* „ *tia declarant.*" Finita ſectio. Deciſa lis eſt. Vindicatus, & reſtitutus, eſt *Linguæ Hebrææ* flos, honosque, quo ſub vocabulo איתן olim gaviſa fuit. Cl. *Drieſſen.* pronunciat *primariam vim generalem*, eſſe, *omne quod perdurat.* Pace tua, inquiet, Literator aliquis, Cl. *Drieſſeni*, illud *perdurare* mihi *ſecundarium* fuit, ſemper, a *duro* ductum, prout *perſeverare*, a *ſevero*; item *permanere* a *manendo*, & *perſtare* a *ſtando*, unde & *ſtabilis*. Sic *ſtabilis*, & *durans*, jure *ſecundaria* unam ſedem occupare poſſunt: ſed an propterea & *primigenio*? Placetne ergo, ut איתן *primario ſit durus*, & *ſecundario* deinde *durans*, *perdurans*? Crediderim, ne dolo dicam, id voluiſſe Cl. *Diſſertatorem*; eumque in finem videtur citaſſe. *Gen.* 49: 24. ותשב באיתן קשתו receptam ibi *Verſionem* vocans *ſimpliciſſimam*. Nempe plurimi reddunt, & *permanſit in duritie arcus ejus*. Species eſt; ſed tantum ſpecies. Ea duci ſe non paſſus *Cocc.* tentavit; & *ſedit in aſpero*, *arduo*, *abrupto*, *arcus ejus*. Ego opinabar, me illuſtri *figura* textum ditaſſe, reddendo, & *permanſit in perenni arcus ejus.*

Vide

Vide *pag.* 118. *Origin.* Sed, ut video, *duricies* ibi unice quadrat, & meum *perenne* nimis tortum, ac quæſitum. Crederem ergo, inquam, Cl. *Drieſſen.* hoc circumcirca voluiſſe, איתן *durus*, mox *durans*, *perdurans*, eoque nexu adductum, *Deut.* 21: 4. נחל איתן quæ mihi eſt *Vallis perennis*, & *aquis ſemper tecta*, expoſuiſſe, *vallem Horridam*, *in ſtatu inculto perdurantem.* Belliſſima proceſſio! *Durus*; *perdurans.* Inde נחל איתן *vallis perdurans*, pro *Horrida*, *quæ in ſtatu inculto perduret.* Ecquid placet? Mihi quidem usque eo, ut *Vulcano* tradendos eſſe videam omnes meos *Arabes*, cum reliqua ſuppellectile Orientali, quæ tam limpidas Originationes mihi nunquam miniſtratura ſit.

III. Non ſemel in privato, & publico, arma ſuppeditavi iis, qui a me diſſentiunt, ut *Hypothesin* meam fortius ſaltem, quam ipſi facere ſolent, oppugnare poſſent. Eadem liberalitate & nunc utar. Significationem *duri*, ut *primariam*, adoptatam reperio a Cl. *Forſtero*, cui nec אית, nec אתן, placuit pro *Themate*, ſed אתה *venit*. Sub eo noſtrum איתן ita ordinatur, ut per *Antiphraſin* ſonare dicatur *perennitatem*, *durabilitatem*, *pertinaciam*, *id quod* non initur, *imprimitur.* Non intelliges forte. En quid velit. אתה *venit*, *inivit.* Inde איתן per *contrariam ſignificationem*, id quod *non initur*; *non imprimitur*: *non penetratur. Durum.* Itemque *ſecundario uſu*, *durabile*, *perenne* &c. Habes ſaltem quod *Origo* vocari queat; quamvis eam *precariam* eſſe, & *contortiſſimam*, ultro ſentias. Hujus æmulator *Avenar.* ſic ad abacum ſedit, „ אֵתָן *Durus*, *vehemens*, *potens*, & ſubſtantive, *Duricies*, *vehementia.* „ *Cognationem habet cum* תַּנִּין *Draco*, *piſcis magnus*, & *potens in mari. Item* „ *cum* אֶדֶן *Baſis firma*, & *dura*; אָדוֹן *Dominus*, *potens. Hinc* δεινὸς *potens*, „ *vehemens. Item* δύναμαι. δυνατός *potens* &c." Ecquid beo Cl. *Drieſſenium*? Habet nunc ſaltem aliquid in quod pedem demittat; qui antea pependiſſe debuit, *Radicem* ne faceret ex *Priſcis* ſuis *Adminiculis* אית, אתה, אתן; an ex *Arabibus* meis יתן, cum *Aleph ſervili*, gradum *ſuperlativum* ſignante: dextre interim hanc ipſam incertitudinem diſſimulans; & dummodo de ſignificatione conſtaret, *Thematis conſtituendi* cura ſuperſederi poſſe judicans. Non magnopere tamen Auctor fuerim Cl. *Diſſertatori*, ut vel *Forſterianas*, vel *Avenarianas*, illas *tricas* ſuas facere velit, ni magis adhuc *ſeſe intricare* geſtiat. Si quid *Philologo*, & *Critico*, dignum proferre, Ei prolubium ſit, oſtendat unde *perennis* deſcendat apud *Latinos*: oſtendat unde *Synonymum* ejus, *Jugis*, in *aqua jugiter manante*: oſtendat denique unde ἀέναος, & ἀένναος, apud *Græcos*, emanarit; atque hinc *Originem* noſtram impetat, ut ſaltem ſemel habeamus objectionem, non joco diluendam; ſed rationibus reſolvendam.

Forſteri & Avenarii luſus.

SECTIO X.

De Radice חלה, *quæ & חלא*, teri, τείρεσθαι.

I.

Secundaria notiones non prælucent ad Originem. Magno, multoque, uſu contritum *Thema* חלה, cujus ultimam quoque *Aleph* fuiſſe evidentiſſima derivata arguunt. Ejus *ſignificationes ſecundariæ* tantum in Sacris occurrunt; *ægrotare; infirmum eſſe; viribus privari; debilitari; cruciari; dolere; condolere*, unde חלי *morbus, ægritudo; plaga; vulnus.* In *Pihhel* חִלָּה *ægrotare fecit;* unde formula ſolenni, חלה פנים *Deprecatus, obteſtatus, eſt, obnixe rogavit.*

Sed ſi incerta ſit, incertiorem adhuc reddunt. His omnibus, quæ nihil certi pro *Origine* miniſtrant, hanc *Epicriſin* appoſui olim: *Non amo iſtam copiam, quæ me, dum ditat, pauperat.* Nempe, ut notum, in *fonte primigenio* aliud *ægrotare*, aliud *debilitari*, aliud *dolere*, & *cruciari.* Subjeci, *viribus privari, ſeu infirmari, in quo potiſſimum pedem fixit Lexicographorum princeps*, Coccejus, *notio eſt laxior, & vaga, quæ viginti, & ultra, tralatis verbis exprimi poteſt. Attenuari, atteri, enervari, contundi &c. aliaque bene multa, ſua quæque proprietate diſtincta; concurrunt tamen ad* infirmitatem, *&* virium privationem *indicandam* &c. Quum hæc ſcriberem, arbitrabar neminem tam rudem in *Linguis* vivere, quin ipſo ſono perſentiſceret, *infirmari* illud ex *compoſitione*, & *negatione*, oriundum, non poſſe conſtituere *Originem.* E *Latino* penu itaque promſi *attenuari, enervari, atteri, contundi* &c. ad *virium privationem* tranſlata, quum tamen *proprietas* cujusque verbi diverſiſſima ſit: oſtendique ne horum quidem quicquam, citra diſertam auctoritatem *Dialecti*, pro *primigenio* poſſe adſciſci. Id ita intelligas velim. *Contundi, obtundi*, aptiſſimum omnibus locis, ubi חלה in textu *Hebræo* extat. Ineptus tamen eſſet, & temerarius, qui *proprietatem* Radicis in *tundendo* poſitam fuiſſe aſſeveraret. Conſimiliter *teri, atteri*, ubique locorum mirifice quadrat: & tamen neutiquam ferendus eſſet, qui ſola iſta convenientia ductus, concludere vellet, *Originem Thematis* hujus in *terendo* ſitam fuiſſe. Nempe non *convenientia* quædam *Veras* nobis *Origines Hebræas* conſtituit; ſed *convenientiæ* iſti adjuncta *Auctoritas Veteris Linguæ*, quæ ſi abſit, nil niſi *ſpecioſa* relinquitur *conjectura*, cui nemo prudens interpretationes ſuas ſuperſtruere ſuſtinebit.

Cl. Drieſſenii in hiſce hallucinatio perpetua. II. In hæc Cl. *Drieſſen.* ſic inſurgit *Sectionis* ſuæ *Par.* II. „ *Certe immerito* „ *vapulat Cel.* Coccejus, *aliique interpretes*, Infirmari *dicit eſſe* notionem la- „ xiorem & vagam. *Dicere debuerat* univerſalem ſimplicem primigeniam, „ *ſub qua notione* univerſali *continentur* ſingulares *illæ, a V. D. memoratæ* at- „ tenuari, atteri, contundi &c. *ceu totidem modi*, quibus quid *infirmatur.*

„ *Quem*

„ *Quem perperam defectum carpit in* Coccejo, *& Lexicographis*, *vere* Defectus „ *eſt regnans in omni V. D. Hypotheſi*, *& Methodo.*" Jam video quid erraverim. *Infirmari*, *viribus privari*, nihil habet *laxi*, vel *vagi*. Eſt idea *ſimplex*, eſt *primigenia*, ſub cujus *univerſalitate* contineantur omnia, quæ ab *Interpretibus* in medium collata; ne excluſis quidem illis, quæ & ipſe contuli, *attenuari*, *atteri contundi*, *enervari*, &c. Fruſtra fui, & craſſis meis principiis nimis adhæſi, quod *virium privationem*, & *infirmationem*, in *abſtracto* tenere nequiverim. *Regnat Defectus* hicce *per univerſam* meam *Hypotheſin*, quæ nuſpiam *abſtractas*, vel *Metaphyſicas*, ſignificationes, in *primigeniam ſedem* admittit. Hoc eſt illud, quod alibi quoque confeſſus ſum, *Latinas*, & *Græcas*, *Literulas* judicium mihi meum corrupiſſe. In illis certe nil tale reperio. Ne in ulla quidem *Lingua* humana. Scilicet *Divina* eſt *Hebræorum Lingua*, *Divinius* propterea enucleanda, non per incerta illa ſubſidia *cognatarum Dialectorum*; ſed per certiſſima principia *Metaphyſica*, quæ confuſiſſima quæque in ordinem redigere, & velut corpori mortuo animam infundere valeant.

III. Conſpectus utriusque *Methodi* rem, ad maximam meam confuſionem, in omnium oculis defigat. Quum in illo *infirmari* pedem ponere non auderem, atque aliunde exploratum haberem, *ægrotare* eſſe *ſecundarium ſignificatum*, aſſumſi ex *Auctoritate Dialecti Arabicæ primigeniam* vim, *terendi*, ut חלה, vel חלא, حلا, in *Origine* fuerit τρίβεσθαι *teri*, atque ita *infirmari*, *viribus privari*, *ægrotare*, *debilitari*, *cruciari*, *dolere*, *condolere*. Hinc חֳלִי mihi erat *plaga atterens*, & *excorians*: eaque *Emphaſi* tam *Radicem* quam *propagines* lætius eniteſcere cenſebam. Non ambigebam in re manifeſtiſſima, quippe qui ſcirem apud *Græcos* τρίβεσθαι ad omnia illa prono alveo ſe diffundere, & *Latinorum* quoque *teri*, *atteri*, eoſdem in uſus divergere. Exponebam inde pulchram illam formulam חלה פנים in qua ſudare videbam præſtantiſſimos interpretum, per, *Trivit faciem alicujus*, pro *enixius inſtitit*, & *frequenti prece fatigavit eum*: atque ita videbar mihi *Analogiam*, & *decus Linguæ Biblicæ*, hac in parte reſtituiſſe. Oſtenderam quoque חלאה *Ezech.* 24: 6. quæ aliis *ſpuma*, aliis, & rectius, *Ærugo*, non eſſe *morbum æris*, ſed *trituram*, ſive *id quod terendo*, *fricandoque*, *ex ære elicitur*, Denique חֲלִי *monile*, a *Terendo* deductum, meo more monſtrabam, quatenus *Terere* pro *Polire* ſe præbet. Inde חלי & חליה mihi *ornamentum multa politura inſigne*: prout *polimenta*, vel *polimina*, pro *bullis aureis*, *monilibuſque*, uſurpantur. His omnibus, nimium ſane credulus mihimet, opinabar id naturalis lucis, & gratiæ, ineſſe, ut omnium Eruditorum aſſenſionem mihi polliceri poſſem; præſertim ſi conferre dignarentur, quæ *Lexicographi* vel circa *Originem*, vel circa *concordiam derivatorum* cum *Themate*, tentaſſent.

Noſtrum filum quomodo decurrat.

IV. Hæc ego, multis annis in ſtudio *Linguarum Orientalium* conſumtis, vix ac ne vix quidem emoliri potui; quod *Metaphyſices claviculam* in manus ſumere neglexiſſem. Ejus ope Cl. *Drieſſen.* hæc prodigia *Eruditionis Hebrai-*

Implicatum Cl. Drieſſenii glomus.

cæ, & *Artis Criticæ*, uno momento edere valuit. „ *Quia a* חלה, *vel* חלא, „ *non tantum eſt* חלי, מחלה, *morbus*, תחלאים *morbi; ſed &* חלי *ornamentum, monile; &* חליה *ornatus.* חליא *ſpuma* (חלאה ſcribit *Ezechiel*) *ego* „ *exiſtimem, univerſalem, &* primigenium *verbi* ſignificatum *eſſe*, vehementer adfici, *ſive hoc ad* animum, *ſive ad* corpus tuum *aliudve* corpus *referas.* „ Violenter agitari, valide tractari, *quod plerumque noceat; inde* infirmari, „ viribus debilitari, atteri, ægrotare: *ſed & ſæpe quod noxium, ſuperfluum, ſordidum eſt* auferat, deterat, abſtergat, ejiciat *ſicque rem in melius reſtituat,* „ *unde detritis ſeparatis ſcoriis, ſordibus, fæcibus, ſignificare poteſt* חלי *&* חליה „ *detritum politum quid;* & חליא (חלאה) *agitatione forti ebulliens & ejectum quid ſicque* ſpumam. *Quod ad locum Ezech.* 24 : 6. *quem V. C. ex* „ *ſua Hypotheſi dilucidat, commode ex fixo a me ſignificatu generaliore erit vel* „ ſpuma *vel* ærugo, *quam olla deſpumet. Significatus ipſius Arabicos non eſſe* „ primigenios *res ipſa loquitur.*". Nunquam vidi *Origines* terſiores, politiores, detritiores, deſpumatiores. Aliquid tamen malæ æruginis iis adfricare videtur *primigenium* illud jam non *laxum* & *vagum*, ſed plane *errabundum*, quod adſcivit Cl. *Diſſertator*, ut ad *Cocceji*, & *Stockii*, *infirmari* perveniret; nempe *vehementer adfici*, *violenter agitari*, *valide tractari.* Atqui ſupra *Par.* II. inveniebam *infirmari* eſſe *Thematis* noſtri *univerſalem ſimplicem primigeniam notionem.* An hoc idem eſt, *primario*, & ſecundum *Originem*, cum *vehementer adfici*; idque iterum cum *violenter agitari*, aut *valide tractari?* Sic docet ad lumen *Metaphyſices*, & *Logices*, ſuæ *ὁ πάνυ Drieſſenius*; omnes illas *primigenias poteſtates*, quas vel *Arabes* in ſua nobis *Lingua* finxere, vel *Græcæ*, *Latinæque Literaturæ* Cultores in his, aliisque, vocabulis, fabricati ſunt, ad *ſecundarium* ordinem deſcendere jubens; ut ita Regina *Philoſophia* ſceptrum gerat *Linguarum*, atque ſola vi ratiocinandi omnes *Origines* aperire, atque illuſtri in die collocare, valeat.

SECTIO XI.

Radici רגע *notionem* vibrandi, coruſcandi, *unice convenire evincitur.*

I.

Dexteritas Cl. Diſſertatoris.

Qui in poſterum *Librum* aliquem confutare, atque *Hypotheſin* in eo operoſiſſime adſtructam uno ictu convellere volent, habent nunc quem ſequantur Ducem, atque Auſpicem, feliciſſimum. Ingens ego Caput contexueram ad Verbi רגע fluctuantem in *Verſionibus* & *Lexicis* tam *ſecundariam*, quam *primariam* poteſtatem, ancora in ſolido jacta ſtabiliendam. Illud

lud XXVIII. *Paragraphos*, & *Paginas* plus quam *quindecim* occupans, a Cl. *Drieſſenio* in *ſemi pagellæ* mittitur compendium, unde ne ipſe quidem meam ſententiam dignoſcere potui, nedum ut alii eam aſſequantur. Ut ergo aliqua ſaltem *cognitione cauſæ* Lectores noſtros impertiam, ipſe ſumma rerum faſtigia pauciſſimis ſtringam.

Oſtendi pleroſque *Lexicographos* cum *Rabbinis Radici* רגע ſubjicere 1. notionem *rumpendi*, *findendi* in *Kal* cum *derivato* רגע *momentum*, quaſi *temporis fragmentum*. In *Niphh.* 2. *quieſcendi* ut & in *Hiphh.* *tranquillandi*. Addita 3. ab aliis vis *movendi*, *commovendi*, in qua pedem fixit Cl. *Cocc.* deducta inde in *Niphh.* & *Hiphh.* notione *quietis*, quod *minimum motus* ſit *quies*. Cl. *Guſſetius* ſolam *quieſcendi*, & *tranquillandi*, poteſtatem tenendam eſſe contendit.

Ut ex fluctibus hiſce, aliiſque non minoribus, quos *Lexica* volvunt, emergerem, auctoritate *Dialecti Arabicæ*, ſub رجّ adoptavi ſignificationem *vibrandi*, quæ proxime cum *Cocceji* illa convenit, pro ſimplici *motu* ſubſtituens *motum tremulum*, & *coruſcum*; atque omnibus locis inde lumen, & decus, ſplendidiſſimum adſtituens, cum ſumma *Linguæ* conſtantia.

Mirificentiſſima ejusdem originatio.

II. Hæc ſufficiunt ad *Criſin Drieſſenianam* circa *Originem* hujus verbi cognoſcendam. Ea ſic habet. ,, *Quia verbo* רגע *in Niphh.* & *Hiphh*, *manifeſtiſſime ſubeſt notio τῦ* quieſcere, & quietum reddere, *uti* & *derivatis ab il-* ,, *lis*, *neceſſario ſtatuenda heic eſſet ſignificationis ἐναντιότητος*, *ſi τὸ* רגע *ullo in loco* ,, *ſimpliciter ſignificaret* movit, commovit: *ſed hunc ſignificatum non invenio.* ". Expungit, quod Cl. *Cocc.* ut multo *commodius* quam *Rabbinicum* illud *rumpere*, *findere*, induxerat, quodque Cl. *Vitr.* ut *commodiſſimum*, ſi modo validius aſſeri poſſet, commendarat: negatque ſimpliciter *ſe ſignificatum* hunc *invenire*. Sic, quum *Dialectorum* auctoritati lis non defertur; quod unus figit, alter mox refigit; & nullus diſſidendi modus, ac finis. Pergit acutiſſimus *Originum* veſtigator. ,, *Exiſtimo* primigenium *eſſe* ſubito abrumpere aliquid; *ſic* רגע mo- ,, mentum *abruptum quid: unde* & *ſignificat* motum perturbantem illico ſiſtere ,, *ſicque* coërcere & ſedare. *Verte Jeſ.* 51: 15. *Jer.* 31: 35. Qui ſedat ,, *compeſcit* mare, *motum ejus ſiſtit*, *ſi fluctus ejus fremant.* " Ego ibi, contrario plane adſpectu, dederam, *Qui vibrat mare*, *ut fluctus ejus infremant*, atque monueram verbum hoc ut in *terra tremoribus concuſſa*, ſic in *mari fluctibus inhorreſcente* granditer poni. Cl. *Cocc.* exhibuerat, *Qui movet mare.* At *Rabbinis* placuerat *qui ſcindit*, *rumpit*, *mare*: cum alluſione ad *maris rubri ſciſſionem*. Cl. *Guſſet.* notione *rumpendi* valere juſſit, ſimpliciter maluerat, *quieſcere faciens mare*. Eam male pulſam reducit nunc Cl. *Drieſſen.* atque *abrumpere mare* explicat *motum ejus ſubito ſiſtere*, *ſicque coërcere*, & *ſedare.* Dignus Viro conatus. Merito itaque in *Rabbinicam* interpretationem a Doctiſſ. *Belgis* comprobatam ſic porro inſurgit. ,, *Et ſi reſpicitur ad mare Rubrum mi-* ,, *raculoſe* ſciſſum, *ea ſciſſione non commovebatur mare*, *ſed* muri ad inſtar ,, *conſiſtebat. Vide* & *Job.* 26: 12. ". Ecquid oculis, manibusque, palpas illud *ſubito abrumpere aliquid*, pro *illico ſiſtere inſtar muri*, *ſedare*, *compeſcere*, etiamſi ad *ſciſſionem maris Rubri* his in locis alludatur? Miraculoſa enimvero

in-

Sibi diſſimilis Noſter.

interpretamenta, ad quæ nemo niſi Cl. *Drieſſen.* unquam potuiſſet eniti. Sed male me habet, quod in *Dilucidatione Analytica Jobi Cap.* 26: 12. quam paulo ante hanc *Diſſertationem*, meditatiſſime utique, concinnavit Cl. *Drieſſen.* nulla tam ſublimis inventionis mentio exſtet. Duas ibi reperio expoſitiones, alteram Cl. *Cocc.* alteram meam. *Vi ſua movet mare*, vel, *Robore ſuo convibrat, inborreſcere facit, mare.* Sic ego, *Originum* p. 145. In eadem *Dilucidatione Cap.* 7: 5. עורי רגע וימאס ex *Origin.* p. 146. mecum vertere non dedignatus eſt, *Cutis mea inborruit, & vulneribus biat.* Dicamne tum nondum in mentem fuiſſe Cl. *Diſſertatori*, quod nunc in publicum profert? Non licet: neque enim credibile; graviſſimum *Theologum* Materiam tam gravem, qualis illa quæ promittit *Veras Cauſas & Auxilia interpretandi Linguam Hebræam Biblicam*, levi, & ſubitaria, opera aggreſſum.

Semet meum juxta nunc impugnans acerrime.

Inſtat porro, non mihi ſolum, ſed & ſibimet, jam gravis V. Cl. „ *Veram* „ *verbi notionem eſſe, quam dedimus manifeſtum quoque eſt ex Jer.* 47: 6. *Arabi-* „ *cum vero illud* circumtremere, vibrare, coruſcare, *quod Vir Cel. locis Scripturæ* „ *S. applicat perquam quæſitum eſt & nibil coruſcat in locis illis.*" Nempe pro iis, qui oculos claudunt, vel avertunt, ad radios undique ſe ingerentes. Certe *Jer.* 47: 6. nil aptius *fulminatione coruſca*, quam induxi, niſi pro oratione erecta, & vibranti; malis torpidam, & jacentem. Vide *pag.* 136. *Orig.* Compellatur *Dei Gladius ſæva acie omnes territans*, &c. &c. &c. Ex mente Cl. *Drieſſen.* pro *diffulmina & quieſce*; habebis *ſubito abrumpitor & quieſce.* Egregie! Conſimiliter non ſplendet, ſed plane *vibrat*, *coruſcat*, & *fulgore* vere *Orientali circumtremit*, (illud *circumtremere* in *circumſtrepere* mutatum nollem) Figura, qua *Eſaj.* 34: 14. induxi pro *quiete*, *affluentiam*, & *opulentiam pleno alveo undantem*, quam *circumtremere*, *vibrare*, *coruſcare*, dicunt *Arabes.* Vide *pag.* 137. usque ad 141. Eadem orationis Majeſtas *Jer.* 31: 2. & 6: 16. *Eſaj.* 28: 12. *Deut.* 28: 65. ubi *Abundare* & *Abundantiam* aſſumas licet, *ſi tremulum adfluentiæ fulgorem*, quem ſublimior *Orientis*, genius captat, minus ferre, vel capere, queas. Applica ibi Diſſertatoris noſtri *ſubito abrumpere motum* atque ita *quieſcere* vel *tranquillare*, & ſtupebis granditatem, cum limpidiſſima claritate conjunctam.

Specimen completiſſimum artis Criticæ.

En ſpecimen, quo ipſe Vir Cl. adverſus me conſpici voluit. *Jeſ.* 51: 4. *Lex a me prodibit, & Judicium meum* לאור עמים ארגיע *in lucem gentium faciam vibrare, coruſci inſtar jubaris emicare.* Ad hæc ille: „ *Judicium facere* „ *vibrare, & coruſcare, alienum eſt admodum; ſic opus non fuiſſet addere* in lu- „ cem, *certe illud* facere vibrare *nibil dicit quod* in lucem *non dicat multo sim-* „ *plicius & clarius: ſic quæſite idem bis dicitur, & non* coruſcat *promiſſio quæ* „ *ſtabilem judicii ſedem promittit per τὸ* quieſcere faciam judicium, *cui verſioni* „ *cur non acquieſcamus nulla eſt ratio. Notio autem fulminis ab hac promiſſione* „ *abludit.*" Non crediderim, a renatis literis, unquam quemquam extitiſſe, qui tantum *Judicii Critici* capaci pectore concluſerit, quantum ex brevibus hiſce ſtricturis relucet. *Primo* admodum *alienum* eſt, ut quum *Propheta* deſcribat *Auroram Evangelii*; formulæ תורה מאתי תצא *Lex a me exibit*, inſtar *Solis Orientis* ſcilicet, ſubnectat uno halitu, *& Judicium meum* in Lu-

Prima acies.

cem

cem gentium *faciam vibrare, coruſcare, reſplendere.* Quis non ſentit, membra hæc parum cohærere? *Secundo*, ſit aliquid cohærentiæ, quis ferat, orationem tam φορτικῶς *faciam vibrare in lucem gentium?* Nonne illud *in lucem* plane ſupervacuum, otioſum, odioſum? An non quicquid *vibrat*, & *coruſcat*, per ſe intelligitur *lucere*? Quid opus ergo illo לאור *in lucem?* An non ſic *quæſite idem bis dicetur?* Sic decernit Cl. *Drieſſenius.* Ego autumaram *Doctrinam Euangelii* absque ulla ſpecie, vel umbra, *Tautologiæ*, condigne dici *Coruſci inſtar jubaris vibrare*, ut eſſet in *Lucem gentium.* Atqui *tertio*, non *vibrat*, non *coruſcat promiſſio*, quæ *ſtabilem judicii ſedem promittit*, *per* τὸ ארגיע *quieſcere faciam judicium.* Non intelligo. Videtur, intendi, *Coruſcare* eſſe aliquid *tremulum*, *irrequietum*, *inconſtans*, *inſtabile*; quum *judicium* hic promiſſum ſit *conſtans*, *ſtabile*, *perenne*, *quietam ſedem* ſemper *obtenturum.*

Secunda acies.

Tertia acies.

Scio Magnos interpretes ſic illud ארגיע *quieſcere faciam* explicuiſſe: ſed quid facient, quum ad *Lexica*, & *Verſiones*, iis commentandum, non ad verum *Linguæ* genium? *Coccejus* tamen contrario, & noſtro plane ſenſu, auſus, *in lucem gentium movebo*, & quidem *celerrime.* Similiter *de Dieu; Rumpere, erumpere faciam:* nempe *inſtar Lucis quæ infinitis radiis erumpit*, & *cælum* quaſi *findit.* Quanto Illuſtrior imago *Driſſeniana! Et judicium meum in Lucem gentium abrumpere* faciam *ſubito ut quieſcat.* Quam ſublimis hæc, & *Hyperphyſica*, loquendi ratio, omnem humanam facundiam exſuperans! Falſiſſimus ergo fui, *quarto*, quum ſubderem *imagini* a me productæ, *Vides Euangelii radios & auroram. Sed fortius adhuc aliquid reſidet, & imaginem* Fulminis *ingerit* ארגיע, *cum cujus* coruſco lumine, potentia, incredibili rapiditate, *exortus procurſusque novæ Legis comparatur.* Ad hæc Cl. *Diſſert.* „ *Notio fulminis ab hac promiſſione abludit.* " Nil præciſius. Intelligo nunc modum mecum exceſſiſſe Sacros Scriptores, quando *Doctrinam Euangelicam* augent *fulminea vi*, atque *virtute:* & vitioſos eſſe *Declamatores*, qui non *lumina* tantum, ſed & *fulmina Orationis* potentiſſimæ ſectantur.

Quarta fulminea.

Tangenda reſtat ultima inſtantia. „ *Neque V. D. Radicem apud Arabes invenit niſi per literarum metathesin, quæ ſi obtineat Methodus, viam in* Arabiam „ *nimis latam latiorem pandet.* " Bona objectio. Tardo pede ad *Metatheſin* accedendum. Eam tamen in totum excludere, imperitiæ, & imprudentiæ, eſſet; quum exempla dentur omni exceptione majora. Talia ſunt יחף & حفي *diſcalceatus fuit.* צוה & وصي *præcepit, mandavit*; proprie *injunxit.* De his, ſimilibusque, ne *Carneades* quidem dubitarit. Accedit, quod *Thema* رجع *rediit, remeavit, iteravit*, etiam a *vibratione*, & *reciprocatione motus*, uſus illos *ſecundarios* adſciviſſe videatur. Deductio iſta limites præſentis curæ egreditur.

Digitized by Google

SECTIO XII.

De verbo הביט, *cujus* Radix נבט, *vel* יבט.

I.

Dexteritas & peritia Cl. Diſſertatoris.

Solita Dexteritate, & ſolertia, iterum utitur Cl. *Drieſſen.* quum Cauſæ meæ Arcem intactam relinquens, quæque *Paragr.* I. præmunivi forti ſilentio transmittens, leviter nonnulla excerpit, quæ ad Conſilii mei rationem, & demonſtrationem, neminem perducere queant. A me ergo habeantur, quibus carere nequeunt, qui judices inter nos ſedere volent. Præſtruxi *Paragr.* I. non niſi in *Niphh.* & *Hiphh.* hocce *Thema*, *ſpeciebus* נִבַּט & הִבִּיט extare, ſignificatione *videndi*, quam tamen *Lexica*, & *Verſiones* varie exprimant, *adſpicere*, *circumſpicere*, *intueri*, *conſiderare*, *contemplari*, *cernere.* His diverſam eſſe *Originem* ne cirrata quidem turba ignorat. Adduxi etiam copiam *Hebræam* in verbis, השגיח / ראה / חזה / השקיף / &c. quæ ad *intuitionem* denotandam ita conveniunt, ut tamen quoad *Originem* multum differant. Hæc neminem fugiunt, niſi Cl. *Diſſertatorem*, qui *de Veris Cauſis & Auxiliis interpretandi Ling. Hebrææm*, ejusque *primigenias*, *ſimplices*, *proprias*, *Origines eruendi*, conſcripſit. Nempe bonus *Philoſophus*, & *Theologus*, non curat *verba*, ſed *rem* tantum ſpectat; eique ſufficit ſi univerſalem teneat notionem *adſpiciendi*, & *intuendi*; unde tandem ea emanarit. Utinam tamen V. Cl. qui *Alexandrinis* Interpretibus Clavim detulit *Originum Hebræarum*, eos nunc conſulere voluiſſet, atque in magna copia verborum βλέπειν, κατανοεῖν, ἰδεῖν, σκοπεῖν, ἐφορᾶν, ἐπιστρέφειν, indicaſſet, quodnam eorum tanquam *primigenium* amplecti debeamus; niſi forte omnium in unum κυκεῶνα & cinnum conflari juſſurus ſit.

Rogabam inſuper, quum in *Kal* nuſpiam proſtet noſtrum *Thema*, quid ergo ibi reſonuerit; neque enim veriſimile eſſe, in *Niphh.* & *Hiphh.* plane eundem uſum obtinere, quem *prima* & *ſimplex conjugatio* tenuerit.

Denique produxi nugatorium conatum *Avenarii*, a בטן *ventre* noſtrum הביט ita detorquentis, ut ſignet *inclinationem corporis ad ventrem usque proſpiciendi*, & *intuendi*, *cauſa.*

Origo mea.

Ut pro incertis, vel & contortis hiſce, aliisque, aliquid certi, pulchrique, recuperaret tandem *Lingua Hebræa*, ex ſororia ejus *Dialecto* produxi نبض נבץ *tremulum micuit* chorda, arcus, vena, fulmen, oculus: nec non ونبص ונבץ; in *oculo*, & *fulminante* ejus *acie*, protritum: atque inde הביט ſecundum *Originem* ſonare oſtendi idem ferme quod ἀτενίζειν *intenta & vibranti acie intueri.*

II. Non

A Cl. Drieſſenio confutata.

II. Non eſt quod verear quemquam tam Ἄμουσον fore, qui ſic propoſitam lucem aſpernari vel velit, vel poſſit. Ne ipſe quidem *Drieſſenius* noſter aſſenſum nunc negare ſuſtinebit, poſtquam rem propius oculis ejus admovi, atque ingeſſi. Eſt in hiſce quod vel reluctantem in jura ſua cogere queat. Ita quoque hic pugnat Cl. *Diſſertator*, ut ſolent qui receptui canunt; & ſpecioſum meditantur receſſum. Verba omnia ſimul apponam. „ *Iterum* V.
„ D. *ſignificatum ſuum* Arabicum *in* Hebræum *ſolum infert per* Metatheſin.
„ *Oportet verbi ſignificatum* primigenium *eſſe generaliorem, qui plures diverſos-*
„ *que* adſpiciendi *modos poſſit involvere. Ubi verbum de Deo uſurpatur eſt vel*
„ *adſpectus gratiæ ac bonitatis Pſ.* 84: 10. *Jeſ.* 64: 8. & 66. 2. *vel gratioſi*
„ *auxilii, benevolæque curæ ac defenſionis. Pſ.* 13: 4. *&* 80: 15. *indigna-*
„ *tionis Pſ.* 104: 32. *approbationis Hab.* 1: 13. *Quare in genere dicit* adſpi-
„ cere. *Vide Stockii Lexicon.*"

Ejus defenſio.

Ad hæc teneatur, fruſtra *Metatheſin* mihi objectari, quæ hic nulla; quum *Radicales* eodem ordine retinuerint *Arabes*, ſive נבץ placeat, ſive יבץ. Sed videtur V. Cl. *metatheſin* nunc appellaſſe *mutationem elementi* ט in ץ. Si hæc Ei hactenus ignota, adeat, rogo, *Clavim Dialectorum*, atque ea nihil familiarius deprehendet. Reliquis quid reponam, non reperio. Admiror completiſſimam illam recenſionem locorum, & ſtringentiſſimam concluſionem, auctoritate Cl. *Stockii* confirmatam. Atqui ille inter alia quoque poſuit, *attentius & fixis oculis aliquid intueri*: item *conſtanter & attente aliquid intueri*. Inde ad *mentem hominis* transferri oſtendit, pro *cognoſcere*, *conſiderare*, *contemplari*: ad *Deum*, *exactiſſime omnia cognoſcentem* & *perſpicientem*, partim *notitia ſimplice*, partim *gratia & bonitate*; partim *benevola cura & defenſione*; partim *indignatione*; partim *approbatione*; iisdem locis, quæ ſupra vidiſti, laudatis. Poterat ergo vel ex illo magno ſuo Fonte percipere Cl. *Diſſert. attentis & fixis oculis intueri*, quod ego ex *Origine* mea in medium contuli, non excludere *plures*, *diverſosque admodum*, *adſpiciendi modos*.

Opera quam a Cl. Drieſſen. Orbis Eruditus expectat.

Ut ſummus *Philologus* orbem demereatur Eruditum, quum *Vindicias* haſce confutare aggredietur, adjungat velim quid verba שזף, השגיח / השקיף / חזה, ראה &c. valuerint in *Origine*, & quisnam *ſimplex*, *proprius*, *primigenius*, & *univerſalis*, *ſignificatus*, diverſis hiſce *Thematibus* ſit attribuendus. Non eſt quod operam hanc refugiat; quum tam diſerte adfirmarit ex *Lexicis* & *Verſionibus* luminis affatim hauriri. Habet præterea *Sanioris Philoſophiæ facem*, quæ plus poſſit, polleatque, quam omnis *Arabia*. Adjiciat inſuper, precor, *Origines Græcas* & *Latinas* omnium illorum verborum, quibus *actio videndi*, pro copia, & ubertate, utriusque *Linguæ*, deſignatur. Sic fiet forte, ut ſocias tandem dextras in *Originibus* pandendis, jungere diſcamus, & vel ego *Metaphyſicus* reddar *Speculator*, vel Cl. *Drieſſen.* ex ſublimitate ſua ad humilitatem noſtram deſcendens, aliquid ſolidi ſub pedibus habuiſſe, mecum ſit gaviſurus.

SECTIO XIII.

De Radice נקף.

I.

Fluctuatio Lexicographorum in hac Radice.

Inter palpabiles *Defectus*, tum *Verſionum*, tum *Lexicorum*, inde confectorum, eſt, quod circa plurimas *Radices* ea tantum exhibeant, quæ ſua cuique conjectura, & ſagacitas, ex conſideratione locorum ſuggeſſit. Hinc factum, ut in quibusdam *Lexicis* נקף ſit *exſcindere*, in aliis *confringere:* in aliis iterum *excutere*, *decutere* ramos. A Cl. *Coccejo* mollior adhuc poteſtas *deſtringendi* adſcita. Cl. *Guſſet.* maluit *perfodere*, *perforare.* Adjecere alii, ob unum alterumve locum, *definire*, *determinare præciſe;* quod tamen a *cædendo* tanquam *ſecundarium* profluxerit. Omnis ergo quæſtio huc redibit, num נקף *proprie* & *primario* valuerit apud *Hebræos fodit*, *foravit*, ut noviſſime *Guſſ.* contendit, an *ſtrinxit*, *deſtrinxit;* ut *Cocc.* an *diffregit*, & *frangendo decuſſit*, *concidit*, *excidit* quod a *Rabbinis* traditum, plurimos calculos abſtulit.

Nunquam finienda niſi auctoritate Dialectorum.

Hanc litem ſine *Dialectorum* auctoritate ſecari, atque decidi, non poſſe, vel rudiores in hiſce noſtris ſacris facile intelligunt; ut proinde mirum ſit nonnullos eorum, qui Eruditi audiunt, hoc vel non poſſe, vel non velle, agnoſcere, quod communis ſenſus omni dubitationi, & contradictioni, exemit.

Produxi itaque ex *Dialecto Arabum*, uſus conſtantes, & perpetuos, noſtri נקף نقف in *tundendo*, *contundendo*, *pertundendo*, & *graviſſimo ictu perfringendo* caput, aliudve, *cum diſperſione medullæ* & *cerebri.* Poſteriora hæc cave, ex mente noſtra, *Origini* inſeras: ſunt enim *ſecundarii uſus*, qui ex *pertuſione* ſponte ſuccrevit. Nempe quod *tunditur*, & *tundendo perfringitur*, ſolet in *ſuperiori parte* potiſſimum *feriri;* unde *Caput* non *hominis* tantum ſed & *cujuscunque rei*, rectiſſime appoſitum a *Lexicographis Arabum:* quemadmodum & *diſperſio cerebri* per *Metonymiam* adjecta, quod tales *tuſiones*, & *ictus ſuperne illatos diſperſio* fere conſequatur *medullæ*, & *partium internarum.*

Criſis Drieſſeniana *multo acutiſſima.*

II. Videamus nunc, quid Cl. *Diſſert.* in contrarium attulerit. En Capitaliſſimam Criſin. „ *Iterum ſignificatus particularis, qui applicatio quædam eſt ſi-* „ gnificatus univerſalis, *qui indagandus eſt ex collatis & inſpectis locis Scripturæ* „ *ubi occurrit: per ſe magis dicere* caput diffringere, *quam aliud quodvis, tam* „ *eſt alienum quam* caput vini diffringere ". Ut quid poſtremis hiſce ſubſit ſalis, teneatur, ſciendum me duas *Gloſſas* ex *Camuſo* laudaſſe, *pertudit ovum*, &, *diluit vinum*, addens, *quaſi dicas caput vini infregit*, *contuditque.* Suaviter ridet Cl. *Diſſertator* iſtam meam ineptiam, quod *Vinum Capite* careat, videlicet. Sentis virum in *Linguis* potentem. Non patitur *vino caput* tribui,

bui, quod *aqua contundatur.* Ni tamen ſic *vires* ejus *infringantur*, periculum eſt, ne nimis *ferox* ejus *Caput* potantium *Capita contundat*, ſecundum illud dictum *Arabum* اليوم حقاف وغدا نقاف *Hodie pocula, cras capitis contuſiones.*

Sed נקף *per ſe* dicere *diffregit caput*, ſpecie vacat, inquit V. Cl. Id nec ego docui; ſaltem non intendi. Potuiſſem clarius forte loqui, nam integra phraſis poſcit نقف راسه *pertudit*, *tundendo diſcuſſit caput ejus*, נקף ראשה: ita tamen *uſus* ille *Metonymicus* invaluit, ut abſolute النقف *pertuſio*, deſignet كسر الهامة *diffractionem capitis*, ob rationes *Paragr.* I. præſtructas. Uſus *Biblici* amiciſſime concinunt. Plena formula occurrit *Thren.* 3: 5. ויקף ראש & *contudit caput*; at *Eſai.* 3: 34. נקפה abſolute infert *Capitis contuſionem.* Eſt etiam ubi latius ſeſe, liberaliusque præbeat verbum hoc: prout *Tundere*, *pertundere*, patentiſſimæ eſt ditionis. Hæc ſatis copioſe deducta in *Opere* de *Origin.* ac proinde verbum non addo. Miror tantum, tam ſubito hic exaruiſſe venam Cl. *Drieſſenii*, ut *ſignificatum univerſalem Thematis* noſtri aliis adhuc *indagandam* remittat.

SECTIO XIV.

De Radice ספה.

I.

Quando Cl. *Drieſſen.* nos ſæpiſſime ad *Lexicon Stockianum* vocat, compendii cauſa illuc & ipſe graviſſimum meum *Adverſarium* relegabo. In eo ספה declaratur biſariam. I. *Conſumſit*, *perdidit*, *abſtulit*; *conſumtus eſt*, *defecit*, *periit.* II. *Addidit*, *adjecit*, *conjunxit.* In priori claſſe, convenire dicitur cum סוף *deficere*, *finiri.* In poſteriore, cum יסף *addidit.* Ex *Cocc.* & *Avenar.* hæc hauſta eſſe recognoſces, ſi contuleris quæ in *Origin. Cap.* XIII. *Par.* III. olim ſtrinxi. *Lexicorum diſcordia.*

Ut hæc indecora notionum pugna tolleretur, & *Linguæ* nativa pulchritudo refloreſceret, produxi ope *Dialecti Arabicæ primigeniam* poteſtatem *radendi*, quam *Themati* ספי سفي *Origo* inſevit. Eam apud *Hebræos* quoque obtinuiſſe, firmavi exemplo evidentiſſimo *Eſaj.* 7: 20. ubi habemus *Emblema Novaculæ*, qua *Caput*, *pubes*, *barba* תספה *radatur.* Nova luce, & gratia, inde adfeci *Eſaj. Cap.* 13: 15. ubi נספה mihi *deraſus*, & *novacula hoſtili deglabratus.* Hinc proceſſi ad *geminam metaphoram*, quarum prior in *perditionem*; poſterior in *additionem* ſe diffundit. Nempe *radit*, *eradit*, qui *diſperdit*: & *radit*, *corradit*, qui *addit*, *adjungit*, *cumulat.* En brevem conſpectum. In *prima* claſſe *In concordiam revocata ad lucem Originis evidentiſſimæ.*

 habes

habes *Gen.* 18: 23. *Etiamne juſtum cum improbo* Rades? Et *Gen.* 19: 15. 17. *Ne* radaris *in urbis hujus iniquitate.* Et *Num.* 16: 26. *Ne* Radamini *in omnibus eorum peccatis.* Et 1 *Sam.* 12: 25. *ſimul vos, ſimul Rex veſter* Rademini, Et 1 *Sam.* 26: 10. *in prælium deſcendet, &* radetur. Plura vide *pag.* 163. *Orig.* In *ſecunda* claſſe veniunt *Jer.* 7: 20. ספו Radite *holocauſta veſtra ſupra ſacrificia veſtra.* i. e. *corradite;* ut *conſtructio* ipſa cogit. Iterum *Eſaj.* 30: 1. *Ad* radendum *peccatum ſuper peccato*, pro *Corradendum*, & *cumulandum.* Adde *Num.* 32: 14. Omni guſtu careat neceſſe eſt, qui in hiſce *addere*, *adjicere*, mallt, quam *corradere*, *radendo acervare.* Mitto alia interioris, & profundioris, meditationis; quæ longiuſcule nos abducerent, & detinerent; atque ad *Opus Originum* remitto.

Nebulæ ſoli meridiano offuſa à Cl. Diſſertat.

II. Audiamus jam Cl. *Diſſertatorem.* „ *Iterum modus aliquis pro univerſali ſignificatu. Certe verbum per ſe non ſignificat* novacula radere. *Hinc in loco* „ *ab ipſo allegato* novacula *additur. Igitur loca ubi* novacula *non additur, non* „ *recte ſic vertuntur. Verbi cauſa Gen.* 19. *Ne* Radaris *in urbis hujus iniquitate* „ &c. *ſignificatus univerſalis eſt* auferre, *quod quia fit multis modis plures ſignificatus ſecundarios & particulares admittit, pro rei quæ aufertur cujusque na-* „ *tura* ". Diffido mihimet, hæc exſcribens, jamque ſerio, at nimis ſero, timere incipio, ne *Colluſorem* egerit Cl. *Drieſſen.* non *Confutatorem.* Non plumbea hæc, ſed plane plumea. Nihil eſt quod vel anſam relinquat ad refellendum. Nullum non Colon ſemet diſſipat. *Radere* Cl. *Drieſſenio* eſt *modus*, qui ſub *univerſali auferre* contineatur. *Radere* non eſt *Radere* niſi adſit *Novacula.* Item, *Radi in urbis alicujus iniquitate*, vel *pœna*, non præſtat rectam, plenamve, ſententiam. Denique *Univerſalis ſignificatus* noſtræ *Radicis* eſt *Auferre*, atque inde etiam *addere*, *adjicere*, emanavit &c. Iterum dico, ne anſa quidem ad refellendum mihi relicta. An ultimo hoc certamine γυμνῇ τῇ κεφαλῇ inſinuatum ire voluit Cl. *Diſſertator*, ſe luſoriis tantum armis mecum in arenam deſcendiſſe, ut occaſio mihi præberetur pulverem adverſus me a longo concitatum diſſipandi, eundemque ex oculis multorum diluendi? Id ſi eſt, melius tamen paullo exiſtimationi ſuæ conſuluiſſet vellem Amicus noſter. Si non eſt, melius in poſterum ſibi conſulat velim; nunquam falcem in meſſem non ſuam immittendo; multo minus extra ſphæram activitatis tam longe evolando.

Sumite materiam veſtris, qui ſcribitis, æquam
Viribus, & verſate diu, quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri: cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deſeret hunc, nec lucidus ordo.

SEC-

Digitized by Google

SECTIO XV.

De Radice כנע *Corollarium.*

I.

Confutatio *Libri de Originibus* feliciſſime explicit. Corollarii loco ſubnectitur judicium de *Themate* כנע, quod in *Veſtibulo operis* tetigeram, tantum, ut *Defectus Verſionum*, & *Lexicorum*, palpandos darem: quod enim in *hoc*, id in *trecentis*, atque adeo *ter trecentis* aliis, obtinere ſcias; ut nempe de *ſecundaria* quidem *notione* abunde conſtet; ſed *primaria indoles*, & *virtus*, profunde ignoretur.

Hæc Radix nuſpiam in proprietate *ſua occurrit.*

Id in hoc *Themate* cuivis in oculos incurrit, qui modo *Lexicorum inopem* pro *Origine* conſtituenda *copiam* adſpexerit: nam apud *Avenar.* כנע valet *Humilis*, *ſupplex*, *ſubmiſſus fuit*. Tria hæc *ſecundaria*, & ſua quæque *Origine* diſtincta. Additur propterea: „ *proprie ſignificat ſe ſubmittere in poplites & „ genua, ut ſolent ſupplices ingeniculari. Cognationem habet cum* כרע *incurva„ tus eſt, &* צנע *humiliter ſenſit. Hinc γονάζομαι. γόνυ.* Genu. *γυνὴ.* hinc: item „ *κυνέω. προσκυνέω* ". Apud *Stockium* ſimiliter reperio; *Humilis*, *demiſſus*, *ſup„ plex fuit. In Kal non occurit. Sed in Niphh. eſt*, *Humiliavit*, *demiſit ſe*, *abje„ cit ſe*; *Humiliatus*, *depreſſus*, *abjectus fuit*, &c. ". Quid in *proprietate Latina* ſit *abjicere*, quid *demittere*, quid *deprimere*, quid *Humiliare*, ſcimus omnes. Neſcimus interim hactenus quid *Hebræis* non *ſecundario*, ſed *primario*, ſonuerit כנע Cl. *Buxt.* ſub *Hiphh.* dat, *depreſſit*, *proſtravit*, *abjectum*, *humilem reddidit*. Vides, pro *Origine* quidem, nihil promov. ri Cl. *Cocc.* aliquid preſſius, & enucleatius, quærens, ex ingenio nobis depromſit *flecti*, *cedere*. Sic *Forſtero* ferme ſuccinit, *Curvari*, *incurvari*, ex cognato כרע exſculpenti. Eſt hoc aliquid ſaltem, quamvis male firmum. Idem infirmius adhuc fecit, adjecto alio fulcro ex צנע *ſubmiſſus*, *humilis*, *medeſtus fuit*. Ex his omnibus intuli, omnes qui de Materia hacce judicare valent, facile ſenſuros, nunquam *Originem* finiri poſſe, niſi aliunde lumen infundatur, & *Dialecti* diſerta auctoritas ſuccurrat.

Inde magna apud Interpretes Varletas.

II. Eam lucem, opemque, quam *Arabes* nobis ſubminiſtrant, in alıud tunc tempus remiſi, prout operis mei deſcriptio, & partitio, exigebat. Hanc meam curam prævertens Cl. *Drieſſen.* lucis haud indigus, nobilem ſibi palmam manu victrice circumdat. „ *Difficultatem adfert*, *ſed non tollit*, *quod „ hactenus in eo non ſit. Sed video quod in Comm. in Job. p.* 1144. כנע *ex „ Arabiſmo ipſi ſit contractis ex* ariditate *digitis*, *manibusve*, torpuit: *inde in „ Hiph.* facere *contuſis &* contractis manibus *eſſe: ſicque* deprimere, incur„ vare, humiliare. *Sed quis credat particulare illud* contractis eſſe manibus „ *eſſe verbi* primigenium *ad corpus animumque ſpectans? Univerſalis notio eſt ea* de-

Cl. Drieſſ. prematura feſtinatio.

Digitized by Google

„ depreſſionis, *ſecundariæ*, *quos ipſe ex Interpretibus adduxit ſunt ejus modi ſingulares.* Expectare potuiſſet Cl. *Diſſertat.* donec quæ de uſibus *Arabicis* verbi كنع כנע communicanda haberem, in dias luminis oras extuliſſem. Vidiſſet ibi *primigeniam vim* adferre *contractionem ex ariditate*; atque in *ſpeciali* uſu aſſumtum, *contractis*, *contuſiſque*, *digitis torpere*: mox *proſterni*, *deprimi*, *humiliari*, *fractum*, *impotemque*, *jacere*. Deprendiſſet quoque, ex inductione locorum, magnificum inde decus, & pondus, ſermoni ſacro accreſcere.

Sed jam cognitionem cauſæ præcurrit judicium; & ex *Linguæ Hebraicæ* intima peritia pronunciat Cl. *Drieſſen. Thematis* noſtri *primigenium* eſſe *deprimere*, quum tamen nullus in univerſis *Bibliis* locus exſtet, ubi *primigenia poteſtas* illa *premendi*, *deprimendi*, ſeſe exerat; quia extra *Metaphoram* non comparet. Videt ergo aquilina viri acies, & diſtincte cernit, quod nuſpiam eſt: atque *depreſſionis* non *ſecundariam* ſolum, ſed & *primariam vim*, *Radici* noſtræ ita vindicat, ut ne umbra quidem dubitationis cuiquam relinquatur.

Quid inter nos diſceptetur.

En jam, Erudite Lector, *univerſum ſtatum Quæſtionis*, in *Compendio*, *brevique Tabella*, ab omnibus quam facillime percipiendam, etiam ab iis qui vel voluntate, vel neceſſitate, aut alio ſtudiorum genere, plane Hoſpites in ſacris hiſce noſtris verſantur. Dantur in reliquiis *Linguæ Hebraicæ*, ut dixi, plus quam *ter Trecentæ Radices*, quarum *primigenia ſignificatio* ne in ipſo quidem *Codice Biblico* occurrit: *ſecundaria* tantum *poteſtate* ibidem reſidua. Illa *ſecundaria* in *Verſionibus*, & *Lexicis*, bene quidem expreſſa, ſed ad *primariam* perveniri nequit niſi vel *conjectura*, & *Metaphyſica ratiocinatione*, citra aliud ſubſidium, adminiculumve; vel *Veteris Dialecti* (ſive illa *Chaldaica* ſit, ſive *Syriaca*, ſive *Arabica*, ſive & *Æthiopica*, *Samaritana*, *Thalmudica*) veſtigio, ductu, auctoritate, quam *Locorum Biblicorum* ſeries, Emphaſis, & pulchritudo naturalis ſimul invitet, commendet, inculcet.

Cl. *Drieſſenius*, & *Drieſſeniani*, habet enim ſuos Tribules Vir. Clariſſ. plures forte quam vel ſcio, vel ſuſpicor; *Drieſſeniani* igitur omnes, quia *Dialectorum* diſcendarum longiorem viam refugiunt; atque reformidant, Earundem auctoritatem omnibus modis minuere, & ſuſpectam reddere conantur; atque *primigeniam poteſtatem Radicum Hebræarum* ſola *vi ſagacioris ingenii* conſtitui, atque certo definiri poſſe contendunt. Nos contra, cum omnibus qui in *Literatura Orientali* excelluerunt, ſolidius quid, certiuſque, depoſcimus, atque *Origines Hebræas*, non niſi ope *Dialectorum* inveſtigari poſſe pugnamus; eaſque non ante admittimus, quam omnibus *Sanioris Critices Regulis* examuſſim reſpondiſſe reperiantur.

PARS

Digitized by Google

PARS ALTERA,

CONTINENS

VINDICIAS OPUSCULI

de Defectibus Hodiernis Ling. Hebr. eorumque ſarciendorum tutiſſima via ac ratione.

I.

Fortiſſima, & generoſiſſima, Cl. Diſſertatoris impugnatio.

Quam forti, & nobili, Marte Cl. *Drieſſen. Fundamentorum noſtrorum ſoliditatem quatere* aggreſſus ſit, iterum declarat, omniumque in oculis defigit, hæc periodus, quæ Alteri *parti Diſſertationis* præmiſſa. „ *Defectuum Claſſes adſignat* V. *Cl. p.* 319. *Sect.* „ *XI. Vide & Sect.* XIV. XVI. XIX. *De Linguæ Hebrææ De-* „ *fectibus, ſintne* ideales, *an mere reales, ſicque de eorum* claſ-, ſibus *ſi quas habent, rectius pronunciabimus poſt luſtratos & a Viro Cl. reſarci-* „ *tos illos defectus.*" Non e re vel ſua, vel Tua, Lector, exiſtimavit Cl. *Diſſertat.* ut *Status controverſiæ* cognoſceretur. Confutationem leges, & tamen neſcies penitus quid confutetur; aut quorſum tela illa, valido brachio intorta, dirigantur. Sed *ſub finem*, forte in *Conſpectum Quæſtionis* admitteris. En Coronidem, qua ſe Victorem, & *Defectuum* meorum Depulſorem, infert Cl. *Drieſſen.* „ *Hactenus igitur Linguæ Hebrææ Biblicæ Defectus hodiernos of-* „ *fendimus nullos, unde opus non eſt in ſuas illos Claſſes digeramus* ". Jam luce auctus es. Jam intime perſpexiſti, quo de agatur, & quid inter nos diſceptetur. Audis de *Defectibus Linguæ Hebrææ Biblicæ* ſerram contentionis reciprocari. Parata ſuſpicio me *dignitatem Sacri Codicis* minuere, quum *magnos eſſe Defectus hodiernos Linguæ Biblicæ* contendi, de iisdemque *Libellum* edidi: & jam laudas Virum *Theologum*, qui tantam iſtam labem a ſacris Literis depulſum iverit; eique vel ad ſolum *Diſſertationis Titulum* victoriam aſſignas, adverſus cauſam ipſo quodammodo *Titulo* jugulatam.

 II. Scias

Neceſſaria admonitiuncula. II. Scias tamen, hac invidiola, in me commota, nihil vel injuſtius, vel commiſeratione dignius, excogitari poſſe. Injuſtius, ſi qui talia de me, meaque *Methodo* ſpargunt, atque diſſeminant, legitimam cauſæ cognitionem ſumſerunt. Commiſeratione dignius, ſi non ſumſerunt; vel & dum legerent, non tamen intellexerunt, adeo *Dignitatem Sacri Codicis*, & *Linguæ Hebrææ Majeſtatem*, per me non minui, ut contra omnibus modis eandem amplificare, atque ad culmen ſplendoris provehere, pro virili parte, coner. Loquatur *Titulus*, prout is a me conceptus, & expoſitus, p. 319. *Caput primum exhibens incommoda, & defectus, quibus Hodierna Linguæ Hebrææ cognitio adhuc laborat.* Vides nullos *Defectus* ipſi *Linguæ Biblicæ* a me impingi, ſed *cognitionis noſtræ Hodiernæ* indicari *incommoda*, & *Defectus*, quæ in bene multis adhuc manca atque imperfecta, omnem *dignitatem*, *gravitatem*, & *Majeſtatem Linguæ Biblicæ*, necdum ubique locorum ſit conſecuta: ſed inſigni acceſſione Lucis, & Gratiæ, per Adminicula Divinitus nobis ſubminiſtrata, ulteriusque ſubminiſtranda, augeri, atque cumulari, poſſit.

Rogo jam, quando huc deſcendere cogor, quis *Verbi Divini* reverentior ſit, isne qui gloriatur ſe nulla amplius *Luce* indigere, atque *omnem* ejus *amplitudinem*, quoad *Linguam* quoque ipſam, exhauſiſſe: an is qui per Legitimas vias majorem adhuc *Lucem* circumſpicit, ut ad illam *Facem* quicquid eſt tenebrarum in *Verſionibus*, & *Lexicis*, diſcutiatur, atque *Linguæ Biblicæ* ſplendidius adhuc decus adſtituatur.

Cui paululum inſiſtitur. III. Atque hæc quidem hactenus. Ea non ſoli noſtro *Drieſſenio* dicta. Ne præcipue quidem. Ulterius nunc non procedo. Tacitus mihi ſufficit triumphus. Honeſtius ſæpe de jure quid remittitur; & magnis meritis, magnæ venerationi, donatur. Nonnulli me intelligent. Ut omnes intelligant, neceſſe non eſt. Redeo ad Cl. *Drieſſen.* quem Humaniſſime rogatum velim, cur *Arcem Cauſæ* meæ, & *Quæſtionis* noſtræ, non attigerit; eandemque tam ſtudioſe oculis quoque Lectorum ſuorum ſubduxerit? Atqui nihil, plane nihil, in hac *altera parte Diſſertationis* intelligi poteſt, ſi *Defectuum octo* illæ, quas enotavi, *Claſſes*, non ſub conſpectu habeantur. Eas ſtrinxi ſupra *pag.* 448. harum *Vindiciarum.* Illuc rediri velim, ſi forte ipſius *Opuſculi* copia non ſit. Easdem ulterius illuſtrandi, multa dabitur occaſio; quando ad ſingulas ſectiunculas ſubmonendum veniet, ad quam *claſſem* quæque pertineat *Radicum*, quas a mala mea manu, & cura, vindicandas, priſtinæque *valetudini* reddendas ſuſcepit Cl. *Diſſertator.*

SECTIO

Digitized by Google

S E C T I O I.

Radici נבה *civitas a me reddita confirmatur.*

I.

Prima Claſſis Defectuum quibus laborant Lexica.

Primam Claſſem *Defectuum*, quibus *Lexica* noſtra laborant, collocavi in *Radicibus* non paucis, quibus pomœria *Linguæ Hebrææ* amplificanda. Rei neceſſitas tam evidens, ſive *Nominum propriorum*, quæ in *Bibliis occurrunt*, denſam ſilvam ſpectemus; ſive conſideremus multorum *Vocabulorum*, incerta ſede errantium, vagam, & diſtractam, conditionem, ut ipſa Elementa, & principia, *Literaturæ* ejurare debeat, qui hoc in dubium revocare velit.

Doleo proinde ſortem Cl. *Refutatoris*, qui pro provincia a ſe ſuſcepta id perpetuo impugnare, & confutare, debuit, quod immotis nititur fundamentis, atque ex *Radicali amplitudine*, ac *Virtute*, *Linguæ Hebrææ* ſeſe omnium oculis ultro ingerit.

Veniamus in rem præſentem 2 *Reg.* 3: 24. *Maſora* pro ויבו, quod in Textu eſt, forma *fut. Hiph.* a *Radice* נבה, emendat ויכו & *percuſſerunt*, a *Radice* נכה, quæ in *Hiphh.* magno, multoque, uſu, contrita. Hanc *Criſin*, quod melius non ſuccurreret, plerique interpretes calculo ſuo confirmarunt: atque ita *Textum Sacrum* gemino incommodo, implicuerunt. *Primum* eſt, quod ingratiſſima ſic oriatur *Tautologia*, trina repetitione ejusdem verbi: ויכו & *percuſſerunt Moabum*, ויכו בה & *percuſſerunt in ea*, והכות & *percutiendo Moabum*. Nil inficetius. Schola *Rabbinica* talia concoquit: Chriſtiana non poteſt. *Secundum* longe gravius, quod *emendatione* hac admiſſa, nihil cauſæ dici queat, cur non aliis quoque in locis compluribus conſimilia vitia, ex *adſinitate literarum* oriunda, inſediſſe ſuſpicemur. Capitalis *Quæſtio*, in quam non excurro. Ad *Tautologiam* effugiendam adſcitum ab aliis ויבאו & *intrarunt*. Huc concedit Cl. *Cler*. At *Kimchius* malebat ויבו, & *intravit*, pro ויבא, per *mutationem* Elementi. Cl. *de Dieu* per *Apocopen* pro ויבוא, eodem ſenſu. Idem Vir Doctiſſ. & aliud tentavit a יבב ejusque *vociferatione bellica*. Horum nihil vel *Analogiam*, vel *Punctaturam*, integram ſervat. Hinc ego *Par*. XXIV. & XXV. intuli, reſtituendam eſſe *Radicem* נבה *obtuſus fuit* gladius; unde ſalva ſimul *Punctatura*, & *Analogia*, exiſteret ſenſus multo completiſſimus, ita e limpido fluens, ויכו את מואב & *percuſſerunt Moabitas*, ויבו בה והכות את מואב & *obtuſos* in illa ſtrage *reddiderunt* gladios, *idque percutiendo Moabitas*. Aliquid ſaltem favoris a Cl. *Drieſſenio* eblandiri debuiſſet hæc *reſtitutio Radicis*, quod per eam uno momento liberemur illis ſcrupulis; quibus Schola *Critica Theologos* vexare ſolet, quum de *Integritate illibata Sacri Codicis* diſcepta-

tatur. Sed minime *partialis* eſt Noſter. Quid? ubi reliqui omnes tanquam ad ſcopulum adhæſere, Ipſe in portu navigat; atque cymbula ejus aura fecunda fertur. Audi modo. „ *Sed quid opus eſt novo illo verbo? Quidni ſtatui-* „ *tur Apocope τῦ* א, *ſicut* 1 *Reg.* 12: 12. *Ruth.* 3: 15. & 1 *Reg.* 21: 29. „ *Mich.* 1: 15. " Itane *Quidni*? Quomodo ergo? An וַיָּבִי pro וַיָּבוֹא exaratum in *plurali forma*? Sic tria, quatuor, vitia, *Grammaticalia* in unum verbum concurrerent. Non gravemus interim *Virum* Hebraice *Doctiſſimum*. Crediderim potius id electum, quod a Cl. *de Dieu* abjectum commonui, וַיָּבוֹא & *venit*; illuc enim exempla adducta aurigantur. Sic duplex correctio erit admittenda. Et tamen rogitabit Cl. *Theologus*, *Quidni*? Jam denuo vereor, ne in *Scholam Criticam* transfugium meditetur Cl. *Diſſertator*, ut tanto fortius ſeſe novis meis moliminibus opponat, quibus omnem *Criſin* adverſus *integritatem Codicis Sacri* deſtrictam, compeſcere, atque confutare, meditor, oſtendendo, *Ignorantiam Veteris Linguæ in cauſa fuiſſe*, quod ad *ſaniſſimas Lectiones* paſſim adhæſum, atque offenſum, fuerit.

Non poſſum quin huc transferam inſignem *pericopam* in *Conſiderationibus ad novam Verſionem Jobi*, *Cap.* 34: 36. ubi quum אבי pro אביא *adduco*, cum Doctiſſ. *Tigurinis* accepi, citatis quibusdam exemplis quæ hanc *Apocopen* ſatis familiarem fuiſſe arguant, hanc laudem reporto. „ *Recte quod nunc illam* „ *Aphæreſin agnoſcat, nec opus eſſe judicet hinc arguere hodiernum Linguæ Hebrææ* „ *defectum, quod fecerat in defectibus ſuis L. H. & quidem primo loco novum verbum* „ *ex* Arabia *in* ſolum Hebræum *introducens* ". Proh *piaculum! ex Arabia novum verbum introducere* in *ſolum Hebræum!* Proh imperitiam! *Defectuum hodiernorum Linguæ Hebrææ* tale *primo loco Exemplum* ponere, quod per *Quidni?* confutatum dari queat. Si talem me ſibi, ſuisque ſtudioſis, pingat Cl. *Drieſſenius* intra privatos parietes, ſemper Victor manebit; ſed ſi in publicum ſic adverſus me educat, nuda nimis latera patere incipient. An ego *Reſtitutionem Radicis novæ* tentavi ob ignoratam, vel negatam, *Apocopen*, quam tenent, qui rudimenta necdum depoſuere? In *Integritate Codicis Sacri*, & *Antiquiſſima Lectione*, illa *Reſtitutio* fundata. Hanc *auctoritatem* mihi primo adimat Cl. *Diſſertator*, & deinde videat an ſuam *Apocopen* hic aptare poſſit. Cl. *Danzius* certe *Grammat.* p. 399. *inepte hic Apocopen ſtatui* pronunciat; ipſe tamen nihil molle tradens: ut poſt extremum huncce conatum Viri in arte *Grammatica* exercitatiſſimi tanto minus de *Civitate Hebræa* hujus *Radicis* dubitari poſſe videatur.

Graviſſimæ inſtantia. Prima. II. En tamen *Trigam inſtantiarum.* Prima: „ *Cur quia verbum per ſe id non* „ *ſignificat, fingenda eſt illa Ellipſis* Gladii, *& ad hanc illius* Celeusmatis? " Dixeram nempe p. 325. *Offendere neminem debet quod* חרב Gladius *hinc abſit, nam & res ipſa id ſatis dictabat*, & formula bellica *hic exhibita illam nunc vocem, ut ſupervacuam reſpuebat. Scilicet dixiſſe videntur Hebræi, non ſine alliterationis pulchro luſu*, הכה והכה *percuſſit & obtuſum reddidit, nempe* gladium, *ad graviſſimam cædem pingendam.* Non digerit Cl. *Drieſſen.* tam duram infertionem. Atqui הִכָּה *percuſſit*, per *Ellipſin* effertur; pro הכה לפי חרב *percuſſit*

cuſſit ore gladii, quidni & הכה? Gratiam ferunt tales omiſſiones, præſertim in *Formulis*. Altera inſtantia: „ *Et quidni illud* בה *ſimpliciter refertur ad ip-* *Secunda.*
„ *ſam Moabitida?* " Ego בה retuleram ad *pugnam tergis fugientium incumbentem*. Si ad *Moabitidem* quis malit, idem manet ſenſus, ut nempe *terga cædendo*, & *gladios obtundendo*, *in terram hoſtilem ſeſe penetrarint*. En tertiam *Tertia.*
multo acutiſſimam; „ *Etiam parum conveniunt* gladii retuſi *ejusmodi Divinæ* „ *vindictæ, quæ animos* gladiosque *acuit*, *ictusque retuſos averſatur*.". Non e ſolido lucet acumen. Si hoc procedat, non Divinitus animati fuere *Jonathan*, & *Iſraëlitæ*, quum *Philiſtæos cædendo ad vertiginem* usque *delaſſati* dicuntur 1 *Sam.* 14: 29. 30. Habes ibi וַתְּרֹאנָה עֵינָיו & *oculi ejus micuerunt guſtato mellis favo*. Sic verto a deperdita *Radice* רוא, quæ *Arabibus* per *Reduplicatam ſpeciem* dedit رارا *ſplenduit acies* oculorum; *micuit*. Hanc gemmulam nobis invidit *Criſis Maſorethica*, ſubſtituens תָּאֹרְנָה. Anſam dabat *Vſ.* 30. אֹרוּ עֵינַי *lucidi facti oculi mei*. Si priſcam *Linguæ* ditionem, & amplitudinem, in promtu habuiſſent, temperaſſent, credo, atque a Sacro Scriptore de induſtria variatum agnoviſſent. Sed & hic periculum, ne de *integritate Codicis* aliquid decedere malint *Drieſſeniani*, quam ut *nova Radix* ex *Arabia* in *ſolum Hebræum* admittatur. Magnificos enimvero puritatis *Hebrææ* Defenſores!

S E C T I O II.

De Radicibus משע, *&* משק.

I.

Quam accurate legere ſoleat Cl. *Drieſſen.* ſcripta, quæ confutanda ſuſcipit, deprendo ex *Radice* משע, quam in *Civitatem Hebræam* ope *Dialecti Arabum* reduxi, a *par.* 29 ad 34. *Opuſc. de Defect.* Ejus e longo exilio reductionem poſtulabat locus *Eſech.* 16: 4. ubi vocabulum לְמִשְׁעִי exercitos habet Interpretes; aliis ad ישע, aliis ad שעה, aliis denique ad שוע, vel & שעע, recurrentibus, atque inde aliquid exſculpentibus. Mea verſio ſic habet, *Et aquis non es abluta ad* TERSIONEM MIHI, oſtenſumque משע مشع *terſit*, ſpeciali uſu venire in *Religioſa mundatione*, & *exterſione ſordium*. *Prætermiſſum a Cl. Drieſſ. Thema ſuo.*

Quæ *Radici* ulterius conſtabiliendæ adferri poſſent, non expromam. Sub conſpectum ſolummodo Cl. *Diſſertatoris* eam ferre volui, ne altera forte vice eandem prætervideret. Brevi quoque adjungemus ei ſodalitium aliarum *Radicum*, quæ conſimiliter jura *Civitatis Hebrææ* ſibi reddi poſtulant. Operæ tunc fuerit, integrum agmen & junctis umbonibus phalangem, profligaſſe.

Alterum משק *ab aliis admiſſum fuerat.*

II. Quod porro attinet ad *Thema* משק, cur inde reſiliat Cl. *Diſſertat.* non exputo, quum jam a longo tempore *Lexica* occuparit, atque ibi ſatis honeſtam ſedem tenuerit. An ſuamet vineta cædere, atque *Adminiculis* quoque *ſuis* dilectiſſimis ſecurim injicere non dubitat, ſi modo meas reculas ſimul concidere, & concerpere, poſſit? Suis ſaltem parcere debuiſſet copiis, *Lexicorum* ſtrenuiſſimus defenſor, ne *Cadmæam* de me *victoriam* reportet. An ergo, de *Avenario*, aliisque, ne loquar, oblitus erat vir Cl. *Manualis Buxtorfiani*? ubi מֶשֶׁק proſtat tanquam *Radix fugitiva*, cujus propago ממשק *derelictio, locus derelictus*. Inſpexiſſet *Stockium* ſuum, qui jam ante me ex *Arabia* lucem inferre conatus fuit, „ משק *voravit meliores pabuli partes & ſic locum derelictum fecit: a-„ pud Arabes.* ממשק *derelictio, locus derelictus. Zeph.* 2: 9. *Locus derelictus urti-„ cæ. Juxta Coccejum, diſcurſatio urticæ: quia urtica ſolet diſcurſare.*" Nempe a שקק *Analogia* plane invita hocce ממשק derivaverat ἐ ξάιν: id eodem Jure fieri cenſens, quo alii, מֶשֶׁק & מַשַּׁק item *diſcurſionis*, *diſcurſationis*, notione mactarunt ab eadem *Radice* שקק. *Forſterus* ממשק ordinaverat ſub שקה per *contrariam ſignificationem*, quaſi dicas. *Locum qui caret irrigatione, ideoque idoneum urticis.* Quid miramur *Linguam Hebræam* ludibrio multorum exponi, ubi qui Cultores ejus cluent, tam male comtam, pexamque, eam nobis tradunt. Tenenda haud dubie Radix משק cum ſignificatione ejus *Arabica*, quæ neutiquam eſt *dereliquit*; ſed *pexuit*, *carminavit* proprie: item improprie *diſcerpſit*, *laceravit*, &c. &c. Inde illuſtri *Figura* enunciatum

Splendida Metaphora.

Zeph. 2. 9. *Carminatio urticæ* i. e. *Locus ſenticetis horridus, ubi ſentes carminant, lancinant, lacerant veſtes, manus, pedes accedentium.* Sic *Græcis* ξαίνειν *Carminare* ſplendida *Metaphora* valet *lacerare. lancinare, laniare*, tam *veſtem*, quam *cutim*, & *corpus*: & καταξαίνεσθαι dicuntur, qui *urticis diſcerpuntur*. Qui talia capere nequeunt, iis Auctor eſſe auſim, ne unquam *Literali Explicationi Sacræ Scripturæ* manum admoveant, ſed in *Reali* potius omnem curam contineant, atque conſumant.

Diſcutiuntur cavillæ obmotæ.

Ad hanc porro *Radicem*, cujus jura tam liquida, reducere non dubitavi formulam inſignitam בן משק ביתי *Gen.* 15: 2. Quibus משק erat *dereliquit*, hinc tentarunt, *Filius derelictionis domus meæ.* Frigide, & inepte. Hoc ad שקק recurrere coëgit, indeque jam obtinet in *Verſionibus*, & *Lexicis*, *Filius diſcurſitationis domus meæ.* Ego offerre ſuſtinui, tanquam elegantius, & cum *Analogia* ſimul *Linguæ* congruentius, *Filius pectinationis domus meæ*, i. e. *procurator meus, qui univerſam meam Domum adminiſtrat.* Floſculus orationis debita luce perfuſus *pag.* 332. Cl. *Drieſſen.* nihil aliud hiſce reponit, quam ſuum illud ſolemne. „ *Quidni ſimplicius cum bene multis Lexicographis a* שקק *reddere „ liceat* Filius diſcurſationis domus meæ, *Oeconomus meus, omnium rerum mea-„ rum domeſticarum procurator, qui in curis & rebus domeſticis ſtrenue occupatus „ omnes domus angulos quaſi perreptat.*" Ego ex *Fullero* & hoc dederam, & aliud adhuc commodius, atque cum *Procuratoris* dignitate conjunctius. Fruſtra ergo illud *Quidni?* quod per aliud *Quidni?* refellere eſt. Quisque in ſuo ſen-

ſu

ſu abundet. Non agitur de loco iſto: ſed de *Juribus Radicis* משק. Eam ego *Hebræis* vindico cum poteſtate *pectinandi*: Cl. *Drieſſen* furcillis expellit: atque adverſus *poteſtatem primigeniam pectendi* ſic argumentatur. „ *Certe ſignificatus* „ *aliquis generalior requiritur, qui Scripturæ locis omnibus aptari poſſit. Et ſi* „ *ſecundum Arabes tam multis ſubjectis applicetur, Crinibus, lanæ, uberibus,* „ *corpori, nullus illorum ſignificatuum ſingularium eſt primigenius.*" Velim ſcire, quænam ſint illa *ſcripturæ loca omnia*: nam ſi משק *Gen.* 15: 2. & מֶשֶׁק *Eſaj.* 33: 4. ad שקק revocentur, unicus tantum ſupererit *Zeph.* 2: 9. *Carminatio urticæ*. Adeone non curat Cel. *Theologus*, quid calamo exeat, ſi modo mihi aliquid objeciſſe videri poſſit? Deſino; atque *Arabica* nobis *pectinare* ne pergat, etiam atque etiam rogatum velim Virum Clariſſ. ne forte incidat in pectinem meo hocce molliculo inclementiorem.

Repeto, quo olim *primam Claſſem defectuum* clauſi, atque iterum inculco, *me perpaucos tam anguſtæ mentis credere, ut hærere malint in ſalebris Anomaliarum, atque in dumeta correpere; quam in liberiora ſpatia Linguam Hebræam mecum educere.*

SECTIO III.

De Radice גלע

I.

Itur ad *ſecundam Claſſem*. Sic incipit *Sectionem* hancce Cl. *Diſſertator* & tamen ne verbulo quidem, in quo conſiſtat illa *Claſſis ſecunda*, indicat. Ut ſciatur ergo, quid & quale ſit illud, de quo controvertimus, verba *Par.* XLIV. ipſemet nunc excerpam. *Gradum promoveo ad ſecundam Claſſem defectuum. Ea complectitur* Themata *quam plurima, quorum fluctuat adhuc, in* Lexicis *ac* Verſionibus nempe, *ſignificatio, nunquam tranquillam ſtationem inventura auctoritatibus Lexicographorum, velut undis, ſemet deſtruentibus, & nunc huc nunc illuc nos impellentibus; niſi firmior quædam Ancora acceſſerit: tale inquam firmamentum ac pondus, quo ſolidius hoc in genere Literarum nec poſtulari debet; nec expectari poteſt.* Si dignitatem, gravitatemque, perſonæ ſuæ ſuſtinere voluiſſet Cl. *Diſſertator*, hæc ei *pericopa* convellenda, ac confutanda, erat. Oſtendendum, temerarium eſſe, & veritati contrarium, quod de iſta fluctuatione *Lexicorum*, ac *Verſionum*, confirmavi. Hic *cardo Quæſtionis*. Si id verum non eſt, quod de *Hodiernis defectibus Linguæ Hebrææ*, hac in parte, ſcripſi, publice retractabo. Atqui nihil certius, nihil evidentius. Hinc illa colliſio *Verſionum*. Hinc *Commentationum* pugna. Hinc infinita varietas, & diſtractio, quam

Secunda claſſis Defectuum &c.

Criti-

Criticorum Synopſis Polana, ad omnem *Verſiculum* ferme, concionatoribus ſacris offert. Ædificationi, credo publicæ conducit, ut illa fertiliſſima ad dicendum materies maneat; atque nunquam ad liquidiores rationes perducatur. Certe Cl. *Drieſſen.* quum *banc Claſſem Defectuum* non agnoſcit, quid aliud tandem agit, quam ut molem illam moleſtiſſimam *Variantium ſignificationum*, quæ per *Verſiones*, *Commentationes*, & *Lexica*, in immenſum excrevit, quodammodo *Sacram* reddat, ne unquam vel ex tempore Concionandi, & Commentandi, vena quemquam deficere queat.

Tria Salomonis dicta. II. Pro *Specimine* hujus jactationis, qua *Veteres*, & *Recentiores*, *Interpretes* circumaguntur, adduxeram גלע, tribus tantum locis *Proverbiorum* in *Hitpabb:* obvium. Lege quæ in *Opuſculo de Defect.* a *par.* 47 ad 52. latius executus ſum, & ſi ulla tibi reverentia publici, mecum aperte confitebere, ſine meliore luce, & auctoritate certiore, litem iſtam nunquam poſſe terminari. Eam tamen ſuo more decernit, & dirimit, Cl. *Drieſſen.* meliori illa luce, & auctoritate, quam ex *Arabum* certiſſimo uſu introtuleram, repudiata: hoc eſt mordicus retinet id, quod ſunm ei *Lexicon* ſine auctoritate idonea ſuggerit, atque inde ſe divelli non patitur. Fruatur ſuo genio: & ſinat me finire tribus dictis *Salomonis*, in quibus hanc ipſam *Radicem* pulcherrime applicuit. Primum eſt, *Prov.* 17: 14. לפני התגלע הריב נטוש *Antequam ad reſtrictos dentes veniatur, litem omitte.* Alterum *cap.* 18: 1. *pro libidine diſputat, ſeparatus & ſibi ſoli ſapiens; atque in omnem ſoliditatem dentes ſtringit.* Tertium, *cap.* 20: 3. *Gloria eſt viro manere ſine rixa: omnis autem ſtolidus dentes nudat, acer in contentiones.*

Indecora fluituatio. Hac appoſitiſſima imagine tria illa loca auxi. Dixeram in luſtrandis *Veterum Verſionibus*, LXX in duobus nil ſani dantes, *tertio tandem pedatu aliquid tolerabile edidiſſe*, πᾶς δὲ ἄφρων τοιούτοις συμπλέκεται. Adhæc Cl. *Diſſert.* meo me gladio jugulaturus: „ *Certe LXX uno ſaltem in loco, vel tertio illo pedatu*, verum „ ſignificatum *conſervant* ". Primigenium vult V. D. συμπλέκεσθαι *implicari in litem.* Mox tamen *permiſcere*, ſive *immiſcere ſe*, adſciſcit. Nempe *plicare* & *miſcere*, πλέκειν & μίσγειν, in *Metaphyſica* regione ſunt unum idemque, & quod *implicatur*, idem quoque *commiſcetur*; non *ſecundaria* tantum, ſed & *primaria* poteſtate, ſecundum utriusque verbi *proprietatem*, & *ſimplicem veram ſalem* ſignificationem. In poſterum ergo *plicare Vinum* dici poterit, pro *Miſcere.* At quid jam fiet de Cl. *Guſſetio*, qui התגלע ex *Metaphyſica ſua arte* donavit notione *cæco impetu ruendi?* Ni magna nomina ſuſpicerem, dicerem, cæco ſic impetu rui, & omnia ſusque deque miſceri.

SECTIO

SECTIO IV.

De Themate מחץ.

I.

In *ſecunda Claſſe ſecundum ſpecimen Thematis fluctuantis*, & firmiorem ancoram deſiderantis, poſui מחץ. Hoc in *Vulgata Verſione* redditur *percutere*, *transforare*, *vulnerare*, *confringere*, *intingere*, *conculcare*. Recte omnia, ſi ſenſum *ſecundarium* ſpectes: ſi *Originem*, & *Proprietatem Radicis*, non ſane recte, niſi apud eos quibus prava, & torta, judicia. Idem dictum velim de LXX virali copia, Στρωννύειν. θλίβειν. Παίειν. Θλᾶν. Συνθλᾶν, Πατάσσειν. Κατατοξεύειν. Βάλλειν. Βάπτειν. Appoſui. *Hæc omnia ut ſe improprie utenda præbent in unum eundemque ſenſum*, *atque* Archetypum *ſuum utcumque adumbrant*, *ita neutiquam ſat luminis inde redundat*, *ad* Naturam, *&* primigeniam vim, *verbi* מחץ *juſtis finibus terminandam*. Hoc qui negat, *Materiæ noſtræ* prima Elementa a ſe non intelligi clamat; atque *præconem* agit ſuæmet imperitiæ. Cl. *Drieſſen*. certe nihil omnino in his ſeſe videre, ſatis indicat, quum ita bellam hancce *ſectiunculam* exorditur: „ *Iterum vapulant interpretes quod non recte reddiderunt* „ *Radicem* מחץ. " An *vapulant*, quos omnibus modis relevo, *ſecundariam vim* non male expreſſam agnoſcens? An *vapulant*, quibus id tantum detraho, quod ipſimet a ſe nec intentum, nec expreſſum, ultro confiterentur. *Vapulant* a ſemet ipſis, qui tam incondita in *Orbem Eruditum* efferunt, & qui quum diſputant, quo de diſputetur, neſciunt. Oculos ſaltem aperuiſſet, quod *pag*. 341. ſubjunxi de *Forſteri*, & *Avenarii*, conatu ad חמץ *fermenteſcere*, recurrentibus, ut *proprie Radix* noſtra valuerit, *ſanguine fermentavit*, & *infecit*. *Cruentavit*. Vocavi hoc *fulgorem e pelvi*, qualem dant omnes illæ *vitreæ alliterationes*, quibus *Forſt*. & *Avenar*. perpetuo ludunt.

Alterum ſpecimen magnæ varietatis in una Radice.

Contrario fere niſu, ex diligenti Collatione, & inſpectione, locorum, vim *frangendi* adſtruere conatus eſt Cl. *Guſſet*. ſubtiliter ita differens in Comm. *Ling. Hebr*. ſub מחץ „ *Quamquam pleræque fracturæ*, *ac vulnera*, *in homine effuſionem ſanguinis comitem habeant*, *attamen in* מחץ *magis attenditur* vulnus ipſum, *quam* fuſus ſanguis: *ut Deut*. 33: 11. *in* lumbifragio: *& in antitheſi cum ſanatione*, *non cum deterſione ſanguinis*, *Job*. 5: 18. *Deut*. 32: 39. &c. &c. Eadem vis obverſata Cl. *Coccejo*, cui מחץ eſt *defligere*. Hoc iterum, pro *Origine* quidem, diſſonat, quamvis *ſecundario* ſenſu conſonet. Nempe aliud in *proprietate Linguæ* eſt *Fligere*; aliud *Frangere*. Qui iſtas ideas commiſcet, & confundit, eum *Muſæ* Humaniores furcillabunt, atque a Sacris ſuis manum abſtinere jubebunt, etiamſi *Logices*, & *Metaphyſices*, principatum ſibi vindicet.

Suave quid.

cet. Vide mihi jam exactiſſimam, & ſpeculo nitidiorem, *Originem* Cl. *Drieſſenii* „ מחץ *certe in genere ſignificat ut recte* STOCKIUS, *percutere ita ut integri-*
„ *tas rei, quæ percutitur, lædatur; ſive frangendo, ſive vulnerando, ſive pene-*
„ *trando, & transfodiendo id contingat, ſive alia quadam ratione id fiat* ". Ecquid cernis, & liquida luce liquidius diluceſcere ſentis, illud *primigenium, ſimplex, proprium, univerſale*, quod Cl. *Diſſertator de Veris Cauſis* &c. in *Titulo* Operis promittit. Merito itaque hanc cenſuram in me deſtringit. „ *Ergo*
„ *interpretes recte expreſſerunt totidem percutiendi ſicque lædendi modos: at V. Cl.*
„ *non acquieſcens, quod debuerat, alio ſe confert. p. 342.* ". Vides *Metaphyſicum* iterum *Artificium*, quo omnes omnium interpretum ſignificationes in unam maſſam univerſalem conſlantur, atque ad ſummam ſimplicitatem eliquantur. Sed quidnam nunc eſt aliud illud, quo me contuli pag. 342? En verba a Cl. *Diſſert.* excerpta. *Ne longum faciam, & quicquid Lectori tædium creare poſſet amputem, paucis concluſiſſe ſatis habebo, excuſſis omnibus textibus, ubi* מחץ *comparet, elucere graviorem quandam* vim feriendi, *cum* cruentatione percuſſi *conjunctam.* Hactenus Cl. *Excerptor*, qui hic planiſſume *Concerptor*, non meæ tamen, ſed ſuæmet *Originationis*. Sic nempe incredibili lumine, & acumine, *Critico* cenſuram inſtitutam concludit. „ *Sed hoc per ſe non ſignificat ver-*
„ *bum, ſed hoc ſaltem aliquando comitatur τὸ* percutere, *qui ſignificatus eſt pri-*
„ *migenius: deſignat quandoque quasvis* Caſtigationes *Dei ſive in* bonis, *ſive in*
„ corpore, *quæ piis etiam a Deo infliguntur Job.* 5: 18. *Quare quærendus* ſigni-
„ ficatus univerſalior *qui omnibus Scripturæ locis conveniat.* " Exiſtimat acerrimus *Criticus* ſe meam *Originem* reſcindere; quum ſuam ipſius concerpat atque conſcindat. Si dixiſſem, poſt ea quæ adverſus præſtantiſſimos *Lexicographos* diſputaveram, מחץ *proprie & primario* adferre *vim graviorem feriendi, cum cruentatione percuſſi* conjunctam, nimius profecto Nugator extitiſſem, & ludibrium deberem *Orbi Erudito*; quippe qui magno hiatu, & molimine, idem illud repoſuiſſem, quod tanquam *ſecundarium*, & *vagum* nimis, ſepoſueram. Quid differt quæſo, *gravius ferire cum cruentatione percuſſi*, quod Cl. *Drieſſen.* mihi nunc affingit, & tanquam mancum repudiat, ab illo quod Ipſemet promferat, Confirmatore *Stockio*, *percutere ita ut integritas rei lædatur & vulneretur?* Ludimurne, an ſemet illuſit Cl. *Diſſertator?* Ego quidem in *Opuſculo de Defect. pag.* 342. ſic uno halitu perrexi; *Hic eſt extremus terminus quo ex acerrima collatione ac contentione locorum inter ſeſe aliquis eniti queat. Ulterius procedere, & ex ſuo acumine, conjectandive artificio, conſignare velle fontem, unde iſta* gravis percuſſio & cruentatio *profluxerit, & qua ex* proprietate primigenia *Radicis Veteres Hebræi hanc* prægnantem metaphoram *derivaverint, eſt, ut libere dicam, nec materiam ſuam ſatis intellexiſſe, nec lubricum conjectationis, in hoc præſertim genere, rite perpendiſſe.* Quid dici potuit diſtinctius? Si non eadem pagina, eademque periodo, hæc ſubjeciſſem, excuſari forte poſſet Viri occupatiſſimi diſtractio. En aliam adhuc periodum ibidem attextam, qua illud *gravius ferire cum cruentatione percuſſi* ipſemet ut minus accuratum premo. *Ergo, ut conſequentiæ nodum adſtringam, reverentia Sacro Codici debita,*

Cl. Drieſſen. cum umbra pugnat.

Cl. Drieſſen. ſemet impugnat.

Lin-

Digitized by Google

Linguarum *omnium* indoles, *res*, *ac ratio*, *omnis*, *jubent*, *vel* uberius aliquid *circumſpicere*, *unde* defectus *farciri poſſit*, *vel intra ſuos ſeſe fines continere*, *neque unquam quicquam definitius de* primitiva poteſtate *noſtri Thematis pronunciare* &c. &c. Ecquid iterum clarius, diſtinctiusque, moneri potuit? Edat nunc velim *Diſſertator* noſter, cur mihi tribuat, quod difertim repudio: aut cur tanquam meum impugnet, quod ipſe ſuum eſſe voluit, verbis paululum modo immutatis. Edat quoque, cur ſub fine ſubnectat, „ *Quare quærendus ſignificatus Univerſalior*, *qui omnibus Scripturæ locis conveniat.*

An *quæri* vult, quod ipſe modo in medium dederat, atque ex *Stockio* præſentiſſimum ſtiterat? Non intelligo. Ego poſt longam *quæſitionem*, & *indaginem*, id jam olim in lucem protraxi, quod ſimplici veritatis ſigillo ita impreſſum, ut vel invitis aſſenſionem exprimere queat. Id non *pag.* 342. ſed ordine *Operis* ſic poſtulante, *pag.* 347. a me propoſitum ex uſibus *Radicis* מחץ مخض apud *Arabes*, quæ in *graviſſimis* item *ictibus*, *vulneribusque altius inflictis*, cum *fœda cruentatione*, frequentata, iſtam *ſecundariam vim* adſcivit *a jactatione urnæ*, *ſitulæ*, in puteo, *ad aquam bauriendam.* Ita dicunt, מחץ مخض الدلو הדלי *concuſſit ſitulam* in aqua, *hauſturus.* Hinc ſublimiore *Metaphora* מחץ valet *gladio in viſcera adacto cruorem hauſit*, ſecundum illud veteris poëtæ in *Moallekát* *Mea Originatio.*

فجبوناهم بطعن كما تنهز
في جمة الطوي الدلاء

Frontem iis hauſimus confoſſione, *prout concutiuntur*,
Profunda in aqua putei, *ſitulæ.*

Plura reperies in *Comment. Jobi*, *cap.* 5: 18. ubi etiam ex *Homero* adduxi:

Οὖτα κατὰ λαπάρην, διὰ δ' ἔντερα χαλκὸς ἄφυσσε

Vulneravit ad ilia; hauſit autem ferrum penitiſſima viſcera.

Nec non ex *Euripide* in *Rheſ.* 430.

Ἔνθ' αἱματηρὸς πέλανος ἐς γαῖαν Σκύθης
Ἠντλεῖτο λόγχῃ, Θρῄξ τε συμμιγὴς φόνῳ.

Ibi cruor condenſatus in terram Scythicus
Antlabatur haſta; Thraciusque, mixtus cæde.

An ne hæc quidem, quum *conſiderationes ſuas ad novam Verſionem Jobi* commenditaretur Cl. *Diſſertator*, ei ſub oculum venerunt? Nempe *Arabica non leguntur*, Sed an *ne Græca quidem*? O Belgium! O Academia patria! quorſum devenţum!

Digitized by Google

SECTIO V.

De Radice נגר

I.

Tertium ſpecimen.

T*ertium* mihi *Specimen*, in *Claſſe ſecunda* fluctuantium notionum, præbuit נגר, cujus *ſpecies Niphh.* & *Hiphh.* tantum in *Sacris* reſidua. Apud LXX. habes καταφέρεσθαι, καταπίνεσθαι. κατασπᾶν. Ἀθροίζειν. κλίνειν. & alia adhuc dilutiora. Apud *Vulgatum decurrere*, *dilabi*; *extendi*; *affligi*; *congregari*; *detrahi*; item *propinare*, *concludere*, *deducere*. Apud *Rabbinos* reperies, *effundi*, & *detrahi ex alto*. Poſterius ex cognatione cum גרר placuit *Forſtero*, cui נגר in *Kal* eſt *traxit*. Ejus æmulator *Avenar.* ſimiliter dat *extraxit*; item *extractus defluxit*, *decurrit*; inde imbre proclivius derivans *Græcum* ὑγρὸς; nec non κρουνὸς; quin & *Latinum*, *Curro*. Non multum hinc diverſus Cl. *Coccejus*, exhibens *manare*, *diffluere*, *effundere*; flexu *ſecundario* orta a *trahendo*. Pulchra ſunt, & admirabiliter ad guſtum Cl. *Drieſſenii*, quæ hinc arripuit *Stockius*, apud quem habes: „ נגר *in kal* manavit, *ſed non extat. In Niphh.* fluxit, defluxit „ &c. ידי נגרה *Manus mea diffundit ſe*; i. e. *plene & unice ad te expanditur*, „ *dirigitur* &c. *Metaphorice infert* 1. diſperſionem & trucidationem, ut *Pſ.* „ 63: 11. &c. 2. expanſionem & extenſionem: ut *Pſ.* 77: 3. *Uti enim res* „ *liquidæ recta petunt locum decliviorem*, & *diffundendo ſe dividunt in certos al-* „ *veos: ita manus orantis recta petit terminum quietis deſideratum*, *nempe Deum*, „ *ad quem digiti ſinguli velut quidam manus rivuli ſe extendunt* ".

Doctæ ineptiæ.

Ad tantam hancce, non jam *hæſitationem*, ſed *diſſipationem*, ſubjeci; *Linguam Hebræam ita habitam a ſuis Cultoribus temerariæ Criticorum calumniæ ſubjacere cœpiſſe*, *tanquam quæ vix* certum *quicquam* & conſtans *in plerisque ſuis Thematibus exerat.*

Genuina Thematis poteſtas.

Produxi deinde, ut maculam hanc quantocius depellerem, atque *Criticorum* audaciam refellerem, *Arabicum* نغر *Bullivit* olla; *bulliendo exæſtuavit*, & *efferbuit*, *cum ſonitu*, & *ſingultu.* Subdidi, noſtro ſeculo debitum exhibens honorem; *Hanc imaginem ſi demonſtravero* illuminare & exornare *paucula illa loca*, *quæ veſtigia hujus Radicis ſiſtunt in ſtructura ac ſerie aliquid* grandiſonum *exigente*, *perpaucos exſtituros crediderim*, *qui fruges inventas ſpernere velint*; *eo minus*, *quod recluſus hic fons novas nobis venas ſit ſubminiſtraturus*, *ad longe aliter de quibusdam textibus cogitandum*, *quam unquam cuiquam alias in mentem venire potuiſſet.* Acceſſi dein ad contextus ſacros, iisque illuſtrem *Figuram*, ex *Origine* noſtra efflorescentem, reſtitui. Ac primo quidem *Pſ.* 63: 11. *Jer.* 18: 21. *Eſech.* 35: 5. in formula הגיר על ידי חרב ineſſe oſtendi *Metaphoram* ſublimiorem *vulneris bullientis*, & *cum æſtu*, *ac ſingultu*, *ſanguinem eructantis.*

Pulcherrima figura.

Qui

Qui *Latinos* & *Græcos Auctores* non legunt, talia magno ſuo damno non intelligunt. Putabam tamen *truncum ſanguine ſingultantem*, apud *Virgil.* ſatis lucis vel imperitis præbiturum; ut & τραῦμα ζεῖ *vulnus bulliens*, apud *Heſych.*

Ad hanc ſplendidam *Metaphoram* reduxi, ſecundo, *Pſ.* 77: 3. ידי נגרה ולא תפוג *Manus mea* i. e. *Plaga mihi inflicta*, *bulliebat*, *nulla intercapedine ſingultandi.* Confer quæ ad *Job.* 20: 28. commentatus ſum. Adfine, ejusdemque granditatis *Thren.* 3: 49. *Oculus meus bullit* &c. Nempe *oculus* pulcherrime dicitur Ἀναζεῖν *ebullire*, quum *calidiſſimas exæſtuat lacrymas.* Mitto alia adhuc loca, quibus idem decus refudi. Qui quid *Stylus* ſit, quid *Eloquentiæ virtus*, non ignorant, ſtatim perſentiſcunt, quantum hinc Majeſtatis Orationi accreſcat: atque nil illuſtrius ullo cothurno efferri poſſe, mecum agnoſcent.

Non mirator talium Cl. Drieſſen.

II. Eſt cur credam, Cl. *Drieſſen.* ad hæc exempla vix oculum adjeciſſe. Certe nihil horum in *Excerptis* producit. Nempe hæc nihil ad Rhombum; vel talia quæ revinci non mereantur. Vide, quam ſecurus mecum congrediatur noſter *Diſſertator*, ſic ſectiunculam hancce aperiens. „ *Sollicitus eſt*
„ *V. Cl. de Vera notione Radicis* נגר *nobis reddenda ex Arabia. Non ipſi ſatis-*
„ *faciunt* Verſiones *neque* Lexicographi. *Etiam non* Coccejus *in Lexico*, *qui*
„ *dat*, *manare*, *diffluere*, *effundere. Sed ego non video quid hic ſit difficultatis.*
„ *Inſpectis*, *& probe perpenſis*, *locis omnibus*, *mox liquido fluit* ſignificatus pri-
„ migenius univerſalis, *ex eoque* ſecundario, *Recte* Stockius. *In genere* fluen-
„ di *vel* manandi *ſignificationem habet*, *quacumque ratione fluxus rei fiat. Hinc*
„ *metaphorice* diſperſionem & extenſionem *rei dicit. ita de* manu *Pſ.* 77: 3. "

Ejus conatus admirabiles.

Quanta cum dignitate pronunciatum illud, *Non ipſi ſatisfaciunt Verſiones*, *non Lexicographi!* Qui potuiſſent, tam diſſona tradentes, atque nihil exploratì ſe habere manifeſtiſſime indicantes? Dignius adhuc, *Sed ego non video*, *quid hic ſit difficultatis.* Non mea hæc culpa. Sed, inquit, Vir perſpicaciſſimus, *inſpectis locis mox liquido fluit ſignificatus primigenius* manandi; *ex eoque ſecundarii:* Itane tam *liquido?* Unde ergo illud divergium ſententiarum in *Verſionibus* ac *Lexicis?* Cur in re liquida recurſum ad נגר *traxit?* Cur jam quod reliquis *ſecundarium*, noſtro *Diſſertatori primarium?* Sed edat mihi velim *Originum Hebræarum* peritiſſimus noſter *Drieſſenius*, quid *Latinis* in *Origine* fuerit *manare*, quid item *fluere*; & qua *proprietate* duo hæc diſtinguantur. Hoc ubi fecerit, cum *Bullitu* meo in gratiam ſponte redibit; etiamſi nunc non ſine quadam indignatiuncula eam repellat, ſic pergens. „ *Sed quid no-*
„ *bis V. D. hic promit ex Arabia? Bulliendo efferbuit olla*, *ira*, *vulnus*, *uber*
„ ovium cum lacte ſanguinem mittens; *ovum* putridum. *Si de tam multis præ-*
„ *dicetur*, *ergo non de olla primaria. Cur heic*, *uti & alibi*, *illud præciſe* primi-
„ genium? *Cur non* ſanguis, ovis, ovum, *primas tenent? Hanc tamen novam*
„ *lucem*, *quæ nulla eſt*, *fœneratur ſcripturæ locis.* " Illuſtre ſpecimen *Logices Drieſſenianæ*, quæ omnem *Rhetoricam* præ ſe delet. Hæc me docuerat *Bullitum proprie* tribui *ollæ*, improprie *vulneri æſtuanti*; uſu etiam latius producto ad *res quæ materiam putridam ebulliunt.* Nunc diſco, *prius*, quin *primigenium*, eſſe poſſe *Ovis bullivit*, quum *ſanguinem cum lacte ſimul ex uberibus exæſtuat*; & *ovum bullivit*, quum *putridam reddit materiam*: atque hinc anſam datam *ollæ* bul-

bullienti figurandæ. Gaudeo, & *Clavim Originum*, quæ cum *vero Behemoth* & *Leviathan* uno in gradu conſiſtant, mihi in manum veniſſe tandem, triumpho.

SECTIO VI.

De Radice מסר.

I.

Tertia Claſſis. Itur ad *tertiam Claſſem Defectuum Hodiernorum.* Sic ego nunc incipio, nam Cl. *Drieſſ.* ordinem meum nec tangit, nec curat, amplius. Sub hac *Claſſe* ordino *Radices*, quæ *precaria*, *aliena*, *ſubditicia*, *ſignificatione*, ex fonte minus limpido, vel & manifeſto errore, hauſta, donatæ ſunt a *Lexicographis*. Quod *Originum pars prior* in talibus fere tota occuparetur, unum modo *ſpecimen* me adducturum dixi, *ex quo de pluribus ejusmodi conjectura capi poſſet*, *ſimulque perſpici, id genus quam latiſſime fundi debuiſſe.* Scilicet *Thema* מסר *duobus* tantum in *Unde orta ſit notio in Lexicis obtinens.* *locis* proſtat; *Num.* 31 : 5. 16. Quum nihil melius ſuccurreret, adſcita ibi a *Rabbinis* poteſtas *tradendi* ipſis perfamiliaris, atque in nomine *Maſoreth* domeſtica. In *Chaldaica Paraphraſi* etiam מסר ſubſtitui ſolet pro נתן *dedit*, & הסגיר *tradidit*.

Dilutus tamen, quin & parum concinnus, inde ſenſus exiſtit. Perpende quæſo gravitatem hujus ſeriei, *Vſ.* 16. *Ecce illæ fuerunt filiis Iſraëlis conſilio* *Ea dilutior, quam par eſt.* *Bileami*, למסר מעל ביהוה *in negotio Pehoris* &c. Ad atrocitatem illius ſceleris languet plane, *ut traderent defectionem.* Conſimiliter *vehementiæ*, & *animoſitati bellicæ*, non reſpondet, quod *Vſ.* 5. dari ſolet: *Accingi jubete e vobis viros ad expeditionem militarem*, *qui ſint adverſus Midianitas ad vindictam Jehovæ* &c. וימסרו *& traditi* ſunt *duodecim mille ſtrenuiſſimorum* &c. Qui *Veteres Interpretes* conſulere volet, aquam iis hæſiſſe depr‸ndet. *Recentiores* item ad aliena, & frigida, delapſi, aucupio literarum adfinium in *Radicibus* יסר, & אסר. Ut ergo *Linguæ Hebrææ* nativum rederem decus, ivi ad *Arabum* مشر *Turſit*, atque inde *Num.* 31: 16. converti; *ad Turgendum defectionem* illam *libidinoſam*; ſecundum formulam مشر للنكاح *Turſit in Venerem*, & fortius adhuc, figuratiusque, مشر النكاح *Turſit Venerem.* Hanc *ſceleſtam turpitudinem* ſeveriſſime vindicatam in *Midianitas* quum enarrare vellet *Moſes*, magnifice tranſtulit idem illud verbum, atque *Vſ.* 5. ex Eloquentiæ ſuæ nobili vena figuravit, *& turgidi facti ſunt duodecim mille viri*, *ſtrenui in bellum*; *miſſique ſunt ad expeditionem in Midianitas*, &c. &c.

Turgere. Ὀργᾷν. Si hæc nude ponerentur, non mirarer quorundam minus promtum ad talia ca-

Digitized by Google

capienda ingenium; ſed quod *Exemplis Græcis*, & *Latinis*, inſtructa eadem, ne ſic quidem adficiant, neſcio quid ſiniſtri portendit, quod ab *Eccleſia*, & *Belgio*, averruncet Deus. Oſtenderam videlicet apud *Græcos* eaſdem *Metaphoras* regnare ſub ὀργᾷν, cujus *primaria* poteſtas item *Turgere*, & *ſucco tendi*, ac *tumere*: ut apud *Herod.* L. 4. 199. Ὀργᾷ ἀμᾶσθαι καὶ τρυγᾶσθαι, *Turgent meti*, & *vindemiari*. Hinc inter alias *Metaphoras* ſuccreviſſe ὀργᾷν πρὸς ὁμιλίαν, & *abſolute* ὀργᾷν *Turgere in venerem*; nec non ὀργᾷν πρὸς πόλεμον; & præciſim, ὀργᾷν *Turgere in bellum*, *Tumere in arma*. Eo præter locum ex *Thucyd.* jam adductum, referri debet & alter hicce, διὰ τὸ ὀργῶντας κρίνειν τὰ πράγματα; *quia tumentes in arma de rebus judicabant.*

II. Ad hæc, ſuo more, graviter Cl. *Diſſert.* „ *Sed quæ ratio cur hic ſit ſignificatus primigenius? Ex eo tamen Scripturæ loca Interpretatur. Verum enim vero quis credat S. Scripturam ita loqui, & uno eodemque in Capite idem verbum tam diſpare ſignificatu induere?* ", Habes geminam interrogationem *peremtoriam*, qua nihil doctius. Priorem tamen non ſatis intelligo forte. Nec *Bellicum*, nec *Venereum Turgeſcere*, mihi ullo pacto *primigenium*. Quid ergo ferire voluerit V. Cl. non invenio. An fundamentum meum convellere voluit, & negare, مشر apud *Arabes primario* eſſe *Turſit?* Gravius adhuc illud, *Quis credat S. Scripturam ita loqui*? Ne hoc quidem quid ferat, feriatve, ſatis percipio. An dignitati *S. Scripturæ* non conveniunt hæ Phraſes, quibus nihil honeſtius, grandiuſque? Sed *uno eodemque in Capite idem verbum tam* diſpare ſignificatu *indui*, non concoquit Cl. *Drieſſen.* Experior *Styli* omnis, præſertim *Orientalis*, unicum Arbitrum: qui pati nequeat, ut *uno* in *Capite* idem verbum *duplici*, & *diſpare*, *metaphora veſtiatur.* Ut video, *falx* hæc *Critica* multam *Verſionibus* ipſis *racemationem* minatur: curabitque Cl. *Drieſſen.* ut non niſi *una ſignificatio unius* verbi *uno* in capite obtineat. Cur non & uno in Libro, ut ad ſimplicitatem ſimpliciſſimam cuncta revocentur, atque *Metaphoris* omnibus, & reliqua illa *farragine Rhetorica*, quæ tantum nobis negotii faceſſit, uno ictu abſolvamur?

Cavillatiunculæ.

SECTIO VII.

De Radice צרח.

I.

Sapienter iterum Cl. *Diſſertator* ad *ſectiunculam* hanc pergens, *Ordinis* mei nullam tenet rationem, atque ſatis habet copias meas fortiter profligaſſe, etiamſi quo titulo, ignoretur. Sciás ergo, deventum eſſe ad *Quartam Claſſem Defectuum*, quibus *Verſiones*, & *Lexica*, premuntur. Ea conſiſtit in *ſignificatio-*

Quarta Claſſis.

Digitized by Google

tionum diverſitate, *inconſtantia*, *diſſonantia*, *pugna* nonnunquam, quam *ignoratio primævæ ſcaturiginis* peperit. Hoc incommodi etiam eas *Linguas* gravat, quarum in magna copia verſamur, ne iis quidem exceptis, quæ cum maxime vivunt, florentque: ac proinde *Linguam* mortuam, & ad tantum inopiæ nunc redactam, multo magis adhuc *Defectui* huic obnoxiam eſſe debere, ut dubio vacuum aſſumſi.

Quid anſam dederit Ling. Hebrææ *Cavillatoribus.*

Inconcuſſum hocce Cauſæ meæ firmamentum quatiendum erat; arguendumque talem *ſignificationum diſſonantiam* vel non extare in *Lexicis*, vel nihil *incommodi*, *Defectusque*, inde ad *Linguam Hebræam* redundare. Atqui hinc potiſſimum a *Criticis* anſa arrepta, ad *Linguam Moſis* & *Prophetarum* pro *obſcura*, *ancipiti*, *confuſa*, *Homonymiis*, quin & *contrariis ſignificationibus*, perpetuo *diſtracta*, & *diſtrahente*, traducendum.

An non hoc nomine ipſe *Boblius*, ſub cujus vexillo militat noſter, pronunciavit, *Diſſert. prim. pro Formali ſignificationis eruendo;* tantam in *Lexicis* regnare confuſionem, *ut ne unum quidem Caput Scripturæ recte explicari queat;* atque *Opinioniſtas* vocavit, qui talibus adhærerent?

Genuina notio Radicis *ſtabilitur.*

Hujus *defectus* latiſſime fuſi primum *Exemplum* propoſui צדה, quod Cl. *Buxtorfio* in *Kal* eſt, *Studio quæſivit; venatus*, *inſidiatus eſt*, ex cognatione cum צוד In *Nipbh.* autem *Vaſtatus*, *deſolatus fuit*, ex *Dialecto Chald.* Fœcundum *Avenarii* ingenium a צדד, & צד *latus* fabricavit *primariam* vim *Laterandi*, a latere *inſidiandi*, indeque *Latinum inſidiari*, ob convenientiam duarum *literarum* joculariter derivat. Apud *Cocc.* reperies *intentionem habuit*, *quæſivit* ad noxam, in *kal:* affine τῷ צוד, & ζητεῖν. In *Nipph.* נצדה *Vaſtari*, e fonte *Chaldæo*, ubi צדא valeat שמם *vaſtus fuit.* Ad hunc calculum *primigenia notio* fuiſſet *tendere*, *intendere*, *intentione uti*, tum bona, tum mala, ad noxam. Incerta, & precaria, ut vides, omnia. Genuinam faciem *Radicis* hujus conſervaſſe *Arabes* ſub ſuo صدي צדי *Rubiginoſus fuit*, nemini dubium eſſe poterit, qui perceperit illud *Vaſtari* quod ad נצדה *Zephan.* 3: 6. explicandum a Viris Doctiſſ. merito aſſumtum, iſtam *ſecundariam vim* induiſſe a *Rubigine;* unde optime in *Lexico Caſtelliano Syriacæ* notiones ſic digeſtæ. 1. *rubigo*, *ærugo.* 2. *vaſtitas*, *deſolatio.* Grandiſſima inde *Figura* enunciatum a *Zephania*, *ad rubiginem redactæ ſunt urbes eorum*, *nemine inhabitante.* Id fortius adhuc, quam נשמו, quod ex *Origine* ſonat, *noxio halitu adflatæ*, vel *ſideratæ ſunt.* Jam vero *ſiderationem* ſeqnitur *Rubigo*, & *arborum*, *agrorumque ſquales*, *ſcabres*, *illuvies*, & *fœdiſſima vaſtitudo.*

Rubigivari *pro* penitus enaſtari.

Rubigo pro malignitate.

In hanc jam poteſtatem *Dialectorum* omnium ſuaviſſima *Harmonia* concinente, illiterati plane eſſet, ambigere, an & in *kal* צדה eandem vim obtinuerit; quum ea nihil aptius, digniusque, excogitari queat, ad loca omnia rite implenda: ut *Num.* 35: 20. ubi צדיה ſequitur שנאה *odium.* Si *intentionem*, *induſtriam*, *ſtudium* ingeras, fateare neceſſe eſt, omnia illa *Rubiginem*, & *Æruginem*, a me reſtitutam non æquare pro *Orationis figuratæ* colore, quamvis in eundem ſenſum exeant; quando *Ærugo pectoris*, in omnibus *Linguis* fere, ad *malignitatem inveteratam* transferri amat. Iterum *vſ.* 22. *ſine inimicitia ulla*,

la, & צדיה *Ærugine*; *Æruginoſi animi malitia.* Mitto reliqua, copioſe adſtructa, & illuſtrata in *Opuſc.* de *Defect.* p. 356—358. Quem talia non feriunt, neſcio quid ſenſus, guſtusque, habeat. *Latinis* exemplis *Græca* ſuccenturiatum veniant. *Æſchyl. Agam.* 843.

> Δύσφρων γὰρ ἰὸς καρδίαν προσήμενος
> Ἄχθος διπλοΐζει τῷ πεπαμμένῳ νόσον.
>
> *Malevola quippe rubigo cordi inſidens*
> *Onus duplicat ei qui morbo hocce imbutus.*

Iterum *Eumen.* 481.

> —— ἰὸς ἐκ φρονημάτων
> Πέδῳ πεσὼν ἄφερτος αἰανὴς νόσος.
>
> *Ærugo ex animis*
> *Terrâ cadens, intolerabiliter luctuoſus morbus eſt.*

Item apud *Diog. Laërt.* p. 319. ὥσπερ ὑπὸ τοῦ ἰοῦ σίδηρον, οὕτως ὑπὸ τοῦ ἰδίου ἤθους κατεσθίεσθαι τοὺς φθονεροὺς *ſicut a ferrugine ferrum, ſic a propriis moribus exedi invidos.*

II. Ad hanc figuram, tam nobilem, tamque ſingulare decus ferentem, omnia loca, in quibus noſtrum צדיה ſupereſt, faventibus *Orientis* & *Occidentis Muſis*, reduxi. Non patitur tamen Cl. *Drieſſen.* ita mihi aurem vellens: „ *Certe ex locis illis diſcere debuerat V. D. notionem* Rubiginis *non eſſe primigeniam, niſi linguam fingamus, cujus ſignificatus omnes primi ſint Emblematici; ſimplices & proprii ſecundarii* ". Jam video tandem, quorſum ſpectaret gravis illa commonitio, quam tetigi *pag.* 455. *Paragr.* V. Exiſtimat Cl. *Drieſſen.* me *Rubiginem* vel *odii*, & *invidiæ*, vel *vaſtitatis*, quam ſacris textibus intuli, *primigeniam* facere, unde *ſecundario* ſubnata ſit *rubigo* vel *ferri*, & *æris*, vel *ſatorum*. Atqui ipſa V. D *excerpta* hoc confutant; e quibus apparet principe loco *rubiginem*, vel *agri*, ad *vaſtitatem*, vel *animi*, ad *malignitatem* pingendam, tranſitum factum. Agamus *Belgice*, ſi forte *Latine* non intelligor. Roeſt eſt *vitium ferri*, *æris* &c. Id transfertur ad *corruptionem rubiginoſam*, tum *ſegetum*, *arborum*, *agrorum*; *ſideratione vaſtatorum*: tum *animi*, *odio*, *invidia*, *avaritia*, *infecti*. An ergo, ut ultimo tantum uſui inſiſtam, qui *Belgicam* phraſin, een gemoedt met roeſt beſet/ exponens, *animum invidia*, vel *avaritia*, *obſitum*, moneret proprie eam valere *animum rubigine obſitum*, *Emblematicam* fingeret noſtram *Linguam?* Iterum, qui roeſtige tanden *Rubiginoſos dentes*, a proprio uſu traductos ad improprium, explicaret *dentes veneno invidiæ tinctos*, eo quod *Rubigo* ad *invidiam* transferri amet, *Emblematicamne* fingeret noſtram vernaculam; in qua a *Rubigine impropria* ad *propriam* progreſſio ſit facta? Joculare. Et tamen ſerio hoc mihi adfingit Vir Clar.; ipſe huic vitio, ſi quis-

Cl. Drieſſen. a ſemet ipſo luditur.

quam,

quam, adfinis; quippe qui *ſerenum* in *animo* ſtatuat *primigenium*, unde *ſerenus vultus*, jure *ſecundario* fuerit derivatus. Redi ad *pag*. 472. ſupra.

Ejus pulchra Originatio. Pergit *Originum* indagator feliciſſimus. „ *Loca ſi inſpicis omnia* צדה *eſt* ſtu-
„ dio quæſivit, *& quia in malam partem ſumitur*, ſtudio quæſivit ad noxam;
„ *ut recte Coccejus. Sic eſt* inſidiari, venari, *& peſſimo propoſito, ac ſtudio*,
„ quæſitæ urbes ad noxam, *ſunt*, Urbes vaſtatæ צדיה *eſt* ſtudium pravum,
„ induſtria ſubdola, data opera nocendi. *Si vel hujus Emblema ſit* ærugo, *illa*
„ *detergenda eſt ſignificatui primigenio* ". Nil elegantius, limpidiusve, hiſce fontibus: e quibus *nativa pulchritudo Linguæ* in *Radice* צדה ita reſplendet, ut oculi præ fulgore hebeſcant. צדיה *ſtudium pravum, induſtria ſubdola, data opera nocendi*, in *primaria ſede*, non minus aciem præſtinguit. Radiat in primis clauſula; *ſi vel hujus Emblema ſit* Ærugo, *illa detergenda eſt ſignificatui primigenio.*

Hoc quid ſibi velit, ſolus explicare poterit, qui implicuit. Omnes ſcimus aliam eſſe *æruginem* propriam, aliam *impropriam*, & *Emblematicam*. Quid jam *detergeri* poſtulat Cl. *Diſſertator*? propriamne, an impropriam *æruginem*? Neſcio. Hoc ſcio: ſi impropria a multorum animis abſterſa eſſet, plus nitoris, & dignitatis, doctrinis Sanctioribus acceſſurum.

Pulchra præcepta. III. Necdum *Sectiunculam* finire licet. Aliquot ſpeciminibus *pugnantium ſignificationum*, quibus *Lexica* unam ſæpe *Radicem* implicant, adductis; intuleram *pag*. 355. 356. *Nodos hoſce, atque has ſalebras, nunquam expediendas eſſe, niſi aſſumatur præſentiſſimum, quod Arabia fert, auxilium, in qua proprietas, & indoles, antiquiſſima complurimarum Radicum feliciſſime conſervata ſit* &c. Huic illationi ita ſe opponit Noſter. „ *Hæc omnia id ſaltem inferunt, requiri* ſigni-
„ ficatum *aliquem* generaliorem, *ſub quem* particulares *illi, quamvis tam diſtin-*
„ *cti, cogi poſſint.* " Rectiſſime; & jam plane *Noſtrum*, atque adeo *Meum*, voco Cl. *Drieſſenium*. At mox *ſuus* iterum fit, ſic pergens: „ *Sed an ille erit*
„ *Metaphoricus? Neutiquam: ſed ſimplex: & ſi vel illum detegere non liceret*,
„ *ſatis eſt ex claris locis* particulares *illos* ſignificatus *teneri* ". Egone *Metaphoricum uſum* unquam feci *primigenium*? Nemo inde me alienior. Nemo iſti vitio affinior Cl. *Drieſſenio*. Sed jam perpende mihi digniſſimam *Theologo* vo-
Oraculum. cem: „ *& ſi vel illum detegere non liceret, ſatis eſt peculiares illos ſignificatus recte*
„ *teneri* ". Hoc tantundem eſt, ac ſi diſertis, rotundisque, verbis dixiſſet, *Nil opus Lumine ad tenebras diſcutiendas: neque eſt, quod de Hebræa Lingua ad ulteriorem ſplendorem provehenda ſolliciti ſimus.* Perſonam ſuam magnifice implet Cl. *Drieſſen.* atque juventuti *Academicæ* generoſum calcar ſubdit, quum talia præcepta, & Oracula edit. Jure etiam ſuo hæc ſuperaddit. „ *Quare*
„ *multum fallitur Vir Optimus, hos nodos, atque has ſalebras* (*nullos Ego no-*
„ *dos vel ſalebras video, neque vidiſſet V. D. absque illa luce Arabiæ ſi fuiſſet*:)
„ *expediri non poſſe ſine auxilio quod ex Arabia veniat* ". Cl. *Drieſſenio*, de ſe teſtanti, *nullos Ego nodos video*, non eſt cur fidem negemus. Quod adjecerit, *neque vidiſſet V. D. &c.* tum verum, ſi me *Hebraicam Linguam* vel ſuperficietenus delibare, vel ſine ullo judicio per totam vitam tractare potuiſſe, ſtatuat. Certe nullum adhuc reperi ſtudioſum paulo erectioris ingenii, qui non poſt *bien-*

nium

Digitized by Google

nium in his *Literis* poſitum, conqueri cœperit de illa perplexiſſima *diverſitate*, & *multitudine*, *ſignificationum*, quibus pleræque *Radices* in *Lexicis* diſtractæ ſunt, viciſſimque diſcentem diſtrahunt, atque *nodis*, *ſalebriſque*, *ineluctabilibus* implicant. Illuſtris pericope *ſplendidiſſima Coronide* decoratur. „ *Sanior* „ *Philoſophia ancillata locorum Scripturæ meditationi collationi*, & *longo uſu probata auxilia*, Verſiones & Lexica, *aſſumens*, *plus præſtat quam omnis Arabia*. Si dubitas, Lector, inſpice modo *Diſſertationem de veris Cauſis &c.* atque omni pagina, omnique adeo periodo, divinam hujus *Philoſophiæ ſanioris* vim perſentiſces. Confer, ni grave, Hiſtoriolam quam *pag.* 451. tetigi: atque *Literaturæ Hebraicæ* lætiorem hancce *Auroram Philoſophicam* mecum gratulator.

Aliud Oraculum.

SECTIO VIII.

De Radice שבח.

I.

Fluctus ſententiarum.

In *Claſſe Quarta notionum diſſidentium* ſub uno *Themate*, productum a me *pag.* 355. שבח, quod partim *laudare*, *celebrare*; partim *ſedare*, *compeſcere*, reddi ſolet. Ad *concordiam* inveniendam quid tentarint Doctiſſimi *interpretum*, ſtrinxi p. 358. Ex *Forſtero* attuli *Antiphraſin*, qua *provehere verbis*, *promovere laudatione*, in *contrarium* flecti cœperit, pro *reprimere*, *compeſcere*, *cohibere*. Creber in talibus argutiis Vir ille, qui inter *Fontes inventionis* ſuæ *contrarias ſignificationes* celebrat, *album* cum *nigro*, *lucem* cum *tenebris*, *bonum* cum *malo*, *Ens* cum *Nihilo* unam in ſedem cogens, concilianſque. Ex *Gejero* in *Pſalmos* adjeceram alium adhuc conatum *Antiphraſticum*, quaſi *laudare*, pro *deprimere*, *ſilentem reddere*, poneretur. Ex *Coccejo* aliquid plauſibilius appoſueram: ut *primarium* ſit *laudare*; *ſecundarium*, *laudibus ſedare*. Melius dare voluit *Guſſet*. ex eoque *Stockius*, quibus *Compeſcere* illud aſſumtum ab *effectu*, quod *laudabiles reddantur*, quorum *furor ſedatur*. Applica ad *Pſ.* 89: 10. *Fluctus maris Tu compeſcis*: proprie *laudabiles reddis*. Splendidum enim vero *Schema*! Ne placebit quidem, ſi quis *Linguarum* tibi uſus, ſenſusque, *Laudas fluctus ejus*, pro *laudando compeſcis*: ſed omnino aliud quid requiri, ad decus *Linguæ* tutandum, mecum recognoſces.

Origo Radicis hujus abeſt.

Oſtendi deinde pag. 359. *Originem* & *primævam poteſtatem* hujus *Radicis*, unde *conciliatio* pendeat, abeſſe; idque nemini mirum accidere debere; quum longe maxima *Radicum Biblicarum* pars, ſecundum naturam omnium *Linguarum*, ſub ea jaceat conditione: atque ibidem hanc conſequentiam adſtrinxi ad *Defectum* tam *palpabilem*, qui longe lateque regnet in *Lexicis* noſtris, vel

ſpem eſſe deponendam Linguæ Hebrææ ulterius reſtaurandæ, & perſanandæ, vel Dialectorum opem, lucemque, copioſiorem inferendam.

Cl. Drieſſ. non amat ſcopulos.

Hæc omnia, tanquam Syrtes, ſcopulosque, evitans Cl. *Diſſert.* tandem mecum in *Arabiam* navigat, atque ea *excerpere* incipit, quæ unde *profecta* ſint, quo *tendant*, quibusque *firmamentis* nitantur, nemo inde percipiet. Vel ſic tamen Veritatem ſeſe inſinuaſſe multis, crediderim: qui enim ad hæc non plane hebetes, *ex excerptis* hiſce dicam, an *ſcopis ſolutis*, non ſine voluptate percipere potuere, nihil ad *Concordiam*, quam quærimus, ſanciendam, & naturali copula firmandam, accommodatius inveniri poſſe, quam *Mulſit; permulſit*, quod ex *Arabum* conſtantiſſimo uſu produxi. Nempe etiam *Latinis* illud *mulcere* eſt *laudantis*, *celebrantis*, & *læto plauſu proſequentis*; itemque *fodantis*, & *manu miti* ſimul, ſimul *imperioſa*, *compeſcentis.* Hæc a *pag.* 359. ad 366. *Opuſc.* de *Defect.* materia eliciente, & blandius provehente, ita adſtructa, ut neminem, niſi *Muſis* noſtris iratis natum, a me diſſenſurum eſſe confidam.

Cl. Drieſſ. admirator Antiphraſeos.

II. Videamus interim, quomodo gradum hic tueatur fortiſſimus virorum, qui quum *lætus lubensque agnoſcat*, *ſi quam Dialectum Orientalem*, *præſertim* Arabicam, *Officium filiale Matri Hebr. præſtare*; hactenus tamen *nullus admiſerit lucem illa*, *qua ego*, *meique in orbe Literato Majores*, *utimur*, *Methodo in Matrem Hebræam infundi debere.* Redeatur ad *pag.* 450. ſupra. Ut ergo *Methodo* noſtræ ne latus quidem unguis concederetur, ad *Antiphraſin* recurrit Vir *Doctiſſimus*, eamque temere a J. C. *Scaligero*, G. J. *Voſſio*, aliisque imperitis hac in palæſtra Viris pro *nugaciſſimo commento Grammaticorum* exploſam, in priſtinam reſtituit poſſeſſionem, atque longo exemplorum agmine inſtruit.

Ejusdemque Reſtitutor.

„ *Significatus quos in Scripturis habet*, inquit, *contrarii videntur*, *& ſic ſub*
„ *unam* notionem communem *non cogendi. Hinc quemadmodum τὸ* ברך *ſignifi-*
„ *cat &* Benedicere, *&* maledicere, *non ſecus ac apud Latinos* ſacrare, *&*
„ imprecari, *ſic τὸ* שבח *dicit &* laudare, celebrare, *&* Ἐπιτιμᾷν *increpare. Con-*
„ *fer in N. T.* increpare *ventos*, *febrim*, *mare* &c. *Certe fruſtra laborant*, *qui*
„ *ſignificationum* Ἐναντιότητας *amoliuntur. Sunt illæ nimis manifeſtæ. Sic* חטא
„ *peccandi & expiandi*, קדשה *ſcorti & ſanctæ*, תאב *deſiderandi & abominandi*,
„ *in Piel. Ita forte & τὸ* ברא *creandi*, *in Piel ſuccidendi exſcindendi*, שרש
„ *radicandi & eradicandi*, סקל *lapidandi & lapides auferendi*, שור *devaſtatio-*
„ *nis & mammæ notionem habent. Quidni hanc claſſem augeamus Verbo* שבח?
„ *Quæ ipſe habet alludunt.*" Aciem cernis formidabilem. Arcem, unde

Antiphraſeos ſpecimina.

detruſa erat, recuperat, Ductore Cl. *Drieſſenio*, potentiſſima illa, & decantatiſſima, *Antiphraſis*, quæ tot *ſuaviludia* nobis peperit: ut *Bellum*, quia *minime bellum ſive pulchrum.* Item *Eumenides* & *Parcæ*, quia εὐφημῶς & *nomini Parcere* ſolitæ. *Otium*, quia *non ocius*, ſed *ſegnius*; & tardum. *Officium*; quod *nil minus quam officiat.* Denique, ne omnes haſce delicias ſimul effundam, *Miles*, eo quod *nihil molle*, ſed potius *aſperum quid* gerat. De his, aliisque, jam in *Orbe Erudito* judicatum, & deciſum. Adeatur G. J. *Voſſ.* L. 4. *Inſt. Orat.* p. 219, & *Sanct. Minerv.* L. IV, *cap.* 14. *Sacrum* pro *Sceleſto* quomodo ortum ſit, docebit ibi Cl. *Perizon.* Ad eam rationem קדש

ſa-

Digitized by Google

Moſtellum furcillatur.

ſacratus, pro *ſceleſtiſſimo ſcorto*, obtinuit. ברך non eſt *maledicere*, ſed per *Euphemismum*, *Benedicere*, & *Valedicere*, enunciatum, ut illud *Valeant qui inter nos diſſidium volunt.* Dixi ad *Jobi Cap.* 1. abunde. חטא *expiavit*, ortum ex חַטָּאת quatenus ſignat *ſacrificium pro peccato.* ברא *creavit*, & *ſuccidit*, *exſcidit*, per *Originem* ſuaviſſime conciliantur. Ea alibi prometur. Similis ratio verbi תאב: שׁד *vaſtitas*, a שׁדד, nihil commune habet cum שׁד *mamma*, a שׁדה. In שׁרשׁ pro *eradicare*, habes proprie, *Radicem percuſſit*; niſi malis *Radicare*, ut *pilare*, pro *pilos auferre.* Ad hanc legem סקל *lapides auferre*, *elapidare*, per Virtutem conſtructionis, ſine illo *moſtello Antiphraſeos*; quod niſi omnia conturbare volumus, in ſolas terras exportandum.

In ἐπιτιμᾷν, quod tum *celebrare*, tum *increpare*, *objurgare*, deſignat, nulla ἐναντιότης; ſed amiciſſima concordia, quam *Origo* præſtat. Vel hinc diſcere potuiſſet Cl. *Diſſertator*, quid diſtent æra lupinis. Si *taxandi* primigeniam virtutem acu tetigerit, & alteram illam aſſequetur. Sexcenta talia in omnibus *Linguis.* Materiam needum ſatis enucleatam, quantum ad *Orientalem* ditionem, unum, alterumve, Caput *Originum* noſtrarum majori luce perfundet; ut a ſermone *Hebræo* has quoque maculas, quas *Lexicographi* ei alleverunt, abſtergeamus; eique unam ubique pulcherrimam faciem reddamus.

Gravis objectio adverſus Originem noſtram.

Objectiuncula diluenda reſtat, quam Cl. *Diſſert.* ſub finem Sect. ſeq. demum movit; hic dixiſſe contentus, *quæ ipſe habet abludunt.* Ibi ſcilicet adjectum: „ τὸ שׁבח *compeſcere*, *non dicit* LENEM *mitigationem*, *ſed validam*; *neque* VIRGILIANUM illud MULCERE *dedit fluctus his locis recte applicatur: ne jam dicam* „ *illam Styli S. & profani comparationem ſæpe numero perperam inſtitui.*" Sentisne? Caſtiſſimus *Theologus* contaminari non patitur Sacros *Fontes* aſpergine illa e *Lacunis* profanis repetita. Faceſſat in poſterum odioſiſſimus ille apparatus *Græcæ*, *Latinæ*, *Arabicæ*, reliquæque *Literaturæ*; quo *Scripturarum* Interpretes felicius carebunt: quid enim *virtutis*, aut *pulchritudinis*, in phraſibus *Mulcere fluctus*, *Mulcere pectora*, *ſtimulata corda remulcere*, pro *ſedare molli velut manu:* itemque in formulis πραΰνειν κύματα *Mitigare fluctus*, & βαρυκτύπων δυπήματα βροντῶν *graviter ſonantium ſtrepitus tonitruorum mitigare*, pro *compeſcere?* Non *mulcens*, ſed *valide frangens* potius *Manus* ad talia quadraret, judicio Cl. *Drieſſenii.* Proh aciem *Criticam!* Alii mecum judicarent, *validius*, & *imperioſius*, eſſe, *Mulcere fluctus*, quam *frangere*; vel *vi compeſcere.* Interim ſuum cuique pulcrum. In eo de palma cum Cl. *Drieſſenio* non diſcepto.

SECTIO IX.

De Radicibus חלל, ערב, חלף.

I.

Alia ſpecimina Quartæ Claſſis Defectuum.

Quartam *Claſſem Defectuum Hodiern.* inſtruens, præter צרח, & שבח, propoſui שָׁמֵם *deſolari*, *vaſtari*; item *admirari*, *ſtupere*. שאה iterum *vaſtari*; *obſtupeſcere*; *conteri*. חלף 1. *tranſivit*, *permeavit*. 2. *mutavit*. 3. *inſtauravit*. 4. *ſuccidit*. ערב *Miſcere*, *dulceſcere*; *ſpondere*; *oppignerare*, *negotiari*; *adveſperaſcere*: cum derivatis עֹרֵב *corvus*. עֲרָבָה *ſolitudo*. עֲרָבִים *ſalices*. עָרוֹב *canina muſca*, ſecundum *Boch*. Denique חלל *tripudiare*; *confodi ac perforari*, *profanari*; *incipere*.

Operi de Originibus reſervata.

Quum tunc temporis *uno alterove ſpecimine* perfungi cuperem, illuſtratis *Radicibus* צרח, & שבח, reliquas *Originibus* meis reſervandas duxi. Id mihi nunc neſcio quid taxatiunculæ adfert: efficitque ut in hac *Sectione* ſolus Campum teneat Cl. *Drieſſen. excerpendi* & *refutandi* cura ſolutus.

Cl. Drieſſen. nullos cognitionis ſuæ Defectus agnoſcit.

II. Sic ergo incipit. „ *Vidimus ſuperius*, *quas moverit difficultates circa* „ *radices* חלף / ערב / חלל. *Mirum quod heic nihil opis attulerit ex* Arabia. „ *Sed opus non eſt: nihil laboramus adjuti receptis auxiliis*, Verſionibus *nempe* „ *&* Lexicis, *& ſano ratiocinio*, *quod utinam magis atque magis in Lexicis re-* „ *gnet*, *per omnem paginam lucem ſparſurum præ omni Arabia. Plures etiam* „ *ſunt ſignificatus diverſi*, *quam V. D. enumeravit*, *ſed omnes cogendi ſub ſuum* „ γεννητικὸν. "

Abundans luce, pro univerſa Ling. Hebr.

Defricor pro meritis, qui *difficultates moverim*, nec continuo *opem tulerim* ex *Arabia*. Ea tamen *ope* ſibi *opus* haud eſſe declarat Noſter: *nihil laborans*, ſcilicet, *Verſionibus* & *Lexicis* pulchre ſuffultus. Sed quid audio? an *ſanum ratiocinium* hactenus *omni pagina* a *Lexicis* exulavit? Id credere jam cogit ipſe *Diſſertator* noſter, egregie locatum illud *utinam!* interſerens; & *ſani* ſui *Ratiocinii*, *Metaphyſici* nempe, *facem* ad *omnem Lexicorum paginam* in poſterum admoveri diſcupiens. Quantum inde veri luminis in *univerſam Linguam Biblicam* ſit infundendum, *Originationes*, quas luſtravimus, in *Orbis Eruditi* oculis defixere. Hæc *ſectiuncula* tria ſuperaddidit *ſpecimina*, in quibus mea opella jam non ulterius deſiderabitur: nam ex *Stockio* promit Vir ſagaciſſimus, quid in *Origine* valuerint *Themata* חלף / ערב / & חלל; aliquid de ſuo etiam interſpergens; atque denuo me in tranſitu ſtringens, *quod nullas ex Arabia attulerim ſuppetias*. Scilicet deficiunt hic noſtri *Fontes*; & Cl. *Drieſſen.* in liquida natat luce. Non committam, quum noſtra nos ſeries, in *Opere de Originibus*, ad

ad *Radices* illas perduxerit, ut ad tantum ſplendoris oculos clauſiſſe, debitaque laude fruſtraſſe Cl. *Diſſertatorem*, reperiar.

SECTIO X.

De Radicibus קלם , עלם , עצב , מרח.

I.

Conſpectus quintæ Claſſis.

Deventum eſt ad *Quintam Claſſem Defectuum*. Cl. *Drieſſen.* bene cavit ne de *Ordine* meo quicquam conſtaret. Non conducibile quoque Ei viſum, *Claſſis* hujus munimenta ſub conſpectum dare, incipiens *Sectionem* hanc a *pag.* 368. quum a *pag.* 366. debuiſſet. Monetur ibi, magnam copiam extare *Radicum*, quarum *exterior* quidem *adſpectus*, *uſusque ſecundarius*, *ex ſerie Orationis*, & locorum Collatione, *potuit attingi*, *ſed ad quarum* definitam proprietatem, & genuinam vim, *nulla acie penetrari potuerit*, *neque unquam penetrabitur*, *niſi* Dialectorum lumen *inferatur*. Hanc aſſertionem meam ſic adſtruxi, & adſtrinxi: *ut hoc quale*, *quam lateque ſe extendat*, *intelligatur*, *attendi velim ad id*, *quod nemo ſenſu communi modo præditus*, *leviterque literis tinctus*, *negaverit*: *in omnibus Linguis* primævum Fontem *diſtingui debere* a rivulis, *id eſt* primariam notionem a ſecundariis uſibus; *nihilque difficilius*, *etiam in Opulentis* & Copia Librorum *florentibus Linguis*, *quam* primigeniæ Originis *indagationem*.

Defectus *hujus gemina cauſa.*

Adjeci, quod minime omnium prætermitti fas erat, *hanc difficultatem duabus de cauſis maxime premere Linguam Hebræam*: quarum *prima*, quod *anguſtiſſimis cancellis unius Libri* nunc incluſi ſimus: *altera*, quod *Criticorum* & *Grammaticorum Veterum*, qui vivente, & ſpirante, adhuc *Lingua* fuerint, *annotationibus* in totum deſtituamur.

Simili illuſtrata.

Propoſui deinde caſum in *Thucydide*, & *Euripide*; qui ſi ſoli ad noſtras manus perveniſſent; omni reliqua *Lingua Græca* extincta, negavi quemquam per attentiſſimam *inſpectionem*, & *collationem Locorum*, unquam *Auctores* illos in omnibus ſatis intellecturum; multo minus ad omnem profunditatem, gravitatemque, Orationis eorum, quin & *primigeniam vim* verborum, quibus utuntur, penetraturum eſſe.

Cl. Drieſſen. *nihil horum attingit.*

Quid Cauſæ dicam, quod nihil horum *excerpere* dignatus ſit Cl. *Diſſertator*? An hæc non conſtituunt proram & puppim hujus *Claſſis quintæ*, per univerſam *Linguam Hebræorum* diffuſæ? Quid? an non hæc ipſa directe *Fundamenta Drieſſeniana* impetunt, atque convellunt? Cur me ergo impugnatum venit, qui oppugnationem hancce meam graviore armatura depellere, & confutare, debuiſſet. Nimirum Caſtris exutus, cladem diſſimulat, & dum ab-

abjecta non bene parmula in pedibus ſalutem quærit, pugnantis ſpeciem præbere pulchrum duxit.

Ejus generoſitas & perſpicacia.

II. Diſcerpere ergo mea incœptat ſtrenuiſſimus pugnator inde a *pag.* 368. 369. Initium facit a *Radice* מרה, quæ in *Lexicis* rectiſſime exponitur *immorigerum*, *refractarium*, *contumacem*, *pervicacem eſſe*: *rebellare.* Oſtendi omnia eſſe *ſecundaria.* Et hoc ſupprimitur a *Diſſertatore* noſtro. Indicavi deinde p. 369. 370. 372. primariam vim *ſtringendi*, unde *obſtrigillare* pro *rebellare*, *contentioſe* & *contumaciter reſiſtere* ſit deductum. Nihil evidentius pro iis qui oculos habent, nihil convenientius pro iis qui non ſurdo, vel abſurdo, ſunt palato. Aliquid ſenſiſſe videtur Cl. *Drieſſen.* nam ſemi—noſter eſt, & levicula hacce ſtrictura ad omnia mea defungitur. „ *Patet ſignificatum ſimplicem eſſe* „ obſiſtere, *quod ſit variis modis*, *unde* primogenius *non eſt*, *quem vult V. Cl.* „ *Quia tamen & ſignificatus* ſecundarius *eſt* ſtringere &c. *hinc* מורה novacula „ *uti V. Cl. habet*". Ecquid cernis *ſemi—noſtrum* factum Cl. *Drieſſen.* Admittit jam ex *Arabia* in *ſolum Hebræum* illud noſtrum *ſtringere*, & *Subſcriptorem* ſeſe mihi præbet ad מורה *Novaculam*, a *ſtringendo* ſic dictam. Contendit tantum *prius* eſſe, & *primigenium*, *τὸ obſiſtere;* atque inde *ſtringere* notionē *ſecundaria* profluxiſſe. Totus *noſter* fuiſſet Vir Doctiſſ. ſi ad Vernaculum Wederſpannig zyn reflexiſſet. Qui *obſtrigillant* talibus, *luci* ipſi *rebellant.*

Alia ſtrenuitatis indicia.

III. Ante, quam a מרה ad עצב pergerem, *quatuor Obſervationes* alicujus, forte, momenti, interſerueram, quibus *Syſtema* meum ſupra omnem dubitationis aleam collocatur. Eæ a *pag.* 377. ad 379. inculcatæ.

Has parum *ad rem*, utique non *e re ſua*, facere judicans Cl. *Drieſſen.* ſaltum dat in *Radicem* עצב, cui addidi *primitivam* vim *arctius ligandi*, ſive *conſtringendi*, ut inde uſus *ſecundarios*, qui ſoli in *Sacris* reſidui, illuſtrarem, atque ad nativam *Emphaſin* revocarem. Hi duo ſunt potiſſimum, *dolore adficere*, & *nervis adſtringere*, *colligare.* Hæc a *pag.* 379. ad 384. diſtincte enucleata, & comprobata. Conferri etiam velim, quæ nuper in *Comment. Job.* 10: 8. diſcuſſa. Ad hæc Cl. *Drieſſen.* acutiſſime: „ *Quia verbum etiam* efficere *notat*, *notio univerſalis infert* operationem difficili cum cura, moleſtia, laborioſe cum dolore quid fingere. *Hinc de Deo ἀνθρωποπαθῶς uſurpatur. Vel in* „ *genere* laborioſe quid facere; *quod apud homines ſæpe numero cum* moleſtia „ *&* dolore *conjunctum eſt.*" Si non penetres, forte, in acumina hæcce ſublimiora, en ordinem ex *Logicæ* & *Metaphyſicæ* meditullio depromtum. *Primaria* notio, *efficere difficili cum cura.* Hinc, ſi de *homine* agatur, *dolor*, & *moleſtia.* Inde porro, *dolore* & *moleſtia adfecit.* Sentis ad unguem expolita; unde *Linguæ Hebrææ* magnificum & vere Divinium decus adſtituatur. Illam univerſalem ſignificationem *efficiendi* ſundat V. *D.* in *Job.* 10: 8. ubi ego, *Manus tuæ me nervis colligarunt*, *& fecerunt me.* Nervoſius ipſe, *Manus tuæ effecerunt me*, *& fecerunt me:* vel &, *laborioſe cum dolore effecerunt me;* ἀνθρωποπαθῶς. Ne dubita; „ *nam vox generaliorem habet ſignificatum; non dicit hoc* „ *per ſe*, (nempe quod ego obtrudo) *hinc illud addi debuiſſet. Verbum noſtrum* „ *ſaltem dicit* cum ſtudio & cura formare, & elaborare. *Singulare illud ſi* „ *diceret quod vult V. Cl. cur hoc repetitum fuiſſet Vſ.* 11." Hoc vult ſubtiliſſimus

Digitized by Google

mus *Criticus*; עצבו *Job.* 10: 8. non valet, *nervis artificioſe colligarunt*, quia tunc *nervi Vſ.* 11. fruſtra repeterentur, ſed generalius ſignificat, *cum dolore*, i. e. *ſtudio & cura formavit.* Nunquam ſenſi aciem ſecantiorem. Sed ſciatur meam *Originem* contentam eſſe *Corporis ligatura*, & *artificioſa contextura*, prout معصوب *Colligatus*, ſpeciali uſu ſignat *Eleganti corporis ſtructura* & *Symmetria præditum.* Hanc *colligationem* non concipiet, *ſine nervis*, niſi cui nervus ratiocinandi inciſus.

Nova lumina & acumina, ejusdem.

IV. Acceditur ad *Radicem* עלם, cujus *ſecundariam notionem*, quam *Lexica* exhibent in *abſcondendo*, *occultando*, derivari a *primaria ſignandi*, *conſignandi*, *obſignandi*, σφραγίζω: indeque עלמה *virginem ſignatam* ex *Origine* ſonare, ad confutationem & confuſionem *Judæorum* adſtruxi. Alia multa interioris elegantiæ ad illuſtrationem ulteriorem hujus *Thematis* expromſi. A *pag.* 384. ad 396. nimis, vereor, multus, in hiſce, tædioſusque fui multis: certe Cl. *Drieſſenio*; qui ſe omnia legiſſe nunquam fatebitur, niſi ſimul confiteri glorioſum autumet, ſe *præcipua demonſtrationis* meæ *lumina* excerpendo intercepiſſe.

Faſciculus elegantiarum.

En capitalem Viri Criſin ad paucula, quæ oculo fugitivo ſtrinxit: „ *Sed ubi* „ *τὸ ſimplex* occultare *in* obſignare *convertit*, *etiam in ſimplice narratione Hiſto*- „ *rica*, *eſtne in eo major elegantia? Omne in* obſignare *eſt etiam* occultare *quid*; „ *ſed non vice verſa omne* occultare *eſt etiam* obſignare. *Sed primo*, *nulla ratio* „ *cur τὸ ſimplex* occultare *commutetur cum* obſignare. *Simpliciſſimus ſignificatus* „ *in Kal legitur Pſ.* 90: 18. *nempe* latere, peccata *dicuntur* latentia. *In Pi*- „ *hel* &c. Occultare. *Sub hanc notionem* univerſalem *loca omnia in quibus le*- „ *gitur amice concurrunt. Significatus igitur* primigenius *eſt generalior.* Ob- „ ſignatio *ſaltem eſt* occultandi modus *aliquis.*" Ne verbulum quidem mutare, vel mittere, auſus ſui, ne *ſanum* iſtud *ratiocinium* ſuppernaſſe viderer. Illud totum in Caput Ratiocinatoris recidit, ejusque cauſam jugulat. נעלם & העלים nuſpiam *in narratione Hiſtorica* occurrunt *ſimpliciter*, ſed ſemper *figurate.* Sic 2 *Reg.* 10: 3. לא היה דבר נעלם *nullum omnino verbum* OBSIGNATUM *fuit Regi*, *quod non expoſuerit.* Adhuc *figuratius* exit 1 *Sam.* 12: 3. *E cujus manu ſumſi pretium*, *ut oculos ei meos* OBSIGNAREM. Cl. *Diſſertatori* ſuum *abſconderem*, *occultarem*, lubenter relinquimus: nec de *Elegantiarum guſtu* cum ipſo digladiabimur. Sequens membrum item pro me militat, arguitque, longe fortius quid ferre *obſignationem* quam *occultationem.* Ergo, tertio, *Pſ.* 90: 18. non ſimpliciter *latentia peccata*; ſed *ſignata*; & *ſigillo* velut *clauſa*, atque *abſcondita.* Plura talia reperies p. 390. Quarto denique *occultandi modus* ille, quem in *obſignatione* agnoſcit Noſter, eſt ipſe ille, quem *Origo Radicis* adfert, quemque Loca S. *Scripturæ* manifeſtiſſime exigunt.

Valida inſtantia.

Pergit potens *Argumentator*: „ *Quomodo* Adoleſcentem *ab hac voce deducat vide* „ *p.* 390. &c." Nimis properabat Viri Doctiſſ. oculus, in pagella iſta percurrenda, non enim *Adoleſcentis* Etymon *Hebraicum* ibi pandimus; ſed uſum cothurnatum verbi התעלם *Job.* 6: 16. a עלם *adoleſcente* novati, indagamus: *adoleſcentiari*; pro *juvenili impetu ferri*, in *Aquis torrentibus.* Sic Ἡβᾶν apud

Tra-

Tragicos dicitur *ſeditio*, *malum* &c. In *Comment.* ad *Job* plura. Id tamen non nimis fidenter tenuerim; melio*r*ique luci facile donarim. Putabat ergo properabundus noſter *Diſſertator*, me *Adoleſcentem* עלם dictum voluiſſe ab *Adoleſcentiari*, *juvenili impetu ferri.* Infert propterea: „ *Sed quidni longe ſim-* „ *plicius*, *cujus vivendi tempus adhuc* obſcurum *ἄδηλον eſt*, *qui in publico non-* „ *dum verſatur?* " Scio *Stockio*, quin & *Coccejo* noſtro, tale quid placuiſſe. Si *Veriverbium* ſat ſolidum videatur, nihil inde mihi decedet, qui נעלם *ſignatum*, pro *occulto ἀδήλῳ* non ſane repudio, ſed fortius intendo. Malim tamen *Adoleſcentem* a *ſignata ætate* dictum, ut proprie deſignet *eum cui illibatus* adhuc *honos virginitatis.* Iſte *ſtatus* עלומים *adoleſcentia obſignata* honeſtiſſime dictus. Inde & עלמה *Virgo*, *puella ſignata.* Nihil verecundius opinabar. Aliter judicat Cl. *Drieſſen.* „ עלמה *Virgo recte dicitur ab* occultando, *neque opus eſt* „ *quæſita alia metaphora*, *quam prudens ex V. D. non repeto.* " Suſpicareris neſcio quid turpe a me productum, quod prudentia velare jubeat. Quod prudens, & verecundus, ergo tegit V. Cl. ego denuo ſub conſpectum dare non verecundabor; ad Oraculi controverſi, Fideique noſtræ, ſplendidiſſimum decus: *Ecce* VIRGO SIGNATA *concipit*, *& parit Filium.* Cui hoc minus caſtum, is ſolem ipſum ne vituperet, metus eſt. Ceterum ut ad *Origines* pandendas *Diſſertatorem* noſtrum paululum acuamus, proxima occaſione mihi dicat velim unde *Latinum* illud *Latere* fluxerit: unde item *occultare: tegere*, *abſcondere*, &c. ut videat *Orbis Eruditus* quid expectandum habeat, quum ad *Radices*, צפן & /סתר / ספן / סכך / כסה / כתר / טמן / חבא manum Noſter admovebit.

Cenſura pulchre locata.

Suavis Originatio.

V. Paucis expediendum reſtat קלם. De hoc *Themate* nunc dabo tantum, quæ Cl. *Stockius*, ad quem toties nos remittit Cl. *Diſſertator*, in lucem edidit. „ קלם *Laudavit*, *celebravit apud Chaldæos & Syros.* *Sed quia ironice laudare &* „ *celebrare ſpeciem* illuſionis & ſubſannationis *habet*, *inde apud Hebræos ſignifi-* „ *cat* illuſit, irriſit, ſubſannavit, *contemſit*, *vilipendit extenuando*" Vide mihi *Origines* pulchras. Apud *Hebræos* קלם indubitatam tenet poteſtatem *ludificandi*, & quidem *contumelioſiſſime*, pro evidenti ſerie, & *Emphaſi* locorum *Pſ.* 44: 14. *Jer.* 20: 8. *Eſech.* 22: 4, 6. 2 *Reg.* 2: 24. *Hab.* 1: 10. Hæc ſignificatio inveniri nequit, niſi eatur ad *Dialectum Chaldaicam* & *Syriacam*, ubi poteſtas *celebrandi* obtinet: quam *Hebræi* perpetua *ironia* in *ludificationem* & *ſubſannationem* converterint. Si ex *Arabia* tales *Originationes* adferrem, riderer ſane, & quidem magno meo merito. Nihil *Ironicum* in textibus allegatis. Inſpice modo *Pſ.* 44: 14. *ponis nos opprobrium* חרפה *vicinis noſtris*, לעג וקלם *ſubſannationem & ludibrium circumſitis noſtris.* Redde *ſubſannationem*, *& celebrationem*; & vide an *ironiam* tuam inficetam non riſuri ſint, quibus acetum in pectore. Par ratio reliquorum. Non potui ergo non a tam precaria, coacta, frigida, *Origine* reſilire, atque ad dignitatem *Linguæ Biblicæ* tuendam proferre quod *Arabia* offerebat ſub قلس *κλύζειν* ex genere *ὀνοματοπεποιημένων*,

קלם inter nomina a ſono fabricata.

ad

ad *undantis aquæ ſonum* exprimendum. Hoc honeſtiſſime tranſlatum ad *vomitionem:* unde iterum graviter & digne gradus factus ad *contumelioſiſſimam ludificationem*, quam exempla *Biblica* oculis ingerunt: quatenus *conſpuere* & *convomere aliquem* in omnibus *Linguis* ſic traducuntur: niſi quis formulam *evomere convitia* magis reſpiciendam arbitraretur. Rem paucis tetigiſſe contentus, finivi in קיקלון *Hab.* 2. 16. quod vi compoſitionis infert *convomitionem ignominiæ*.

Expenditur locus Ezechiel. 16: 31.

Ex hac jam *Origine Thematis* noſtri expedire conatus fui locum *Eſech.* 16: 31. ubi impeditos hærere Doctiſſimos Interpretes animadvertebam; aliis dantibus, *non fuiſti ut meretrix laudando munus*; aliis, *vilipendendo*, *ſubſannando* &c. Poſterius hocce ad meam mentem eſſet, *convomendo*. Vocabulum aptiſſimum *perſonæ*, *vitæ*, *indoli*, *meretriciæ*. Aliquid exquiſitius tamen nos habituros judicavi, ſi daretur *vomere faciendo munus:* quod *inſatiabiles* illæ *Harpyiæ* identidem *amatores argentum vomere* cogant. Adjeci, *formulam* videri in hoc negotio ſolennem, in qua partim ſpectetur *copia effuſa*, dum *præceps in largitiones manus aurea dona vomit*, ut *Poëta* loquitur; partim *extortum* illud, quo non ſine aliqua *concuſſione ſtomachi datare* coguntur miſeri amatorculi.

Delicata Cl. Drieſſ. *Criſis.*

Vereor ne quum hæc legeret Cl. *Drieſſen.* concuſſiunculam paſſus ſit ad Stomachum, & clamaverit, δότε μοι λεκάνην: ſic enim mihi caput lavat: „ *jam vi-* „ *des V. D. quam quæſitas merces ex Arabia advehat. Mirificus eſt ille* vomitus „ argenteus. *Iterum a notione primigenia aberrat.* Conſpuere convomere *ſal-* „ *tem modus aliquis illudendi ſubſannandi contemnendi: etiam* ſpuere & vomere, „ & conſpuere *diſtinguenda ſunt*, *non omne* ſpuere *eſt* vomere. *Maneat igitur* „ *ejus ſignificatus apud Chaldæos & Syros* laudavit & celebravit: & *ſignificatus* „ *oppoſitus* illuſit, *vel* ironice laudavit ". Ad *Antiphraſin* ſuam recurrit Elegantiarum unicus Arbiter; mercesque noſtras ex *Arabia* ita reſpuit, tanquam quæ non aliis ſolum, ſed & mihimet faſtidium movere debeant. Et quid tandem faſtidioſi habet, aut mirifici, ille *vomitus argenteus*, per verbum honeſtiſſimum κλύζειν enunciatus? An non oſtendi *Eloquentiæ Sacræ* & *profanæ* principes ita locutos? Plane quid ſibi velit hæc *Criſis* delicatula, non invenio. Reliquas delicias, quas in diſcrimine inter *ſpuere* & *vomere* tradendo facit Doctiſſimus *Originator*, lubens ei relinquo; ne & nos viciſſim concuſſiunculam ſtomachi patiamur.

SECTIO XI.

De Radicibus גדל, חכם, צדק.

I.

Amica Cl. Drieſſen. *cura.*

In arenam mirabundus proſilit Cl. *Diſſertator*, ita *Sectiunculam* hanc aperiens: „ *ſecundum V. Erud.* Arabismus *non tantum lucem infundit dubiis & perplexis*, „ *ſed quod mireris illis etiam quæ majus lumen requirere vix cuiquam in mentem*

„ ve-

„ *venire poſſit: Sic ut & hic notabilem Defectum deprendat. Hoc evincent tria*
„ *Themata* &c. ". Amiciſſime curat V. Cl. ut mortalis temerarius, atque in-
eptus, videar iis, qui ad ſcripta mea propter divergium vel ſtudiorum, vel a-
nimorum, ac ſententiarum, non accedunt.
Liceat ergo alium mei conſpectum candidis Lectoribus præbere; *ordinemque*
ſimul *Claſſium* indicare: ex *pag.* 400. 401. *Quinta claſſe Defectuum decurſa,*
Sextam *ingredior*, *longius adhuc diffuſam*, *ſeque extendentem ad* Radices *etiam*
vulgatiſſimas, *& ſexcentis in locis contritas*, *quarum tamen* Origo, & *antiqua*
illa ac genuina indoles, *ex relliquiis Biblicis nec elici hactenus potuit*, *quicquid ſat-*
egerit præſtantium ingeniorum induſtria, *nec ſane unquam elicietur*, *atque in li-*
quida luce collocabitur; *niſi ad* Dialectos *divites accenſa facula præluceat. Speci-*
mina nobis in hoc curſu perſtringendo exhibeant tres Radices late per Sermonem Bi-
blicum regnantes &c. &c. Deterſa, ut ſpero, ineptia, & invidia, eſt, qua
me abruptius illud exordiolum adſpergebat. Nihil in illis meis eſt, *quod quis*
miretur, ac non potius continuo approbet, niſi qui *Literis Humanioribus* vix
labra proluit; vel poſtea ita gravioribus Doctrinis fuit occupatus, ut ad minu-
tiores haſce curas noſtras nunquam ſerio attenderit. Potuiſſet Cl. *Drieſſenius*
in poſteriore ordine, cui nihil detractum volo, cenſeri, niſi Scriptionis hocce
genus aggrediendo, ſe hac in palæſtra veterem quoque, & conſummatum,
probare voluiſſet. Quid? *Miraturne* noſter *Diſſertator*, quod *Originem Vulga-*
tiſſimarum etiam *Radicum* ſæpe minus compertam, & introſpectam, dixerim?
Edat ergo mihi ex tempore, quid in *Origine Latina* ſit *Examen peremtorium.*
Quid *Exemplum.* Quid ipſum *Cogitare*, *Conſiderationes ſcribere*; *Diſputare*, *Diſ-*
ſertare; *Magnum*, *Juſtum*, & *Sapientem virum gerere.* Non loquor de *Rebus*
ipſis, quas hæc *Vocabula* deſignant, ſed de *nativa* cujusque vocabuli *indole* &
potentia, quam ſua ei *Origo Latina* inſeminavit. Si hanc in omnibus hiſce i-
gnorat forte Cl. *Theologus*, ſi in *ſexies ſexcentis* aliis, quæ quotidiano uſu conte-
runtur, idque cum profluentiſſima illa copia, & promtitudine, ſermonis *Latini*;
qua vir diſertus, & facundus, præpollet; quid tandem *miratur*, ſi *tritiſſimis* quo-
que *Radicibus Hebræis*, quarum *ſignificatus* in *Lexicis* certus, firmus, fixus, aliquid
tamen lucis & *gratiæ*, adfundi poſſe contendam, per *Originis* hactenus *latentis*
investigationem, ad quam nobis *veteres Dialecti*, eandem cum *Hebræa* ſtirpem
tenentes, prælucent?

Ejusdem docta admiratio.

Origines vocum notiſſimarum multis ignotæ.

II. Expendamus porro *Specimina* a me adducta, quæ quum *Tria* contemtiu-
ſcule vocitet Cl. *Diſſertator*, ſciat, velim, triplex illud filum, firmius quam
ut rumpi poſſit, trecenta alia tum in *Opere* ſuſcepto, tum in *Lexico*, ſi Fata
ſinant, in lucem protracturum eſſe: atque *Providentiam* nunquam non in hoc
ipſum excubituram, ſeculis volventibus, ut cum *Originibus* tam prætervifis,
& neglectis, *Univerſæ Linguæ Biblicæ pulchritudo*, & *Majeſtas*, magis magis-
que eniteſcat, atque pleno tandem die refulgeat.

Agmen talium in Hebræo *inveniri nil mirum.*

Primum noſtrum exemplum erat גדל *magnus fuit.* Variatur in *Etymo La-*
tino; quemadmodum & *Synonymum* ejus *grandis*, nec non *ingens* varie deriva-
tur. Qui hæc *primigenia* putant cum Cl. *Drieſſenio*, ne limina quidem horum
Sacrorum attigerunt. Con-

Fons erroris, quem Cl. Driesſen. cum ſuis perpetuo errat.

Confundunt nempe perpetuo *ideam philoſophicam*, quæ *abſtracta*; cum *idea Grammatica*, quæ *concreta*. In omnibus *Linguis magnitudo*, ſive *granditas*, *abſtracte* conſiderata, una eademque eſt: ſed *concrete* multam *differentiam*, & *varietatem Originis*, recipit, ſecundum cujusque *Linguæ* genium, & proprietatem. Aliter nempe *Hebræus* in *concreto* aliquid *magnum*, aut *grande* deſignat, *Vocabulo* ad id per uſum publicum dicato; aliter *Græcus*; aliter *Latinus*; niſi directe e fonte *Græco* aliquid in *Latium* defluxerit. Par ratio reliquarum nationum; quæ quidem non *Dialecto* tantum, ſed *Univerſa Lingua*, diſcrepent. Vides nil minus *Philoſophum*, quam ubi de *Originibus Hebrais* anquiritur, obhærere & oberrare in *Idea* iſta *Philoſophica*, quæ *abſtracte* concipitur: quum agatur de *Idea Grammatica*, quæ in *concreto* concipienda; ſecundum cujusque *Linguæ Nativam indolem*, & *virtutem Radicalem*. Infeliciſſimum proinde *Originatorem* ageret, qui rogatus quid *Hebræis* in *primæva ſtirpe* fuerit גדל, reſponderet *Magnum eſſe*: hæc enim eſt *idea philoſophica* & *abſtracta*; quum interrogatio tendat ad *ideam Grammaticam* & *concretam*, quæ cuique *Linguæ* propria, priva, domeſtica, & plane ſua. *Defectum* huncce ſentiens *Avenarius*, eum ſolito ſuo acumine farcire conatus eſt, collato דלג *exiluit*, q. d. *exilire in ſublime*, vel *magnitudinem*; itemque גלד *cutis* ſeu *pellis*, pro *magnitudine corporis*. Vides ingenioſas ineptias. Unice verum, certumque, quod *Arabum Dialectus* refundit: quippe quæ cum *Philoſophica* ſimul *Grammaticam ideam* nobis conſervarit. *Secundario* ſcilicet جدل eſt *magnum fieri, grandeſcere, creſcere, adoleſcere, corroborari*: a *primario*, *torqueri*, *intorqueri*. Eadem notio apud *Chald.* & *Syros*. *Metaphora* eſt deſumta a *filis tortis*, quæ & ipſa גדילים. Hac anſa adſcitum *creſcere*, *adoleſcere*, *grandeſcere*, *Validum*, *robuſtum*, *magnum fieri*, quæ ſumma virtute, & elegantia, hinc ſuccreverunt. Ab *Origine* hacce, cujus antiquiſſima ſemper jura, ſi illuc ſeries invitet, explicare auſus ſui *Job.* 7: 17. מה אנוש כי תגדלנו *Quid eſt mortalis quod Luctatorem cum eo agas, te intorquens & implicans cum eo?* nam & *Arabes* hanc *Metaphoram* itidem aſſerverunt: & *Synonymum* נפתל *intorqueri*, pro *Colluctari*, eodem plane modo tranſlatum omnes agnoſcunt. Si quis ad *Jobi* contextum aliud decernat; atque juxta Verſionem receptiorem malit, *Quid eſt homo quod eum magnificias?* id nihil ad *Originem*. Ea vel ſic dubio exemta, apud omnes qui aliquid in his judicare valent.

Avenariana deliria.

Vera Origo τῦ גדל. *Notio etiam* Chaldæis & Syris *trita*.

Confutatur a Cl. Drieſſen.

Videamus, quid ad hæc ſagaciſſimus noſter *Diſſertator*: „ *Oportet* notionem „ primigeniam, *quæ & de entibus ſpiritualibus, Deo præſertim, & de Corporeis,* „ *& illorum, & horum, affectionibus adhibetur eſſe generaliorem: eſtque hæc re-* „ *cepta illa* Magnum eſſe. *Certe* primarius ſignificatus *non eſt ille quem V. Cl.* „ *ex Arabia advexit; qui illum ſubjectis tam diſparatis adaptes? Locus* Jobi *ſim-* „ *pliciter dicit quod ipſum reputet pro* magno *velut* adverſario. *Ipſius ſignificatus* „ *non ſatisfacit locis omnibus, neque derivatis, verbi cauſa* מגדל *turris* &c. "
Medullam ipſam, credo, *Logices*, & *Metaphyſices*, ſuæ nunc propinat Vir Cl. nam nihil in hiſce intelligo; nec quid ferant, aſſequor. De *entibus ſpiri-*

Logiciſſimus, &c.

tuá-

ſpem eſſe deponendam Linguæ Hebrææ ulterius reſtaurandæ, & perſanandæ, vel Dialectorum opem, lucemque, copioſiorem inferendam.

Cl. Drieſſ. non amat ſcopulos.

Hæc omnia, tanquam Syrtes, ſcopuloſque, evitans Cl. *Diſſert.* tandem mecum in *Arabiam* navigat, atque ea *excerpere* incipit, quæ unde *profecta* ſint, quo *tendant*, quibusque *firmamentis* nitantur, nemo inde percipiet. Vel ſic tamen Veritatem ſeſe inſinuaſſe multis, crediderim: qui enim ad hæc non plane hebetes, *ex excerptis* hiſce dicam, an *ſcopis ſolutis*, non ſine voluptate percipere potuere, nihil ad *Concordiam*, quam quærimus, ſanciendam, & naturali copula firmandam, accommodatius inveniri poſſe, quam *Mulſit; permulſit*, quod ex *Arabum* conſtantiſſimo uſu produxi. Nempe etiam *Latinis* illud *mulcere* eſt *laudantis*, *celebrantis*, & *læto plauſu proſequentis*; itemque *ſedantis*, & *manu miti* ſimul, ſimul *imperioſa*, *compeſcentis*. Hæc a *pag.* 359. ad 366. *Opuſc.* de *Defect.* materia eliciente, & blandius provehente, ita adſtructa, ut neminem, niſi *Muſis* noſtris iratis natum, a me diſſenſurum eſſe confidam.

Cl. Drieſſ. admirator Antiphraſeos.

II. Videamus interim, quomodo gradum hic tueatur fortiſſimus virorum, qui quum *lætus lubensque agnoſcat*, *ſi quam Dialectum Orientalem*, *præſertim* Arabicam, *Officium filiale Matri Hebr. præſtare*; hactenus tamen *nullus admiſerit lucem illa*, *qua ego*, *meique in orbe Literato Majores*, *utimur*, *Methodo in Matrem Hebræam infundi debere*. Redeatur ad *pag.* 450. ſupra. Ut ergo *Methodo* noſtræ ne latus quidem unguis concederetur, ad *Antiphraſin* recurrit Vir *Doctiſſimus*, eamque temere a J. C. *Scaligero*, G. J. *Voſſio*, aliiſque imperitis hac in palæſtra Viris pro *nugaciſſimo commento Grammaticorum* exploſam,

Ejuſdemque Reſtitutor.

in priſtinam reſtituit poſſeſſionem, atque longo exemplorum agmine inſtruit. „ *Significatus quos in Scripturis habet*, inquit, *contrarii videntur*, & *ſic ſub* „ *unam* notionem communem *non cogendi*. *Hinc quemadmodum τὸ* ברך *ſignifi-* „ *cat* & Benedicere, & maledicere, *non ſecus ac apud Latinos* ſacrare, & „ imprecari, *ſic τὸ* שבח *dicit* & laudare, celebrare, & Ἐπιτιμᾷν *increpare. Con-* „ *fer in N. T.* increpare *ventos*, *febrim*, *mare* &c. *Certe fruſtra laborant*, *qui* „ *ſignificationum* Ἐναντιότητας *amoliuntur*. *Sunt illæ nimis manifeſtæ*. *Sic* חטא „ *peccandi & expiandi*, קדשה *ſcorti & ſanctæ*, תאב *deſiderandi & abominandi*, „ *in Piel*. *Ita forte & τὸ* ברא *creandi*, *in Piel ſuccidendi exſcindendi*, שרש „ *radicandi & eradicandi*, סקל *lapidandi & lapides aufferendi*, שור *devaſtatio-* „ *nis & mammæ notionem habent*. *Quidni hanc claſſem augeamus Verbo* שבח? „ *Quæ ipſe habet abludunt*." Aciem cernis formidabilem. Arcem, unde

Antiphraſeos ſpecimina.

detruſa erat, recuperat, Ductore Cl. *Drieſſenio*, potentiſſima illa, & decantatiſſima, *Antiphraſis*, quæ tot *ſuaviludia* nobis peperit: ut *Bellum*, quia *minime bellum* ſive *pulchrum*. Item *Eumenides* & *Parcæ*, quia εὐμενεῖς & *nemini Parcere* ſolitæ. *Otium*, quia *non ocius*, ſed *ſegnius*; & tardum. *Officium*; quod *nil minus quam officiat*. Denique, ne omnes haſce delicias ſimul effundam, *Miles*, eo quod *nihil molle*, ſed potius *aſperum quid* gerat. De his, aliiſque, jam in *Orbe Erudito* judicatum, & deciſum. Adeatur G. J. *Voſſ.* L. 4. *Inſt. Orat.* p. 219, & *Sanct. Minerv.* L. IV, *cap.* 14. *Sacrum* pro *Sceleſto* quomodo ortum ſit, docebit ibi Cl. *Perizon.* Ad eam rationem קדש

ſa-

Digitized by Google

ſacratus, pro *ſceleſtiſſimo ſcorto*, obtinuit. ברך non eſt *maledicere*, ſed per *Euphemiſmum*, *Benedicere*, & *Valedicere*, enunciatum, ut illud *Valeant qui inter nos diſſidium volunt*. Dixi ad *Jobi Cap.* 1. abunde. חטא *expiavit*, ortum ex חַטָּאת quatenus ſignat *ſacrificium pro peccato*. ברא *creavit*, & *ſuccidit*, *exſcidit*, per *Originem* ſuaviſſime conciliantur. Ea alibi prometur. Similis ratio verbi תאב: שד *vaſtitas*, a שדד, nihil commune habet cum שד *mamma*, a שדה. In שרש pro *eradicare*, habes proprie, *Radicem percuſſit*; niſi malis *Radicare*, ut *pilare*, pro *pilos auferre*. Ad hanc legem סקל *lapides auferre*, *elapidare*, per Virtutem conſtructionis, ſine illo *moſtello Antiphraſeos*; quod niſi omnia conturbare volumus, in ſolas terras exportandum. *Moſtellum furcillatur.*

In ἐπιτιμᾷν, quod tum *celebrare*, tum *increpare*, *objurgare*, deſignat, nulla ἐναντιότης; ſed amiciſſima concordia, quam *Origo* præſtat. Vel hinc diſcere potuiſſet Cl. *Diſſertator*, quid diſtent æra lupinis. Si *taxandi* primigeniam virtutem acu tetigerit, & alteram illam aſſequetur. Sexcenta talia in omnibus *Linguis*. Materiam necdum ſatis enucleatam, quantum ad *Orientalem* ditionem, unum, alterumve, Caput *Originum* noſtrarum majori luce perfundet; ut a ſermone *Hebræo* has quoque maculas, quas *Lexicographi* ei alleverunt, abſtergeamus; eique unam ubique pulcherrimam faciem reddamus.

Objectiuncula diluenda reſtat, quam Cl. *Diſſert.* ſub finem Sect. ſeq. demum movit; hic dixiſſe contentus, *quæ ipſe habet abludunt*. Ibi ſcilicet adjectum: *Gravis objectio adverſus Originem noſtram.*
„ τὸ שׁבח *compeſcere, non dicit* LENEM *mitigationem, ſed validam; neque* VIR-
„ GILIANUM illud MULCERE *dedit fluctus his locis recte applicatur: ne jam dicam*
„ *illam Styli S. & profani comparationem ſæpe numero perperam inſtitui.*" Sentisne? Caſtiſſimus *Theologus* contaminari non patitur Sacros *Fontes* aſpergine illa e *Lacunis* profanis repetita. Faceſſat in poſterum odioſiſſimus ille apparatus *Græcæ*, *Latinæ*, *Arabicæ*, reliquæque *Literaturæ*; quo *Scripturarum* Interpretes felicius carebunt: quid enim *virtutis*, aut *pulchritudinis*, in phraſibus *Mulcere fluctus*, *Mulcere pectora*, *ſtimulata corda remulcere*, pro *ſedare molli velut manu*: itemque in formulis πραΰνειν κύματα *Mitigare fluctus*, & βαρυκτύπων δουπήματα βροντῶν *graviter ſonantium ſtrepitus tonitruorum mitigare*, pro *compeſcere?* Non *mulcens*, ſed *valide frangens* potius *Manus* ad talia quadraret, judicio Cl. *Drieſſenii*. Proh aciem *Criticam!* Alii mecum judicarent, *validius*, & *imperioſius*, eſſe, *Mulcere fluctus*, quam *frangere*; vel *vi compeſcere*. Interim ſuum cuique pulcrum. In eo de palma cum Cl. *Drieſſenio* non diſcepto.

Digitized by Google

SECTIO IX.

De Radicibus חלל, ערב, חלף.

I.

Alia ſpecimina Quartæ Claſſis Defectuum.

Quartam Claſſem Defectuum Hodiern. inſtruens, præter צרח, & שבח, propoſui שָׁמֵם *deſolari, vaſtari*; item *admirari, ſtupere.* שאה iterum *vaſtari; obſtupeſcere; conteri.* חָלַף 1. *tranſivit, permeavit.* 2. *mutavit.* 3. *inſtauravit.* 4. *ſuccidit.* ערב *Miſcere, dulceſcere; ſpondere; oppignerare, negotiari; adveſperaſcere.*: cum derivatis עֹרֵב *corvus.* עֲרָבָה *ſolitudo.* עֲרָבִים *ſalices.* עָרוֹב *canina muſca*, ſecundum *Boch.* Denique חלל *tripudiare; confodi ac perforari, profanari; incipere.*

Operi de Originibus *reſervata.*

Quum tunc temporis *uno alterove ſpecimine* perfungi cuperem, illuſtratis *Radicibus* צרח, & שבח, reliquas *Originibus* meis reſervandas duxi. Id mihi nunc neſcio quid taxatiunculæ adfert: efficitque ut in hac *Sectione* ſolus Campum teneat Cl. *Drieſſen. excerpendi* & *refutandi* cura ſolutus.

Cl. Drieſſen. *nullos cognitionis ſuæ* Defectus agno*ſcit.*

II. Sic ergo incipit. „ *Vidimus ſuperius, quas moverit difficultates circa „ radices* חלף / ערב / חלל. *Mirum quod heic nihil opis attulerit ex* Arabia. „ *Sed opus non eſt: nihil laboramus adjuti receptis auxiliis*, Verſionibus *nempe* „ & Lexicis, & *ſano ratiocinio, quod utinam magis atque magis in Lexicis re*„ *gnet, per omnem paginam lucem ſparſurum præ omni Arabia. Plures etiam* „ *ſunt ſignificatus diverſi, quam V. D. enumeravit, ſed omnes cogendi ſub ſuum* „ γενικὸν. „

Abundans luce, pro univerſa Ling. Hebr.

Defricor pro meritis, qui *difficultates moverim*, nec continuo *opem tulerim ex Arabia.* Ea tamen *ope* ſibi *opus* haud eſſe declarat Noſter: *nihil laborans*, ſcilicet, *Verſionibus* & *Lexicis* pulchre ſuffultus. Sed quid audio? an *ſanum ratiocinium* hactenus *omni pagina* a *Lexicis* exulavit? Id credere jam cogit ipſe *Diſſertator* noſter, egregie locatum illud *utinam!* interferens; & *ſani* ſui *Ratiocinii, Metaphyſici* nempe, *facem* ad *omnem Lexicorum paginam* in poſterum admoveri diſcupiens. Quantum inde veri luminis in *univerſam Linguam Biblicam* ſit infundendum, *Originationes*, quas luſtravimus, in *Orbis Eruditi* oculis defixere. Hæc *ſectiuncula* tria ſuperaddidit *ſpecimina*, in quibus mea opella jam non ulterius deſiderabitur: nam ex *Stockio* promit Vir ſagaciſſimus, quid in *Origine* valuerint *Themata* חלף / ערב / & חלל; aliquid de ſuo etiam interſpergens; atque denuo me in tranſitu ſtringens, *quod nullas ex Arabia attulerim ſuppetias.* Scilicet deficiunt hic noſtri *Fontes*; & Cl. *Drieſſen.* in liquida natat luce. Non committam, quum noſtra nos ſeries, in *Opere de Originibus*, ad

Digitized by Google

ad *Radices* illas perduxerit, ut ad tantum ſplendoris oculos clauſiſſe, debitaque laude fruſtraſſe Cl. *Diſſertatorem*, reperiar.

SECTIO X.

De Radicibus קלם, עלם, עצב, מרח.

I.

Conſpectus quintæ Claſſis.

Deventum eſt ad *Quintam Claſſem Defectuum*. Cl. *Drieſſen*. bene cavit ne de *Ordine* meo quicquam conſtaret. Non conducibile quoque Ei viſum, *Claſſis* hujus munimenta ſub conſpectum dare, incipiens *Sectionem* hanc a *pag*. 368. quum a *pag*. 366. debuiſſet. Monetur ibi, magnam copiam extare *Radicum*, quarum *exterior* quidem *adſpectus*, *uſusque ſecundarius*, *ex ſerie Orationis*, & locorum Collatione, *potuit attingi*, *ſed ad quarum* definitam proprietatem, & genuinam vim, *nulla acie penetrari potuerit*, *neque unquam penetrabitur*, *niſi* Dialectorum lumen *inferatur*. Hanc aſſertionem meam ſic adſtruxi, & adſtrinxi: *ut hoc quale*, *quam lateque ſe extendat*, *intelligatur*, *attendi velim ad id*, *quod nemo ſenſu communi modo præditus*, *leviterque literis tinctus*, *negaverit*: *in omnibus Linguis* primævum Fontem *diſtingui debere* a rivulis, *id eſt* primariam notionem a ſecundariis uſibus; *nihilque difficilius*, *etiam in Opulentis* & Copia Librorum *florentibus Linguis*, *quam* primigeniæ Originis *indagationem*.

Defectus hujus gemina cauſa.

Adjeci, quod minime omnium prætermitti fas erat, *hanc difficultatem duabus de cauſis maxime premere Linguam Hebræam*: quarum *prima*, quod *anguſtiſſimis cancellis unius Libri* nunc incluſi ſimus: *altera*, quod *Criticorum* & *Grammaticorum Veterum*, qui vivente, & ſpirante, adhuc *Lingua* fuerint, *annotationibus* in totum deſtituamur.

Simili illuſtrata.

Propoſui deinde caſum in *Thucydide*, & *Euripide*; qui ſi ſoli ad noſtras manus perveniſſent; omni reliqua *Lingua Græca* extincta, negavi quemquam per attentiſſimam *inſpectionem*, & *collationem Locorum*, unquam *Auctores* illos in omnibus ſatis intellecturum; multo minus ad omnem profunditatem, gravitatemque, Orationis eorum, quin & *primigeniam vim* verborum, quibus utuntur, penetraturum eſſe.

Cl. Drieſſen. nihil horum attingit.

Quid Cauſæ dicam, quod nihil horum *excerpere* dignatus ſit Cl. *Diſſertator*? An hæc non conſtituunt proram & puppim hujus *Claſſis quintæ*, per univerſam *Linguam Hebræorum* diffuſæ? Quid? an non hæc ipſa directe *Fundamenta Drieſſeniana* impetunt, atque convellunt? Cur me ergo impugnatum venit, qui oppugnationem hancce meam graviore armatura depellere, & confutare, debuiſſet. Nimirum Caſtris exutus, cladem diſſimulat, & dum ab-

abjecta non bene parmula in pedibus ſalutem quærit, pugnantis ſpeciem præbere pulchrum duxit.

Ejus generoſitas & perſpicacia.

II. Diſcerpere ergo mea incœptat ſtrenuiſſimus pugnator inde a *pag.* 368. 369. Initium facit a *Radice* מרה, quæ in *Lexicis* rectiſſime exponitur *immorigerum*, *refractarium*, *contumacem*, *pervicacem eſſe*: *rebellare.* Oſtendi omnia eſſe *ſecundaria.* Et hoc ſupprimitur a *Diſſertatore* noſtro. Indicavi deinde p. 369. 370. 372. primariam vim *ſtringendi*, unde *obſtrigillare* pro *rebellare*, *contentioſe* & *contumaciter reſiſtere* ſit deductum. Nihil evidentius pro iis qui oculos habent, nihil convenientius pro iis qui non ſurdo, vel abſurdo, ſunt palato. Aliquid ſenſiſſe videtur Cl. *Drieſſen.* nam ſemi—noſter eſt, & levicula hacce ſtrictura ad omnia mea defungitur. „ *Patet ſignificatum ſimplicem eſſe* „ obſiſtere, *quod ſit variis modis*, *unde* primogenius *non eſt*, *quem vult V. Cl.* „ *Quia tamen & ſignificatus* ſecundarius *eſt* ſtringere &c. *hinc* מורה novacula „ *uti V. Cl. habet*". Ecquid cernis *ſemi—noſtrum* factum Cl. *Drieſſen.* Admittit jam ex *Arabia* in *ſolum Hebræum* illud noſtrum *ſtringere*, & *Subſcriptorem* ſeſe mihi præbet ad מורה *Novaculam*, a *ſtringendo* ſic dictam. Contendit tantum *prius* eſſe, & *primigenium*, *τὸ obſiſtere*; atque inde *ſtringere* notione *ſecundaria* profluxiſſe. Totus *noſter* fuiſſet Vir Doctiſſ. ſi ad Vernaculum **Wederſpannig zyn** reflexiſſet. Qui *obſtrigillant* talibus, *luci* ipſi *rebellant.*

Alia ſtrenuitatis indicia.

III. Ante, quam a מרה ad עצב pergerem, *quatuor Obſervationes* alicujus, forte, momenti, interſerueram, quibus *Syſtema* meum ſupra omnem dubitationis aleam collocatur. Eæ a *pag.* 377. ad 379. inculcatæ.

Has parum *ad rem*, utique non *e re ſua*, facere judicans Cl. *Drieſſen.* ſaltum dat in *Radicem* עצב, cui addidi *primitivam* vim *arctius ligandi*, ſive *conſtringendi*, ut inde uſus *ſecundarios*, qui ſoli in *Sacris* reſidui, illuſtrarem, atque ad nativam *Emphaſin* revocarem. Hi duo ſunt potiſſimum, *dolore adficere*, & *nervis adſtringere*, *colligare.* Hæc a *pag.* 379. ad 384. diſtincte enucleata, & comprobata. Conferri etiam velim, quæ nuper in *Comment. Job.* 10: 8. diſcuſſa. Ad hæc Cl. *Drieſſen.* acutiſſime: „ *Quia verbum etiam* efficere *notat*, *notio univerſalis infert* operationem difficili cum cura, moleſtia, laborioſe cum dolore quid fingere. *Hinc de Deo ἀνθρωποπαθῶς uſurpatur. Vel in* „ *genere* laborioſe quid facere; *quod apud homines ſæpe numero cum* moleſtia „ *&* dolore *conjunctum eſt.*" Si non penetres, forte, in acumina hæcce ſublimiora, en ordinem ex *Logicæ* & *Metaphyſicæ* meditullio depromtum. *Primaria* notio, *efficere difficili cum cura.* Hinc, ſi de *homine* agatur, *dolor*, & *moleſtia.* Inde porro, *dolore* & *moleſtia adfecit.* Sentis ad unguem expolita; unde *Linguæ Hebrææ* magnificum & vere Divinium decus adſtituatur. Illam univerſalem ſignificationem *efficiendi* fundat V. *D.* in *Job.* 10: 8. ubi ego, *Manus tuæ me nervis colligarunt*, *& fecerunt me.* Nervoſius ipſe, *Manus tuæ effecerunt me*, *& fecerunt me*: vel &, *laborioſe cum dolore effecerunt me*; ἀνθρωποπαθῶς. Ne dubita; „ *nam vox generaliorem habet ſignificatum*; *non dicit hoc* „ *per ſe*, (nempe quod ego obtrudo) *hinc illud addi debuiſſet. Verbum noſtrum* „ *ſaltem dicit* cum ſtudio & cura formare, & elaborare. *Singulare illud ſi* „ *diceret quod vult V. Cl. cur hoc repetitum fuiſſet Vſ.* 11. " Hoc vult ſubtiliſſimus

Digitized by Google

mus *Criticus*; עִצְּבוּ *Job.* 10: 8. non valet, *nervis artificioſe colligarunt*, quia tunc *nervi Vſ.* 11. fruſtra repeterentur, ſed generalius ſignificat, *cum dolore*, i. e. *ſtudio & cura formavit.* Nunquam ſenſi aciem ſecantiorem. Sed ſciatur meam *Originem* contentam eſſe *Corporis ligatura*, & *artificioſa contextura*, prout معصوب *Colligatus*, ſpeciali uſu ſignat *Eleganti corporis ſtructura* & *Symmetria præditum.* Hanc *colligationem* non concipiet, *ſine nervis*, niſi cui nervus ratiocinandi inciſus.

IV. Acceditur ad *Radicem* עלם, cujus *ſecundariam notionem*, quam *Lexica* exhibent in *abſcondendo*, *occultando*, derivari a *primaria ſignandi*, *conſignandi*, *obſignandi*, σφραγίζειν: indeque עַלְמָה *virginem ſignatam* ex *Origine* ſonare, ad confutationem & confuſionem *Judæorum* adſtruxi. Alia multa interioris elegantiæ ad illuſtrationem ulteriorem hujus *Thematis* expromſi. A *pag.* 384. ad 396. nimis, vereor, multus, in hiſce, tædioſusque fui multis: certe Cl. *Drieſſenio*; qui ſe omnia legiſſe nunquam fatebitur: niſi ſimul confiteri glorioſum autumet, ſe *præcipua demonſtrationis meæ lumina* excerpendo intercepiſſe. *Nova lumina & acumina, ejusdem.*

En capitalem Viri Criſin ad paucula, quæ oculo fugitivo ſtrinxit: „ *Sed ubi* „ *τὸ ſimplex* occultare *in* obſignare *convertit*, *etiam in ſimplice narratione Hiſto-* „ *rica*, *eſtne in eo major elegantia? Omne in* obſignare *eſt etiam* occultare *quid*; „ *ſed non vice verſa omne* occultare *eſt etiam* obſignare. *Sed primo*, *nulla ratio* „ *cur τὸ ſimplex* occultare *commutetur cum* obſignare. *Simpliciſſimus ſignificatus* „ *in Kal legitur Pſ.* 90: 18. *nempe* latere, peccata *dicuntur* latentia. *In Pi-* „ *hel* &c. Occultare. *Sub hanc notionem* univerſalem *loca omnia in quibus le-* „ *gitur amice concurrunt. Significatus igitur* primigenius *eſt generalier.* Ob- „ ſignatio *ſaltem eſt* occultandi modus *aliquis.*" Ne verbulum quidem mutare, vel mittere, auſus ſui, ne *ſanum* iſtud *ratiocinium* ſuppernaſſe viderer. Illud totum in Caput Ratiocinatoris recidit, ejusque cauſam jugulat. נעלם & העלים nuſpiam *in narratione Hiſtorica* occurrunt *ſimpliciter*, ſed ſemper *figurate.* Sic 2 *Reg.* 10: 3. לא היה דבר נעלם *nullum omnino verbum* OBSIGNATUM *fuit Regi*, *quod non expoſuerit.* Adhuc *figuratius* exit 1 *Sam.* 12: 3. *E cujus manu ſumſi pretium*, *ut oculos ei meos* OBSIGNAREM. Cl. *Diſſertatori* ſuum *abſconderem*, *occultarem*, lubenter relinquimus: nec de *Elegantiarum guſtu* cum ipſo digladiabimur. Sequens membrum item pro me militat, arguitque, longe fortius quid ferre *obſignationem* quam *occultationem.* Ergo, tertio, *Pſ.* 90: 18. non ſimpliciter *latentia peccata*; ſed *ſignata*; & *ſigillo* velut *clauſa*, atque *abſcondita.* Plura talia reperies p. 390. Quarto denique *occultandi modus* ille, quem in *obſignatione* agnoſcit Noſter, eſt ipſe ille, quem *Origo Radicis* adfert, quemque Loca S. *Scripturæ* manifeſtiſſime exigunt. *Faſciculus elegantiarum.* Pergit potens *Argumentator*: „ *Quomodo* Adoleſcentem *ab hac voce deducat vide* „ *p.* 390. &c." Nimis properabat Viri Doctiſſ. oculus, in pagella iſta percurrenda, non enim *Adoleſcentis* Etymon *Hebraicum* ibi pandimus; ſed uſum cothurnatum verbi התעלם *Job.* 6: 16. a עלם *adoleſcente* novati, indagamus: *adoleſcentiari*; pro *juvenili impetu ferri*, in *Aquis torrentibus.* Sic Ἥβη apud *Valida inſtantia.*

Tragicos dicitur *ſeditio*, *malum* &c. In *Comment.* ad *Job* plura. Id tamen non nimis fidenter tenuerim; meliorique luci facile donarim. Putabat ergo properabundus noſter *Diſſertator*, me *Adoleſcentem* עלם dictum voluiſſe ab *Adoleſcentiari*, *juvenili impetu ferri*. Infert propterea: „ *Sed quidni longe ſim-* „ *plicius*, *cujus vivendi tempus adhuc* obſcurum *ἄδηλον eſt*, *qui in publico non-* „ *dum verſatur?* ". Scio *Stockio*, quin & *Coccejo* noſtro, tale quid placuiſſe. Si *Veriverbium* ſat ſolidum videatur, nihil inde mihi decedet, qui נעלם *ſignatum*, pro *occulto ἀδήλως* non ſane repudio, ſed fortius intendo. Malim tamen *Adoleſcentem* a *ſignata ætate* dictum, ut proprie deſignet *eum cui illibatus* adhuc *bonos virginitatis*. Iſte *ſtatus* עלומים *adoleſcentia obſignata* honeſtiſſime dictus. Inde & עלמה *Virgo*, *puella ſignata*. Nihil verecundius opinabar. Aliter judicat Cl. *Drieſſen*. „ עלמה *Virgo recte dicitur ab* occultando, *neque opus eſt* „ *quæſita alia metaphora*, *quam prudens ex V. D. non repeto*. " Suſpicareris neſcio quid turpe a me productum, quod prudentia velare jubeat. Quod prudens, & verecundus, ergo teglt V. Cl. ego denuo ſub conſpectum dare non verecundabor; ad Oraculi controverſi, Fideique noſtræ, ſplendidiſſimum decus: *Ecce* VIRGO SIGNATA *concipit*, *& parit Filium*. Cui hoc minus caſtum, is ſolem ipſum ne vituperet, metus eſt. Ceterum ut ad *Origines* pandendas *Diſſertatorem* noſtrum paululum acuamus, proxima occaſione mihi dicat velim unde *Latinum* illud *Latere* fluxerit: unde item *occultare*: *tegere*, *abſcondere*, &c. ut videat *Orbis Eruditus* quid expectandum habeat, quum ad *Radices*, חבא / טמן / כחד / כסה / סכך / ספן / סתר / & צפן manum Noſter admovebit.

Cenſura pulchre locata.

Suavis Originatio.

V. Paucis expediendum reſtat קלם. De hoc *Themate* nunc dabo tantum, quæ Cl. *Stockius*, ad quem toties nos remittit Cl. *Diſſertator*, in lucem edidit. „ קלם *Laudavit*, *celebravit apud Chaldæos & Syros*. *Sed quia ironice laudare &* „ *celebrare ſpeciem* illuſionis & ſubſannationis *habet*, *inde apud Hebræos ſignifi-* „ *cat* illuſit, irriſit, ſubſannavit, *contemſit*, *vilipendit extenuando* " Vide mihi *Origines* pulchras. Apud *Hebræos* קלם indubitatam tenet poteſtatem *ludificandi*, & quidem *contumelioſiſſime*, pro evidenti ſerie, & *Emphaſi* locorum *Pſ.* 44: 14. *Jer.* 20: 8. *Eſech.* 22: 4, 6. 2 *Reg.* 2: 24. *Hab.* 1: 10. Hæc ſignificatio inveniri nequit, niſi eatur ad *Dialectum Chaldaicam & Syriacam*, ubi poteſtas *celebrandi* obtinet: quam *Hebræi* perpetua *ironia* in *ludificationem* & *ſubſannationem* converterint. Si ex *Arabia* tales *Originationes* adferrem, riderer ſane, & quidem magno meo merito. Nihil *Ironicum* in textibus allegatis. Inſpice modo *Pſ.* 44: 14. *ponis nos opprobrium* חרפה *vicinis noſtris*, לעג וקלם *ſubſannationem & ludibrium circumſitis noſtris*. Redde *ſubſannationem*, *& celebrationem*; & vide an *ironiam* tuam inficetam non riſuri ſint, quibus acetum in pectore. Par ratio reliquorum. Non potui ergo non a tam precaria, coacta, frigida, *Origine* reſilire, atque ad dignitatem *Linguæ Biblicæ* tuendam proferre quod *Arabia* offerebat ſub قلس *κλύζειν* ex genere *ὀνοματοπεποιημένων*,

קלם inter nomina a ſono fabricata.

ad

Digitized by Google

ad *undantis aquæ ſonum* exprimendum. Hoc honeſtiſſime tranſlatum ad *vomitionem:* unde iterum graviter & digne gradus factus ad *contumelioſiſſimam ludificationem*, quam exempla *Biblica* oculis ingerunt: quatenus *conſpuere* & *convomere aliquem* in omnibus *Linguis* ſic traducuntur: niſi quis formulam *evomere convitia* magis reſpiciendam arbitraretur. Rem paucis tetigiſſe contentus, finivi in קיקלון *Hab.* 2. 16. quod vi compoſitionis infert *convomitionem ignominiæ*.

Ex hac jam *Origine Thematis* noſtri expedire conatus fui locum *Eſech.* 16: 31. *Expenditur locus Ezechiel. 16: 31* ubi impeditos hærere Doctiſſimos Interpretes animadvertebam; aliis dantibus, *non fuiſti ut meretrix laudando munus*; aliis, *vilipendendo*, *ſubſannando* &c. Poſterius hocce ad meam mentem eſſet, *convomendo*. Vocabulum aptiſſimum *perſonæ*, *vitæ*, *indoli*, *meretriciæ*. Aliquid exquiſitius tamen nos habituros judicavi, ſi daretur *vomere faciendo munus:* quod *inſatiabiles* illæ *Harpyiæ* identidem *amatores argentum vomere* cogant. Adjeci, *formulam* videri in hoc negotio ſolennem, in qua partim ſpectetur *copia effuſa*, dum *præceps in largitiones manus aurea dona vomit*, ut *Poëta* loquitur; partim *extortum* illud, quo non ſine aliqua *concuſſione ſtomachi datare* coguntur miſeri amatorculi.

Vereor ne quum hæc legeret Cl. *Drieſſen.* concuſſiunculam paſſus ſit ad Stomachum, & clamaverit, δότε μοι λεκάνην: ſic enim mihi caput lavat: „ *jam vi-* *Delicata Cl. Drieſſ. Criſis.*
„ *det V. D. quam quæſitas merces ex Arabia advehat. Mirificus eſt ille* vomitus
„ argenteus. *Iterum a notione primigenia aberrat.* Conſpuere convomere *ſal-*
„ *tem modus aliquis illudendi ſubſannandi contemnendi: etiam* ſpuere & vomere,
„ & conſpuere *diſtinguenda ſunt*, *non omne* ſpuere *eſt* vomere. *Maneat igitur*
„ *ejus ſignificatus apud Chaldæos & Syros* laudavit & celebravit: & *ſignificatus*
„ *oppoſitus* illuſit, *vel* ironice laudavit ". Ad *Antiphraſin* ſuam recurrit Elegantiarum unicus Arbiter; mercesque noſtras ex *Arabia* ita reſpuit, tanquam quæ non aliis ſolum, ſed & mihimet faſtidium movere debeant. Et quid tandem faſtidioſi habet, aut mirifici, ille *vomitus argenteus*, per verbum honeſtiſſimum κλύζειν enunciatus? An non oſtendi *Eloquentiæ Sacræ* & *profanæ* principes ita locutos? Plane quid ſibi velit hæc *Criſis* delicatula, non invenio. Reliquas delicias, quas in diſcrimine inter *ſpuere* & *vomere* tradendo facit Doctiſſimus *Originator*, lubens ei relinquo; ne & nos viciſſim concuſſiunculam ſtomachi patiamur.

SECTIO XI.

De Radicibus צדק, חכם, גדל.

I.

In arenam mirabundus proſilit Cl. *Diſſertator*, ita *Sectiunculam* hanc aperiens: *Amica Cl. Drieſſen. cura.*
„ *ſecundum V. Erud.* Arabiſmus *non tantum lucem infundit dubiis & perplexis*,
„ *ſed quod mireris illis etiam quæ majus lumen requirere vix cuiquam in mentem*

„ *venire poſſit: Sic ut & hic notabilem Defectum deprendat. Hoc evincent tria* „ *Themata* &c. ". Amiciſſime curat V. Cl. ut mortalis temerarius, atque ineptus, videar iis, qui ad ſcripta mea propter divergium vel ſtudiorum, vel animorum, ac ſententiarum, non accedunt.

Liceat ergo alium mei conſpectum candidis Lectoribus præbere; *ordinemque* ſimul *Claſſium* indicare: ex *pag.* 400. 401. *Quinta claſſe Defectuum decurſa*, Sextam *ingredior*, *longius adhuc diffuſam*, *ſeque extendentem ad* Radices *etiam* vulgatiſſimas, *& ſexcentis in locis contritas*, *quarum tamen* Origo, & *antiqua illa ac* genuina indoles, *ex reliquiis Biblicis nec elici hactenus potuit*, *quicquid ſategerit præſtantium ingeniorum induſtria*, *nec ſane unquam elicietur*; *atque in liquida luce collocabitur*; *niſi ad* Dialectos *divites accenſa facula præluceat. Specimina nobis in hoc curſu perſtringendo exhibeant tres Radices late per Sermonem Biblicum regnantes* &c. &c. Deterſa, ut ſpero, ineptia, & invidia, eſt, qua me abruptius illud exordiolum adſpergebat. Nihil in illis meis eſt, *quod quis miretur*, ac non potius continuo approbet, niſi qui *Literis Humanioribus* vix labra proluit; vel poſtea ita gravioribus Doctrinis fuit occupatus, ut ad minutiores haſce curas noſtras nunquam ſerio attenderit. Potuiſſet Cl. *Drieſſenius* in poſteriore ordine, cui nihil detractum volo, cenſeri, niſi Scriptionis hocce genus aggrediendo, ſe hac in palæſtra veterem quoque, & conſummatum, probare voluiſſet. Quid? *Miraturne* noſter *Diſſertator*, quod *Originem Vulgatiſſimarum* etiam *Radicum* ſæpe minus compertam, & introſpectam, dixerim? Edat ergo mihi ex tempore, quid in *Origine Latina* ſit *Examen peremtorium*. Quid *Exemplum*. Quid ipſum *Cogitare*, *Conſiderationes ſcribere*; *Diſputare*, *Diſſertare*; *Magnum*, *Juſtum*, & *Sapientem virum gerere*. Non loquor de *Rebus* ipſis, quas hæc *Vocabula* deſignant, ſed de *nativa* cujusque vocabuli *indole* & *potentia*, quam ſua ei *Origo Latina* inſeminavit. Si hanc in omnibus hiſce ignorat forte Cl. *Theologus*, ſi in *ſexies ſexcentis* aliis, quæ quotidiano uſu conteruntur, idque cum profluentiſſima illa copia, & promtitudine, ſermonis *Latini*; qua vir diſertus, & facundus, præpollet; quid tandem *miratur*, ſi *tritiſſimis* quoque *Radicibus Hebræis*, quarum *ſignificatus* in *Lexicis* certus, firmus, fixus, aliquid tamen lucis & *gratiæ*, adfundi poſſe contendam, per *Originis* hactenus *latentis inveſtigationem*, ad quam nobis *veteres Dialecti*, eandem cum *Hebraa* ſtirpem tenentes, prælucent?

Ejusdem docta admiratio.

Origines vocum notiſſimarum multis ignotæ.

Agmen talium in Hebræo *inveniri nil mirum.*

II. Expendamus porro *Specimina* a me adducta, quæ quum *Tria* contemtiuſcule vocitet Cl. *Diſſertator*, ſciat, velim, triplex illud filum, firmius quam ut rumpi poſſit, trecenta alia tum in *Opere* ſuſcepto, tum in *Lexico*, ſi Fata ſinant, in lucem protracturum eſſe: atque *Providentiam* nunquam non in hoc ipſum excubituram, ſeculis volventibus, ut cum *Originibus* tam prætervisis, & neglectis, *Univerſæ Linguæ Biblicæ pulchritudo*, & *Majeſtas*, magis magisque eniteſcat, atque pleno tandem die refulgeat.

Primum noſtrum exemplum erat גדל *magnus fuit*. Variatur in *Etyme Latino*; quemadmodum & *Synonymum* ejus *grandis*, nec non *ingens* varie derivatur. Qui hæc *primigenia* putant cum Cl. *Drieſſenio*, ne limina quidem horum Sacrorum attigerunt. Con-

Digitized by Google

Fons erroris, quem Cl. Drieſſen. cum ſuis perpetuo errat.

Confundunt nempe perpetuo *ideam philoſophicam*, quæ *abſtracta*; cum *idea Grammatica*, quæ *concreta*. In omnibus *Linguis magnitudo*, ſive *granditas*, *abſtracte* conſiderata, una eademque eſt: ſed *concrete* multam *differentiam*, & *varietatem Originis*, recipit, ſecundum cujusque *Linguæ* genium, & proprietatem. Aliter nempe *Hebræus* in *concreto* aliquid *magnum*, aut *grande* deſignat, *Vocabulo* ad id per uſum publicum dicato; aliter *Græcus*; aliter *Latinus*; niſi directe e fonte *Græco* aliquid in *Latium* defluxerit. Par ratio reliquarum nationum; quæ quidem non *Dialecto* tantum, ſed *Univerſa Lingua*, diſcrepent. Vides nil minus *Philoſophum*, quam ubi de *Originibus Hebræis* anquiritur, obhærere & oberrare in *Idea* iſta *Philoſophica*, quæ *abſtracte* concipitur: quum agatur de *Idea Grammatica*, quæ in *concreto* concipienda; ſecundum cujusque *Linguæ Nativam indolem*, & *virtutem Radicalem*. Infeliciſſimum proinde *Originatorem* ageret, qui rogatus quid *Hebræis* in *primæva ſtirpe* fuerit גדל, reſponderet *Magnum eſſe*: hæc enim eſt *idea philoſophica* & *abſtracta*; quum interrogatio tendat ad *ideam Grammaticam* & *concretam*, quæ cuique *Linguæ* propria, priva, domeſtica, & plane ſua. *Defectum* huncce ſentiens *Avenarius*, eum ſolito ſuo acumine ſarcire conatus eſt, collato דלג *exiluit*, q. d. *exilire in ſublime*, vel *magnitudinem*; itemque גלד *cutis* ſeu *pellis*, pro *magnitudine corporis*. Vides ingenioſas ineptias. Unice verum, certumque, quod *Arabum Dialectus* refundit: quippe quæ cum *Philoſophica* ſimul *Grammaticam ideam* nobis conſervarit. *Secundario* ſcilicet جدل eſt *magnum fieri, grandeſcere, creſcere, adoleſcere, corroborari*: a *primario*, *torqueri*, *intorqueri*. Eadem notio apud *Chald.* & *Syror. Metaphora* eſt deſumta a *filis tortis*, quæ & ipſa גדילים. Hac anſa adſcitum *creſcere*, *adoleſcere*, *grandeſcere*, *Validum*, *robuſtum*, *magnum fieri*, quæ ſumma virtute, & elegantia, hinc ſuccreverunt. Ab *Origine* hacce, cujus antiquiſſima ſemper jura, ſi illuc ſeries invitet, explicare auſus fui *Job.* 7: 17. מה אנוש כי תגדלנו *Quid eſt mortalis quod Luctatorem cum eo agas, te intorquens & implicans cum eo?* nam & *Arabes* hanc *Metaphoram* itidem aſſervarunt: & *Synonymum* נפתל *intorqueri*, pro *Colluctari*, eodem plane modo tranſlatum omnes agnoſcunt. Si quis ad *Jobi* contextum aliud decernat; atque juxta Verſionem receptiorem malit, *Quid eſt homo quod eum magnifacias?* id nihil ad *Originem*. Ea vel ſic dubio exemta, apud omnes qui aliquid in his judicare valent.

Avenarianæ deliciæ.

Vera Origo τȣ̃ גדל. Notio etiam Chaldæis & Syris trita.

Videamus, quid ad hæc ſagaciſſimus noſter *Diſſertator*: „ *Oportet* notionem „ primigeniam, *quæ & de entibus ſpiritualibus*, *Deo præſertim*, *& de Corporeis*, „ *& illorum*, *& horum*, *affectionibus adhibetur eſſe generaliorem: eſtque hæc re-* „ *cepta illa* Magnum eſſe. *Certe* primarius ſignificatus *non eſt ille quem V. Cl.* „ *ex Arabia advexit; qui illum ſubjectis tam diſparatis adaptes? Locus* Jobi *ſim-* „ *pliciter dicit quod ipſum reputet pro* magno *velut* adverſario. *Ipſius ſignificatus* „ *non ſatisfacit locis omnibus*, *neque derivatis*, *verbi cauſa* מגדל *turris* &c. " Medullam ipſam, credo, *Logices*, & *Metaphyſices*, ſuæ nunc propinat Vir Cl. nam nihil in hiſce intelligo; nec quid ferant, aſſequor. De *entibus ſpiri-*

Confutatur a Cl. Drieſſen.

Logices ſimul, &

...nul Metaphyſice.

tualibus, de *Corporeis*, de *horum* & *illorum affectionibus*; notio *primigenia* debet eſſe *generalior*, & hæc eſt recepta illa *magnum eſſe*: iterum dico; nihil aſſequor, nec ὕπαρ, nec ὄναρ. An forte voluit *Originator Philoſophus*, a primigenia vi *torquendi* non poſſe duci *magnitudinem* quæ non ſolum cadat in *entia corporea*, ſed etiam in *entia ſpiritualia*, ac præſertim *Deum* O. M. Neſcio. Hoc ſcio, totum *Syſtema* Cl. *Drieſſen.* in *abſtractis* verſari, ejusque *Linguam* eſſe *Idealem*, *quinta* quadam *Philoſophica eſſentia* imbutam; quam nemo capere queat, niſi iisdem deliciis innutritus. De loco *Jobi* in *Commentario* id diſcuſſum, quod

Verbulum ad מגדל.

bonis Arbitris ſatis ſpero facturum. Cur מגדל *Turris*, *Arx firmior*, مجدل, hinc derivari nequeat, ſive *magnitudinem* ſpectes, ſive *compactionem ſtructuræ*, alia ſcriptione latius nobis, ni grave fuerit, exequetur, & paulo preſſius demonſtratum dabit Cl. *Diſſertator*; ſimulque cur *ſignificatus noſter*, tot locis pondus, & decus addens, tamen *iis non ſatisfacere* pronuntietur.

Sapiens unde nomen invenerit apud Latinos?

III. Alterum *ſpecimen* hac *Sexta* in *Claſſe* miniſtrabat חכם *ſapiens fuit*. Eadem omnia, quæ modo de gemina *idea*, *Philoſophica* in *abſtracto*; & *Grammatica* in *concreto*, diſputavi, hic recurrunt. *Latinis ſapiens*, & *ſapientia*, a *ſapere* nomen invenit: ſive quatenus *gratum præbet ſaporem*, unde illud *Comici* ex ambiguo, in ſtolidum, *Sat edepol certo ſcio, occiſam ſæpe ſapere plus multo ſuem, quum manducatur*: ſive quatenus *judicio ſapit*, bona a malis diſcernens. Huc vocat *Cic.* L. 2. de *Fin.* c. 8. *Lælius eo dictus eſt* ſapiens, *quod non intelligeret quid ſuaviſſimum* (*nec enim ſequitur ut cui* cor ſapiat, *ei non* ſapiat palatus) *ſed quia parvi id duceret.* Hanc *Latinam Originem*, citra ullum Veteris *Linguæ* indicium, veſtigiumve, *Hebræo Themati* aſſignare non nimis *ſapiens* foret. *Græcis* σοφὸς ἀπὸ τοῦ σέβειν *venerari* dictus traditur in *Etym.* M. Certior *Origo Synonymi* πυκνὸς, & πυκινὸς a *compacto*, & *firmiter apto*. Et hoc *Hebræis* citra aliam probationem obtrudere ineptum foret: ſed *Originem* tam *aptam*, & concinnam, non admittere, etiamſi per Auctoritatem diſertiſſimam *Dialecti* confirmetur, illius eſſe videtur, qui negat, quia vult negare, quique a me diſſentiendum ſibi decrevit, etiam in liquidiſſimis, & luce meridiana clarioribus.

Apud Græcos *unde?*

Sublimis Cl. Drieſſenii *volatus.*

Talis hic iterum comparet noſter *Diſſertator*, ſic in mea inſurgens: „ *Sed* „ *cur* ſignificatus ſimplex *corporeum quid dicet*, *dum* κατ᾽ ἐξοχὴν *de* Deo *prædica-* „ *tur*: & *cur non habeat ſignificatum qui* mere *reſtringatur ad* Entia ſpiritualia rationalia, & *analogice ad animata aloga?* " Vides *Nectare* & *Ambroſia* nos paſcere Cl. *Drieſſen.* atque *Linguam Hebræam* in *Cœlo Metaphyſice* locare, ubi *mere entia ſpiritualia rationalia* verſantur, *ſpirituali Lingua*, conceptus *ſpirituales* reddere, ac reſonare, apta. Merito hinc ſubſumit. „ *Non moramur* „ *Latinum* ſapiens *a* ſapiendo, *quamvis hoc adhuc differat a* Compactione; & „ ſapere *non ſaltem* corporeum *quid dicit.* " Rogare liceat, mene impugnet Cl. *Diſſertator*, an ſemet? Ego quidem diſerte negavi חכם ſubjiciendam eſſe *Originem ſapientiæ*, a *ſapore*; atque *Compactionem*, ſive *compactam firmitatem cordis*, unice tenendam eſſe evici. En tamen, quod me feriat. „ *Cur* „ *verbum nullibi occurrit illo ſignificatu proprio in Scripturis*, & *ullibi ſaltem de* „ Cor-

Alius adhuc conatus.

Validiſſimus ictus.

Digitized by Google

„ Corpore bene compacto *prædicatur τὸ* חכם? ". Homines qui nunquam *Literas* viderunt, talia vix objectarent. Si *Cogitare* nuſpiam forte occurreret in ſenſu corporeo, an tamen falleret *Origo* a *Coagitando?* Si *Spiritus*, ſi *anima*, nuſpiam pro *vento*, & *flatu*, apud Scriptores proſtarent, an tamen *Veriverbium* mentiretur? Talia *millena* in omnibus *Linguis*: in quibus *ſecundaria poteſtas* præ *primaria* dominari ſolet, usque eo ſæpe, ut *primariam* funditus aboleat, atque extinguat. Ubi tamen Copia *Librorum*, & præſertim *vetuſtiſſimorum*, in aliqua *Lingua* abundatur, ad illud *primitivum*, & *proprium*, promtior aditus, Si ad *unum Librum* res redierit, plurimarum *Radicum proprius* ille *ſignificatus* plerumque exulabit; non niſi in *Fontibus Dialectorum* unquam inveniundus. Quid? an non *hac* ipſa *Claſſis* a me dicata iſtis *Radicibus* de quarum *uſu ſecundario* abunde conſtet: ſed quarum *proprius* & *primigenius ſignificatus* in Sacris nuſpiam obvius, non niſi ex *Dialectis* repeti, atque reſtitui, queat. Feſtivum ergo Saperdam, ut cum *Varrone* loquar, agit Cl. *Drieſſen*. quum poſt tam longam *excerptionem* & *confutationem* mei *Syſtematis*, adhuc *ſtatum Controverſiæ* noſtræ ignorat, & quid impugnaverit, ſibique cum hacce ſua ſcriptione voluerit, profundiſſime neſcit. Feſtivum quoque, & perbellum, *Epinicium*; in quod Capitalis hæcce pugna deſinit: „ *Vix dubito quin admiratio quem* „ *inceſſerit, ſi ejusmodi locum offenderit. Maneat igitur recepta* & ſapiens *notio.*" Beant talia; & promulſidem nobis præbent *Sapientiæ Metaphyſicæ*, quam omni pagina ex *ſanioris* ſuæ *Philoſophiæ* fontibus in *Lexica* infundere parat Cl. *Diſſertator*. **Aliquid Sapiens.**

III. *Tertium* in *Sexta* hac *Claſſe* documentum dederam צדק, cujus *ſecundariæ notiones*, omni dubitationi exemtæ, ſunt *Juſtum*, *verum eſſe*; צדק & צדקה *Juſtitia*, צדיק *juſtus*. Quid honoris, & debitæ reverentiæ, ſeculo meo detulerim, in *Origine* hujus *Radicis* indicanda, hic conſpici, atque animadverti, velim. Quum nemini ignotum autumarem *juſtitiam* eſſe *notionem ſecundariam*, & lucem ſuis ſe radiis ſatis inſinuare, atque commendare, crederem, ſimpliciter tantum dixi, *Hujus verbi* principem *ac* nativam vim *quilibet percipiet*, & *lubens*, *credo*, *volensque recipiet*, *ex idea* rigoris inflexibilis, *quam Arabes una cum* juſtitia & veritate *ſub hac Radice frequentant*. Conſimiliter in *Clavi Dialectorum* p. 277. צדק صدق *verum*, *juſtum eſſe*, a proprietate *recti* ſimul *rigidique*. Ne verbum quidem, ut in re liquida, addidi. In *Defect.* tantum *proprium* & *primigenium* illum ſignificatum *Recti Rigidique tenoris* ex fontibus meis adfirmatum dedi; adductis etiam uſibus *Rigoris*, & *Rigidi*, apud *Latinos*, tum *proprie*, in *duritia* & *rectitudine inflexibili*, tum improprie, in *juſtitia flecti*, & *corrumpi*, *neſcia*. Quid in *Linguis* evidentius, & potentius ad demonſtrationem, dari queat, non invenio. An non Vernaculum noſtrum Gerechtigheit eandem *ideam* cuivis ſuggerebat? Regtveerdigheit item, ex *recto* & *promto* conflatum, an non publicam mihi conſenſionem ſatis addicebat? Cave dicas aliud eſſe *recto—rigidum*, alind *recto—promtum*. Id vere eſſet *Cavillari*: quum *Linguæ* in magna *convenientia* ſemper tamen pro ſuo quæque genio differant & *diſconveniant*. **Belgica Origo, Hebrææ consonans.**

II. Ve-

Eum quinque Capitalibus argumentis quatit Cl. Diſſertator.

II. Veniam ſupplex ab *Orbe Erudito* peto, quod ad talia in publico deſcendam. Cogit me *rigor inflexibilis*, nec tamen *æquus* valde, *juſtusque*, quo multi cum Cl. *Drieſſen.* ſeſe adverſus omnia noſtra offirmaſſe videntur. Ejus *Criſis* ſic habet. „ *Mirum igitur quod ſimplice & primario* ſignificatu *nunquam* צדקה „ Juſtitia *prædicetur de* auro, ferro &c. *Hoc pacto veræ notiones ſimplices obſcu-* „ *rantur, & ſua latitudine privantur.* Rigor, rigiditas, *eſt Juſtitiæ qualitas* „ *quædam. Ex illis Hypotheſibus* Sapientia, Juſtitia, *proprie dicitur de rebus* „ *corporeis, improprie de Deo, hominibus* &c. *quod abſonum. Et quod ad notio-* „ *nem τῦ* צדק, *& inde τῦ* הצדיק, *eam tenere* veram primam propriam *& non* „ *confundere cum ſecundaria & acceſſoria aliqua, magni res eſt momenti in graviſ-* „ *ſimo dogmate de* Juſtificatione, *Jeſ.* XLIX. *Eccleſ.* VII. *meditationem requi-* „ *runt.*" Ea *meditatio* mox commodius a me exhibebitur. Nunc *quinque Capitalia* habes *argumenta*, ſine *meditatione* in me congeſta, quorum acie tum *Philoſophica*, tum *Theologica*, confuſiſſima & ineptiſſima mea *Originatio* ita confoditur, ut reſurgere nequeat. Singulis debitus honor habeatur.

Primum telum.

Primum eſt, צדקה *juſtitiam nuſpiam prædicari de auro, ferro* &c. Attuleram nempe ex *Latinis* fontibus *Rigorem auri, ferri, lapidum, frigoris*, pro *duritie*. Item *rigidum* pro *recto*, in illo mariore *Lactantii*, *Hominem ad contemplationem cœli* rigidum *erexit, bipedemque conſtituit.* Ex *Senec.* iterum, *Rigidari*, in *Regula rigorem rectiſſimum* exerente, ad omnem *inæqualitatem corrigendam.* Poſtulat nunc itaque æquiſſimus *Diſſertator*, ut talia quoque exempla ex fontibus *Hebræis* pro צדק, & צדקה, proferantur. Atquin *Claſſem* hanc *ſextam* diſerte aſſignavi, iis *Thematibus*, quorum *Origo*, ſive *ſimplex & primarius ſignificatus* in *Bibliis* non occurrit: ſed e *Dialectorum* copia *Linguæ Hebrææ* reſtitui, ac refundi, debet. An ergo *principium* mihi meum negatur; h. e. an contenditur *omnium Radicum primarias ſignificationes* in *Bibliis* inveniri? Non putem Cl. *Diſſertatorem* huc progreſſurum. Si fecerit, pulchrum habebimus ſpectaculum. Quid ſi *æquitas membrorum* non extaret, apud *Latines*, an propterea *æquitas animi*, & *æquitas boni judicis*, non deſcenderent ab *æquo*, & *æquali?* ſi item *iniquitas viæ* exularet ex omnibus Libris, an tamen *iniquitas* pro *injuſtitia* non derivaretur ab *iniquo*, quatenus *inæqualem* in *Origine* ſignat? Millena talia ex *Linguis* mihi cognitis depromere poſſem. Depromentur etiam, ſi opus fuerit, ſed alia occaſione.

Alterum.

Ad *ſecundum* venio; *hoc pacto veras* notiones ſimplices *obſcurari, & ſua latitudine privari.* Ego autumabam, eas hoc pacto *illuſtrari*, & *in ſuam latitudinem immitti.* Videamus. *Iniquitas Judicis*, eſt *injuſtitia*, vel & *acerbitas* quædam, & *inclementia*, *moderationem* excedens. Sciunt, qui ſub ferula plorant. Hi ſi poſtea doceantur, *iniquitatem* proprie eſſe *aſperam inæqualitatem*, quæ a *Corpore* tranſlata ſit ad *Animum*, ejuſque *Adfectiones*; dicentne *veras notiones ſimplices* ſibi *obſcurari*, & *ſua latitudine privari?* Infinita talia. Adſpergamus etiam aliquid e vernaculo.

Origo Belgica juſtitiæ.

Si noſtrum Gerechtigheit a recht/*recto* quatenus oppoſitum *curvo*, profluxiſſe inſinuetur, num *vera & ſimplex notio Virtutis* inde offuſcatur, an contra illuminatur, ut nativo ſuo decore ſplendeat? Regtſinnigheit

Ortho-

Orthodoxia, a *recto ſenſu* deſcendens, non minuitur, ſpero, ſi a *corpore* ad *Animum* tranſlationem factam dixero, etiamſi **Regtſinnige Oogen** pro *oculis recto ſenſu gaudentibus*, in *ſignificatu primario* nemo nunc uſurpet **Regtſinnighe Gevoelens** ſemper *improprie* veniunt: **Regtſinnigh Gevoel/** pro *tactus ſenſu non pravo*, & *hebete*, ſed *recto*, *experrecto*, *promto*, omnes, uſu illinc reſiliente, rideremus. Eadem ratio in **Diepſinnigheit; Scherpſinnigheit** &c. &c. Sed ohe! ſat prata biberunt.

Tertium inſtat Noſter; *Rigor eſt juſtitiæ qualitas quædam.* Nempe *Juſtitiam rigidam* dicimus, & *Rigorem Juſtitiæ*: ergo *Rigor* per ſe *juſtitiam* deſignare nequit. Nunquam audivi potentiorem *Logicam*. Quum inutili mea ſupellectile, quæ ex omnibus *Linguis* contraria omnia intimis ſenſibus adfixit, memet liberaro, *ſanum* illud *ratiocinium*, & *vim demonſtrationis*, forte conſequar. Utinam eam calluiſſent Majores noſtri, homines indolati, atque ineruditi, qui *Rectitudinem*, quæ nil niſi *qualitas*, pro *Virtute* ipſa frequentare, atque ita *ideas* rerum corrumpere auſi. **Tertium Logicum.**

Gravior *quarto* incumbet moles, nam ex *illis* meis *Hypotheſibus* ſapientia, juſtitia, *proprie dicetur de rebus corporeis*, *improprie de Deo*, *hominibus* &c. *quod abſonum.* Nunquam vidi hominem ſibi, ſuæque cauſæ, firmum magis, ac fidum, quam Cl. *Drieſſen.* Dicere potuiſſet, & debuiſſet, „ *ex illis Hypotheſibus* compactio חכמה, *&* rigor rectus צדקה *proprie de* rebus corporeis *dicerentur; improprie de* Deo, hominibus, *quod abſonum:* " ſed tunc illud *abſonum* male reſonuiſſet, atque in *Ratiocinatorem* recidiſſet. Fideliter ergo, atque providenter, *ſapientia* & *juſtitia* in locum ſubſtitutæ. Sed tamen, an *Sapientiam pernæ* ignorat Cl. *Diſſertator* ex *Ænigmatico* hocce in *Petaſonem?* **Quartum Metaphyſicum.**

Una mihi ſoror eſt, plures licet eſſe putentur:
De fumo facies, Sapientia de mare nata eſt.

Commeminiſſet ſaltem *Terentiani* leporis, in facetiſſimis hiſce:

Conſervis ad eundem iſtunc præcipio modum
Hoc ſalſum eſt; hoc aduſtum eſt; hoc lautum eſt parum.
Illud recte: iterum ſic memento: ſedulo
Moneo, quæ poſſum pro mea Sapientia.

Ubi *Donat.* Διασυρτικῶς *dixit* Sapientia, *quia condimentum guſtu ac ſapore temperant coci.* Non minus falſe *Plaut. Stich.* 2. 2. 36.

Hic, hercle, homo nimium ſapit.

Scilicet *Paraſitus*, qui *piſces ſibi depurgari*, & *pernam* ac *glandium* de fumario *dejici*, poſtularat. Ex *Ciceron.* etiam ſupra dedi: *Neque enim ſequitur, ut cui cor ſapit, non ſapiat palatus.* Nos *Grammaticaſtri* e talibus colligimus, *palatum*

ſapiens prius eſſe quam *ſapiens cor*: quum *Logica* Cl. *Drieſſen.* exigat ut *Cor ſapiat* ante *palatum.*

De *juſtitia* gratiam nunc facio Cl. *Diſſertatori*; monens tantum, quando iſti *Origini* veſtigandæ ſe forte dare volet, ne *Jus Culinarium*, cum *Jure Naturali*, aut *Forenſi*, confundat.

Quintum Theologicum. Deſcendit *quintus* ictus, „ *quod ad notionem* τῦ צדק *eam tenere* veram primam propriam *& non confundere cum ſecundaria aliqua rem eſſe magni momenti in Dogmate de Juſtificatione.* " Quid audio? *An Dogma de Juſtificatione* teneri nequit, niſi teneamus *primariam ſignificationem Juſtitiæ*? Atqui *Literatores* qui de *Latinis Originibus* conſcripſere, hic conveniunt ut Horologia. *Alciato juſtitia* eſt quaſi *viſtitia*, per *metatheſin*, quod *vim ſiſtat.* Hoc Cl. *Diſſertatori* forte non diſplicebit, eſt enim jucundum, & fœcundum ſic ſatis, ad Contemplationes ſublimiores.

Frigidi luſus circa Originem Juſtitiæ.

Aliis *juſtitia* quaſi *jus—ſtitia* dicta, quod *jus ſiſtat*, atque *æterna* ſit, ſuique ſemper ſimilis, quum *jus* ipſum *ambulatorium* ſit, & pro loco, ac tempore, mutetur. Fallor, aut hoc *Etymon* in regione *Metaphyſica* gradum ſat belle tuetur. Nos *Grammaticis* principiis nimis adſixi *juſtitiam* a *juſto* derivare cogimur; & *juſtum* iterum a *jur.* Huc ubi deventum, non *Jovis os* magnopere ſuſpicimus, non *Jovem* ipſum, a quo *Jous* per contractionem exierit; non etiam a *juvando* illud *Jus*, ſed a *Jubendo*, derivamus, q. d. *juſſum a magiſtratu.* Et quid ſi ne hoc quidem omnino firmum, ut mille alia in *Græcis*, *Latinisque*? An propterea detrimenti aliquid capiet *Dogma graviſſimum de juſtificatione*? Non digrediar ad *Græcum* Δίκαιος, cujus *Origo* multum diverſe traditur. Manebo in *Belgico* noſtro *ſolo*, & rogabo Cl. *Diſſertatorem*, an credat *Dogmati* de *Juſtificatione* aliquid decedere, quod illud per Regtveerdigmakinge exprimamus: quodque הצדיק in *vernacula* noſtra *Verſione*, proxime ad meam *Originem*, reddatur Regtveerdigen? Si id plus quam ridiculum cenſeret Cl. noſter *Theologus*, ut ſane eſt, quid *Originationem* a me productam *Theologice* ſugillat, & neſcio qua ſuſpiciuncula aſpergit? Atqui nihil completius, nihil cumulatius, noſtra hacce ſplendidiſſima, & pulcherrima, *imagine Rectitudinis rigidæ*, in vocibus צדק, & צדקה, ſive *Juſtitiam imputatam* ſpectes, quæ *omnibus numeris abſolutiſſima*, & *ad normam Legis exactiſſima*, in *noſtras rationes tranſcribitur*, ſi per veram, & vivam, Fidem *Chriſto* inſeramur: ſive etiam *juſtitiam inhærentem*, quam *Spiritus gratiæ*, & *regenerationis*, in *Chriſti* membris magis

Pſ. 23: 3. magisque conſummat. Hac amplitudine auctus illuſtris contextus *Pſ.* 23: 3.

alluditur ad Originem. *Ducit me* במעגלי צדק *in Orbitis Juſtitiæ*, in de Sporen der Gerechtigheit: proprie, *in orbitis recti & rigidi tenoris*, in de Sporen der Rechtigheit; quemadmodum vetus noſtra Lingua dabat Rechtige ſporen / pro *orbitis rectiſſimis.* Ecquid ſentis alluſionem illam venuſtiſſimam ad *Originem*, quam olim inſinuatum ibam, quæ cum *literali* adſpectu *orbitarum recta linea*, ſine *flexura*, aut *ſinuatura*, *pergentium*, complectitur *Spiritualiter Juſtitiam* noſtram *imputatam* ſimul, ſimul *inhærentem*; id eſt, *Beneficia Juſtificationis & Sanctificationis* junctim?

Alia alluſio. En aliud adhuc ſpecimen luſus pervenuſti, quem *Origo* noſtra palpandum præ-

præbet; *Eſaj.* 26: 10. *Si gratia fiat improbo, non diſcit tamen* צדק Gerechtig-heit/ *Rectitudinem rigidam, rectum rigidumque tenorem,* בארץ נכחות יעול Hy dryft onrecht in gantſch Richtigen Lande; *iniquitatem exercet in terra æquitatum rigidiſſimarum:* in het landt der Richtigheden; quod in *Hebræo fonte* contineri, indicatum a *Doctiſſ. Belg.* Plura alia Scripturarum Ruminatores, ingenio & judicio præpollentes, obſervare poterunt; atque, ad illuſtre decus Verbi in medium proferre.

Cl. Drieſſenii meditatio ad Eſaj. 49.

Diſpiciendum ſupereſt de locis *Eſaj.* 49: 24. & *Eccleſ.* 7: 16. ad quæ aliquid *meditatione* adhibita promittit Cl. *Diſſertator.* En primam *Criſin.* „ *Quia* „ *conſtantiſſima eſt vocis* צדיק *ſignificatio, & Titulus ille* צדיק Juſti *non convenit* „ Diabolo, *qui in hoc loco ſaltem illi tribuitur* (*quamvis non neſciam quam ejus* „ *dare conentur interpretationem commodam*) *per* potentem *&* Tyrannum *equi-* „ *dem intelligo* Diabolum: *ſed per* Juſtum צדיק Legem τὸν νόμον *maledicentem* „ *condemnantemque peccatorem juſtiſſime, dum ipſa eſt* Juſta *Rom.* VII. *Huic* „ Diabolus *pro Lictore & executore eſt. Sunt autem irregeniti ſub* κατάρᾳ. *Eſt-* „ *que gradatio.* Quis eripiet potenti ſpolium, *idque dum* captivi *ſunt in pote-* „ *ſtate* Legis juſtiſſime condemnantis, *& Diabolo prædam illam addicentis?* "

Ea non meditatiſſima.

Niſi ipſe Cl. *Diſſertator* monuiſſet, *meditationem* adfuiſſe haud ſentiremus. Voces גבור & עריץ *potens* & *Tyrannus* in *Verſu* 25. reſpondentes Vocibus גבור & צדיק, Cl. *Drieſſenio* junctim deſignant *Diabolum;* & tamen in *vs.* 24. *Potens & Juſtus* (Ego ſubſtitui *Rigidus*) diviſim accipere jubet, ut *potens* ad *Diabolum*, & צדיק *juſtus* ad *Legem juſtiſſime condemnantem* feratur. Vides *cum Veræ Hermeneutices regulis* conjunctiſſimam explanationem, qualem Vir *Doctiſſimus* in *Vero Behemoth* & *Leviathan*, cum *piſce Jonæ*, ex latebris tenebricoſiſſimis in lucem eruendo, *Orbi Erudito* prodigialiter conſpiciendam præbuit: neque erit jam in-poſterum, quod ad Oraculum hocce a quoquam, liquidæ lucis capaci, hæſitetur.

Conſpectus loci Literalis, & ſublimior.

Mihi tamen, ne imbecillitatem judicii mei celem, צדיק *vs.* 24. hactenus idem qui עריץ *Tyrannus, Violentus,* ſive *Literalem ſenſum* a *Bellatoribus formidoloſiſſimis* deſumtum ſpectem, ſive *Spiritualem,* & *ſublimiorem,* qui ad *fortiter Armatum illum* tendit, quem *Dominus* in *Euangelio* deſignabat. Uterque *adſpectus* tum *Literalis*, tum *Figuratus*, non tam *Juſtum*, quam *Rigidum*, & *Vehementem in armis*, exigere videtur. Si *Libris Hebraicis*, ut *Græcis*, *Latiniſque*, abundaremus, atque ampliore proſpectu *Veteris Linguæ* gauderemus, nulla foret difficultas, prout *Rigidus* nemini perito negotium faceſſit, *juſtumne* intelligere debeat, & *rectum*, ex ſerie, an eadem cogente, *vehementem* & *præduram*. Nulla non *Lingua* talibus ſcatet, quæ nonniſi vi orationis, & conſtructionis, diſcernuntur. Minutus foret interpres qui *improbum* ſemper uno eodemque ſignificatu mactare vellet. Ei optandum foret, ne unquam in *Lapidem improbum* incideret; quemadmodum ipſe nunquam *Laborem improbum* impendere voluit, ad *Linguarum ardua*, quin & *præcipitia*, ſuperanda.

Anguſto

Hæc Cl. *Diſſertatori*, conſtantiſſimum vocis uſum urguenti, eundemque in

judicat, qui anguſte habitat.

Conſiderationibus ad Job. 3: 17. pro רשע *improbus* denuo inculcanti, nunc verbulo tantum repoſita velim. Anguſte judicat, qui anguſte habitat. Id *Conſiderationes* illæ Capitaliſſimæ omni pagina arguent prout in *univerſa Diſſertatione de veris Cauſis & Auxiliis interpretandi Linguam Hebræam Biblicam* easdem *anguſtias* omni periodo nudavimus.

Altera meditatio Cl. Drieſſen. ad Eccleſ. 7.

Reſtat *Viri Clariſſ. meditatio* ad *Eccl.* 7: 16. אל תהי צדיק הרבה *Ne ſis juſtus multum.* Ego commodius autumaram, *Ne ſis Rigidus*, vel Barbare, *Rigoroſus multum.* Id acuminis mihi & res commendabat, & membrum adjectum ואל תתחכם יותר *& ne compactum geras nimis.* i. e. Cave πυκνὸς degeneret in πεπηγὸς. Habes, ni fallor, *lumina* non injucunda *Linguæ* ſimul & *ſenſus.* Ad hæc *Diſſertator* noſter, „ *Verba in Eccleſiaſte non ſunt ipſius Salomonis* reſipiſcen„ tis; *ſed Salomonis ante* carnaliter *aberrantis*, *quæ ipſe jam refutat. Vide meum* „ *Commentarium ſubnexum* ſapientiæ hujus mundi &c. &c." Id quam verum ſit alio in opere Commentario forte deprehendetur; nunc ne longiſſimæ diſcuſſionis æſtu abſorbear, terram non linquo: & ſuo in ſenſu abundare ſinens Cl. *Drieſſenium*, verbulo tantum monebo, ne minimum quidem propterea *Origini* Verborum צדק & חכם decedere, etiamſi explicationi hujus, aliorumque, textuum, quam propoſui, a Viris gravibus non accedatur, non enim *Origines* meæ in iſtis *explicationibus* fundantur, ſed firmiſſimis principiis, & fundamentis, aliunde adſtructæ, ſic *applicantur*, ad quorundam locorum illuſtrationem. Illa *applicatio* ſi minus vel *neceſſaria*, vel *legitima*, videatur, non intercedo: atque melioribus ſemper lubentiſſime concedam.

SECTIO XII.

I.

Generoſiſſima Cl. Drieſſenii *oppugnatio.*

Si *Diſſertatio* Cl. *Drieſſenii* in pulpito Tibi ante oculos, mirabere, Lector, quid ſibi velit mea *interſectio*; nam ipſe *Diſſertator* continuata *Sectione* XI. ſic modo pergit. *Tandem V. D. p.* 423. *Manum de hac tabula tollenti, atque ad alia feſtinanti, ſuccurrit inſigne adhuc lumen, quo augeri poſſet Pſ.* 16: 6. *ex uſu illo figurato* naſi אף נחלת שפרה עלי *Etiam Hæreditas ſpecioſa eſt mihi. Nihil videtur deſiderari poſſe uberius; & tamen uberius quid effloreſcet ſi ſubſtituatur*, Naſus hæreditatis lectiſſimæ ſpecioſus eſt ſuper me. *Id quidem noſtris auribus inſuetum, ſed Orientali genio congruentiſſimum* &c. &c. *Contentus interim conjecturam hanc in medium contuliſſe, judicium Lectori relinquo; meumque ſuſtinebo, donec liquidius aliquid de Verbo* שפר *adfulſerit. Conf.* 1 *Sam.* 1: 7. &c. &c.

Finis coronat opus.

Habes particulam Verborum meorum, ex *Excerptis* Cl. *Diſſertatoris* iterum a me excerptam, ut pulchram *Coronidem* pulchro certamini impoſitam admirarere. Sic ergo Finis coronat opus: „ *Judicet Lector. Quam quæſita eſt illa.*

„ ex.

Digitized by Google

„ *expoſitio ad Pſ.* XVI. *Quidni retinetur recepta Verſio* Etiam? *Ubi in loco Sa-*
„ *muelis portionem* ſpectabilem *dicit* אפים, *non ſignificat* Naſum *ſed* vultum,
„ faciem. *Hactenus igitur Linguæ Hebrææ Biblicæ Defectus Hodiernos offendimus*
„ *nullos, unde opus non eſt in ſuas illos Claſſes digeramus.*". Non poterat decentius, & glorioſius, ſimul finiri. Non e vano jacit Cl. *Diſſertator*, *Hactenus Defectus hodiernos offendimus nullos*; nam ſtudioſiſſime id egit, ut nec ipſe *Defectuum* a me indicatorum *Claſſes* cerneret; nec a *Lectoribus* ſuis eos diſcerni pateretur.

Scias ergo, candide Lector *duas poſtremas Claſſes Defectuum* uno longo ſaltu a Cl. *Diſſertatore* tranſmitti; atque in *ultima*, Exemplorum firmo agmine inſtructa, id carpi, quod ipſe Ego leviſſimæ conjecturæ loco poſui; ſcrupuliſque oneratum non in medio tantum reliqui; verum etiam ad quod judicium me meum ſuſtinere diſertis verbis commonui. Fortiſſimam enim vero Viri dextram! quæ etiam quod non tangere auſa, deſtruxit, atque ſubvertit. Ne interim neſcias, qui forte hæc leges, quid Cl. *Drieſſen.* plane intactum liquerit, *Præſtremus Cl. Drieſſenii ſaltus.*

Improviſum aſpris veluti qui ſentibus anguem
Preſſit humi nitens, trepidusque repente refugit.

inſpicias velim, non *pag.* 423. 424. ſed quæ a *pag.* 416. ad 423. late diſſerui. Ibi a *paragr.* CCXXIX. ad CCXXXIX. reperies *ſeptimam Claſſem Defectuum* qui adhuc hæreant in *Grammatica Hebræa*, ejusdemque tum *Analytica*, tum *Syntactica* regione. Quam vellem *Nullos* hic *Defectus* dari, eviciſſet Cl. *Diſſertator*, ante, quam ego Spinoſiſſimam illam Scriptionem ſuſciperem, qua nuper *viam pandere conatus fui*, ad *Analogiam Linguæ Hebrææ* ab infinita illa mole *Anomaliarum*, ſub qua longa gemuit ſecula, vindicandam. *Octavæ Claſſis* conſpectum aperit *Parag.* CCXXXIX. uſque ad finem *Opuſculi*, complectens *integras Phraſes*, *formulaſque*, cœlo *Orientis* proprias, quas tum genius nationis erectior, & ſublimis, tum peculiare ingenium *Linguæ*, proſeminarit: ad quarum nativam venuſtatem, ac gratiam, nullo pacto penetrari queat, niſi *Literaturæ Orientalis* facula præluceat. Non ſtulte ſapuit Cl. *Diſſertator*, quod utriusque *Claſſis aciem* non tantum, ſed & *conſpectum*, fugiens, victorem ſeſe tulerit, omnesque meas copias profligatas, & diſſipatas, Ipſe prommulgarit. *Claſſis ſeptima Defectuum.* *Claſſis octava.*

SECTIO XIII.

I.

Iterum nova *interſectio.* Nempe cuique ſuum tribuendum. Copiis meis fuſis, fugatisque, victrices catervas, ut fieri aſſolet, vacuo in Campo explicare, & ſpolia legere incipit Cl. *Diſſertator.* Sic ergo magnifice porro, ut *Cl. Drieſſenius opima ſpolia legit.*

victorem decebat, ſeſe infert. „*Fateor non omnes voces, quas Hebræa Ling. olim* „ *habuit, in Scriptura comparent; ſed continentur illæ Voces & dictiones quæ ſuf-* „ *ficiunt ad Diviniſſimum ejus argumentum Dogmaticum, Morale, Hiſtoricum,* „ *Typicum, Propheticum, Allegoricum notitiæ noſtræ inſinuandum planiſſime, di-* „ *ſtinctiſſime, copioſiſſime, vividiſſime.*" Habes flumen. An lumen quoque adſit, videamus. Aliquid tandem *Fatetur* Vir Doctiſſ. ſed quod una manu dat, mox altera ut adimat, dextre curat: *contineri* nempe *in Scriptura* ait illas *voces* & *Dictiones quæ ſufficiant ad Diviniſſimum ejus argumentum* &c. *inſinuandum.* Hoc tantundem eſt, ac ſi diceres, in *Pindari Odis* contineri omnes illas voces, quibus *Pindarus Odas* ſuas, profundosque ſenſus ſub iis comprenſos, efferre voluit. Certe in *Pſalmis*, in *Jobo*, in *Proverbiis*, in *Moſe* & *Prophetis continentur omnes illæ voces, quæ ſufficiunt ad Diviniſſimum eorum argumentum Dogmaticum, Morale* &c. &c. *notitiæ noſtræ inſinuandum planiſſime, diſtinctiſſime, copioſiſſime, vividiſſime.* Quis negat? Quæſtio eſt, an omnia, maxima, minima, *ſenſus ſublimiſſimos, Ornamenta ſplendida, Figuras excellentiſſimas, Divitias inexhauſtas*, ita *plane diſtincte, copioſe, vivide*, aſſecuti ſimus, ut nec hocce ſeculo, nec ſequentibus, quicquam *Lucis* ſuperaddi queat. Adfirmat Cl. *Drieſſen.* Negat; & cum debita erga Magnos, qui nobis præluxere, Interpretes, veneratione, pernegat *Schultenſius*: negant, & pernegant, mecum omnes, qui quantum adhuc ſit quod neſciamus, quam divitesque theſauros ſapientiæ Verbum Dei recondat, religioſe agnoſcunt.

Magnificum quid pro S. S. Theol. ſtudioſis. A tam luminoſo Exordio profectum Diſſertatorem, nil niſi *Meteora* loqui, haud mirabere. „ Quo *igitur pauciores*, ita pergit, *ſunt voces, & dictiones,* „ *quæ tamen abundantiſſime ſufficiunt, eo facilius illas ſibi familiares reddit Lin-* „ *guæ Biblicæ ſtudioſus, in que agnoſcimus non Linguæ pauperiem, ſed Dei benignitatem, & Sapientiam.* A renatis *Literis* nihil Sapientius auditum in *Republica Literaria.* Curabunt S. S. *Theologiæ Studioſi*, ut aureo Charactere deſcriptum Oraculum in *Muſeo* ſuſpendant. En aliud adhuc Cedro linendum. „ *Ne-*

Aliud Meteoron luminoſiſſimum. „ *que video, ſi jam ſupereſſent* Radices & derivata *quas & quæ Lingua Hebræa* „ *olim habuit* omnes & omnia, *quid* Lucis *adferrent* uberioris *Linguæ Biblicæ,* „ *quæ Lingua per ſe eſt plena; in eoque ſingularis quod omnis ejus conſtructio ſit* „ *Divina eundem habens Auctorem Spiritum S.*" Sentisne? Cl. *Drieſſenius* tam potens eſt in *Hebraicis*, atque tam profunde Medullam *omnium Radicum* & *Derivatorum* introſpexit ad lumen *Logicum*, & *Metaphyſicum*, ut non videat *quid Uberioris Lucis* ipſi *accedere* poſſet, etiamſi *tota Lingua Hebræa*, in omni ſuo ambitu, *reviviſceret*, Ejusque *Radices ac Derivata omnes*, & *omnia*, in *Muſeum* ejus intrarent. Nempe *Lingua Biblica* eſt *Lingua per ſe plena; omnisque ejus conſtructio Divina, Auctorem habens Sp. S.* Aquilinus enimvero volatus! quo ſupra nubes ſcandens Cl. *Diſſertator*, ſeſe terris, oculisque ſimul noſtris, eripit. *Spriritum S. Auctorem* eſſe *Verbi*, & nos tenemus. *Omnem ejus conſtructionem eſſe Divinam*, concedo, ſi per *conſtructionem* intelligatur *conſcriptio*, qua *Sacri Scriptores* ſive *bona*, ſive *mala*, narraturi, & ſive *bonorum*, ſive *malorum hominum* dicta redditturi, nihil conſignarunt, niſi *Spiritu S. Auctore*; ita tamen ut idem ille *Spiritus* cuique *Scriptori Sacro ſuum* relinqueret *genium*, *ſuum* di-

Digitized by Google

dicendi *Characterem*, *ſuumque* adeo *ſtilum Humanum*, in *Lingua* non utique *per ſe Divina*, ſed *Humana*, & *Hominibus Hebræis* vernacula. Qui hoc negaret, Fundamenta ipſa Revelationis, & Veritatis, in periculum adduceret; atque aperto ſeſe *Fanatiſmo* implicaret. Cl. *Drieſſenium* huc progreſſum, quum ait, *quæ Lingua per ſe plena eſt*, non crediderim, ſed exiſtimarem, eum nihil aliud voluiſſe, quam quod ante vidimus, *Voces quæ in Bibliis uſurpantur ſufficere Diviniſſimum argumentum eorundem nobis inſinuandum.* Atqui eodem jure *Lingua Græca Novi Teſtamenti*, *eundem* quoque *habens Auctorem* utique *Spiritum Sanctum*, *per ſe plena* dici poteſt, & debet. An tamen inde jam conſequetur, ad *Novi Teſtamenti intelligentiam* non deſiderari ampliorem *Linguæ Græcæ* copiam, quam quæ Sacratiſſimi illius Codicis cancellis continetur? Ecquid de *Lingua Biblica N. T.* etiam dicere ſuſtinebit Cl. *Diſſertator*, *Non video quid Lucis uberioris adferre poſſent omnes Græciæ Veteris Auctores*, atque adeo, *univerſa Lingua Græca*, *ejusque Radices ac derivata omnes & omnia.* Ne quid in reſponſione reddenda erret Cl. *Theologus*, ſciat velim, me hac in *Quæſtione* per retorſionem ponenda, non rogare de *Doctrina Veritatis*, ſed de *Lingua*, qua *Cœleſtis* illa *Doctrina Hominibus Græca Lingua utentibus* tradita fuit. Expecto quid reſponſi ſim laturus, ut quo pacto mihi in poſterum *utroque* in *Teſtamento* explanando ſit verſandum, quibusque ex Fontibus *cognitionem Linguæ Hebraicæ* & *Græcæ* haurire debeam, diſtincte, & diſerte, intelligere incipiam, reliquumque meum curſum ad iſtam Directionem intendam.

Liberalitas Viri.

Sed *Liberalis* eſſe cœptat Cl. *Diſſertator*, ita pergens; „ *Illud largior*, *ſi* „ vox & conſtructio *quæ ſaltem legitur* ſemel, *legeretur* ſæpius, & *ſi quarum* „ derivata *ſuperſunt*, *ſupereſſent* & radices, *in illis locis ſignificatum propriiſſi-* „ *mum facilius poſſe conſtitui.*" Aliquantulum adhuc loci *uberiori Luci* videtur relinqui, & paululum ſaltem lucramur. Ne tamen altiores forte ſpiritus ſumeremus, *Liberalitatem* ita mox temperat, & caſtigat, prudentiſſimus *Diſputator*, „ *Sed confido* τῶν ἅπαξ λεγομένων *ſignificatum*, *ſi non ubique* propriiſſimum, „ *eum ſaltem qui loci ſenſum non turbet* realiter *figi poſſe ex nexu*, *ſcopo* &c. *me-* „ *diantibus illis quæ Deus ſupereſſe voluit Adminiculis*". Vides *Realis expoſitionis* fontes nunquam areſcere apud eum qui *Verſionibus* & *Lexicis* probe munitus; etiamſi *Litera* & *proprietas Linguæ* ipſum deficiat. Tantum poteſt, polletque, videlicet, *Logica*. En potentius adhuc ejusdem numen. „ *Et quod* „ *ad* derivata *quorum* Radix *deſideretur*, *ſi vere deſideratur*, *Radix qualis fuerit*, „ *quidque ſignificarit*, Judicio Logico *adſequimur.*" Cernis iſti *Logicæ* nihil inacceſſum, impervium nihil. Clauſula hæc eſt. „ *Credo etiam voces plures* „ Biliteras & Triliteras, *quæ perperam habentur pro* Derivatis, *eſſe* primigenias, „ *& perperam illarum* Radices, *quæ ipſas in luce*, *vel majore luce*, *ponant*, „ *deſiderari.* Fortiter, & providenter. Ne tantulum quidem, vel tantillum, *deſideratur* ad *Linguam Biblicam* ulterius illuſtrandam; omnia in pleno meridie lucent: atque *Mathematice* demonſtratum eſt, *defectus Hodiernos Linguæ Hebrææ* eſſe *nullos*, ac proinde non eſſe quod vel ſeculum noſtrum, vel univerſa poſteritas, uberiorem Lucem, quam Cl. *Drieſſen.* poſſidet, expectet.

Quam tamen prudentia temperat.

Logicæ virtus in Radicibus deperditis enucleandis.

Nihil uberioris lucis expectandum.

SECTIO

SECTIO XIV.

I.

Admirabilis Colophon.

Iterum *Sectionem* peculiarem debeo Magnanimitati Cl. *Diſſertatoris*, qua *Colophonem* admirabilem univerſo certamini impoſuit; oſtenditque, ſe rerum pondera, atque momenta, de quibus mecum in congreſſum venit, intime exploraſſe, atque introſpexiſſe.

In ſemet inſurgit Cl. Diſſertator.

Orditur a generoſa quadam objectione, qua ſemet aggreditur. „ *Sed als* „ *tandem, ſi vocum ſignificatus* primigenius univerſalis *ea qua volo methodo ſit* „ *veſtigandus & figendus, neque ex* Arabiſmo *qua V. D. voluit via repetendus;* „ *unde igitur eædem illæ voces Hebrææ* ſignificatus *magnam partem* figuratos *ad-* „ *eptæ ſunt apud Arabes?* " Ingenue, ut ſentis, & nobiliter. Agnoſcit Doctiſſ. *Diſſertator* ſummam *adfinitatem Dialecti Arabicæ* cum *Hebræa*; quam & alibi conceſſam liberalius, ac *Syſtema* Viri forte patitur, innuimus *pag.* 450. 451. ſupra. Hæc *Adfinitas*, tanta, ut qui *Limina* modo *Arabica* ſalutarit, eam confeſtim perſentiſcat. Hoc *Syſtematis* noſtri *Fundamentum*, & *Firmamentum*, directe tangere non ſuſtinens Cl. *Drieſſen.* argumentum inde oriundum *Methodum* noſtram ſupra omnem dubitationis aleam evehendum, oblique eludere conatur, inſinuans *Voces Hebræas apud Arabes ſignificatus magnam partem figuratos eſſe adeptas:* ac proinde *proprietatem Linguæ* ab iis repeti non poſſe. Valde ſubactum in *Hebraicis* ſimul, & *Arabicis*, eſſe oportet Cl. *Drieſſenium*, qui tam ſolide diſcernat utriusque *Dialecti* characterem; atque apud *Hebræos* fere omnia *propria* & *primigenia* deprendat, apud *Arabes* omnia *figurata* & *ſecundaria.* Mihi contraria omnia liquent. In latiſſimum Campum, qui longius nos abduceret, me nunc non immitto. Reverenter tantum ponam reſponſionem,

Sibique ſatisfacit.

qua ſuæmet objectioni cumulatiſſime ſatisfactum a Cl. *Diſſertatore:* „ *Quis dicat modum & rationem omnem?* " Credo equidem: nam nec *modum*, nec *rationem*, habet tota iſta argumentatio. Condigne ergo ſic pertexitur ratiocinium:

Docta obſervatio.

„ *Poſſunt labente tempore voces aliquæ ita reſtringi ad ſubjecta quædam particula-* „ *ria, ut ſingularis ille & ſecundarius earum ſignificatus jam videatur eſſe ipſarum* „ *primigenius, qui tamen alius eſt, & univerſalior.* " Non eſt quod dubitemus. Cl. *Drieſſenius* ipſe id ſuo Exemplo demonſtratum, atque in Orbis Eruditi oculis defixum, voluit. Quos omnes *Latine* docti *ſecundarios* eſſe ſciunt, pro *primigeniis* ipſe habet, *Convaleſcere*, *Rectius ſe habere*, *recreare*, *refocillare ſe. Incendere. Facere ut quid non cohæreat*, *ſive diſſolvendo*, *ſive conterendo*, *ſive excutiendo* &c. &c. atque ita porro, per univerſam illam ſeriem *verborum*, quibus *ſignificatum primigenium ſimplicem proprium univerſalem*, verbis a me mala veſte indutis, ſe redditurum eſſe promittebat. Ambigere nequeo, quin ad hunc modum *primigeniam ſignificationem* tenere ſtatuat, *Cogitare*, *Putare*, *Diſputare*, *Diſſertare*, *Conſiderare*, *Examinare*, *Controverſiæ ſtatum tenere*, *Judica-*

Digitized by Google

tare, *Decernere*, *Decidere*; & *Rebus certiſſimis Caliginem*, *Tenebras*, *Noctem*, *offundere*. Geſtio videre, quam mox *Lumen Logicum*, & *Metaphyſicum*, his, aliisque infinitis vocabulis *Latinis* accendatur; ut quos *ſecundarios* eſſe *uſus* autumabant omnes noſtri Eruditi, *primarios* eſſe condiſcant.

II. Nempe etiam ad *Græcas*, & *Latinas*, *Origines* attendiſſe Cl. *Drieſſen.* æque ac ad *Hebraicas*, ſequentia nobis inſinuant. „ *Notus eſt ſpecialiſſimus* „ רע גאל & גאל *ſignificatus ſub Lege Moſaica*, & *tamen vox ejusque ſignifi-* „ *catus primigenius univerſalior jam extitit ante latam de Legali Goële Legem*, „ *Job.* 19: 25. *Græcorum illæ dictiones quæ adhibentur de Ludis Circis Certami-* „ *nibus*, *illis uſu ſic evaſerunt* propriæ, *ut ille ſignificatus quem tunc acceperunt* „ *videatur* primus & proprius, *cum ſit* ſingularis & ſecundarius: *etenim voces* „ *omnes a* Carceribus *ad* Metas *jam diu exſtiterunt ante inſtitutos Ludos* &c. „ *ſuumque primigenium* & *univerſaliorem ſignificatum habuerunt.*" Ni monuiſſet Cl. *Diſſertator*, periculum erat, ne *Carceres* & *Metam* mactaſſem *ſignificatu primo* & *proprio*, una cum *Ludo*, *circo*, *certamine*. Nempe ne *Novaculam*, vel *Titionem*, *Logices* expers, caperem *proprie* pro *Rege*, veritus quoque fuit Vir prudentiſſimus, ut ſupra viſum. Subſumit itaque: „ *Rebus autem no-* „ *viter inventis ſignificandis adhibuerunt voces quæ appoſitiſſimæ videbantur*, *qua-* „ *rumque ſic* ſignificatus primigenius & univerſalis *degeneravit uſu in* ſecunda- „ rium *illum*. *Idem accidere potuit* Arabiſmo, *præſertim ſi accedit genius in* fi- „ gurata *dictione luxurians*, *per quem ex Vocibus a* primigenio ſignificatu *defle-* „ *xis*, *ad* Metaphoricum *naſcitur tandem Lingua maximam partem* Metaphorica, „ *ejusque promtuaria Lexica.*" Si roges, quorſum telum hocce; ſcias *Diſſertatorem* noſtrum vincere velle, *maleſidam* eſſe *opem*, *lucemque*, *Arabicæ Dialecti*, quod tota, quanta quanta, in *Metaphoricam* degenerarit, atque *proprietatem Hebraicam* penitus exuerit. Quis Cl. *Drieſſenio*, pulchre haud dubie *Linguam Arabicam* callenti, fidenterque hæc aſſeveranti, fidem denegare audeat? Decretorium ergo hocce abeſſe non poterat. „ *Denique Lexicographi* „ *illi Arabes non dicunt* & *ſimul probant illos ſuos ſignificatus eſſe* primigenios, *ſed* „ *indicant uſus receptos*: & *quis ab ejusmodi* Philoſophis *expectet erutas primas* & „ *ſimplices rerum notiones*, *in quibus vel ipſe* V. D. *alibi agnoſcit* ordinem nul- „ lum, nullum lumen *Criticum*; *addat* nullum *Metaphyſicum.*" Meis me telis dexterime configit Cl. *Diſſert.* ut teneas illud *alibi*, legendæ erunt quatuor illæ *Obſervationes Criticæ*, quas *pag.* 377. ad 379. de *Defect.* propoſui. *Prima* erat, *imperfecta* eſſe, omnibus in *Linguis*, præſtantiſſima quæque *Gloſſaria*, & *Lexica*: ac proinde nec in *Græcis*, nec in *Latinis*, nec in *Arabicis*, quicquam Viro dignum præſtari ab iis poſſe, qui e *Lexicis* tantum ſapiunt. *Secunda*, ad ambitum *Linguæ* alicujus, interioremque genium, non poſſe penetrari, niſi ex *copia*, & *Lectione* multorum *Auctorum*. Inde *tertio* inſinuavi, in *Lexicis Arabum* nec illum *Ordinem* lucere, nec illud radiare lumen *Criticum*, quod *Originibus Linguæ Arabicæ* ubique dextre aſſequendis ſufficiat. Adjeci, *quarto*, rationem, quod qui *Vernaculam* tantum *Linguam*, callent, & tractant, neutiquam vel pro ſe ſatis perſpiciant, vel pro exteris exponant, quo pacto ſi-

Alia non minus docta, & ſolida.

Iterum alia.

Omnium doctiſſima, & completiſſima.

Quatuor obſervationes de Arabum Lexicis, a me propoſitæ.

ſignificationes aliæ cum aliis cohæreant, aliæque ex aliis ſine confuſione propagentur. His *Obſervationibus* occurrendum mihi erat quorundam inſcitiæ, & temeritati; qui quum *Lexicon Arabicum* utcumque evolvere didicere, ſe ſatis copioſe ſubornatos autumant, ad *Linguæ Hebrææ* interiores ſinus, ac receſſus, perrimandos. Dexterrime ergo, ut ſentis, meo me gladio nunc jugulat Cl. *Diſſertator*, atque *Lexicographos Arabum* premit, ſapienter rogitans, *quis ab ejusmodi Philoſophis expectet erutas primas, & ſimplices, rerum notiones?* ſimulque negans *ullum* iis *Metaphyſicum Lumen* ad *Origines Linguæ ſuæ* rite conſtituendas unquam adfulſiſſe.

Hinc dextre jugulor a Cl. Drieſſen.

Finiviſſem, niſi Cl. *Drieſſen.* paululum adhuc ſeque, meque, detinuiſſet, una alterave reflexiuncula, quas omittere nefas. „ *Sed an igitur*, reſumit, „ *nullus eſt Arabiſmi uſus in Lingua Biblica? Certe idem, qui Syriaſmi, Chaldaiſmi* &c." Jam ſupra tactum p. 452. ut & alterum illud, multo modeſtiſſimum: „ *Si quaris quæ Dialectorum in hoc uſu principatum teneat; non eſt opis „ meæ iſtam Litem componere*". Nil pote completius, aptiusque, ad univerſæ *Diſſertationis* argumentum. Eidem cumulatiſſime quoque reſpondet tertium hocce: „ *Hoc teneo, ea, quam V. D. inflexit, via fruſtra* primigenios „ *vocum Hebræarum* ſignificatus *quæri apud Arabes. Attamen non diffiteor ex „ ſecundariis & figuratis, quos illi promunt, in bis illis juſto ratiocinio ad pri- „ migenios & ſimplices ſignificatus quem poſſe adſcendere: aliter vero ſi inſtituis ex „ tralatis Arabum ſignificationibus nativæ vocum notioni tenebras offundis.*" Scilicet Cl. *Diſſertatori* ſi credimus, in *Lingua Arabica* nil invenire eſt, niſi *ſecundarios*, & *figuratos*, *ſignificatus.* Inde per *juſtum ratiocinium* ad *primarios* & *ſimplices Hebræorum in bis illis adſcendi poſſe*, largitur. Quid ſi Ego jam, hac conceſſione, quam feriam ſuppono, utens, Cl. *Drieſſenium* planiſſime *Meum* ſalutare poſſim; etiamſi totum ſuum *Syſtema* retineat? Hoc quum non poſſit; nimisque apertum ſit, & evidens omnibus, qui oculos habent, maximam partem *ſignificationum* in *Lingua Biblica* eſſe *ſecundariam* & *figuratam*: *primigenia* in totum *deficiente*; apud *Arabes* autem, una cum iisdem *ſecundariis* & *figuratis*, etiam *primariam* plerumque occurrere, atque ſecundum certiſſima principia ſanioris *Critices* conſtitui poſſe; jam *dupliciter Meus* evadat neceſſe eſt Cl. *Drieſſen.* ſi levicula modo *Linguæ Arabicæ* notitia ſeſe imbui patiatur: atque *Linguas* non ut *Theologus*, & *Philoſophus*, in *abſtracto* contempletur, per regionem *Metaphyſicam* altius evolans, ſed ut *Philologus*, ac *Literator*, terram ſub pedibus retineat, in *concreto*, atque intra *ditionem Grammaticam*, ac *Rhetoricam*, ſeſe continere velit, ad *primigenios fontes* Vocabulorum, juxta cujusque *Linguæ* genium, ſagaciter detegendos, indeque *ſecundarias poteſtates* per omne genus *Troporum* dextre & feliciter deducendas.

Extremi conatus Cl. Diſſertatoris.

Longiuſcule tamen ab hac noſtra *terra firma* adhuc abeſſe Cl. *Drieſſen.* percipio ex Clauſula mirificentiſſima, in qua ut Ipſe finit, ita & nos tandem definemus. „ *Ceterum quanti res ſit momenti a* ſecundariis *ſignificationibus adſcendere ad* ſignificatum abſtractum univerſalem, *qui ſignificatus univerſalis* „ purus *eſt*, *nibil imperfecti involvens*, *quod ſecundarius aliquando implicat*, *Ego* „ *oſtendi relate ad Auguſtiſſima Religionis noſtræ Myſteria* Tractat. *Vindiciæ lo-*

Metaphyſicam *Linguam, quæ nihil imperfecti involvat*, commodita-

„ co-

„ *corum in Euangel. ſecundum Joh.* " Reliqua non exſcribo: & Curioſum, ſi ſorte, Lectorem ad duas ultimas paginas *Diſſertationis* remitto. Deprendet inde, quod & ex tota hac *Pericope* relucet, Cl. *Drieſſenium* in *Abſtractis* habitare, atque *abſtractam* meditari *Linguam*, cujus *primariæ ſignificationes* ſint *puræ*, *univerſales*, a materia ſecretæ, quæ *nihil imperfecti involvant.* Ergò tantum inter *Origines Drieſſenianas*, & *Schultenſianas*, divortii, quantum inter *aëreas*, & *terrenas*, domos. Ego, cum curta mea ſupellectile, humi gradior; nubes ſublimi volatu tranare necdum didici, neque unquam, quæ mea eſt tarditas, condiſcam. *tur Cl. Drieſſen.*

Digitized by Google

PARS TERTIA VINDICIARUM

EXHIBENS

BREVES STRICTURAS

IN

CONSIDERATIONES CL. DRIESSENII

AD

NOVAM VERSIONEM JOBI.

Conſilium Cl. Conſideratoris.

Quid occaſionem dederit Cl. *Drieſſenio* ad *Conſiderationes* ſuas in lucem edendas, vidimus *pag.* 444—446. Illuc, ne ulteriores nectam moras, remitto. *Septem plagulas*, quibus quicquid hactenus ad *novam Verſionem* commonendum habebat Cl. *Diſſertator*, breviter, & nervoſe, comprenſum, ita percurram, ut & mihi brevitatis curam ſediſſe appareat.

Caput Primum et Secundum.

Apodictica Origo Nominis אלהים. *a Cl. Theol. producta.*

Ad *Caput primum*, & *ſecundum* ergo, nihil *Conſiderationis* incidit: niſi quod *Vſ.* 1. *Cap.* 1. reperiam *Originem* אלהים, *Apodictice demonſtratam*: quatenus *Nomen* hocce *ſingulariſſimum ad Creationem rerum e nibilo reſpectum habere* non dubitat graviſſimus *Theologus*, אלוה *primitivum Vocabulum* eſſe ſtatuens pro jure ſuo, quod per ſe deſignet *Deum Creatorem*, & *vi Creationis univerſi Dominum*

ac

ac Rectorem, *ſicque Judicem*, *atque Creaturæ rationalis ſummum Bonum*. Id in Natura. In Gratia, *illum qui quum per peccatum certo reſpectu factus eſſet Non-Deus creaturæ*, *Non—ſummum Bonum*, *per Redemptionem rurſus factus ſit Deus*, *Dominus*, *Rector*, *Judex*, *ſummum Bonum ejuſdem*. Hæc *Theologis* diſcutienda trado. Ego mea me *Grammatica* involvo, & remitto ad ejuſdem *pag*. 389. 390.

Caput Tertium.

Capitaliſſima Criſis ad vocem גלמור.

Vſ. 7. oſtendi גלמור, ex certiſſima *Origine*, ſonare *durum ſilicem*. Ad deductionem meam ſatis longam Cl. *Conſiderator* præciſe: „ *Non placet*: *primige-* „ *nius ſignificatus eſt* ſolitarium eſſe. *Jeſ*. 49: 21. *convertitur cum* לבדי. *Aber-* „ *rat V. D. a figura*; *non concipitur* effœta, *ſed* non maritata, *vel cui vir non* „ *cohabitat*, *ſolitaria*: *& in h. l. dicit quid oppoſitum Cantico*. " Conſideratiſſime omnia; ut nil ſupra. Apud *Eſajam* habes *Vſ*. 20. *Adhuc dicent Filii orbitatum tuarum* i. e. *quas* orba, *& omni* ſpe prolis deſtituta *in lucem edes*, *Anguſtus mihi locus* &c. Hinc *Vſ*. 21. ſubſumitur. *Et dixiſti in Corde tuo*, *quis mihi genuit hoſce*, *& Ego* שכולה וגלמודה *orba*, *atque dura ſilex*, גולה וסורה *in captivitatem abducta*, *& ſegrex facta*? *illos ergo quis educavit*? *Ecce ego relicta eram* לבדי *ſolitaria*: *iſti undenam loci illi*? Si ibi גלמודה *non maritatam*, vel *cui maritus non cohabitat*, interpretatus eſſem, ex *nobili ſemine Dei* effeciſſem *genus ſpurium*. לבדי æque ad שכולה *orbam*, גולה *captivam*, & סורה *ſegregem* redit, quam ad גלמודה. Infeliciter ergo hinc collectum גלמור proprie notare *ſolitarium*. Infelicius idem contra veritatis lucem defenſum. לְבַדִּי *ad ſolitudinem mei*, vi *compoſitionis* ſuæ, & *Originis*, ſonans, nihil commune habet cum גלמור, ſi *Originem* ſpectes; quamvis *ad duram ſilicem* etiam redactum dicant *Orientales*, qui *ſolitarius ſedet*. Si quis hoc jam malit, ſibi habeat: me meæ *ſterilis*, *& ſilicis inſtar congelatæ*, non pœnitet, etiamſi Cl. *Drieſſen*. illud *non placet* appoſuerit. Vis *ſterilitatis* etiam heic loci evidentiſſima. Quid ſit *Nox ſolitaria* oppoſita *Cantico*, tum intelligam, quando *Logicam* didicero. Hactenus quidem nec *Nocti*, nec *ſolitudini* meæ, *Canticum* afuit. Ex eadem quoque demum percipere potero, quid ſibi velit hæc Clauſula; „ *Subjecta ſi attendis*, „ *de quibus prædicatur non uno in loco*, *oportet omnino ſignificatum primum eſſe u-* „ *niverſalem*. " Contendat Cl. *Drieſſen*. ſuum *ſolitarium* cum meo *ex duritie congelato*, & *Metaphyſice* metiatur quid *univerſalius* ſit.

Curioſum quid Leviathane.

Ad *Vſ*. 8. breviter Noſter. „ *Quam ego adoptavi verſio longe ſimplicior eſt* „ *Eam vide*; *& quæ commentatus Cap*. XL. XLI. *de Leviathane*. " In dilucidatione *Analytica* ſcilicet habemus, „ *Qui excitaturi ſunt Balænam*; vel, *qui* „ *parati ſunt excitare Leviathan*: i. e. *tentare rem impoſſibilem periculique ple-* „ *niſſimam*; *adeoque hic emergit ſenſus*: *Execrentur eum qui maledicunt diei* na- „ tali, *adeo ut ex deſperatione parati ſint excitare Leviathan*, i. e. *præſentiſſimo* „ *periculo ſe exponere ſpe finiendæ vitæ miſerrimæ*. " Simpliciſſimam enimvero ſimplicitatem! Ea tamen quomodo cum *Cap*. XL. conſiſtat, non exputo, nam

nam ibi docemur, „ *Behemoth & Leviathan eſſe ejuſmodi Belluam, qualis in na-* „ *tura hactenus non dabatur, neque nunc ſupereſt; quam Deus Jobo apparens eo* „ *ipſo tempore creaverit; ſive hoc factum fuerit* in viſione, *ſive revera.*" O porta Eburnea, quæ non moſtella nobis ſomniantibus non tantum, ſed & vigilantibus, ſæpe immittis.

De voce רשע. Ad *Vſ.* 17. ubi רשע *irrequietum, irrequieto motu jactatum*, notare oſtendi, atque tum ex ſerie, tum ex proprietate *Linguæ*, adſtruxi, ſolidiſſimus *Conſiderator* hæc paucula ſtrinxit: „ *Sed* רשעים *nullibi habent illum ſignificatum, ſed* „ *ſemper ſignificatum oppoſitum* τῷ צדיק, *hoc vero* rigidum *nullo dicit in loco de* „ *quo dictum ad ipſius* Defectus &c. *pariter de loco Jeſ.* 49: 24."

Quum ad *Verſionem* meam *Conſiderationes* ſuas deproperare voluerit Cl. *Drieſſen.* a *Commentatione*, in qua *ratio Verſionis* redditur, perlegenda, & expendenda, ſeſe legitime potuit abſolvere; alias enim infinita fuiſſet Lectio, & cura. Si interim reſponſi quid cupis ad Capitaliſſimam difficultatem redi ad *Sect.* XI. ſupra. p. 556. Repeto tantum inde, *Anguſte judicat, qui anguſte habitat.*

Vſ. 18. Verbum שאנן, ex שלאנן contractum, reddidi, *Eliquata tran-*

Eliquatiſſima Originatio Cl. Drieſſen. ad שאנן. *quillitate abundare.* Id *quæſitum* pronunciat Noſter, addens. „ *Primigenia* „ *notio* τῷ שאנן *eſt* id quod timori malo oppoſitum *eſt: Prov.* 1: 13. Eliquatiſſimam habes *Originem*, & *limpiditatem* ipſam. Tu vide *Caput* III. *Part. Sec. Originum*, quod totum *Radici* שלה illuſtrandæ datum. De שאנן, & שלאנן, ex שלה & אנן conflatis, agere volueram *Cap.* IV. ſed adverſi aliquid venti, neſcio unde reflantis, diſcuſſiunculas illas depopoſcit, quibus hoc, & reliqua *Capita*, impendi. Non mirabere ergo, ſi *Debitor* adhuc ſim *nominis*, quod me in *Originibus Hebraicis* diſſolviſſe, ad h. l. ſcripſi. Nempe haud prævideram, Cl. *Drieſſenium* pluſquam dimidiam partem hujus voluminis ablaturum.

Meditatiſſima Criſis. Ad *Vſ.* 26. meis ita excerptis, vel carptis, prout æquum viſum fuit *Viro* Cl. hanc Ejuſdem *Epicriſin* aufero: „ *Mea verſio ſimplicior quia non intellligi-* „ *tur hic* irrequies præſens, ſed irrequietudo *illa* præſaga. *Errat, dum* ſigni- „ ficatum primigenium τῷ שלו *exiſtimat inferre* defæcatam eliquationem re- „ rum pinguium, *ſicque eſſe Metaphoricum. Hoc modo nomen Servatoris* שלה „ *Schilo ad* eliquationem, *velut nomen Jeſu ad* ampliationem *per Arabismum* „ *ſuum trahet nativo decore detracto. Verbi notio primigenia eſt ea* tranquillitatis „ *ſive* veræ *ſive* falſæ. *Hinc forte in Niph.* erravit, & errare fecit *in Hiphh.*" Quare V. D. *ſuam* vocet *Verſionem*, quæ paſſim in *Vernaculis* occurit, ſcire averem; ſi tanti eſſet. *Irrequietudinem præſagam*, quam & alii hic tenent, non intendi; non alia, quæ obiter tantum attigi; ſed *præſentem irrequietem*, evidentiſſimum ex eo, quod *Jobus* nunquam tantam *molem moleſtiarum*, & *tentationum*, vel *præſagiit*, vel *præſagire potuit*. Verbum non addo. Senſus communis talia dictat; monſtrata ſaltem ſancit. Ad שלו nunc leget, ni grave, Cl. *Originator* Cap III. *Part. Secundæ Originum*; relegetque etiam quæ de רשע diſcuſſa *Sect.* I. *Vindic. Orig.*

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT QUARTUM.

Caput IV. graviſſimis nodis tam *Linguæ*, quam *ſenſuum*, implicatum, me occupatiſſimum habuit. In eo *Fundamenta Hypotheſeos* circa *ſtatum Controverſiæ* qua *Jobus* & *Amici* deinceps colliduntur, indicare cœpi. Et *Linguam*, & *Hypotheſin*, intactam nunc linquens *Conſiderator*, hac annotatiuncula me dimittit. „ *Ad Caput* IV. *V. D. alibi obſervabimus.* " Expectandum ergo mihi; donec *Alibi* illud venerit. Viciſſim quoque expectare poterit V. Cl. quæ & Ego ad *verum* Ejus *ſtatum Controverſiæ Jobum inter & Amicos*, quem in ruinoſiſſima verſione *Vſ. 6.* hujus *Capitis* fundare ſuſtinuit, obſervitanda habeo. Unum tamen quiddam non tempero, quin anticipem, quod quum in *Dilucidatione Analytica Vſ.* 17. hujus *Capitis* cum reliquis Interpretibus dediſſet V. D. *Numquid homo juſtificabitur præ Deo? an præ Factore ſuo purus erit vir?* atque ita *Oraculum* de quo gloriatur *Eliphazus*, pro *Divino* accepiſſet: in *Dedicatione* tamen totus a ſemet deſciſcat, atque evincere fatagat, *Oraculum* hocce *a Spiritu mendacii* eſſe profectum, qui *Doctrinam de Juſtificatione per Fidem* impugnans, hanc vocem ediderit, *An homo juſtus erit ex*, vel, *a Deo? & an vir purus erit ex Factore ſuo?* i. e. *a Deo tanquam judice Juſtus eſſe*, & *Jus aliquod habere apud Deum, declarabitur.* Conceſſit ſcilicet Vir Doctiſſ. in *noſtram* nunc *Verſionem*, eamque noſtris etiam argumentis adſtructum ivit, ita tamen ut quam ego inde elicueram *ſententiam*, *ex ore* ipſius *Dei profectam*, & *Cœleſtis Sapientiæ*, *juſtitiæ*, ac *Sanctitatis ſigillo impreſſam*, non verecundetur *abſurdam* pronunciare, atque nil reliquum eſſe ſubitario impetu contendat, quam ut hæc verba *a ſpiritu tenebrarum Eliphazo* inſpirata, producantur *adverſus Jobi Doctrinam, & religionem, quæ in hanc exeat impietatem & ſtultitiam*, Hominem habere aliquod jus apud Deum, ſive, *per Fidem poſſe & debere Juſtificari.* Doleo fortunas Veteris Amici, qui ne mecum navigaret, in ſcopulos ſemet impingere maluit, ad quos omnis ejus elaboratiſſima & Realiſſima in *Jobum* commentatio ita adhæreſcit, ut non poſſit non in ſe conteri, atque confringi. In *Diſſertationibus Jobeis* id ita demonſtratum dabo, ut ne Clariſſ. quidem *Drieſſen* ipſe ea de re dubitaturus ſit.

Procraſtinatio prudens.

CAPUT QUINTUM.

Ad *Vſ.* 5. cui, ut intricatiſſimo, a me graviter inſudatum, leviter hic a Cl. *Drieſſ.* notatum; *Quia* צמה „ *ſignificat comam*, *crinem*, *Cant.* 4: 1. &c. „ *facile ſine ope* Arabismi *intelligimus Hebræam aliquam Radicem extitiſſe* צמם „ Hirſutum comatum eſſe. *Hinc* צמים *piloſi horridi.* " Quæ hæc tandem factio, quod luci ipſi rebelletur; atque demonſtrationi evidentiſſimæ nebulas offudiſſe, amor putetur veritatis, & Zelus religioſus?

Luci evidentiſſimæ reſiſtitur.

Ad *Vſ.* 6. 7. Satis liberaliter primo. „ *Non equidem abludit a nexu V. D. interpretatio.* " Mox tamen additur: „ *Sed neque noſtra, quæ mali Originem* „ *non niſi in ipſo ponit Hypocrita: quod admodum facit ad ſcopum Eliphazi.* "

Infelix criſis.

An

An ergo id in *controverſia?* aut id probandum ceperat *Eliphazus?* Unicus viri *Scopus*, evincere, *Hypocriſin in terris non diu florere*, ſed *Dei plagis inde quantocyus extirpari.* Suaviter adjectum a Cl. *Drieſſen.* „ *Noſtra verſio magis cum* „ Linguæ genio *convenit*, *imo quidni unice? ubi jungitur* מן *cum* יצא *naturaliter ſignificare debet*, & *in Sacris ſignificat*, Ortum *rei.*" An ego ergo *Occaſum* infero quum verto? *Non exibit e pulvere vanitas*: pro non *emicabit*, non *exorietur altius*, non *efflorescet.* An negat Vir Doctiſſ. cum *genio Linguæ* conjunctum hunc uſum verbi *exire?* Scire aveo, quid peccaverim forte in *Hebraismum.* Satis me tuetur credo ſequens יצמח *Germinabit.* Confer *Job.* 14: 2. כציץ יצא *ut flos exit* i. e. *emicat.* Quæ hic de *Theologia Eliphazi* circa *peccatum Originis* attigit Cl. *Theol.* non ſunt præſentis curæ; ſed *Diſſert. Jobeis* deputanda. Deſino in hocce, „ *Certe nihil obſtat cur* בני רשף *non ſint* „ *ſcintillæ.*" Atqui obſtat *Scopus*, *nexus*, *vis Orationis*, & *Linguæ*: ut in *Commentario* demonſtratum. Hæc *nihil* apud Cl. *Drieſſen.* videlicet.

Infelicior alia. Ad *Vſ.* 26. hæc notare placuit Cl. *Conſideratori.* „ *Quid cogit ſtatuere* τῷ „ כלח *ſignificatum primigenium eſſe* dentes deſtringere? *Credo hunc ſignificatum admodum ſecundarium eſſe. Vel ipſa* vox *eſt* primigenia, *vel* primigenia „ *eſt* radix *aliqua nunc inuſitata* eſſe vultu corrugato. *Sed ſimplicius eſt vice* „ *verſa a* ſenio *dici* corrugationem, *quia ſenes ſunt* vultu corrugato. *Quid* „ *illud* dentes deſtringere, *ſingulare habet quod ſeni ſit proprium?*" Pro tam pulchra, & ſolida, obſervatione, opto Amico noſtro, ut & ipſe perveniat ad כלח *caperationem* illam *vultus ſenilis*, quæ *dentes nudare* cogit, atque tum experientia condiſcat, dari in *Senio* gradus; cujus *Culmen ſupremum* noſtrum hocce כלח, quod pauciſſimi attingunt. Ceterum *radix* illa nunc *inuſitata*, quam Cl. *Drieſſ.* ſagaciter reſtituit, atque ex ingenio mactat poteſtate *Corrugationis* & *Corrugati vultus*, eſt eadem quam ex *Arabia* reduxi, eademque notione mactavi. Gratulor mihi hancce concurſionem.

CAPUT SEXTUM.

Feſtinatio. Caput VI. tres tantum notulas, & miniatulas ceras, recepit. *Prima* ad *Vſ.* 3. allita. Dixeram ibi לוע in *Lexicis* pleriſque verti *abſorbſit*, ob *adfinitatem* cum בלע &c. at *genuinam* ejus *vim* eſſe, *uri* & quidem *æſtu interiore* &c. &c. Ad hæc Noſter. „ *Non tantum propter adfinitatem cum* בלע, *ſed* „ *quia ſimplicem hunc ſignificatum liquido colligimus ex locis ab ipſo V. D. allegatis in quibus certe primigenius ſignificatus eſt* deglutire, abſorbere. *Quæ V.* „ *D. de* æſtuante ſiti *habet*, *ſunt antecedentia* τῷ לוע; *poteſt quis eſſe* æſtuante „ aviditate *edendi* & *bibendi*, & *tamen* non deglutire. *Quæ habet ad Obad.* „ *Vſ.* 16. *jam abeunt a fixo ab ipſo ſignificatu. Aliud eſt* aduri æſtu Calicis „ venenati *jam hauſti*; *aliud* æſtuare aviditate *edendi* & *bibendi.*" Invenuſtus enimvero mortalis ſum. Nec quum longus ſum in *Originibus*, intelligor: nec quum brevis, ut nunc, qui tamen *ſummam rei* diſtincte ſatis a me poſi-

tam

Digitized by Google

tam autumabam. Licetne ergo provocare a Cl. *Drieſſenio* nec—legente, ad
legentem? Id commodius, credo, quam ut oſtendam Virum Doctiſſ. mentem
meam ſubvertiſſe.

Suave quid.

Altera cerula *Critica verſui 6.* addità. Agitur de vocibus תפל *ſputans*, *je-
junum*: ex meo ſenſu; & ריר הלמ׳ת *ſaliva ſomnolentiæ*; quam pro *Rabbini-
co*, *albumine vitelli* vi *Linguæ*, & *ſententiæ*, ſubſtitui. Ad hæc Cl. *Drieſſ.*
„ *Fateor locum eſſe difficilem*, *quia vox non amplius occurrit. Sed quid opus eſt*
„ *ire in Arabiam? Contineamus nos intra Hebraismum Biblicum. Literam ſi in*
„ *priore membro premimus*, *intelligitur certe* aliquid quod comeditur, *ſed non*
„ absque ſale. *At vero* ſputans *quodvis*, & ſalivam ſomnolentiæ, *nunquam*
„ *comedimus vel* cum *vel* ſine ſale." Aciem judicii penetrantiſſimam! Re-
ponantur quantocyus vetera illa, *inſulſum*, cum *Albumine vitelli.* Expecte-
mus tamen; nam necdum omnia luſtrata. „ *Ex Jer.* 23: 13. *apertum eſt*,
„ *ſignificari* inſulſitatem, ἀτοπίαν. *Vel ſi mavelis* abſurditatem. *Quare omnino*
„ *videtur olim fuiſſe verbum* תפל abſurdum eſſe: *vel ſi mavelis* contortum di-
„ ſtortum perverſum eſſe." Ergo ad *Logicam* Cl. *Drieſſen.* concludendum
Abſurdum eſſe *aliquid quod comeditur* non *abſque ſale* tamen. Jam ſentio, unde
multis hominibus *palatum abſurdum* veniat. Eſitant nempe quotidie *abſurda.*
Eſitant *contorta*, *diſtorta*, *perverſa*, nam תפל hæc ſignans, *vi literæ* conſi-
gnat *aliquid quod editur.*

Conatus Criticus.

Pergit V. Cl. „ *Et quid ſi illud verbum legatur 2 Sam.* 22: 27. תתפל. *Le-
„ gitur equidem Pſ.* 18: 27. תתפתל; *ſed* ת *Characteriſtico extruſo*, & *per Da-
„ geſh compenſato*, *opus non eſt dicere factam inſuper tranſpoſitionem radicalium*
„ פ & ת, *ſiquidem eſt verbum ejuſdem ſignificatus* תפל *ſic ut utroque loco idem*
„ *dicatur*, *ſed verbo non uno*, *una litera variante. Et ne per verbum* תפל *2 Sam.*
„ 22: 27. *Deo* quid abſurdi *tribuamus*, *ſignificet* תפל, *quemadmodum* פתל, *in*
„ *Niph. non tantum* contortus diſtortus fuit, *ſed & luctatus fuit*, & *in Hitpah.*
„ *non tantum* contortum *ſed* & luctatorem ſe præbuit." Inſeratur, poſt tam
Capitalem Criſin, quantocius in *Lexica:* תפל *abſurdum eſſe:* item *contortum:*
inde תִתַפָּל 2 *Sam.* 22: 27. ſonat *Luctatorem agis*, atque cum תתפתל *Pſ.* 18:
27. intime conſonat, & conſpirat. Quid *Coccejo*, quid *Altingio*, quid aliis
principibus viris, de iſto תתפל viſum fuerit, reperies in *Inſtitut. Grammat.*
p. 482. 483. noſtrumque ibidem conatum.

Cl. Drieſſen. *ſermo noſter factus.*

A digreſſiuncula *Critica* in viam redit Noſter, ſic reſumens: „ ריר *in genere*
„ *ſignificat* FLUERE. *Vid. Lev.* 15: 3. *inde* ריר ſaliva, 2 *Sam.* 21: 13. *Quid*
„ *ſi jam totam dictionem Metaphorice accipiamus*; An inconditum abſurdum ſer-
„ monem ſine ſale eſt qui comedat? *Vide conſimilem phraſin* verba comedere
„ *Jer.* 15: 16. Et an ſapor in effluvio ſomnolentiæ? *In ſermone qui fluit ex*
„ *ore ſomnolenti*, *vel* in ſermone ſomniantis; *ſic convenit cum τοῖς* LXX. & *cum*
„ *nexu. Lubentius quidem* חלמות *verto* ſomnium *quam* ſomnolentiam; ריר *eſt*
„ *proprie quid quod* fluit ex ore; ſaliva; ſputum. *Sed hic eſt* ſermo *non pluris fa-*
„ *ciendus nec plus ſapidus quam ſputum:*" Totum jam *meum* cernis Cl. *Drieſſen.*

nam

Digitized by Google

nam qui in ריר חלמות *ſalivam ſomnolentiæ*, vel ſi mavelit, *ſomnii*, non addicentibus licet *Verſionibus*, & *Lexicis*, (quin contra ſuam ipſius auctoritatem; nam in *Dilucidatione Analytica* habes *Albumen vitelli:*) qui, inquam, meum hocce admiſit, quo tandem ore, quo colore, תפל in hac ipſa ſerie pro *ſalivante*, & *jejuno*, recuſabit? niſi ipſe in ריר חלמות incidere pulchrum judicet. LXX. dederant ἐν ῥήμασι κενοῖς, *rem* videlicet, non *figuram* exprimentes. An omne κενὸν Cl. *Drieſſenio* eſt *ſomnium?* Iisdem תפל infelicius adhuc ἄρτος *panis*. Egregium vero fontem, ad *proprietatem* alicujus vocabuli figendam.

Liberalitas. *Vſ.* 26. Ibidem רוח pro *reſpirio* ſumſi. *Conſideratio* V. Cl. ſic ſonat. „ *Eum* „ *eſſe ſignificatum* τῦ רוח *non conſtat* &c. *Ceteroquin ſi per ſe eum ſpectes in-* „ *terpretatio non abludit. Cum nexu tamen magis convenit mea aliorumque inter-* „ *pretatio.* " Conferet ergo illam, & quidem non unam, qui volet; quin, ſi cum fundamento poſſit, præferet.

Caput Septimum.

Illiberalius quid. In *Caput* VII. multis ſalebris interciſum, una tantum notula incubuit ad *vs.* 6. *Dies mei leviſſime mihi de tela fugiunt; & conſumuntur expirante trama expectationis.* Habes pulcherrimam *Allegoriam*, & præiverant mihi, ut monui, magni Interpretes; qui ultima באפס תקוה dederant, *defectu fili.* Horum in numero etiam *Merc.* & *Cocc.* Cl. *Schmid.* malebat cum aliis, *ſine ſpe*, addita ratiuncula, quod תקוה extra *conſtructionem* inprimis ſit *ſpes.* Nempe in *Lexico* ſuo obſervaverat *Joſ.* 2: 18. תקות חוט חשני *funiculum fili dibaphi*, in *conſtructionis* forma poſitum: unde an תקוה abſoluta forma eandem ſignificationem obtinere queat, addubitat Cl. *Theologus.* Addidit aliam rationem, adhuc leviorem, & quæ, ut dicam quod res eſt, ne in mentem quidem cuiquam venire deberet. *Non memini*, inquit, *uſpiam in Scriptura Comparationem cum tela aut* textura *inſtitui ratione terminationis ex defectu: potius vero* finis velox *indicatur per* abruptionem fili *facilem, & ſubitaneam Jeſ.* 38: 12. Ex mente ergo *Theologi Argentoratenſis* locus *Jeſ.* 38: 12. nihil commune habet cum noſtro hocce. Appellavi *miram Criſin;* tanquam ſi *filum* non æque dici poſſet *expirare* heic loci, quam *abrumpi*, apud *Eſaiam.* Ad hæc Cl. *Drieſſen.* „ *Re-* „ *cta mihi videtur* Schmidii *obſervatio quia non reſpicitur ad vitam* deſituram, „ *ſed tam* velociter deſituram. " Nimis celerabat Noſter. Perpendat primo, quid Cl. *Schmid.* voluerit, & dein, ſi poſſit, defendat. *Conſumuntur ſine ſpe*, per ſe nec *tardum*, nec *velox.* Ex membro *priore* jam de *Velocitate* conſtitit. Infelix ergo & altera inſtantia. „ *Poſterius ex interpretatione V. D. nihil am-* „ *plius diceret* ". An ergo *Schmidius* vertens *conſumuntur ſine ſpe*, amplius quid dicit, quam ego dans, *conſumuntur expirante trama expectationis?* An non meum figuratius, pleniusque, in eundem plane ſenſum? Noſter erat Cl. *Drieſſen* in *dilucidatione ſua*, ubi ipſe ſatis expreſſim: *Ita ut non ſit quod expectem.* Nunc, ut a me diſſideret, ſecum, ut video, diſſidium fecit. *Tertia* ſequitur inſtantia. „ *Dein* תקות, *quod ſolum uno in loco Joſ.* 2: 18. 21. *eo ſignificatu*

Inadvertentia. (margin, beside „ *Re-*)

Noſter eſt Cl. Drieſſen. (margin, beside *ctem.*)

„ *ficatu venit*, *non dicit* filum *qualecunque*, *ſed vi Originationis* (*uti recte* Stockius) „ *primigenie dicit* motum & tranſlationem ad certum terminum; *ſpecialius au-* „ *tem* congregare ſe ad certum locum, funiculum, *qui motu & congregatione* „ *filorum fieri ſolet*, *eſtque ſic non* filum *ſed* funiculus ". Illam *Originationem Stockianam* caſſa nuce non emerim. Ex *uno*, *alterove*, loco, quanta ſit amplitudo vocabuli תקוה quatenus *funiculum*, *filumve*, notat, dijudicari nequit. Sufficit ſi *Dialecti* ad *filum* æque ac *funiculum* præeant.

In ſubtiliorem diſcuſſionem, quæ *Origini* conſtituendæ debetur, me non immitto: & finio in *quarta inſtantia*, qua meque ſeque ita jugulat Cl. *Drieſſen.* ut ambo tamen intacti maneamus: „ *Deinde obſcurat hæc Verſio veram Jobi* „ *mentem*, *quæ eſt in hac vita Spiritualem & corporalem ſtatus ſui reſtitutionem*, „ *talem qualem nos ſæpius indicavimus*, *ſperandam non eſſe* ". Jam viſum, meum *expirante trama expectationis* nihil differre a Cl. *Drieſſenii* illo, *ita ut non ſit quod expectem*, niſi quod hoc ſimplex, illud figuratum. Quæſtio ſupereſt, agatne *Jobus* de *mortalitatis conditione acerbiſſima* in *genere*; an de *miſeria extraordinaria* qua nunc oppreſſus jacebat, & unde ſe emerſurum deſperabat. Ego prius præ̃tuli, ob rationes in *Comment.* exhibitas; ſi Cl. *Drieſſen.* poſterius non poſuerit, ut nunc, ſed ex *ſerie* evicerit, ei lubentes accedemus, atque iſtam *tramam expectationis* quam facillime iſti tunc ſenſui adaptabimus. Qui notam meam legerit; tam illiberaliter mecum agi mirabitur: nam diſerte dixi bonum eſſe ſenſum, ſive reddas, *deficiente trama*, ſive *deficiente expectatione*; ſed utrumque eleganter poſſe conjungi, ad *Allegoriam* complendam. Eſt genus Veteribus adamatum, & in ſtilo ſublimiore *Orientis* præſertim regnans. Si cujus palatum talibus non adficiatur, ſuo in guſtu, ſenſuque, eum abundare ſinemus. Caveat tamen ne carpat, ad quod adſpirare forte ſuamet culpa nequit.

CAPUT OCTAVUM.

Ad *Caput* VIII. vix operæ pretium faciemus. *Vſ.* 6. hanc cerulam reperio. „ *Non eſt nova inſtantia ad Jobum Hypocriſeos arguendum*, *ſed promiſſum reſipi-* „ *ſcentiæ quam ſuaſerat vſ.* 5. *annexum &c.*" Suave, ſupra quam dici poteſt, & conſideratiſſimæ ſpecimen Conſiderationis! Ego *notam* meam in tria membra diviſi. Ad prius *conditionate* elatum, *ſi purus rectusque tu*, cum altero *promiſſionem ferente* per *conditionem* iſtam connexum, annotaveram, *Jobum Hypocriſeos taxari quia Deus ſuper eum non evigilabat*, vel *æmulabatur*, ad eum ex tanta hac Calamitate vindicandum. Hoc qui negat, quid neget, & cur neget, plane mihi ne attendere quidem videtur. *Cavillatiuncula.*

Vſ. 13. Exhibui *Originem* vocabuli חנף *Hypocrita*, in *Loripede*, ſive *eo qui ex intortione pedis claudicat*. Eſt, ut quivis ſentit, *imago Hypocriſeos vitio* pingendo unice apta. Diſſentit tamen Cl. *Drieſſen.* „ *Claudicare non exprimit* „ *id quod verum* Hypocritæ formale *eſt*; *ſed quod ipſi cum aliis commune eſt.*" Cum quibus? an cum *probis*? Id vero prohibeat Deus, ut *Claudicatores* appellentur. Non uniatur anima mea illi ſocietati. Cum *improbis* ergo. At *Hypocrita* חנף *quaſi* Loripes.

 hi

hi ſi *aperte nequam*, nemo eos *claudicare* dixit. *Claudicat* vel potius *non recto talo incedit*, non Ὀρθοποδεῖ, qui virtutem *ſimulat*, & *Hypocriſin exercet*. Adeone exciderat noſtro *Theologo* illud, Ὀρθοποδεῖν πρὸς τὴν ἀλήθειαν τοῦ εὐαγγελίου, *Gal.* 2: 13. 14.?

An & *Apoſtolum* dicet *Verum formale Hypocriſeos* minus recte ſignaſſe? Sed video quid Virum Clariſſ. impulerit ad notulam non conſideratiſſimam. Ipſe jam *Tract. Homo Vet. & Nov.* hujus verbi *veram Originationem* & *notionem Hebræam* tradiderat in *pollutum eſſe*, *& quidem vitio aliquo interiore*, *velato*, *vel obnupto*. Hoc in officina *Metaphyſica* conflatum. Dicat nobis primo Cl. *Drieſſen*. unde venerit *Latinum* illud *polluere*; & quid differat a *Contaminare*; itemque ab *inquinare*; & tum videat.

Mater pro materno ſolo. *Vſ.* 18. Particula אם ſeriem impedit. Ut expeditior ea eſſet, aliquid in medium tuli, quod *non ultra Conjecturam valere* volui: atque ſub hac cautione אם *Matrem*, pro *Materno ſolo* ſumi poſſe indicavi. Qui *conjecturas* prudenter propoſitas ex *Literis* excludit, viam veſtigandæ veritati occludit. *Jocus Cl. Drieſſenii.* Taxor tamen, quin & ſalſiuſcule tangor, „ *Sed quid opus illis quæſitis illa* „ *generis Enallage*, & Matria *facienda ex* Patria? *Quæſo quid hic ad rem fa-* „ *cit ſive arbor hic deſcripta*, *impii fortunati Emblema*, *ſit conſita in* ſolo pa- „ trio, *vel ſecundum V. D.* materno, *an vero in alio quovis*, *Attenditur modo* „ *quid* in ſolo, fundo, ſuo *luxurioſe germinans*." Facete *Matria* mihi objectatur; quaſi ad *Latinæ Linguæ* legem loqui deberent *Orientales*: aut quaſi *Mater* pro *Materno ſolo* eſſet *ridicularium* quid. Utinam ſemper ſic tantum *Alter.* *Ridiculus* reperiar. Rogat, *ſecundo*, Vir Doctiſſ. necdum joco dimiſſo, *quid differat*, *in ſolo paterno*, *vel ſecundum me materno*, *conſita ſit arbor hæc*, *improbum pingens*, *an in quovis alio*. Pro *conſita ſit* ponere debuiſſet *Ariſtarchus* meus, *abſorbeatur*, *exſcindatur*. Si differentia forte necdum ſentiatur, monebo, tantum intereſſe, quantum inter *Ignominiam publicam*, *ad poſterosque transmittendam pro Exemplo*: & inter *ignominiam occultam*, *oblivioneque ſepultam*. Qui in *materno ſolo exſcinditur* improbus fortunatiſſimus, qualem *Bildadus* cenſebat *Jobum*, inter *notos* non tantum, & *ſuos*, *infamis* redditur, ſed ad omnem poſteritatis memoriam infamatur, atque ſeculis cunctis

—— *Triſte jacet evitandumque Bidental.*

Qui contra alio, & alieno, in ſolo male periret; periiſſet tantum; reliqua *diritate ignominiæ*, & *infamiæ* non degravatus. Hæc ita defenſa ſunto, ut אם pro *Matre*, ſive *Materno ſolo*, ultra *Conjecturam* propterea non evaleſcat.

Caput Nonum.

Si Capiti huic nihil omnino adjeciſſet Cl. V. perſonæ ſuæ dignitati melius, credo, conſuluiſſet.

Ad *Vſ.* 7. *precarium* dixi, & *frigidum*, quin *temporibus contrarium*, quod non-

Digitized by Google

nonnulli cogitarint de *Triduanis Ægyptiorum tenebris.* Nempe ante *Exitum Iſraëlitarum ex Ægypto* vixiſſe *Jobum*, indubitanter tenemus. Eadem ſententia ſedet Cl. *Conſideratori*: & tamen hic apponit: „ *Sed cur? vide quæ nos ha„ bemus p.* 170. *quæ cum triduanis illis tenebris pulchre conſpirant.* " Nempe ibi *Job.* 26: 12. 13. alluſum ſtatuit Noſter ad *Miracula Ægypti* poſtea demum extitura: ad quam rationem & nunc *triduanas illas tenebras* anticipet *Jobus.* Talibus refutandis me imparem profiteor. Qui *rationem* non curant, nulla *ratione* convinci poſſunt.

Prolepſis Cl. Drieſſ. *ſoli placituro.*

Ad *Vſ.* 9. pulchram hanc miniatulam aufero. „ *Quæ porro habet ad hunc „ Vſ. legi poſſunt; omnia hactenus relinquuntur incerta.* " Sic ratio & religio facere jubent; quum nihil certi habemus. Semet ludunt, qui incertiſſima, quin ludicra, pro certis, & *Apodictice* demonſtratis, venditant. An tamen omnia *hactenus incerta* a me *relicta ſint*, æquiores Arbitri dijudicabunt.

Mira liberalitas Cl. Drieſſ.

Vſ. 30. Sub finem ſubmonui, *Jobo unice*, in hac acerrima ſui defenſione, *ante oculos verſari Cauſæ ſuæ bonitatem*, *vitæque totius innocentiam* &c. *eamque virtutem limpidiſſimam*, *ac ſpeculo clariorem*, *deſignari nunc Emblemate* aquarum nivalium &c. &c. &c. Ad hæc *Theologus* noſter: „ *Sed an non intelligit omnis „ virtutis*, *ſinceritatis*, *principium unicum*, juſtitiam imputatam? *an hæc non „ ſemper ut indivulſe connexa intelligit?* " Nihil in hac gemina interrogatiuncula *æruginis*. Candidiſſimi ſinceritas pectoris ſpeculo nitidius inde relucet. Ne nives quidem candidiores. Egone ut *Fidem Jobi in Meſſiam* ejusque *Juſtitiam* labefactem, qui toties totiesque eam confirmatiſſimam dedi? Egone ut hanc *Fidem ſpiritualis vitæ unicum principium*, *Radicemque* omnis *virtutis*, eſſe addubitem? Atqui paulo ante periodum a Cl. *Drieſſenio* excerptam, Cl. *Schmidii* criminationem a *Cocc.* noſtro depellens, diſertis verbis dixeram, *Jobum* in *Sponſore* utique *cenſendum*: atque etiam *ſerium Sanctimoniæ ſtudium ſine fide Juſtificante non poſſe concipi.* Quadrat ergo in Carptorem meum Amiciſſimum:

Singularis in me candor.

Non videns ipſiſſimis verbis a me conſignata.

— *Fragili quærens illidere dentem*
Offendit ſolido — — —

Caput Decimum.

Vſ. 1. Infinita vis doloris *Jobei*, aliquid laxamenti quærens in querelis, ſic erumpit, *Dirupta crepat anima mea* &c. Hanc certiſſimam poteſtatem, una cum *Radice* נקט, ex *Dial. Arabum* reſtitui, atque adſtructam dedi; monuique etiam *Rad.* קוט, ad quam ᾽Ανωμαλῶς noſtrum נקטה referri ſolet, eandem habere *Originem*, atque a *diſſiliendo cum fragore* emanaſſe *ſecundariam* vim *gravioris tædii.* Hæc non concoquens meus Cenſor, „ *Quæſita eſt*, in„ quit, *illa ex Arabis-no notio. Cur reſpuit* Hebræam notionem *receptam* τῷ „ קוט *faſtidire*, *faſtidio*, *tædio adfici? An notionem illam Arabicam ſubjectis „ omnibus applices*, *ipſi etiam Deo*, *Pſ.* 95: 10. *Apage: quam recte dicitur* eum „ tædio adfectus tuli, *tam illud incongrue.* " Ut video paululum exarſit Cl.

Conſideratiſſima criſis Cl. Drieſſ.

Theologus; atque neſcio quid indignationis Ei commovi, quod inclementius illud *Apage!* extorſit. Et cur quæſo? Quia *Pſ.* 95: 10. ex mea *Origine* jam vertendum erit, *quadraginta annos diruptus fui propter generationem hancce.* Quanta incongruitas!. Veretur, credo, Viri Zelus ne quid blaſphemum ferme, certe תפל *ſalivans*, & *jejunum*, ex calamo meo exciderit. Atqui *dirumpi* illud meum quid aliud quam *tædio adfici*, *diſtædere*; *præ tædio diſſilire?* Sed indecens eſt formula, & Deo injurioſa. Itane vero? Quid tunc *Eſechiele* fiet, qui *Cap.* 6: 9. de *Deo* auſus נשברתי את לבם הזונה *fractus ſum cum corde ipſorum fornicante.* Quid *Eſaja*, qui *Cap.* 1: 14. *Deum* inducit ſub *onere* velut *fatiſcentem.* Quid *Sacris Scriptoribus* in univerſum, quum quid ἀνθρωποπαθῶς enunciant, θεοπρεπῶς intelligendum? Omnibusne illis ſuum *Apage!* intorquebit Cl. *Conſiderator?* Suſtineo me: neque Cl. *Theologo* fundamenta *Linguarum* non ſolum, ſed & *Scripturæ* ipſius, hoc pacto ſollicitanti gravis incumbo. Quid? an non in *Lexicis* ipſis occurrebat קוט *ſcindi*, *diſſecari moleſtia*, vel *contentione*, quam *tædium*, *languor*, *dolor*, *comitetur.* Cui hoc in *Linguis* incongruum, ei quid congruat, neſcio, niſi hoc, ut a *Linguis* religioſiſſime judicium abſtineat, ne incongrue judicando religionem ipſam minuiſſe reperiatur.

Altera item coctiſſima.

Vſ. 6. Criſis Cl. *Drieſſenii* ſic habet. „ *Quid opus eſt Jobo tam cruda tribuere? ſunt hæc a mente Jobi aliena. Non in eo ſitum eſt verum formale exceſſus Jobæi. De quo nos in Prolegom.* " Atquin, niſi tam *cruda* ex ore emiſiſſet *Jobus*, ubi eſſet *exceſſus?* Hæc per univerſum *Commentarium* fuſa, non ad unum verſiculum debent carpi, ſed per Examen totius *Hypotheſeos* revinci. Si per *mentem* intelligas, ut par eſt, *id quod Jobus* tunc ex *Adfectu* ipſum abripiente ſenſit, & verbis iſtis ſignificavit, hæc adeo a *mente Jobi non ſunt aliena*, ut quicquid eſt aliarum interpretationum inde plus minusve videatur deflectere. Sin *Mentem Jobi* vocet Cl. *Drieſſen.* principium illud *ſanctificatæ rationis*, & *Fidei*, quod nunc per *Adfectum æſtuantem* opprimebatur, captio erit, non ſane decora.

Tertia multo providentiſſima.

Vſ. 15. Ultima verba ſic ad *ſeriem*, & *mentem conturbatam Jobi*, converto: *Satur ignominiæ & Spectator adflictionis meæ.* Id *Tragice* conceptum, atque enunciatum, explicui, *Infami ſupplicio meo ſupervivens non ſolum, ſed eidem velut adſtans, idque inſpectans.* In ea *Figura* pedem fixi. Dixi tamen, ראה pro רוה forte accipi poſſe, *Ebrius adflictionis meæ*, atque ita cum *præced.* שבע *ſatur ignominiæ* cohærere. Huc incumbit *Criſis*, ſic ſatis mollis. „ *Fateor ſenſus non eſt incommodus. Sed ſic literæ mutatio fit ſine neceſſitate. Quidni* שבע *eſt infinitivus Prov.* 20: 13.*? Et certe Cocceji, aliorumque, verſio eſt magis Emphatica.* " Adeone Cl. *Conſiderator* ne *Verſionem* quidem *meam* a ſe propoſitam conſideravit.

Quarta omnem ſuperans ſubtilitatem.

Vſ. 16. Nodum intricatiſſimum ita expedire conatus fui, ut *Jobus* ſe compareт *Leoni* qui *celſus quum iret*, *circumdatus fuerit ſubita indagine Dei.* Ad hæc Cl. *Drieſſen.* „ *Nihil certe habet incommodi mea aliorumque verſio. Nexus* „ *illud* tanquam Leo *rectius ad Deum refert*, *qui heic repræſentatur ut tremendus* „ *ad-*

Digitized by Google

„ *adverſarius.*" Quid tum poſtea? An non *tremendus adverſarius* manet Deus, qui *Leonem animoſe incedentem*, *Jobum*, *caſſibus* ſuis *circumcinxerit?* Dilutius adhuc: „ *juſtum eſſe* animoſum *inſtar Leonis notiſſimum eſt*, *at* celſum „ ire *ut Leonem*, *peregrinum prorſus.*" Stupeo, quum talia ſatis animoſe in me deſtringi video, ſub Oculis *Belgii*, *Orbisque Literati.* An ergo *Celſus* & *Animoſus* non unum idemque ſignant? An non ipſum noſtrum גאה *erectus*, *excelſus fuit*, tribuitur *Leonibus?* En aliud adhuc telum. „ *An etiam non ſit coacta* „ *illa conſtructio Hebræa*, *&* accentus diſtinctivus *vetet illud* ſicut Leo *connecti* „ *cum verbo* יגאה *judicent alii.*" Hoc vere eſt *omnem Lapidem movere*, etiamſi in Caput proprium recidere debeat. Qui aliquid in *Accentibus* intelligunt, meum multo nervoſius ſentient. Quod ſuum eſſe voluit V. Cl. dans, in *Dilucid. Analyt. An erigeretur?* nempe *Caput meum*; melius aliis reliquiſſet; eſt enim omnium infeliciſſimum, ob tres *quatuorve* rationes, quas promere nec lubet nunc, nec neceſſe eſt.

Caput Undecimum.

Vſ. 4. Tango uſum elegantem verbi לקח *cepit*, *accepit*, in *conceptu*, & *Suaviculum quid.* quidem ſpeciatim *palmæ*, quum *flore ſeminis adſpergitur.* Nota res ex *Hiſtoria Naturali.* Quantus in ea Cl. *Drieſſen.* hinc cognoſcas: „ *ſi illa opinio*, inquit, *ſit fabuloſa ſaltem inſerta ergo ex illa Hypotheſi Lingua Hebræa ficta* „ *formataque eſt ad exprimendam nugacem & fabuloſam Arabum opinionem.*" Satin' *Nugatores* videmur, qui ex *nugacibus*, & *fabuloſis*, commentis, non *Jobum* tantum illuſtremus, ſed & *Linguam Hebræam* inde *fingamus*, ac *formemus?* Quid dicam? Si tacuiſſet Vir Doctiſſ. *Philoſophus* manere potuiſſet.

Vſ. 11. Ob uſum illum ſignatiorem quo לא *Nihilum*, τὸ μηδὲν converto, *Argutum* ſic ſtringor. „ *Supponit V. D.* τὸ לא *ſubſtantive ſumi*, *ſed ſi vel adjectivum* „ *ſit: an etiam ſubſtantivum quod potius* אפס *&* אל, *& ſi vel ſubſtantive ve*„ *nit*, *an unquam venit ut* ſubjectum, *an vero ſemper ut* prædicatum? *Ad hæc* „ *V. D. non attendit. Ego hactenus locum offendi nullum ubi veniat ſubſtantive,* „ *certe ubi veniat ſubjective.*" Satin' hæc perplexabilia? Quod nondum offendit Cl. *Drieſſen.* a me productum, & adſtructum reperiet, *Job.* 4: 6. Tota Ejus *Hypotheſis* ne in לא τὸ μηδὲν diſſiliret, periculum erat; alias ibi locus fuiſſet uſum huncce refellendi: ut & *Cap.* 4: 21. ubi exhibui לא נסע *Nihil convulſum* i. e. *diſſipatiſſimum* & ut ſic dicam *Nihiliſſimum.* Multo plura adhuc *Index* ſiſtet curioſis. Ea excutere non valde tutum Cl. *Conſideratori.*

Vſ. 18. Correxi quod Adoleſcens dederam ex *Arabiſmo* חפרת, *protegeris;* *Facilitatis in me Exemplum ſingulare.* inſinuans nunc iſtam vim propagatam a *fodiendo*, & *foſſa ducta circummuniendo:* eamque *fodiendi* notionem hic commodiſſimum præſtare ſenſum. Cl. *Drieſſen.* in *Dilucidatione Analytica* non dedignatus immaturius meum judicium ſequi, & ipſe vertens ibi, *Protegeris*, etiam maturius hocce *ſuum* facere voluit: „ *Recte & ego cum ipſo meum* protegere *miſſum facio*, *& quemad*„ *modum ipſe accipio.*" Gratia cumulatior fuiſſet, ni addidiſſet V. D. „ *Sed*

„ non

Digitized by Google

„ *non opus eſt hoc ex Arabiſmo diſcere: docet hoc verbi Hebræi ſignificatus, &*
„ *rei natura:* חפר *eſt* ſodere, *ſicut* foſſæ *circa urbium mœnia, vel* foſſæ du-
„ cuntur *ad cobibendos greges.*" Non diſcitur hoc ex *Dialecto Arab.* ſed ex ea illuſtratur, atque confirmatur. Mira res. Anno præterito *Protegi*, per conjecturam ex *Arabia* a me productam, meruerat inſeri in *Dilucidationem Analyticam* Cl. *Drieſſenii*, ibique tanquam dubio vacuum comparere. Unde ergo tam ſubito in odium adducta *Arabia*; & quidem tantum, ut pulvis ejus de pedibus excutiatur? Dicamne, poſt *novam Verſionem Jobi*, & *Hebræo-Arabicum* illud, quod iſto in Monumento relucere dixi, ne nomen quidem *Arabicæ Dialecti* amplius ſufferri? Quid ſit, neſcio: neque in ſecretiora illa curioſus irrumpo.

Caput Duodecimum.

Conſideratum quid. Ad *Vſ.* 4. annotare placuit Cl. *Conſideratori.* „ *Merentur equidem hæc ex-*
„ *pendi; ſed tamen ſimplicius eſt verba* קרא *&* ענה *ſueto ſignificatu accipere*
„ &c." Sentio *univerſum Commentarium meum* tali *virgulæ* patere: & nil facilius eſſe, quam ut totus, quantus quantus ille, fortiter iisdem notulis compungatur.

Aliud. *Vſ.* 5. Iterum annotatum. „ *Simplex videtur V. D. Verſio, & meretur ex-*
„ *pendi.*" Contentus ſum: nec aliud quicquam requiro.

Item aliud. *Vſ.* 6. Converſo ſtilo. „ *Mea Verſio eſt ſimplicior, & magis facit ad ſco-*
„ *pum ſequentis. Vide me ad h. l.*" Et ego eam *Vertendi rationem* a *Diodato*, & *Clerico*, allatam, attigi, atque ut *ſat rotundam* laudavi. Habet ergo iterum Cl. *Drieſſen.* materiam *conſiderationum*, quas *Univerſo Commentario* noſtro apponat.

Caput Decimum Tertium.

Benignum. Ad *Vſ.* 10. Notatur denuo ſatis benigne: „ *Certe merentur hæc expendi.*
„ *Vide tamen Cap.* 31: 27. *Pſ.* 101: 5. *Pſ.* 51: 8. *An forte* in re occulta,
„ in myſterio, בסתר, *viis Dei cum ſuis myſterioſis in quibus vos ex nulla certa*
„ *ſcientia, ſed ex præjudicio veſtro pronunciatis.*" Venient forte, qui apponent, *non meretur expendi.* Certe alieniſſimum eſt, & *δὶς διὰ πασῶν* diſſonans ab eo, quod hic requiritur.

Dorſum luti. *Vſ.* 12. In *Dorſo luti* hæc ſtrictura incidit. „ *Dorſa luti tamen ex Arabibus*
„ *non citat. Quæ quæſo elegantia in* Dorſo luti *in hoc negotio? Quid cogit heic*
„ *alium dare ſignificatum quam Cap.* 15: 26." Nil provulgatius, quam ut *Dorſum* apud *Arabes* veniat pro *Robore* ſive *hominis*, ſive *argumenti*, inter pugnandum. Id hic unice quadrat.

Quid ergo ſibi velit *Conſideratio* hæc, non ſatis percipio. *Dorſa* ſic ſumi, citatis *Arabibus* adſtruxi. Deſiderantur ne jam ex *Arabibus* inſuper *Dorſa luti*, pro *ſubſidiis infirmis, ineptiſque?* An *lutum* non ubique *lutum?* Enim vero *pugionem plumbeum*, atque *ficulneum argumentum*, ne jam dicam *Dorſum luteum.*

Vſ. 14.

Digitized by Google

Vſ. 14. hæc reperio. „ *Adſurgerem* V. D. *ſed dictio*, carnem ſuam ſuis *Recoctum*
„ tollere dentibus, *illud ſignificare nequit, vel aliud dicere, quam* in ſuummet *quid.*
„ corpus ſævire, *ſe ipſum dilaniare & hoc convenit cum nexu* &c. " Nempe
Cl. *Drieſſen.* anno præterito dederat, „ *propter quid auferam carnem meam den-*
„ *tibus meis?* i. e. *cur in proprium corpus injurius ero, & ſæviam?* " Durum.
Id nunc ita emollit, ac ſi ſenſus eſſet: „ *ſilere*, & *expirare ac mortem mihi con-*
„ *citare præſentiſſimam, unum idemque eſt.* " Durius. Duriſſimum, quod ſub-
ditur: „ *Occidi equidem nunc debeo, ſed non ego, ſed Deus me occidat:* &c. "
Quod a Cl. *Schmidio* prolatum, ut crudum plane rejeci, non ſatis decore, ut
coctum, recens, ac dubio vacuum, nunc denuo mihi apponitur, recoctum-
que datur.

Vſ. 22. Valde mihi hic placere poſſem, ſi gloriola ducerer: nam Cl. *Drieſſe-* *Genero-*
nio ita me dilaudare viſum: „ *ſatis recte in hoc loco hæc ſeſe habent ſecus ac in* *ſum.*
„ *Capite antecedente Vſ.* 4. *& pariter cum meis legi velim.*

Caput Decimum Quartum.

Vſ. 6. Satis molli manu. „ *Nihil repugnarem. Sed ille ſignificatus τῦ* חדל *Remiſſum.*
„ ceſſare a moleſtia *non probatur. Notat tale ceſſare quod* defectum *involvit; eſt-*
„ *que ipſiſſimum verbum quod* vitam ceſſantem exprimit *Pſ.* 39 : 5. *Quare meæ alio-*
„ *rumque Verſioni inhæreo.* ". Diceres me ſola in arena aliquid cornicatum de חדל.
Atqui hic eſt ſenſus, quem *Doct. Belgæ* adoptarunt; quum חדל *laxum eſſe*,
laxari, ultro huc invitet. Probationem ſi deſideret Cl. *Drieſſen.* inſpiciat *Cap.*
3 : 17. חדלו רגז *laxantur a concuſſione.* Alterum illud, quod Cl. *Drieſſen.*
calculo ſuo firmatum voluit, ſine *Parentheſi* non poteſt expediri; atque ὕστερον
πρότερον inducit, Ὁμηρικῶς. Lectiſſimum, & Lectione plurima ſubactiſſimum,
prodit judicium, quod ſubditur. „ *Mox vers. ſeq. eundem habet ſignificatum.*
„ *Quis credat unum idemque Verbum fere uno halitu prolatum tam diſparata di-*
„ *cere.* " Nempe *ceſſare a moleſtia*, & *ceſſare a vita.* Anguſte judicat, qui
anguſte habitat. Legat Cl. *Drieſſen. Veteres Tragicos* tantum; ne nimis eum
onerem; & ſcrupulis ſuis ſemet ipſe levabit. Sed ne eſt quidem *ſignificatus*
idem; nam לא תחדל ibi valet *non flacceſcit*, per λιτότητα, pro *vegetus eſt.*

In *Vſ.* 12. 13. 14. 15. una ſpongia *Verſionem*, & *commentationem*, delet. *Magna*
„ *Quæ ad hos verſus commentatur, abeunt a vera Hypotheſi; ſi placet illum meque* *ſpongia.*
„ *ad illos verſus lege.* " Sua magis quam mea Cl. *Drieſſenio* placere, nec ego,
nec quiſquam mortalis, mirabitur. Iterum materia pro *Conſiderationibus per-*
petuis, ad *perpetuum* meum *Commentarium.*

Vſ. 16. Hiſce pauculis expedior. „ *Nimis duriter loquentem facit Jobum*, *Benigniſ-*
„ *& perperam heic rurſus τὸ* לא ſubſtantive *& ſubjective accipit: ita nunquam* *ſimum.*
„ *venit, neque Jeſ.* 55: 1. " An metuebat Cl. *Drieſſen.* ne locum iſtum *Je-*
ſajæ pro *uſu ſubſtantivo* laudarem? Eſt quod gratias ei referam, quod ita im-
becillitati judicii mei occurrere e longinquo dignetur. Reliquis ſatis factum
Cap. 11 : 11. ſupra.

Digitized by Google

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

Sui ſemper ſimilis Cl. Drieſſ.

Vſ 18. 19. Sic dimittor: „ *Quos ego per* Sapientes illos *intelligam jam dixi* „ *in Dedicatione. Id ſaltem moneo verba Vſ.* 18. *pro genio Linguæ verti debere* „ *Imperſonaliter, quod Patres ipſorum* celatum non eſt, *vel, quod Patres ipſo-* „ *rum* celati non ſunt. *Crepat igitur Eſavitarum Sapientiam, quam Deus E-* „ *ſauum, ab eoque proxime prognatos, celatos noluerit.*" Saniora erant, quæ V. D. dederat in *Dilucidatione Analytica.* Iterum ut a me divortium faceret, a ſemet ipſo divertit; eaque miſcuit in *Dedicatione*, quæ Cl. *Drieſſenium* cum Cl. *Drieſſenio* pugnantem, atque colliſum, uno in Libro nobis ſiſtunt.

A me diſſidens idem mecum dicit.

Vſ. 22. Dixi Cl. *Cocc.* verbum צפו *notione activa* ſumſiſſe pro *præſtolatur gladium;* ſed præſtare *ex alto Captatus ad gladium*, quod & in *Belgica* noſtra expreſſum. &c. Ad hæc Cl. *Conſiderator.* „ *Si non placet Cocceji illud* præ- „ ſtolatur gladium i. e. *eum expectans & ſuſpicans ſemper eſt, qualem vim* τοῦ „ paul *in verbis intranſitivis* Activam *vide Jud.* 8: 11. *Jeſ.* 26: 3. & *Pſ.* „ 103: 4. *verte ſimplicius cum Syro* exploratus eſt." Edat mihi velim Cl. *Drieſſen.* quid jam ultimum illud *exploratus eſt* a meo *captatus eſt*, & quidem *ex alto*, *e ſpecula* quaſi, differat, Ego id ita geminum germanum video, ut ſi velit Cl. *Conſiderator*, pro *Captatus* & *cui imminetur*, ſubſtituere poſſit, *Exploratus;* ut ſic nihil ſit, quod concordiam noſtram dirimat.

Liberale quid.

Vſ. 24. Illuſtravi vocabulum כידור; atque ita in tuto collocavi; ut nullos amplius fluctus, quibus multum diuque jactatum fuit, metuat. Cl. *Drieſſen.* directe nil audens, ex obliquo ictum fert. „ *Vide*, inquit, *an hæc cum ac-* „ *centuatione conveniant: & quidni* כידור *confers cum Jeſ.* 22: 18. & 29: 13." Non multum adhuc, ut video, in *accentuationis myſteriis* ſibi arrogatum voluit Noſter, ſed aliorum judicio hæcce delegata. Quid nobis de *Accentibus* ſedeat, dictum in *Inſtitut. Grammat. pag.* 86–89. Alterum illud *Quidni*? non poteſt proficiſci, niſi ab iis qui luci repugnant: nam כַּדּוּר in duobus illis *Eſajæ* locis certiſſime eſt *compoſitum e tribus*, pro כְּהַדּוּר, ut in *Commentario* tactum; atque alibi luculenter poſt magnos Viros comprobatum. Hoc cum כידור a *Rad. deperdita* כדר, nihil habet commune.

Aliud.

Vſ. 31. Alius ex obliquo ictus. „ *Vide an hæc iterum ſint contra accentua-* „ *tionem. Certe ſi* שו *&* שוא *idem priori loco dicat* impietatem, *poſteriori* „ *ejus* pœnam *quæ bona facit evaneſcere, ſic erit Aleph per Apocopen reſectum* „ *quod fit ſæpius.*" Confer ſis *Dilucidationem Analyticam*, ubi vertitur; *Ne confidat Nihilo qui deceptus erat: nam Nihilum erit ejus penſatio.* Quid eſſet, divinandum reliquit *Jobi* Explanator. Si prius *Nihilum* ſit *inanitas vitii*, poſterius *inanitas* i. e. *privatio fortunarum*, habebis, quod blandiri queat. Cumulatius tamen, *ne confidat Culmini fortunarum, qui deceptus eſt*, & inebriatus quaſi, proſperitate; *nam inanitas erit ejus viciſſitudo* vel *penſatio ejus.* Cumulatiſſimum, quod in *Verſione* expreſſi.

Mirificus nexus.

Ad *Vſ.* 35. Aliquid mirificum reperio. „ *Vide an connecti poſſit cum ante-* „ *cedenti*

Digitized by Google

„ *cedenti verſu; Ignis edit τὸ* concipere, parere, *& venter eorum qui parat* „ *fraudem, ut quod conceperant* parere, *i. e. effectum dare poſſint.*" Non intelliges connexionis ſuavitatem, niſi textum inſpexeris; quin ne ſic quidem, vereor, intelliges. Meus ſaltem ſtupor nihil hic diſcernit. Voluitne V. D. *Ignis edet tentoria muneris*, edet, inquam, *Concipere moleſtiam & parere vanitatem, & ventrem eorum fraudis paratorem?* Sic viderem aliquid ſaltem ſententiæ; nec tamen inventori ejus inviderem. Iterum confer *Dilucidationem Analyticam.*

Caput Decimum Sextum.

Ad *Vſ.* 5. Hæc deſtricta: „ *Mihi adhuc placet interrogative priora accipere* *Cl. Drieſſen. ſecum commiſſus.*
„ *& ſi* נוד *non* agitationem *ſed* condolentiam *vertere velis, etiam redde,* &
„ an cohiberetur condolentia labiorum meorum." Atqui in *Dilucidatione Analytica* datum fuit cum adfirmatione; *Roborarem vos ore meo, & comploratio labiorum meorum parceret.* Ergo Cl. *Drieſſenium* Cl. *Drieſſenio* permitto, & committo, ad litem iſtam tranſigendam: ut ſaltem ſciam quicum pugnem. *Splendida lumina, & acumina.*

Vſ. 8. Multa ſe offerunt *conſideratiſſima*, quæ *Critica* ipſa dictaſſe videtur. „ *Non intercederem quo minus ipſius verſio meæ aliorumque præferatur. Sed non* „ *video* mendacium *ita paſſive capi poſſe. Simile quod adfert diſſimile eſt. Sit* „ violentia mea, *violentia mihi illata, hinc* mendacium meum *non eſt mendacium adverſus me effutitum; aliter quod ad ejusmodi converſionem ſe res habet* „ *in iis quæ* moraliter mala, *& in iis quæ ſaltem* Phyſice mala *ſunt; in his quid* „ active *&* paſſive *accipi poteſt; non pariter in illis. Obtineat igitur hactenus* „ *notio τῦ* corrugandi *&* macie, *quæ certe hactenus ſimpliciſſima eſt, ex Pſ.* „ 109: 12. *Miror autem cur heic ſaltem* prima vice *non laudet τῶ* LXX. *qui* „ *tam pulchram Verſionem ipſi præiverunt, de quo tamen nihil monet* V. D." In omnibus membris hujus periodi Limam agnoſcas, cui nihil par, aut ſecundum. Primo etiamſi *violentia mea* חמסי, *paſſive* venire queat, pro *mihi* *Primum.*
illata; hinc tamen כחשי *mendacium meum* non continuo eſt *mendacium adverſus me effutitum.* Et quare non? Quia, *ſecundo*, poſterius hoc eſt *malum morale*, quum prius ſit *Phyſicum*; ubi iſti *converſioni* locus non eſt. Atquin, *Secundum.*
Doctiſſime *Conſiderator*, חמסי *violentia mea* in locis a me allegatis *Gen.* 16: 5. *Jer.* 51: 34. &c. etiam *malum morale* eſt, deſignans *injuriam graviorem.* Hic uſus *adfixi poſſeſſivi* & in *Codice Sacro*, & in *Græcis Latiniſque Auctoribus*, tam creber, ut qui eum ignoret, hoc in genere non multum didiciſſe cenſendus ſit. Et tamen diſerte monueram, me *Jod Paragogicum* præferre; atque inde in *Verſione* expreſſeram *Aperta mihi falſitas.* Nimis ſecure ergo, *tertio*, *ma-* *Tertium.*
cies ex *Morbonia*, una cum *rugis* in קמט, revocatur; ac ſi nihil actum eſſet;
quum, ipſe V. D. *quarto* vocet *pulchram verſionem*, eam ſimul a me *non nimis* *Quartum.*
pulcre τοῖς LXX. ſublectam inſinuans. Eorum *Verſio* ſic habet: Εἰς μαρτύριον ἐγενήθη, καὶ ἀνέστη ἐν ἐμοὶ τὸ ψεῦδός μου, κατὰ πρόσωπόν μου ἀνταπεκρίθη. Hic *prima* ſaltem *vice τῶν* LXX. *a me laudari debuiſſe* inferens Cl. *Conſiderator*, & neſcio qua furti ſuſpiciuncula me feriens, bene facit quod pro *Alexandrinis*, ſcilicet,

æmuletur. Expecto, ut quem non *deformem*, ſed *informem*, & *abortivum* plane, *partum* appellare auſus fui in *Præfatione*, *Græcum Jobum*, non a LXX. utique, ſed ab ignoto *turbatore* potius, quam *Interprete*, editum, brevi a calumniis hiſce meis vindicet Cl. *Drieſſenius*, atque ita *Semi-Voſſianiſmum* ſuum coronet.

Caput Decimum Septimum.

Nihil — *Delio natatore* opus eſſe dixi, ad hujus *Capitis* profundiſſimi, & ſcopuloſiſſimi, ſenſum expiſcandum. Ad illud in præſenti NIHIL annotatum. In *Dedicatione* tantum verbulum reperio ad *Vſ.* 3. & 4. de quo in *examine novæ Hypotheſeos Drieſſenianæ*, cui ſuum in *Diſſertationibus Jobeis* locum deſtinamus, accuratius diſpicietur.

Caput Decimum Octavum.

Captiuncula. — *Vſ.* 2. Ad Verſionem, *Quouſque ponetis captioſos laqueos ſermonibus*; hanc deprendo captiunculam: „*Sed ſic alius emerget ſenſus*, *nempe non per* captioſos „ ſermones *aliis ponere laqueos*, *ſed* ipſis ſermonibus *ponere laqueos*, *venari* „ *ipſos ſermones non ſuos ſed aliorum. Tenemus ergo receptam Verſionem. Si τὸ* „ קץ *non occurrit alibi*; *occurrit hic. Et quidni Dagesh in Nun reſolvatur ut in* „ אנבה מנדה חנטין." Hæc non plebeja pulpa; ſed pulpamentum palatis eruditis tergendis. Dixeram tamen diſerte, *Laqueos venatorios ſermonibus* egregie poni, pro *ſermonum*; ut ſit *quaſi ſermonibus intertextos* & *internexos.* Nempe *Jobeos ſermones*, ut *verſutos*, *captioſos*, *laqueis internexos*, ad Deum, & Amicos calumnia circumveniendum, increpitat *Bildadus.* Cl. *Drieſſen.* vereri videtur ne ipſum *Jobum Venatorem* faciam, & *Captatorem ſuorummet Verborum.* Poſſet alicui non diſplicere, *Quouſque ponetis captioſos laqueos ſermonibus*, nempe *noſtris* &c.? Mihi id minus placere, ipſo ſilentio indicavi. Ad reliqua reſponſum ſuum inveniet Cl. *Drieſſen.* in *Inſtit. Grammat. pag.* 471.

Styli peritia. — *Vſ.* 8. Qui *Cothurnum Tragicum* a *Socco* diſtinguere valent, ſtatim ſentiunt, cur dederim; *Nam jactus factus eſt reti ad pedes ejus.* Hoc a ſublimi ad humile detrahit Cl. *Conſiderator*, quum hanc cerulam apponit: *Simplicius certe eſt, immiſſus eſt ipſe in rete pedibus ſuis.* Gaudeat ergo ſua ſimplicitate. De talibus non diſcepto.

Metaphyſicum. — *Vſ.* 9. Evici ex h. l. צמים eſſe inter nomina *Retium*, eoque in genere aliquid *nodoſiſſimum* & *nexibus implicatiſſimum* ſignari, a *Radice* צמם *nexuit*; *inſtrinxit.* Longe aliud ſedet Cl. *Drieſſen.* conſideratiſſime hæc ponenti: „ *Vide* „ *de his ad Cap.* 5: 5. *Si τῷ* צמם *ſignificatus primigenius ſit* eſſe piloſum hir„ ſutum, *potius primario dicet eſſe* crinibus diſſolutis, *quam* conſtrictis." Habes iterum pulpamentum *Metaphyſicum.* צמם *Crinibus diſſolutis fuit.* Ubi? in cerebro Inventoris. Laudabile enimvero ſtudium veritatis!

Capitale. — *Vſ.* 13. Capitaliſſima conſideratio. „ *Quod ex* Coccejo *adducit*, *mihi magis* „ *pla-*

„ *placet. Alia in his notio eſt τῦ* filii *&* filiæ, *& τῦ* primigeniti.” Conferen-dus *Commentarius* meus, ut quid ſibi ultima velint, percipiatur. Ego ſuum *magis placet* cuique placidiſſime reliqui ſemper, & relinquam.

Vſ. 14. Ex *Conſtructione*, & *Linguæ* genio, liquido conſtare potuit de Verſione, *Gradientur in eum, inſtar Regis, terrores.* למלך *ad Regem*, pro *ad modum Regis*, in ſtylo ſublimiore peritis ſatis ſe inſinuat, & commendat, vel ſine exemplis. Adduxi tamen geminum germanum ex *Exod.* 32. פרע לשמצה *diſturbavit ad Sphærulam*, pro *ad modum Sphærulæ*. Cl. *Nold. Concord. Partic.* alia congeſſit. Plurimi in ללא לה *Cap.* 39: 16. eundem uſum tenent. Vide jam *Criſin* æquiſſimam. „ *Sed ille τῦ* ל *ſignificatus non conſtat. Adferen-* „ *da eſſent loca idonea quæ hunc non alium admitterent. Multis in locis ſignificat* „ ſecundum, juxta, *ſignificatque aliquid quod cum rei natura convenit; ubi* „ *comparationem dicat, & vertendum ſit* inſtar, *locum hactenus comperi nullum.* „ *Quem ex* Jobo *adducit, rem non conficit.* כ *ſimilitudinis omiſſum eſt, quod ſit* „ *millies. Incumbit V. D. loca adducere quæ novos quos cudit ſignificatus, non* „ *alios, poſſint promere: hoc propterea moneo, quia non demonſtratum illum ſigni-* „ *ficatum locis plurimis perperam aptat, unde non poteſt non obſcurari vera illo-* „ *rum mens.*” Sapientiſſime Cl. *Drieſſen.* prætervidit Arcem cauſæ, & firmamenta hujus *Verſionis*, ex viſceribus contextus repetita; ut fortiſſimam ſuam dextram exerceret in *particulam* ל, ac ſi in ea omne meum præſidium collocaſſem. In *Stratagematis* hiſce conſummatum Noſtrum, ſæpiſſime deprendere licuit. Quid *Job.* 39: 16. teneri debeat, *ibidem* a me indicatum. Pulvis quem ſparſit Cl. *Conſiderator*, oculatos oculis ſuis recte uti non impediet. *Conſideratiſſimum.*

CAPUT DECIMUM NONUM.

Ad *Vſ.* 6. hanc ſuſtineo notulam. „ *Durior verſio. Melius τὸ* incurvare „ *reſpondet cum ſequentibus.*” Nempe diſputant Interpretes, vertendumne ſit verbum עותני *pervertit me, curvavit jus meum:* an *incurvavit me graviſſimis calamitatibus.* Ego prius evici ex *ſerie univerſa*, & *Adfectu* incitatiſſimo, quo *Jobus* fertur. *Vſ.* 7. pro me etiam pronunciat. Aliter decidit Cl. *Drieſſen.* Sequantur Eum, quibus auctoritas ſine ratione ſufficit. *Meditatiſſimum.*

Vſ. 18. Ex ſerie, filo, re ipſa, oſtendo עוילים *clientes egentiſſimos*, commodius quam *parvulos lactentes* reddi poſſe; utramque tamen vim ex *Arabum* עול عال adfirmans, atque illuſtrans. Ad hoc Cl. *Drieſſen.* „ *Quid quæſo* „ *cogit? Certe* עוילים *Cap.* 21: 11. *ſimpliciter notat* parvulos.” Liberalem objectionem! Inſpice *Commentarium*, & videbis me *viliſſimam in familia turbam parvulorum* intelligere, *Altori*, & *Hero*, *ſuo probra petulantiſſime occinentem.* *Aliud.*

Vſ. 28. Ad Formulam, *Radix cauſæ inventa in me*, longam inſtitui diſcuſſionem. Quid mihi commodiſſimum viſum fuerit, non repeto. Cl. *Drieſſen.* præciſe: „ *Simplicior eſt mea verſio & expoſitio quam vide.* Facerem, ſi ſcirem *Aliud.*

rem quid videndum, & examinandum, eſſet, an quod *anno præcedente* in *Di-*
lucidatione Analytica voluit meus *Conſiderator;* an quod hoc *anno* in *Dedicatione*
Ei allubuit, *Jobi Amicos Oſores* nobis hinc fingenti *Radicalis Doctrinæ* de *Goële*.

Caput Vicesimum.

Luminoſum. *Vſ.* 20. Sic incipio. *Nihil toto hoc capite obſcurius.* Decem diverſæ Inter-
pretationes, quas produxi, id in oculis defigunt imperitorum. Periti ſen-
tiunt ex *Cothurno* ipſo, qui hic *Dithyrambicus.* Noſter tamen ſui ubique ſi-
milis: „ *Cur quæſo nihil hoc capite obſcurius quod dicit? Seponatur modo ſignifi-*
„ *catus ille τῶ* מלט, *qui certe primigenius non eſt: Vide meam aliorumque Ver-*
„ *ſionem. Quæ neceſſitas τὸ* בחמור *vertere* quod concupiſcit?" Quo nomine
hanc *Conſiderationem* adficiam, non invenio. Remitto Cl. *Drieſſenium*, qui
mea non legit, ad Cl. *Drieſſenium* Lectione ſaltem aliqua præparatum, ut
quid dicat in publico, non neſciat.

Aliud. Ad *Vſ.* 22. Leniuſcule: „ *Examinetur: certe τὸ* שפק *ſignificat* eſſe ſuffi-
„ cientem, abundavit. *Videtur ſignificatus* ſufficientiæ *magis cohærere.*" Ipſe
Conſiderator videlicet necdum *Examinavit:* alias enim vidiſſet *ſufficientiam* a
Comploſione ortam. Liceat ergo & nobis illo *Examinetur* defungi.

Liberale. *Vſ.* 23. Liberaliſſime. „ *Examinetur, quia* מטר *conſtrui ſolet cum* על *ad*
„ *notandum ſubjectum in quod.*" Votorum meorum ſumma illud *Examinetur:*
nam a multis ſine *Examine* per viginti annos, & ultra, judicor. *Anno præ-*
terito adoptaverat Vir Cl. ad לחום *concoctum Chylum* Cl. *Schmidii.* Eumne
an nunc dimittat, nil monet. An hæc, & alia, etiam a me *examinari* deſi-
derat?

Caput Vicesimum Primum.

Semet impugnat Cl. Drieſſ. *Vſ.* 4. לאדם *ad hominem*, reddo *ad inſtar hominis*, *more humano:* &c. En
notam: „ *Significatum illum τῶ* ל *non probavit. Non memini* אם & מרוע
„ *conjunctum alibi me legiſſe. Utrumque vim habet interrogandi; & ſic interro-*
„ *gatio intenditur. Accentus utrumque conjungit. Hinc interpretationem meam*
„ *in textu expreſſam cum hac mea commuto*, Numquid ſecundum hominem,
„ *more humano, ex infirmitate humana*, querelas fundo? *neutiquam.* Cur er-
„ go non eſſet impatiens Spiritus meus? *Cum Deus me tractet equidem juſte ſi*
„ *abſolutam ejus poteſtatem ſpectes, ſed non pro ea relatione quam ego ad Illum*
„ *habeo vi juſtitiæ imputatæ.*" In *Dilucidatione Analytica.* Viri Cl. aliter
verſum reperio: „ *Me* quod *attinet*, *eſtne ad hominem queſtus meus? ſi au-*
„ *tem* ſic, *quod* non ad hominem, *ſed ad* ipſum Deum *querelas effundo*, *quare*
„ *non abbreviaretur Spiritus meus?*" Committo jam Cl. *Drieſſenium* iterum
cum Cl. *Drieſſenio*; nam quæ ad אם & מרוע ſtringit, in ipſum quoque re-
cidunt. Ceterum, quod me probaſſe negat *Vir Doct.* de uſu *particulæ* ל, ita
tamen ipſe probat, ut planiſſume *ſuum* faciat, & vocet ſimul, me audiente.

Ad

Ad reliqua alias reſpondebo, atque Virum Clariſſ. contra ſemet ipſum mecum una defendam.

Ad *Vſ.* 17. 18. 19. 22. me excerptum longiuſcule video. *Epicriſis* hæcce. „ *Quod ad Vſ.* 17. *& ſeq. affirmative accipi a nexu alienum non eſt. Attende an* „ *τὸ* כמה *hoc ſignificare poſſit* interrogative, *ſicque* negative? *Hinc coacta ſunt* „ *quæ habet Vſ.* 19. *&* 20. *&* 22." In *Dilucidatione Analytica* ferme *meus* erat Cl. *Drieſſen.* nunc ne *meus* eſſet, a *ſemet* iterum deſcivit. Secum in gratiam redeat, velim. *A ſe deſciſcit.*

Caput Vicesimum Secundum.

Ad *Vſ.* 17. 18. Excerptio non valde limpida. Dixi *Vſ.* 17. למו *ipſis* referri ad *improbos*; per flexum vividiſſimum, pro לנו *Nobis* &c. &c. atque inde ſubſumi *Vſ.* 18. *& ille implevit domos eorum bono* &c. Ad hæc Cl. Cenſor: „ *Incommodius omnino. Dicendum ſic omnino* nobis, noſtras." In ſemet cenſuram exercet; nam in *Dilucidatione Analytica* idem mecum ſciſcit. Neuter noſtrum Defenſore eget: nam liquidam poſuimus veritatem. *Alia pugna.*

Ad *Vſ.* 20. לא נכחר verto, *Nihil excifum;* per vim illam *ſubſtantivam*, qua לא *τὸ μηδὲν* ſignare, crebro commonui, & comprobavi. Cl. *Drieſſen.* meque ſeque ludens, „ *Illum ſignificatum τῷ* לא *non probavit.*" Indicem ſaltem inſpexiſſet; ſi jam exciderat *Cap.* 4: 6. & 22. Adde *Cap.* 27: 20. *Meditatum.*

Vſ. 24. 25. Inter alia attigi Cl. *Schmidii* hallucinatiunculam, qua verba *ponere pro pulvere aurum*, i. e. *pulveris inſtar vilipendere*, convertere maluit, *ponere ſuper pulvere aurum* i. e. *pavire domos* ſimul *& plateas auro.* Argutiam ſic diluebam; *Diceres Jobum in* Germania *habitaſſe.* Neſciebam Cl. *Drieſſenium* ſimul tactum iri. Is nunc replicat. „ *Ego illud* Schmidii, *quod & Ipſe* „ *ſecutus ſum*, *ſimplicius eſſe judico; quod certe eo modo non refutabit* V. D. *Cum* „ *ſcopo* Eliphazi *convenit noſtra Interpretatio*, *diſſuaderi* Jobo *avaritiam qui po-* „ *tius Deum ponat aurum ſuum. Ubi præceſſit monitum de reſipiſcentia*, *ſemper* „ *ſequitur in Amicorum ſermonibus promiſſum de externa felicitate*, *ampliſſima* „ *fortuna. Unde & heic. Neque neceſſum eſt*, *ut ſequentia verba oppoſite ac-* „ *cipiantur*, *diſtincta poteſt eſſe promiſſio de auro duplici*, proprio *&* myſtico. „ *Vel & ſic accipe: Ipſe Deus tibi futurus eſt autor illius auri.*" Si ergo *aurea* iſta *pavimentatio platearum*, & *veſtibulorum*, joco non ſatis diluta; ferio agam, dicamque שית על עפר *ponere ſuper pulvere aurum*, pro *ædes pavire auro*, in hac ſerie ferri non poſſe, quia nihil præcedit vel ſequitur quod iſtam *imaginem magnificentiſſimi Palatii* ſuſtineat. Non licet bono *Interpreti* omnia arripere, quæ imaginationi ſe offerunt. *Plateas* adjicere *auro pavitas*, meo quidem judicio *aureum* eſt *ſomnium*. Sibi habeant iſtam *Hyperbolen*, qui ea delectantur: ut & *Myſticum* illud *aurum*, quod cum *proprio* hic conjunxit Cl. *Conſiderator.* Quod ad *Deum* etiam referre conetur V. D. *τὸ* שית *ponere*, ut coactum, ita tamen nihil expedit, manent enim eadem omnia. Sed jam *Scopus* jacentem cauſam eriget. Nempe *monita reſipiſcentiæ ſequitur promiſſum* *Meditatiſſimum.*

de.

Digitized by Google

de externa felicitate &c. Recte vero; ſed eam *felicitatem externam* reperio *Vſ.* 27. 28. 29. 30. convenientiſſimis coloribus deſcriptam; quum hæcce *pavimentatio aurea* non quadret in *Cenſura*, quæ contra *Jobum* tanquam *Divitiarum nimis avidum Corraſorem* deſtricta. Mitto *oppoſitionem Vſ.* 25. pulchre captatam. Scio quid reſponderi queat; & jam *Myſtico auro* hinc præſidium arrepturos nonnullos prævideo. Id *igni* par futurum, non crediderim.

Rerum. Ad *Vſ.* 29. Hæc notata. „ *Conferatur hoc cum meo: utrumque nihil habet* „ *incommodi neque cum nexu & ſcopo pugnat. Si tamen τὸ* גוה *aliis in locis* „ *tantum in malam partem accipiatur, vertatur potius cum ipſo* faſtus, *quam* „ exaltatio." Si hac tantum conditione ſubſcribat Cl. *Drieſſen.* ſuum ſervet neceſſe eſt, nam גאוה *elatio, celſitas*, ſæpe quidem in *malam;* nonnunquam tamen & in *bonam partem* vergit. Neſcio quid ſibi velint Viri Docti cum talibus argumentis, quibus quaſi ad calculos ante *bonam Concordantiam* ſedetur.

Caput Vicesimum Tertium.

Singulare. *Vſ.* 13. Ad meum, *at ille unus &c.* verbulo Noſter: „ *Melius ego cum* „ *aliis verto.*" Gratulor. Habet Cl. *Conſiderator*, quod omni *verſiculo* apponat.

Subtile. *Vſ.* 14. Verſio, *nam tradit jus meum* &c. ita perſtringitur: „ *Sed illum* „ *τὸ* שלם *ſignificatum ignorat Sermo Biblicus. Satis non eſt hunc illum locum* „ *ad ejusmodi ſignificatum non alterove modo cogere; ſed ad ſignificatum aliquem* „ *figendum adferenda ſunt loca ubi accipi aliter nequit. Certe recepta verſio in* „ Pſalmo *eſt ſimplex & Emphatica.*" Anguſte judicat, qui anguſte habitat. שלם in *Dialectis* haud dubie eſt *tradere, prodere*. Id omni cordato ſufficere debet; ubi in textu *Biblico* eundem ſignificatum requiri, ad ſententiam rite conſtituendam, evincitur. Id heic loci a me factum. Sic utique *ſermo* ille *Biblicus*. Id qui negat, *Sermonem Biblicum* minuit. השלים pro *dedere*, Overgeven/ extat in *Bibliis*. A *dedendo* ſubnatum *prodere*, *tradere*, etiam in *Vernacula* noſtra. Commiſeratione dignus eſſet Interpres, qui *vernaculam noſtram* non niſi ex ſolis *Bibliis noſtris* callens, de ſenſu tamen *verſionis noſtræ* differere deberet; deque *poteſtate*, & *Origine verborum Belgicorum*, judicium ferre. Omne ſimile claudicat. Forte tamen alias oſtendetur, comparationem hanc non nimis mancam eſſe. In *Pſalm.* 7: 5. ubi verti ſolet, *ſi retribui pacifico meo malum*, illud *ſimplex*, & *Emphaticum*, mihi demonſtrari pervelim. *Pacificis malum rependere*, ſceleratorum eſt. *Deditoribus*, & *inimicis*, *malum non rependere*, ſed *bonis* eos *cumulare*, id demum pectus ad omnem virtutem exaggeratum mihi ſiſtit.

Caput Vicesimum Quartum.

Laconicum. *Vſ.* 11. Laconice notatum. „ *Expendi poſſunt.*" Expendantur ergo.

Exquiſitum. *Vſ.* 12. Pro *ex urbe* מעיר, dedi, *eo quod vindicta non ſit:* ultima autem converto,

Digitized by Google

verto, *at Deus non curat ſputationem querulam* oppreſſorum. תפלה. Ad hæc Cl. *Drieſſ.* „ *Cur alium quærit ſignificatum, cum receptior* ex urbe *eſt ſimplex,* „ *& facilis?* Sputationem *illam jam ſupra ſignificatui primigenio τῷ* תפלה. „ *deterſimus ad Cap.* 6: 6. 7." Atqui illud *ex urbe* nec *ſimplex*, nec *facile*, Commentatio mea arguit. *Sputationem* a תפלה quam ſtrenue deterſerit Vir Doctiſſ. reperies ſupra ad *Cap.* 6: 6.

Exſuperantiſſimum, Ad *Vſ.* 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. excerptio parum lucis datura illi, qui *Commentarium* meum non leget. Nihil in univerſo Libro abſtruſius. Nihil in *Commentatione* mea prolixius ſimul, ſimul tædioſius. Ea forte Lecturis, veri inveniundi curam nobis non defuiſſe, & omnibus interpretibus debitum honorem habitum, abunde conſtabit. Sub fine, ſcopum totius *Capitis* indicans, *immaniſſima ſcelera impune hoc in ſeculo patrari*, his verbis uſus ſum. *Ad iſtam Cynoſuram navigandum inter has Syrtes, ſi quis* portum *contingere velit. Me quidem eum tenuiſſe haud certus ſum: quin nimis vereor ne* navim confregiſſe *judicer, undis decumanis oppreſſus, & abreptus. Iis reſiſtere quitus non ſum; quantumvis memet ab hoc curſu ſcopuloſiſſimo reflecterem. Si quem felicior aura in ſtationem tutiorem deduxerit, erit, quod vel in* naufragio *mihi gratuler, hac alioquin tabula contento, quod eruendæ veritatis ſtudio huc me provectum, omnes boni æquique judicabunt.* In *Præfatione* denuo quantopere conatibus meis diffiderem, inculcavi, ita loquens: *quam magis hæc volvo & revolvo, tam magis caliginem, atque adeo vertiginem, oculis offundi perſentiſco.* Vide jam æquitatem Cl. *Conſideratoris.* „ *Ad hæc operoſe annotare quicquam, nihil attinet; dum ipſe V. D.* „ *in* Præſatione *monet ſe cupere ad omnes hos verſiculos ſuis meliora. Sed ſuis* „ *his Allegoriis Arabicis longe meliora quæ jam extabant, quæque Ego ex aliis* „ *compendioſe excerpſi, & mea feci, apud me legi quæ poſſunt, cur non prætulit?*" Confundor, hæc legens, & totus rubore tingor; nomine Veteris Amici. Adeone quemquam dignitatis ſuæ, & perſonæ, quam uterque ſuſtinemus, oblviſci! Et quid tandem ex *Dilucidatione Analytica* haurietur, hac ſuper materia, quod non apud me ex ipſis *Fontibus* Commentantium copioſe fluit? Pergit moderatiſſimus, & in me, meaque, æquiſſimus Cenſor. „ *Figurata* „ *illa* levitas ſuper aquis *eſt levis.* Vinea *quæ ſit uxor quam eſt quæſita? Uxor* „ *alibi ſi comparatur cum* vite, *an propterea* vinea *abſolute poſita erit uxor?* τὸ „ oblviſci alicujus *ubi ponitur in vitio, eſt vitium ejus qui obliviſcitur, non ejus* „ *qui vel quod oblivioni datur. Ergo ex Hypotheſi V. D. dici debuerat non uterus* „ obliviſcitur ejus, *ſed* ipſe obliviſcitur uteri." Silentium hæc refellat, volo, ob rationes quas *Commentarius* meus *Lectori* inſinuabit: repeto tantum, quod inde paulo ſupra excerpſi.

Caput Viceſimum Quintum.

Acutiſſimum. Ad *Vſ.* 3. & 5. Criſis hæc deſtricta. „ *Ego comparationem illam quam vult V. D.* „ *non video; neque an illud quod de* Luna *dicitur dici poſſit* Tabernaculum non „ tenere. *Tentorium certe ſemper tenet, ſi vel præſente ſole non ſplendeat: ſim-*

„ *plicior*

„ *plicior eſt mea aliorumque interpretatio quam vide. Deinde recte ſi contuliſſet* „ *V. D. Cap.* 15: 15. *vidiſſet utique omnia huc redire, ne quidem ipſos Cœlos* „ *eſſe* mundos *in oculis Dei.*" Vidi ſane, & huc *Commentationem* meam direxi. *Tentorium tenere in Cœlo*, quum *Solem*, aut *Lunam*, dicunt *Orientales*, non intelligunt cum Cl. *Drieſſ. locum*, aut *ſedem*, in genere, etiamſi non conſpiciantur a nobis, ſed intendunt *ſtationem lucidam*, *oculiſque noſtris oblatam cum ſplendore magnifico Campum Ætheris implente.* Satis clare dixi, ſed Cl. *Cenſorem* longitudo forte notæ ab ea legenda deterruit.

CAPUT VICESIMUM SEXTUM.

Defæcatum quid. Palma ferme hic donor. *Conſideratio* ad univerſum Caput ſic habet. „ *Quæ* „ *commentatus eſt legi atque expendi poſſunt*, *præſertim ad Vſ.* 5. *ſeq.* & *conferri* „ *cum meis*, *non tantum quæ in Commentario ad illud Caput leguntur*, *ſed* & „ Cogitationes defæcatiores *ad* Behemotum & Leviathanem *ubi ex hoc Capite* „ *quædam repeto: Vide pag.* 169. *ſeqq.*" Nihil hinc diffingere poſſum. *Defæcatiores* vocans *Cogitationes* ſuas Cl. *Drieſſen.* ad *Behemotum*, & *Leviathanem*, paucos credo reperiet ſubſcriptores.

CAPUT VICESIMUM SEPTIMUM.

Nihil ad illud *Conſiderationum.* Quid ominis ferat, neſcio.

CAPUT VICESIMUM OCTAVUM.

Modeſtiſſimum. Ad *Vſ.* 1. ubi decem diverſas ſententias enumero circa *nexum*, & *ſcopum* totius Capitis, *undecimo loco* meum quoque calculum periclitans; hac *virgula* tangor: „ *Frigida ſunt hæc ſi veram Jobi religionem quam deſcripſimus tenes.* „ *Vide noſtra.*" Hui! quam modeſte! quam decenter etiam in hominem, qui cum vaſto ſuo Commentario necdum *Theologiam Jobi* tenere potuit! Vides *Capitulum Diſſertationibus Jobeis* dicandum.

Liberale. *Vſ.* 2. אבן יצוק נחושה per *appoſitionem* capio, *Lapis fuſilis*, *æs*; ut non ſit *fut.* in *Kal* a צוק; ſed *part. Pahul* a יצק; ut vel e *Lexicis* cognoſcere eſt. Et tamen Cl. *Conſiderator.* „ *Videbimus an illum ſignificatum probabit. Sim-* „ *plicius eſt quia verbum præcedit*, *ut* & *ſequens hic ſit verbum.*" Iterum ſentio V. Cl. notam meam non legiſſe. Mecum ſentiet, qui eam leget.

Aliud. Ad *Vſ.* 4. Hanc laureolam fero: „ *Sunt hæc quidem ſatis ingenioſa; ſed iſte* „ *vū* גר & נחל *ſignificatus*, *qui* venam *torrentem facit prorſus eſt ignotus.* „ *Vide me* & *lege adhuc commodius quid apud Cl. Michaelis.*" Non intercedo. Ei qui meliora attulerit lætus quoque lubensque aſſurgam.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT VICESIMUM NONUM.

Pulpamentum Criticum.

Ad *Vſ.* 4. ubi evici חרף eſſe *Autumnum*, & *Autumnitatem*, a חרף *ſtrinxit*: unde & ſecundario in *Kal*; itemque in *Pihh. opprobrio adfecit*, *perſtrinxit*, *conviciatus eſt* &c. ita amandor cum mea ſuppellectili: „ *Sed iſte ſignificatus* „ ſtrinxit *in Lingua Biblica eſt ignotus: pariter derivati ſignificatus* Autumnus. „ Hiemem *certe an ſignificet non conſtat; nec video qui vi* Originationis *ſigni-* „ *ficare poſſit. Dum verbum dicit* exprobravit probris adfecit *recte* hiems *ſic* „ *dicitur quaſi* terræ probrum *quia eam quaſi deboneſtat &* probro afficit, *dum* „ *quicquid tempore æſtivo in ea germinarat & floruerat, vitiatur & corrumpitur.* „ *Vide* STOCKIUM." Illa *Lingua Biblica*, quam toties ingerit Cl. *Drieſſen.* eſt *Lingua Hebræa in Lexicis.* Notionem *ſtringendi* competere *Linguæ Biblicæ* & in *Commentario* ſatis adſtructum; & in *Opere* de *Originibus* pervincetur. De *Autumno* res tam evidens, ut contradici nequeat, niſi ab iis qui etiam citra rationem contradicere decreverunt. *Originationem* multo commodiſſimam a *ſtringendo*, *deſtringendo*, *decerpendo*, in *Commentario* reperiſſet Cl. *Drieſſen.* ſi ad *Arabica* oculum adjicere dignaretur. *Hiemem* in illa periodo *Typotheta* dedit; qui *Autumnum* ni fallor debuiſſet. Illam ab *opprobrio* dictam, tam parum STOCKIO accredo, quam Cl. DRIESSENIO. Sed miſſa jam *Hieme*; miſſa etiam *juventute*, quam in *Dilucid. Analyt.* amplexus fuerat, ita pergit V. Cl. „ *Aſſurgo nunc* GUSSETIO, *qui ſignificatum illum* juventutis, „ *qui uno hoc in loco comparet, jubet exulare, & interpretatur*, ſicut fui in die- „ bus opprobrii mei. *h. e. quando quodam tempore, cujus ſingulari modo memi-* „ *ni, tenebræ & dies* opprobrii *advenerant mihi, quibusdam hominibus rebusve* „ *ad me obſcurandum ac deturpandum paratis. Certe verſus ſeq. omnino favet* „ *huic ſententiæ: & ſic comparat* tempus opprobrii, *ex quo, cauſam Jobi pu-* „ *blice agente Deo, ſplendidior enituit, cum præſenti opprobrio cui in hac vita* „ *ſuccubiturus ſibi omnino videtur.*" Ipſe quoque hanc conjecturam Cl. *Guſſetii* attigi, *num.* IX. adjecique, *Argute, ſed citra ſpeciem.* Hoc ſufficere opinabar; quod talia ſine fundamento aſſumta, ſponte defluant. Quia tamen Cl. *Drieſſenius Defenſorem* ſeſe fert ſententiæ *nulla ſpecie* commendabilis; hæc breviter ſtringam. 1. Nutare *interpretationem*; quæ *precaria* plane *ſuppoſitione* nititur. 2. Eam eſſe abſurdam; quum iſtud *opprobrium quo Jobus obſcuratus & deturpatus* tunc temporis fuiſſet, nihil habeat *optabile*; niſi forte a majori ad minus. 3. Jam optare, *utinam ex hoc majore opprobrio quo nunc opprimor, mihi redire liceret ad minus opprobrium illud, quo antea deturpatus & obſcuratus jacebam*, nihil habet *Viro* dignum, nedum *Jobo* noſtro. Addere 4. *unde ſplendidior enitui cauſam meam agente Deo*; eſt emplaſtrum male hærens. Sunt adhuc plura. Quidni manſit potius Noſter in eo, quod *Dilucidatio Analytica* exhibuerat? Nempe ut longius a me abiret, a ſemet iterum deſcivit.

Cl. Guſſetii conjectura.

Digitized by Google

Caput Tricesimum.

Suave. *Vſ.* 2. Ultimum membrum converti; *ſuper ipſis periit decrepitus oris rictus;* עלימו אבד כלח. Cothurnus alte incedens. Cl. *Drieſſen.* in *Dilucidat. Analyt.* dedit: *ſuper ipſis periit ſenectus.* Idem dicimus: niſi quod *Decrepitus* & *ſenex* gradu differant. Non conſideratiſſima ergo *Criſis*: „ *Quia clarum eſt ex h. l.* „ *& Cap.* 6. כלח *ſignificare* ſenium, *quidni ſit* כלח *vox primigenia, non de-* „ *rivata: vel fuerit olim verbum quod ſignificarit* ſenem eſſe." Eodem jure dicas, quidni *Decrepitus* in *Origine* ſit idem ac *Senex?* Remitto virum Cl. ad *Caput* 6. neque quicquam de voto, ibi candide edito, demuto.

Aliud. *Vſ.* 3. הערקים ציה reddidi, *Rodentes ſiccitatem.* Addidi, eſſe *Cothurnum* vere *Arabicum.* Qui quid ſtilus *Tragicus* ſit, callent, ſtatim perſentiſcunt, nil aptius, digniusve, *ad extremam egeſtatem pingendam*, concipi poſſe. At Cl. *Drieſſen.* „ *Longe ſimplicior*, inquit, *ſignificatus* fugere: *& quæſo quid illud* rodere ſiccitatem?" Magna patientia opus eſt ad talia exſcribenda.

Albus calculus. *Vſ.* 4. Sub auſpiciis Summ. *Boerhavii*, *Burmannique*, noſtri, *Geniſtam* contra *Juniperum* defendi. Etiamſi autem *Arabiam* iterum advocarim aſſertricem notionis a *Junipero* oppreſſæ, Veritati tamen concedens Cl. *Drieſſenius*: „ *Et ego*, inquit, *gratus hæc accepto*, *& cum meo aliorumque Junipero com-* „ *muto.*" Nil pote nobilius. Non deſpero, plures mihi albos lapillos venturos.

Niger. *Vſ.* 17. verto. *Rodentia mea non cubant.* Id *ibidem* prolixius deductum. Cl. *Drieſſen.* ad *Vſ.* 3. mavult *Arteriæ meæ non quieſcunt*, ut in *Dilucid. Analyt.* extat. Eas ערקים dictas cenſet a *fugiendo.* Examinatum, & revictum in *Commentario.*

Alius. *Vſ.* 24. In *Commentario* hunc *verſiculum* voco *ſcopulum*, qui ingentes undas excitet interpretationum. Eas ad *Octodecim* recenſeo. In *Præfatione* ſimiliter monui, eſſe *nodum* vere *Gordium*, *quem qui non ſecuerit*, *ſed ſolverit*, laudem meriturum. Apparebat ergo, mihi meos conatus non nimis placere. Ita tamen taxor ab æquiſſimo, & Amiciſſimo, Æſtimatore. „ *Obſcuriſſima* „ *hæc eſt Verſio ex Arabiſmo. Obſcuriora etiam quæ ad hæc commentatur. Re-* „ *pugnat etiam nexus ſequentis verſus.*" Miram vim Eruditionis & Lucis! qua *Orbem Eruditum* impertit Noſter, ad ea quæ *obſcuriſſima* reliqui illuminanda.

Item alius. *Vſ.* 25. Multa huic *verſui* in *excerptis* ſubdita, quæ ad *præced.* pertinent. Sed hæc mitto, & appono tantum Cl. *Cenſoris* judicium, de eo quod ſatis veriſimile a me factum autumo, vertens, *an non fleo ſicut durus diei?* &c. ל pro *ad modum* ut *cap.* 18: 14. Cur *durus ille diei*, *& pauper*, ad ipſum *Jobum* reflecti debere videatur, in *Commentario* deductum. Hæc ne examine quidem digna forte cenſens Noſter, præciſe pronunciat: „ *Durus ille diei & pau-* „ *per non eſt ipſe* Jobus, *ſed alius. Iterum perperam vertit* ad modum. ל *non* „ *habet illum ſignificatum.*" Ecquid decentius leviſſimi mei conatus comprimi, & caſtigati, potuiſſent?

Caput

Digitized by Google

Caput Tricesimum Primum.

Ad *Vſ.* 31. *Tredecim* produco ſententias Doctiſſimorum interpretum. XII. eſt Magni *Theologi* & *Philologi*, Cl. *Ikenii*, qui hunc loci difficillimi conſpectum mecum Literis Humaniſſimis communicavit, *Quis dabit de carne ejus non ſatiatum?* Adjeceram & meam XIII. Symbolam, atque *conjecturam*, *utinam de carne ejus non ſaturemur!* Utrumque ſignat *Characterem ſummæ hoſpitalitatis.* Ad hæc Cl. *Drieſſen.* ,, *Haud equidem repugnarem*, *ſi legeretur* לחמו, ,, *ſed durius eſt illud*, de ejus carne. *Diſſimilis eſt locus* 1 *Sam.* 25: 11. *Non* ,, *legitur in eo* caro mea, *ſed* mactatio mea, *vel mactatum meum. Cur ſola* ,, caro *heic memoratur?* לחם pro *omni cibo* ponitur, non בשר *caro. An* ,, ſola carne *ſaturati ſunt Jobi hoſpites? Fateor* ſaginatum mactare, adferre, ,, *Prov.* 9: 2. *Luc.* 15: 23. *aliquando ſumitur pro* toto epulo inſtructo; *ſed* ,, carne *alicujus* ſatiari, *pro* cibis *ab aliquo* paratis, & appoſitis, *eſt inſolens.* ,, *Et quæſo cur verba* Jobi *eadem prorſus quæ Cap.* 19: 22. *heic alium omnino* ,, *fundent ſenſum quam illic? Quem locum ſi attendiſſent V. Cll. non* Jobi pecu- ,, dum, *ſed ipſam* Jobi carnem, *qua non ſatientur Amici*, *intellexiſſent.*" Eſt in his objectiunculis quod ſpeciem habeat: eſt quod nihil. Videamus quid quodque valeat. Durius *primo* cenſet Vir *Clariſſ.* in hunc ſenſum illud מבשרו *de carne ejus*; & מלחמו *de pane ejus* dicendum fuiſſe urget. Eſt ſane uſitatius *Hebræis*, *Edere panem*, ad *refectionem*, *epulationemque* ſignificandam, quam *edere carnem:* ſed non propterea alterum illud continuo rejiculum. Si טבחתי *mactatio mea* tam diverſum videatur 1 *Sam.* 25: 11. quid videtur de *Prov.* 23: 20. *Ne ſis inter vini potores*, *qui prodigunt Carnem ſibi.* Similiter *Eſaj.* 22: 13. *Edere carnem*, *bibere vinum.* Mentio *panis* plane omiſſa. Non eſt ergo *ſecundo*, quod roget Vir Cl. *Cur ſola hic caro memoratur?* Nimis etiam liberaliter, *tertio*, aſſertum apparet illud; לחם *panis pro omni cibo ponitur*, *non caro.* Non valde gravis *quarta* inſtantia. *An ſola carne ſaturati ſunt hoſpites Jobi?* Non ſane: ſed *Caro* duplici de cauſa tantum nominata. *Prima* eſt, quod *Carnium imago* luculentior ad *dapes opiparas*; quas Doctiſſ. *Belgæ* hic bono judicio reſpexere. *Altera*, quod *Arabes* magis *Carne* victitent quam *pane.* Ergo in *Hoſpitaliſſimæ-Domus* deſcriptione nunquam *panem* commemorant, ſed *Capacem opimamque Carnium Ollam* foco adſtituunt. Solentiſſimum proinde nationi iſti, *quinto*, *de carne alicujus ſaturari*, ad *lautiores epulas* ſignandas. Non feliciſſime, *ſexto*, inſtatur in uſum *Phraſeos Job.* 19: 22. Eum locum non attendiſſe Cl. *Ikenium*, irreverenter ſatis in magnum Nomen aſſeveratur! Haud dubie eum attendit, ſed diſſimillimum judicavit. Idem & ego feci, ut Cl. *Drieſſenius* videre poterit ſub *num.* I. II. III. IV. VI. Numero I. id tactum, quod Vir Cl. in *dilucid. Analyt.* propoſuit. Hic aliud calamo exiit, quod non intelligo: *Quem locum ſi Viri Cll. attendiſſent*, *non* Jobi pecudum, *ſed ipſam Jobi* carnem, *qua non ſatientur amici*, *intellexiſſent.* Ubi hoc intellexiſſemus? An *Job.* 19: 22.? Factum. An hic ergo? Inepti fuiſſe-

Elimatur quid.

Digitized by Google

fuiſſemus. Non ipſe Cl. *Drieſſ.* hunc ſenſum, ſpero, nunc vellet. Inconſideratiſſima ergo hæc certe pars *Conſiderationis.*

Caput Tricesimum Secundum.

Et hoc *Caput* intactum dimittitur. Quid cauſæ, dicere non habeo.

Caput Tricesimum Tertium.

Elimatiſſimum. *Vſ.* 9. Verſio noſtra ſic ſeſe habet. *Limpidus ego ſine prævaricatione*, Nitidus *ego*, *nec ulla mihi pravitas.* In *Dilucidatione Analytica* idem a Cl. *Drieſſ.* repræſentatum; *Purus ego*, Tersus *ego.* Hunc ſignificatum *terſi*, *nitidi*, *politi*, quem multi jam interpretes adſciverant, aleæ exemtum dedi ex conſtantiſſimo uſu *Chald. Syr.* & *Arab.* quo חפף valet *fricando polire*, *tergere*, *mundare*, *comere*, *ornare.* Subjiciebam, ut in re clara, *Ecquid* חפה Thalamus *hinc ſatis ridet?* Addidi, חוף *Litus*, *ſtationem litoris*, a *frictu*, *attrituve*, nomen inveniſſe. Nil itaque evidentius, quam חף eſſe hic, Tersum, *nitidum*, *comtum ad nitorem merum*, qualis *ſponſi*, vel *ſponſæ*, *e* חפה *Thalamo prodeuntis.* Eandem *figuram* reddidi *Deut.* 33: 12. vertens, *Thalamum nuptialem expandens ſuper eo;* atque hanc vocavi *vim ſecundariam*, quæ a voce חפה *Thalamus Themati accreverit*, *ut infinita talia in Linguis ſubnaſcuntur.* Jam intelliges quid Cl. *Drieſſen.* feriat, hac *Criſi* appoſita. „ *Mihi* „ *non perſuadet V. D. Quia non video qui alius ſignificatus quam τῦ* obtegere „ *vel* protegere *adaptari poſſit loco Deut.* 33: 12. *& quia τὸ* חפה *manifeſtiſſi-* „ *mum habet ſignificatum τῦ* tegere *&* obtegere, *verbo neceſſario reddendus eſt* „ *ſuus ſignificatus Hebræus. Quid ſit* vis *illa* ſecundaria *Thalami*, *quam heic* „ *exſerat*, *V. D. non exprimit. Forte non magis illa concinna erit*, *quam* pars „ fricans *pro* portu. *Quam ſimplex & facilis τῦ* thalami *&* portus *pro rei na-* „ *tura eſt a* חפף obtegere, protegere, *derivatio*, *tam coacta eſt a τῦ* fricando „ polire. *Hinc teneo verſionem illam*, *cum eaque meam commuto quæ confert* „ *cum Pſ.* 32: 1. Tectus ſum quod ad peccatum meum: *quod optime conve-* „ *nit cum Jobi doctrina quam non negat Elihu utpote qui Angelum Mediatorem* „ *agnoſcit*, *ſed*, *quod ſequentia docent*, *negat* gratiam juſtificantem Jobo *eſſe* „ *collatam.*" Laudarem enimvero Cl. *Drieſſenium*, quod quum *anno præcedente* tenuerit Tersum, nunc Tectum adoptet, ſi *Veritas* ei præluceret;

Inconſtantia Viri Cl. parum decora. ſed quod indecoro adfectu contra *veritatem*, contra *rationem*, contra *ſe ipſum*, agat, & omnia ſusque deque vertat, id vero jam tale, quod non joco diluendum, ſed cum indignatione caſtigandum arbitror. Ajo ergo in tota hac periodo non *Philologice* tantum, ſed *Theologice*, ita ruere Cl. *Conſideratorem*, ut nihil *Inconſideratius* ex calamo ejus excidiſſe videatur. Abſurdiſſimum ſane

Abſurditas prima. 1. ut חף *tectus* abſolute valeat idem cum כסוי חטאה *tectus peccati.* Abſur-

Secunda. diſſimum, 2. ut hoc *optime convenire dicatur cum doctrina Jobi*, *quam non neget Eliphazus*, de *gratia juſtificante.* Et ego *Doctrinam de gratia Juſtificante* ita

Jobo

Jobo tribuo, & vindico, ut nemini hac in parte concedam. Sed an propterea חף *tectus* abſolute hic valet, *gratia juſtificante tectus?* An *Jobi* exceſſus ergo, quem caſtigatum it *Elibu*, in eo conſiſtebat, quod ſibi *gratiam juſtificantem* arrogaverit? Id omnem ſuperat abſurditatem. Exceſſus Viri ſanctiſſimi in eo ſitus, quod nimis provocaverit ad *Virtutis puritatem limpidiſſimam*, & *ſpeculo nitidiorem*; non ſane *ſejunctim* a *gratia juſtificante*, ſed *conjunctim* cum ea. Abſurdiſſimum 3. quod Cl. *Theologus* tendat, *Elibu negare gratiam juſtificantem Jobo collatam eſſe.* In præcipiti ſtamus: pedes firmos, ſenſus exercitatos, hic requiro. *Elibu* graviter *increpat Jobum* ob *dura*, & *intoleranda*, dicta, quæ fervore diſputandi ex ore emiſerit. Si jam חף nihil aliud ſignet, quam, *tectus ſum*, *gratiæ juſtificantis particeps ſum;* idque *Jobo* objiciatur tanquam crimen, & *dictum* ferme *blaſphemum*, tunc omnium mortalium ineptiſſimus & importuniſſimus ſimul fuerit *Elibuus* neceſſe eſt. Reliqua abſurda, quæ explicatio hæcce *Theologice* habet, alia occaſione Cl. *Theologo* ante oculos proponentur, quando *univerſa ejus Hypotheſis ad placidiſſimum Examen vocabitur;* eamque *infeliciſſime jactam* eſſe evincetur. *Tertia.*

Videamus porro quid *Philologice* hic turbatum ſit. Diluta 1. argumentatio, *Non video quis alius ſignificatus aptari queat Deut.* 33: 12. quam τοῦ *obtegere.* *Hebes.* An ergo minus quid dicit, quod in medium tuleram, *Thalamum nuptialem expandere;* vel ſi mavelit V. D. *Thalamo obtegere & obumbrare?* 2. Dilutius adhuc, quia verbum חפה eſt *obtexit*, ergo & חפף. 3. Imperitum, quod *quænam ſit vis illa ſecundaria Thalami*, *quam verbum* חפף *hic exerat*, a me expreſſum neget. Atquin expreſſi, & in oculis defixi, *Expandere Thalamum;* quod ratione *ſecundaria* a חפה *Thalamus* adſcitum. Sic θάλαμος propagavit verbum θαλαμεύομαι, quamvis paululum diverſo ſignificatu. Sic Νύμφη dedit Νυμφεύομαι. Infinitum genus. Qui hoc in *Hebraicis* diſtinguere nequit, ubique obhærebit. Frigida ergo 4. illatio, *forte non magis illa concinna erit in hoc loco*, *quam* pars fricans *pro portu.* Suaviter jocari ſcias Cl. *Drieſſenium* in meum חופפה *fricans* i. e. *margo*, *ora*, *extremitas*, *litus maris*, quaſi dicas *partem fricantem quæque* perpetuo *fricatur.* Poſterius ſcitule omiſſum, ne jocus fieret jocularis. Certiſſimum eſt *Etymon*, quod non deriſiſſet Cl. *Drieſſen.*, ſi unde *Latinis* dictum ſit *Litus* in promptu modo habuiſſet. Utique jam *Cocc.* inſinuarat חוף latius patere quam *portum*, & *Litus* complecti; ab *attritu*, *frictuve*, quem חפף conſignet. Sic سحل alterum *Litoris* nomen apud *Arabes*, a ساحل *trivit*, *lævigavit*, *confricuit.* Item ספר *Syriace; Litus*, *portus;* a *Radice* ספר *raſit*, *detrivit.* Imperitiam proinde ſuam in hiſce Literulis prodit Cl. *Drieſſ.* 5. quum concludit, *tam facilem* eſſe *thalami* & *portus* derivationem a *tegere*, quam coactam a *fricando polire.* Sic ratiocinantur, qui *Linguas* eminus, & e ſublimi æthere colunt, non cominus, & in Libris, veriſque Fontibus. Θάλαμος unde quæſo? ἀπὸ τοῦ θάλλειν, quod eſt *virere*, *nitere.* Quidni & חפה a *nitore polito?* Vocatur & παστὸς, ἀπὸ τοῦ πάσσειν pro ποικίλλειν *variegare* &c.

Dilutum. *Cæcum.* *Frigidum.* *Imperitum.*

De

De *Portu*, vel potius *Litore*, jam viſum. Prudentius itaque *ſententiam ſuam non commutaſſet* Cl. *Drieſſen.*, eique Auctor ſim, ut citra moram *Terſum* pro *Tecto* iterum amplexetur.

Perceſſa ratiocinia. *Vſ.* 10. Vocabulum תנואות, huc illud diſtractum ab *Interpretibus*, una cum *Radice* נוא poteſtate *Cruditatis*, auxi, atque inde multis locis non ingratam lucem infudiſſe me autumo. Aliter pronunciat Cl. *Drieſſen.* „ Ego „ *contra exiſtimo notionem* vacillationum, *vel* nutationum, *hic eſſe appoſitiſſi-* „ *mam. Et* cruditatem *illam prorſus eſſe* crudam *in ſcripturæ locis omnibus ubi* „ *occurrit vel Verbum*, *vel hoc derivatum* תנואה, *quod ſemel adhuc occurrit Num.* „ 14: 34. *An ſibi Deus tribuit* cruditatem? *vel hæc eadem eſt cum* alienatione „ *&* exulceratione affectus? *ſic Num.* 30: 6. *non tantum pater qui irritum fa-* „ *cit votum filiæ* facit illud crudum, *ſed Deus* Pſ. 33: 10. crudas facit cogita- „ tiones populorum. *Cum Stockio teneo*, τῷ נוא *notionem primigeniam eſſe* „ immutandi, dimovendi, *hinc* frangendi irritum faciendi, *quæ ratio optime* „ *convenit & verbo in locis omnibus & derivato*, *cui ineſt notio dimotionis.* "

Hæc pulchre cocta haud dubie viſa Cl. *Conſideratori*, *crudam* iſtam *cruditatem* meam appellanti. *Primum.* Videamus & nos. *Primum* hocce coctiſſimum ad *Num* 14: 34. „ *An Deus ſibi tribuit cruditatem?* „ Et quare non, *ſi cruditas* ſignet *alienationem adſectus* cum *exulceratione* & *averſione* conjunctam? An hoc tam abſurdum, ut talis interrogatiuncula ſufficiat ad *cruditatem* iſtam explodendam? Secundum, non minus coctum: „ *vel an* cruditas *eadem eſt cum* a- „ lienatione *&* exulceratione *adſectus?* " Eſt ſane. Si attendiſſet modo Cl. *Drieſſenius*, haud dubie continuo uſum illum inveniſſet. Nempe *Crudeſcere* dicuntur animi, quum *irritantur:* & *incrudeſcit*, *recrudeſcit*, ira, quæ *ſævius* *Secundum.* *ſæviusque exaſperatur.* Item, *crudeſcit*, *incrudeſcit*, *recrudeſcit*, *ſimultas*, *inimicitia*, *odium:* nec non *ſeditio*, *pugna*, *bellum.* Inſtar omnium nunc ſit *illud Poëtæ Æneid.* 7.

—— *Effuſo crudeſcunt ſanguine pugnæ.*

Multum diverſa hinc *Metaphora* quæ *Num.* 30: 6. & *Pſal.* 33: 10. occurrit. Nempe *cruda conſilia* in omnibus *Linguis* ſunt *immatura*, *male cocta*, *ad irritum* ſponte *cadentia.* Ex *Arabia* adduxi *Coctum conſilii*, pro *Viro prudentiſſimo;* & *Crudum conſilii*, pro *imprudente*, *temerario;* ſub hac ipſa noſtra *Radi-* *Tertium.* *ce.* Quid jam *cocti*, vel *crudi*, in medium, tertio, tulerit Cl. *Drieſſen.* quum explicationem meam ad duo illa loca eludere conatur, ipſe judicet. Mirum, quod etiam non luſerit in *caput crudum*, *Pſ.* 141: 5. *Juſtus me tundat*, *erit benignitas: arguat me*, erit שמן ראש *oleum Capitis*, capitale, quod neutiquam יני ראשי *crudum reddet caput meum.* An nec *alienationem* & *ſubulcerationem affectus* in *crudo capite* contineri agnoſcit V. D.? Quare iſte locus non excerptus? Quare non alter *Num.* 32: 7. 9. ubi הניא לב dedi, *crudum fa-* *Quartum.* *cere cor*, idque *ſuſpicionibus* & *tædiis ſubulcerare?* Non maturrima ergo, *quarto*, concluſio V. D. quantumvis fidenter illata „ *Cum Stockio teneo notionem* „ *pri-*

Digitized by Google

„ *primigeniam* immutandi, dimovendi, *hinc* frangendi, irritum faciendi, „ *quæ notio optime convenit* &c." Potuiſſet item appoſuiſſe *νεύω nuo*, *renuo*, *nutu caſſum & irritum facio*, quæ *Avenarii* docta ſpathula nobis commiſcuit, ex affinitate *literarum Radicalium* in נוא & *nuo*. Habuiſſet ſic נא *Exod.* 12:9. *crudum*, *non bene coctum* haud dubie deſignans, in *Agno paſchali*, eo quod *coctionem renuat*. Sic admirabiliter Auceps ille ſyllabarum, & Artifex *Originum Hebræarum* incomparabilis. Video tamen, *quinto* Cl. *Drieſſen.* hic nu- *Quintum.*
tare, „ *Quare locus unicus*, *Exod.* 12: 9. *qui alium ſignificatum admittere pot-* „ *eſt (imo forte debet de quo vide* Guſſetium *in Comm.* L. H.) *novum hunc ſi-* „ *gnificatum non evincit.*" Nempe Cl. *Guſſet.* ut in *Commentario* ipſemet indicavi, vim certiſſimam *crudi Exod.* 12: 9. ſollicitat, atque *læſum fractura* aliqua, vel *contuſione*, ſubſtituit. Huc acclivis Noſter, ſed tamen vacillabundus. Rogo nunc quis *novationes* inducat, is ne, qui *Veterem Linguam Hebræorum*, ex *veteribus Dialectis* vel reſtituit, vel confirmat; & nihil, nihil omnino, ſine liquida auctoritate promere ſuſtinet: an qui conjecturis perpetuo indulgent, atque ex *officina ingenii ſui*, citra *Dialectorum* opem, lucem- *Sextum.*
ve, *Hebraicam Linguam* enucleare ſe poſſe gloriantur? Sed finis eſto. En ultima quibus nihil doctius ſimul coctiusque. „ *Et ſi vel obtineret inſolitus ille* „ *ſignificatus*, crudi ſcil. *in loco illo Exod.* 12. *Certe non obtinet in hoc noſtro.*" Ut dijudicare queas, Lector, en Cl. *Drieſſenii* mentem in *Dilucid. Analyt.* expreſſam; *Ecce Vacillationes in me reperit:* i. e. *ob leviores Vacillationes*, *non ob malitioſam pravitatem*, *quam in me non agnoſco*, *ita me tractat.* En & meam, in *Comment.* propoſitam. *Ecce cruditates contra me adinvenit.* i. e. *Non læſus*, *offenſusve*, *a me*, *me tamen ut hoſtem tractat*, *& contra me crudum*, *alienatum*, *ſubulceratum*, *hoſtilem*, *animum immerito oſtendit.* Adjeci: *Uno vocabulo nervoſe complexus Elihu quæ Jobus ſtomachoſius conqueſtus fuerat Cap.* 13: 24. 25. 26. *& Cap.* 14: 15. 16. 17. *Ea huc transferri velim.* Qui aliquid in *Jobi Libro* cernit, facile diſcernit, Cl. *Drieſſenii* ſenſum ab *adfectu* & *Jobi*, & *Cenſoris Elihui*, magnopere diſcrepare. Sed ne eſt quidem Ejus. Eſt Cl. *Schmidii*; eſt & Cl. *Cocceji.* Illis hoc neceſſarium fuit ex *Hypotheſi.* Cl. *Drieſſenio* ex ſua ne licuit quidem. Tantum pollet in *Explicatione* hujus *Carminis Tragici Hypotheſis.*

CAPUT TRICESIMUM QUARTUM.

Ad *Vſ.* 17. in magno fluctu diſſonantium ſententiarum tentavi, *An naſum* *Splendens*
Oſor judicii frenabit? חבש pro *Ligare*, *alligare* jumentum, *frenare*; nulla *lima.*
non *Lexica* offerunt. Contuli phraſin adfinem חטם אף *refrenavit naſum*, ut خطم. Conſideratio Cl. *Drieſſ.* hæcce. „ *Illum* τοῦ חבש *ſignificatum non* „ *probat*, *& mira eſt illa* naſi frenatio. *An* τοῦ חטם differre protrahere, *&* „ τοῦ חבש ligare obligare *ſignificatus erit unum idemque?*" Conſideratiſſime profecto. Probari poſtulat Cl. *Drieſſen.* quod omnia *Lexica* habent, quin imo ipſe ponit, *Ligare*, *alligare*, *obligare.* An ergo *Ligare naſum* non eſt *frænare?*

nare? Ejusdem naturæ eſt altera illa objectiuncula. In *Stockio* ſuo forte viderat Vir Cl. חטם *diſtulit*, *protraxit*, *prolongavit*. *Legitur ſaltem in fut. Jeſ.* 48: 9. Idem tamen adjecit: *alii cohibebo*. Ex eo ergo reſciſcere potuiſſet Noſter, incertam eſſe illam vim *differendi*, *protrahendi*, quæ orta ex *Gloſſa Rabbinica*, per quam אחטם אפי *frenabo*, *cohibebo naſum meum*, expoſuerant אאריך *prolongabo*, *protraham*. Inde imprudenter a quibusdam *Lexicographis* collectum חטם valere *prolongavit*, *protraxit*. Error a viris Doctiſſimis dudum revictus, ex *Dialectis*, ubi חטם eſt *Capiſtrare*, *refrenare*. Hinc pulchra formula *Capiſtrare naſum* eſt *iram refrenare*. An Cl. *Drieſſen*. adverſus me calamum ſtringens, talia legitime ſatis ignorare potuerit, ipſum Judicem, & Arbitrum, fero.

Liberaliſſimum. Ad *Vſ.* 23. Quindecim expoſitis ſententiis, ipſe etiam loco abſtruſiſſimo aliquid lucis adfundere conatus fui. Eum me elucidaſſe non dixerim. Quod Verſioni inſertum, ſeriei ſic ſatis congruum videbatur. Nil interim contendo, ſed clariora danti me dabo. Cl. *Drieſſen*. id promittit: „ *Vide mea re-* „ *ctius cum nexu cohærentia.*" Dicto audiens fui, & inſpexi *Dilucidationem Analyticam*. Reperi ibi, quod ex Cl. *Guſſetio* cum honeſta laudatione ipſe jam appoſueram *num.* VI. ſed & ſcrupulis quibusdam gravaram. Perſpexi inde, Cl. *Drieſſenium* ne eas quidem partes *Commentarii* mei legiſſe, in quas *Conſiderationes* ceciderunt.

Benignum. *Vſ.* 33. Iterum præruptiſſimus locus. Ad eum ſedecim exhibui conatus Interpretum, omnemque quercum concuſſi. Meam *jaculationem* feriiſſe nec dico, nec ſane credo. Ut in contextu denſiſſimis tenebris circumfuſo aliquid tolerabile tentatum confido. Cl. *Drieſſen*. ne id quidem ſolatioli mihi pro longo labore relinquit; apponens „ *Quam longe ſint hæe quæſita & nihil cum nexu* „ *convenientia judicet Lector; & mea conferat quæ planiora puto.*" Contuli, & mirabundus receſſi.

Prudens. *Vſ.* 36. Singularis perſpicaciæ & prudentiæ *Conſideratio* eſt, qua hic laudor ſimul, ſimul caſtigor. Eam ſupra jam exhibui, p. 524. Definitur in ordinarium illud: *Sed vide me ad h. Vſ.* Vidi, & notavi Cl. *Drieſſen*. circa voculam אבי ſubſcribere Cl. *Schmidio*; cujus ego *duriorem explicationem*, ut ſane coactiſſima eſt, appellare veritus non fueram *num.* IV.

CAPUT TRICESIMUM QUINTUM.

Nihil.

CAPUT TRICESIMUM SEXTUM.

Eximium. Ad *Vſ.* 2. Oſtendi verbum כתר a variis varie tentatum. Ipſe geminam promſi conjecturam, *Coronam dare mihi audientiæ paululum*: vel, *Coronare mihi pauca*. Quam parum his fiderem, patet ex verbis quibus notam finivi: *quid hic figuratum ſit cum tempore eruetur*. Vide jam æquitatem mei Cenſoris. „ *Sed ad quid iſta? ſi non placet verbi uſus Chaldaicus & Syriacus* expectare, *ac-* „ *cipe*

Digitized by Google

„ *cipe illum* cingere, circumdare; *& heic audiendi cauſa* &c." Habes idem, quod ego in medium tuli primo loco.

Vſ. 21. Per *quindecim* & ultra variantes explicationes, magnamque fluctuationem, portum tandem commodum cepiſſe mihi videor in ſenſu completiſſimo: *ſuper hoc Electus fueris ex Adflictione.* Cl. *Drieſſen.* præciſe, „ *Simplicier* „ *eſt mea verſio quoad nexum.*" Deinde verſionem in *Dilucidatione Analytica* a ſe propoſitam corrigit; *mortem* ex *Verſ.* præced. aſſumi poſſe inſinuans. Ego illius ſententiæ mentionem feci *num.* VII. Non eſt, cur eam denuo refellam. *Depuratum.*

In *Vſ.* 22. Vocabulum מורה diverſimode exponitur. *Doctorem* non adeo quadrare, jam ante me judicarunt Eximii Interpretes: itaque a *Radice* מרה obtuli aliquid quod convenientius ſeriei viſum. Si non eſt, rationibus agendum erat. At Cl. *Drieſſen.* ita me dimittit: „ *Sed quidni tenetur notio Doctoris receptiſſima?*" Solide! *Solidum.*

Caput Tricesimum Septimum.

Nihil.

Caput Tricesimum Octavum.

Vſ. 36. Quum præceſſiſſet, *Fulmina*, & *Tonitrua*, Dei *juſſa audire* quaſi, & *exequi* quam promtiſſime, hunc verſum ita ad ſeriem convertere auſus fui: *Quis poſuit in jactibus vagis ſapientiam? aut quis dedit Phænomeno intelligentiam?* Ad hæc Cl. *Drieſſ.* „ *Fateor nexum ſi ſpectes, verſio non abludit. Quæ ſit quodad* „ *nexum difficultas, me vide, & quem nexum aſſignem retento recepto ſignifica-* „ *tu, quem utrumque heic tantopere migrare ac fecit V. D. prorſus eſt Paradoxum* „ &c. &c." Sufficit mihi teſtimonium de *nexu*; & jam ſerio appono, *Cordate!* Paradoxum illud quod in טחות *jactus vagi*, & שכוי *Phænomeno* nunc offendit Virum Doctiſſ. minuetur, & mollietur, ſi notam integram denuo legere dignabitur. Sciat tamen, me hæc inter *Veriſimillima* locare, non inter dubio vacua, nedum *Apodictica*. Sub fine additum, quod melius afuiſſet, „ *An ipſe Deus fulminum jactus a ſe ſapientiſſime directos vocat* vagos?" Sane vero, Vir clariſſime, & ni טחות ſonaret *jactus vagos*, tota ſententia illa, *Quis poſuit in jactibus vagis Sapientiam?* periret: quæ nunc admirabiliter ferit. Ni talia ſentiat interpres, nullus eſt. *Acutum.*

Caput Tricesimum Nonum.

Vſ. 16. Leviter taxor, quod *Ciconiæ* dederim *pennam piam*; atque אברה חסידה mihi, non ſine jucundo luſu, ſit *penna pietaticultrix*, ad *Ciconiam* vi vocabuli חסידה recurrens. En notulam. „ *Argutiuſculum illud facit mater-* „ *nam Ciconiæ pietatem reſidere in pennis.*" Lepidum caput me facit Cl. *Drieſſen.* qui *pietatem matris* tribuam *pennæ*. Nempe *piam dextram* qui dicit, *pietatem in ipſa dextra facit reſidere*. Ingenue dicam: non credo Cl. *Drieſſe-* *Acutiſſimum.*

nium usque eo expertem Lectionis, expertem ſtili: ſed id ſcio, *Adfectum* quo mea conſideravit, *judicium* Viri in multis fuſcaſſe, & neſcio qua nebula offudiſſe.

Subtile. *Vſ.* 27. De *Equo Bellatore*, qui *ardet in prælium*, magnifice enunciatum, *non credit, quod vox Tubæ ſit*: vel, *non ſecurus eſt, quod vox Tubæ ſit.* Id ita explicui: *Audit tubam, ſed metuit, ne falſa ludatur imagine vocis: vadit ergo & cominus fidem ſibi facere geſtit prælii eminus denunciati. Ad prælium, haud ſecus atque ad Epulas, irrequieta & ſui vix ſecura exultatione pergit.* Ad hæc vide mihi Capitaliſſimam *conſiderationem* „ *Verbum per ſe hoc non dicit.* „ *Verba per ſe non ſignificant id quod rei per verbum ſignificatæ nonnunquam eſt* „ *conſequens.*" An ego dixi verbum יאמין *Credit*, vel *ſecurus eſt*, hoc *per ſe dicere?* Ubi hoc in *Commentario* meo legere eſt? Res ipſa dictat, eſſe *Tropum*, quo *non credere* venuſte uſurpamus *in rebus tam lætis ut fidem ſuperent.* Quis mortalium inde exſculpat, *Credere per ſe notat res modicas habere*, & *non credere, res ſupra fidem lætas habere.* Ecquid tali homini *ſanum* eſſe *ſinciput* crederetur? Hoc tamen mihi adfingit Amiciſſimus meus *Drieſſenius*, quem puriſſimus in me amor, & Adfectus, in hanc fauſtam ſcriptionem egit. Quod de *Tropo conſequentis*, quem *Synecdochen Quintilianus*, *Metalepſin* vocitant alii, *Magn.* noſter *Voſſius Metonymiam* maluit appellare, a V. Cl. mihi inſinuatum, vellem equidem ſibimet, inde ab initio certaminis in me ſuſcepti, inſinuaſſet; eaque occaſione *Rhetoricam* ſuam, quæ rubiginis aliquid nunc contraxiſſe videtur, denuo effricuiſſet, atque ad priſtinum nitorem extersiſſet. Si adhuc facere dignetur Vir Clariſſ. brevi in noſtrum *Syſtema* lætus lubensque tranſibit, atque dextram nunc veritati adverſam infeliciter, ad defenſionem optimæ cauſæ feliciſſime convertet.

Non plane nihil. *Vſ.* 35. Caſtigatiuncula levis incumbit hic in prius colon *Verſionis* meæ, vel potius *Doctiſſ. Tigurinorum*, quos me ſequi profeſſus ſum. *An ſat multum apud Omnipotentem caſtigationis?* i. e. *An ſatis te conviciſſe videor imbecillitatis, imprudentiæ, erroris* &c.? Ad hæc Cl. *Drieſſen.* „ Sic הרב & יסור *videntur* „ *debuiſſe conjungi, quod non ſit. Vide me.*" Scilicet pro הרב עם שרי יסור ſic ponendum fuiſſet הרב יסור עם שרי. Placet objectio. Merito ſcrupulus ortus occaſione *Verſionis;* quæ ſic concipienda fuiſſet, *Satin' apud Omnipotentem caſtigare?* Dedi tamen, quod clarius, promtiusque, omnibus fore autumabam. Enucleatius adhuc agam. *Hebræa* ad verbum ſonant, *An multum cum Omnipotente caſtigare* vel *caſtigatio?* Ergo non eſt *ſtatus conſtructus*, qui poſtulaſſet potius רב יסור, ut ſatis ſpecioſe inſtitum a Cl. *Drieſſ.* ſed *abſolutus.* Sciant tamen Viri Docti *ſtatum conſtructum* in ſtilo ſublimiore etiam disjunctionem, inſitionemque alterius vocis, pati. Sic *Pſ.* 5: 10. אין בפיהו נכונה *Vacuitas in ore ejus recti.* Sed hæc alio in campo latius. Videt Cl. *Drieſſen.* me *objectionem*, cui *ſpecies* inerat, ut par erat, ſuſcepiſſe. Hæc ergo in poſterum inter nos lex eſto, & regula, *bona*, vel ſaltem *ſpeciem habentia*, ſerio refellere: quæ *omni ſpecie vacant*, atque adeo *ſemet ludunt*, albo ſale conſpergere, & jocundo joco, citra acerbitatem, diluere.

—— *Hanc veniam petimusque damusque viciſſim.*

CAPUT

CAPUT QUADRAGESIMUM. ET QUADRAGESIMUM PRIMUM.

Monſtra ſua Cl. Drieſſenius *ſolus profligabit.*

Graviorem ſecurim mihi admovet Cl. *Drieſſen.* ita duo hæcce *Capita* ſimul feriens. „ *Quod ſpectat V. D. Commentationem de* Behemotho & Leviathane: „ *ſi vel in Verſione & expoſitione ab aliis Interpretibus* rectiora quædam *habeat;* „ *Difficultates præcipuæ quæ premunt omnem Belluam qualemcunque de genere A-* „ *nimalium, die Sexto Creationis productorum, premunt & illas quas V. D. nobis* „ *ſiſtit. Illud recte habet, quod intellexerit liquidam orationem inferre non tan-* „ *tum difficultatem ſed prorſus impoſſibilitatem pugnæ cum Behemotho & Levia-* „ *thane, cum victoria de illis vel illo conjunctæ. Sed nodum inde nexum, quem* „ *ſat ſcio inſolubilem eſſe per omnem aliam Hypotheſin Vir Eruditiſſ. ſolvit per* „ *Monomachiam* &c. &c." Sex *Argumentis* deinde *Hypotheſin* hancce meam impetit V. Doctiſſ. Ea non indigna reputo, quæ expendantur, atque *Diſſertatione* integra, *Jobeis* inſerenda, diſcutiantur. Moneo tamen, me adverſus *imaginarium* illum *Behemothum* & *Leviathanem*, quem ſibimet prodigialiter, ne quid gravius dicam, fabricavit, non eſſe pugnaturum. Nempe perſuaſiſſimus ſum, neminem mea manu indigere ad monſtrum illud debellandum. Quod autem ad Cl. *Drieſſenium* attinet; ni is ſemet hac in parte, per melioris lucis radium, vincat, nunquam convincetur. Plura non addo; & parco. Utinam ſibi ipſi peperciſſet!

COROLLARIUM AD CAP. TRIGESIM. OCTAVUM ET NONUM.

Dignum Conſiderationum complementum.

Placuit Cl. *Driſſenio* ſub finem ad duo hæcce *Capita* ſimul aliquid *Conſiderationis* ſubnectere. „ *Quod ad Philoſophiam illam Divinam Cap. 38. & 39. ve-* „ *ram Hypotheſin non ſatis attigit.*" Expectas jam examen in Fundamenta mea altiuſcule deſcenſurum. Falleris. Ne ſuperficies quidem tangitur. Citatur tantum ex *pag.* 1086. *Commentarii* hæc particula longioris notæ ad *Cap.* 38: 17. fine: *nam in omnibus hiſce interrogationibus non agitur de* cognitione Fidei, *ne* naturali *quidem, quæ cauſas ſecundas indagat, ſed illam quæ ad* cauſas primas *adſcendit, &* Arbitrum *efficit* Dominumque *univerſi.* Quid hic deſideret Vir Cl. plane exputare nequeo; niſi forte illud, *non agi de cognitione Fidei.* At ſcias, Lector, id ad Eruditiſſimi *Crinſozii* opinionem reflecti. Eam eadem *periodo* laudaveram, hiſce verbis: *Bona obſervatio Eleg. Crinſ. Eum qui Deo litem movet circa providentiam, claras de ſtatu mortuorum ideas ante ſibi comparare debere.* Hinc colligebat idem ille Vir Doct. *Oeconomiam mundi inviſibilis ignotam fuiſſe penitus Jobo.* Negabam modeſte, id *hinc legitime* con-

concludi, inferens; *nam in omnibus hiſce interrogationibus non agitur de* Cognitione fidei &c. Hoc eſt, quum *Jobus* rogatur, *Num revelatæ tibi portæ mortis?* non tollitur *cognitio fidei*, quam habere potuit Vir Sanctus, & habuit procul dubio, de *ſtatu mortuorum ſelici altero, altero inſelici;* ſed negatur, Eum *Mortis* eſſe *Dominum* & *Arbitrum*, &c. &c. Quid, quæſo, in hiſce, unde inferre potuerit Cl. *Drieſſenius* tanta cum confidentia, *me Veram* horum Capitum *Hypotheſin*, *quoad Divinam Philoſophiam*, *non ſatis attigiſſe.* Pergitur eadem decentia; & æquitate, „ *Quamvis non ſatis ſibi conſtet.*" Jam tandem captus ſum: teneor. Non conſto mihi. Citatur iterum p. 1094. *col. b.* ſive *Cap.* 38: 28. ſub finem, ubi verba mea ſic habent: *Senſus hinc talis eniteſcit. Conſidera mihi vel protrita illa, & quæ omnibus exploratiſſima habentur, pluviam, rorem, glaciem, pruinam, quem illis patrem, quam matrem, aſſignas? percurre omnes* cauſas ſecundas, *unde hæc Meteora gigni ajunt Philoſophi; & ſenties te* proximam Originem *unius guttulæ non poſſe indicare. Res certa & evidens, quam enucleabunt qui ſinum naturæ rimando ſentiunt ſe quo longius in* Cauſarum ſecundarum *Veſtigationem procedunt, eo clarius convinci de Infinitate Operum Dei, quæ vel in guttula admirabiliter relucet.* Vel ipſe mea verba non intelligo, vel hæc exactiſſime conſonant cum iis, quæ in priore loco poſui. Utrobique nego, *Philoſophiam* hancce *Divinam*, & *Interrogationes profundas* ipſius *Creatoris*, verſari circa *cognitionem Cauſarum ſecundarum*; ſed ad *proximam originem*, atque adeo *cauſas primas* ferri, quas ſolus *Arbiter* & *Dominus Naturæ* in manu habeat. Ne vel rimula pateat cavillationi, en Verba, quibus *Cap.* 39: 1. *Scopum*, *nexumque*, indicavi *num.* III. *Nempe ut in præcedentibus* primarius Scopus *fuerat*, *Jobi elatos illos Spiritus compeſcere*, *quibus ſe cum Deo congredi*, *& concertare*, *velle oſtenderat; ita* eadem *nunc incus tunditur, atque lentis quæſtionibus e Regno Animali deſumtis pungitur*, *in ſeque reducitur*, *Noſter; ne quidem unius animalis* interiorem vim, indolem, *atque agendi* virtutem *ab ipſo* dependere, *aut ei perſpectam*, *exploratamve*, *eſſe: nedum ut tanquam alter* naturæ Dominus, *&* Arbiter, *tam animoſe ſeſe inferret*, *Deumque ad rationes vocaret.* Audi jam Cl. *Drieſſenium*, errabundos meos greſſus ſic tandem dirigentem: „ *Vera Clavis in his interrogationibus*, *converti τὸ* in-
„ telligere iſta, *&* *τὸ* poſſe facere iſta, æternum eſſe &c. *Vide me ad illam*
„ *Philoſophiam.*" Idem dicit Vir *Doctiſſ.* quod ego: & tamen ego *Divinam* iſtam *Philoſophiam* non ſatis attingere valui; ipſe in ejus medullam ſeſe penetravit. Ad *æternum eſſe* inſpiciat Cl. *Theologus* meam *Verſionem Cap.* 38: 21. & ſimul ſciat, de *palma Commentationis Theologicæ* me neutiquam contendere, ſed tantum *Literalem* meam *explanationem* a cavillationibus non valde *Theologicis* vindicare.

A. SCHUL-

Digitized by Google

A. SCHULTENS
ORATIO
INAUGURALIS

DE

FONTIBUS EX QUIBUS OMNIS LINGUAE HEBRAEAE NOTITIA MANAVIT HORUMQUE VITIIS ET DEFECTIBUS.

DICTA PUBLICE

IN

TEMPLO ACADEMICO

Quint. Id. Nov. cIɔ Iɔ ccxiii.

Quum Ordinariam Linguæ Hebrææ & Antiquitatum Sacrarum Profeſſionem in Illuſtri Friſiorum Academia ſolenni ritu auſpicaretur.

Digitized by Google

Digitized by Google

ORATIO INAUGURALIS.

Eſt gravis quædam atque vehemens opinio, quæ cum maximo literarum Hebraicarum atque veritatis Divinæ diſpendio, animos multorum, qui hæcce colunt ſtudia, pervaſit, denſaque obduxit caligine, nihil eſſe magnopere, quod poſt tot tantosque Excellentium hominum labores, qui in hiſce ſacris illuſtrandis, operam ſuam collocarunt, ad eorum ulteriorem cognitionem conferri ac in lucem produci queat; tutoque iis, quæ de Verborum ſignificationibus, vi, natura, uſu, & ingenio, nobis tradidere, tam Judæi, quam Chriſtiani, acquieſci poſſe atque adhæreri.

Et hæ aliquando tenebræ, & hæ inſcientiæ & erroris tenebræ, noctem quaſi quandam offuderant menti, lucisque eripuerant uſum; ac diu mihi multumque cum earum pervicacia confligandum fuit, antequam eas fugare, atque ab animo rejicere & diſſipare valui.

Aſt diſcuſſa tandem eſt iſta caligo, diluxit, patet, propriis cernimus oculis; depulſum eſt a cervicibus noſtris jugum illud ſervile opinionum atque placitorum alienorum, quod mentem noſtram, veritatemque premebat Hebræam, quam tantum abeſt, ut planam nobis, perſpicuam, atque omni dubio vacuam, reliquerit Rabbinorum non contemnenda diligentia, ut multis undique obſcuritatibus laboret; quamque adeo non ad ſummum ſplendoris & perfectionis faſtigium perduxit noſtrorum hominum prædicanda induſtria, ut ipſi contra de inſuperabilibus ubivis difficultatibus ac tenebris fateri ac deplorare cogantur;

Sane quam imperfecta ad hunc usque diem Hebraicæ linguæ cognitio ſit, quam non omnibus numeris abſoluta, quam nævis ſuis deformata

mata ac maculis, quam non ea in luce poſita, quæ viam nobis tutam ad difficillima Sacri Codicis loca emuniat; quam hiulca in multis, quam incerta, quam imbecilla, quam infirmis ſubnixa tibicinibus; tum demum deprehendere cœpi atque animo ſeſe ingeſſit meo, poſtquam quatuordecim annorum in hocce eruditionis genere, aſſiduus atque improbus labor, hunc mihi ſtudiorum curarumque reddidit fructum, ut nulla amplius ſine ratione valeret auctoritas, ut nulla diutius adſtrictus neceſſitate, libero judicio, in ea inquirere fundamenta potuerim, quibus Doctiſſimi quique, atque ſummæ apud omnes auctoritatis, Hebræam rem nobis explicatam tradidere.

Hæc ſi Vobis aperuero, hæc ſi Veſtris ſubjecero oculis, mentibus, judicio; magna me ſpes tenet, infauſtam illam ac præjudicatam opinionem, quæ tantopere Literarum Sacrarum feliciorem progreſſum moratur atque retardat, quantumvis vetuſta ſit quantumvis penitus inſita, altiſſimisque radicibus defixa, labefactatum mea Oratione, & rationum pondere iri, locoque dimovendam, atque ex animis Veſtris evellendam fore.

Adhibete mentes aureſque veſtras, Florentiſſima Juventus, queis Sacra Dei myſteria cordi ſunt. Adeſtote animis, omnes qui adeſtis corporibus, quorum ego frequentia maximo opere delector atque incredibilem lætitiæ capio voluptatem. Propitius etiam nobis adeſto Deus: Voſque Auditores favete.

Omnis Divinæ ac Sacratiſſimæ linguæ notitia, poſtquam ea intermortua eſt, atque ſub Hieroſolymorum cinere & ruderibus conſepulta fuit, e quinque potiſſimum fontibus revixit, atque ad poſteritatem & noſtra permanavit tempora: quinque habet initia & fundamenta, quibus renovata quaſi, atque ab excidio & vaſtitate revocata eſt: de quibus aſſeverare ſuſtineo, a quo tempore Lingua Hebræa vernacula eſſe deſiit, ultimaque ſenſit fata, nullum unquam exſtitiſſe mortalium, qui in Sacro Codice explicando, verborumque ſignificatione ponenda, aliud præter unum ex hiſce argumentum, ſuæ ſententiæ firmandæ aut commendandæ, eruere, atque in medium afferre potuerit.

Quicquid ipſi unquam Judæi, & Rabbini tam veteres, quam recentioris ævi, quicquid noſtrorum hominum principes in hocce ſtudio atque excellentiſſimi, de ingenio ac natura Hebraiſmi; quicquid de verborum ac radicum uſu, vi, veris notionibus, ac proprietate, ſcriptis ſuis prodidere, aut vel in Lexicis, vel in Commentariis, vel aliis quibusvis eruditionis atque induſtriæ ſuæ monumentis ad nos tranſmiſere, hoc omne ab his petitum eſt principiis, hoc omne hiſce nititur initiis atque fundamentis.

Hæc

Digitized by Google

Hæc ut absque temeritatis & arrogantiæ invidia ſub examen revocare, atque in quam plurimis erroris convincere mihi liceat, meo quodam jure poſtulare poſſe mihi videor, quippe qui non mediocrem a primo tempore ætatis in hocce ſtudio operam conſumſimus, atque in eo omnes noſtras curas, omnes defiximus cogitationes, ut quid in hiſce veri ſit, quid falſi, quid certi, quid incerti, exploratum atque perſpectum haberemus.

Sed me repente in ipſo Orationis aditu, ac vix ingreſſum in ſermonem, Veſter in me oculorum conjectus reprimit, atque extremus hicce perorandi locus, in tam vaſto mari difficilem parit curſum, tamque exiguum dicendi concedit ſpatium, ut vix capita rerum attingere, nedum explanare atque juſta diſputatione exponere poſſim.

Non tamen committam, ut qui Vobis ut placeam, officiaque mea profitear, juſſu Generoſiſſimorum Academiæ Quatuor-Virum præſto hic adſum, Omnium Veſtrum juſtiſſimam in me provocem indignationem, faſtidiumque mei ac nauſeam excitem.

Non pigebit partem potius laboris abjicere atque præcidere, quam Vos Oratione intempeſtiva ac in longius protracta occidere; longeque mihi ſatius exiſtimo, mutilum quodammodo, neque omnibus ſuis numeris abſolutum, proferre ſermonem, quam in tantum hocce, ſolenni hoc die, crimen incurrere.

Quæ ergo uberius aliquando atque luculentius ſtatutum eſt perſequi, ea nunc leviter perſtricta & prælibata, Æqui cognoſcite & Lubentes.

Omnes qui ab ipſo limine Hebraicas literas ſalutavere, & primoribus quod dicitur labris eas guſtarunt, in comperto habent atque explorato, quantum iis lucis affulſerit ex illarum cognitione linguarum, quas tanquam genuinas filias matris Hebrææ, proximasque ejus propagines, unanimi conſenſu omnes venerantur Eruditi; earumque collationem uſitatiſſimum ſimul & firmiſſimum præbere fundamentum, ex quo verborum, ac radicum Hebraicarum ignotior uſus, ingenium, & ſignificatio eruatur.

Hoc palam faciunt omnia in univerſum, tam Judæorum quam Chriſtianorum ſcripta & commentaria, qui millenis in locis vel ad Arabicæ, vel ad Syriacæ, vel, quod eam præ cæteris maxime cognitam, atque, in promtu haberent, ad Chaldaicæ linguæ reſugerunt auctoritatem, atque ex earum fontibus verborum Hebraicorum hauſerunt ſignificationes, earumque fide lexica ſua formare atque extruere non dubitarunt.

Digitized by Google

Et ſane abſque his ſi fuiſſet, æternis damnata tenebris maxima Sacri Codicis pars eſſet, denſiſque obvoluta integumentis Hebræa veritas delituiſſet; conſpectumque noſtrum refugiſſet.

Aſt cognoſcite quæſo, & mente præjudicatis opinionibus vacua accipite, quanta ſint Celeberrimæ hujus & omnibus comprobatiſſimæ Hebraismum illuſtrandi methodi incommoda, vitia quanta, quanti defectus, & duram in hunc usque diem ſacrarum literarum ſortem mecum dolete.

Qua ex lingua huncce capere vis fructum, ut ex ejus ingenio, ingenium perſpicias atque expiſcere Hebrææ matris, hujusque diſpellas tenebras, ejus tibi linguæ natura intima cognita ſit neceſſe eſt, ejus tibi theſauri ut pateant, ejus copiæ omnes, omnes divitiæ ut in promtu ſint, omnemque ejus dicendi vim ac facultatem ut teneas, res ipſa & ratio poſtulant.

Nunc vero quis adeo hoſpes eſt in hiſce noſtris Orientalium ſacris, cujus adeo circa res noſtras peregrinantur aures, ut ei inauditum ſit atque incognitum, quanto defectu, quanta omnium rerum inopia ac paupertate laborent *Chaldæorum* ac *Syrorum*, adde etiam *Æthiopum* & *Samaritanorum* monumenta, vel potius naufragia, triſtesque reliquiæ, quam anguſtiſſimis incluſa & circumſcripta cancellis hæ linguæ ad nos pervenerint? atque ita cum iis eſſe conſtitutum, ut infinitis in locis luce egeant aliena, nedum ut illuſtrandis Hebraicæ linguæ obſcuritatibus multum inſervire, atque lumen præferre clariſſimum poſſint.

Hiſce tamen Hebrææ linguæ intermortuis propaginibus, hiſce miſerrimis ejus atque afflictiſſimis reliquiis, quas eadem cum matre perculit tempeſtas, temporumque vaſtavit atrocitas, inhærere coacti fuere quotquot multis inde a ſeculis, ſacris litteris reſtaurandis manum admoverunt; & *Chaldaicæ* præſertim dialecti auctoritate & fide, maximam partem, fundata atque exſtructa hodierna Linguæ Sanctæ cognitio eſt.

Ea autem Hebrææ matris ſplendidiſſima propago, ea ejus ornatiſſima, ut ita dicam, atque ampliſſima filia, quæ nullam unquam temporum ſenſit vim atque acerbitatem, quæ infinitis nobilum ingeniorum monumentis, exculta eſt, atque immortalitati conſecrata, quæ incredibili verborum copia, & inexhauſta dicendi facultate, tanquam vaſtum aliquod & immenſum mare ad nos redundavit; quæ omnes omnium Orientalium theſauros, divitias, & elegantias, gremio complexa

plexa ſuo eſt, atque antiquum Hebraicæ opulentiæ ſplendorem viva exprimit imagine; Ea, Ea, inquam, lingua a per quam paucis in hunc usque diem cognita, a paucioribus in hoc negotio adhibita, atque in ſubſidium vocata fuit.

Etenim a quo tempore, Divino plane atque immortali Summi Numinis beneficio, Arabum nimis diu reconditi atque abditi theſauri in Europam noſtram importati ſunt, atque expoſiti, incredibile dictu eſt, duo tantum, aut ad ſummum tres quatuorve exſtitere, qui aliquid alicujus momenti, ad demortuæ matris difficultates ſuperandas, ex iis contulere; vel ſi verum dicere liceat, Unus, Unus exſtitit Bochartus, Vir plane incomparabilis ac ſupra omnem laudem poſitus, qui aliquid opulentæ hujus literaturæ nomine & gloria dignum, in hoc genere, præſtitit.

Cæteri vel non eam in Arabicis ſcientiam adepti ſunt, qua aliquid præſtare poſſent, in quorum numero *Rabbinos* repono, atque aliquos ex noſtris: vel non ea cum cura & diligentia in magnum opus incubuere, qua potuiſſent; inter quos, ita tamen ut debita ei, quæ maxima eſt, conſtet laus, *Hottingerum* nomino; vel plerumque, neſcio quo fato, a cultu Linguæ Sanctæ, ad Hiſtorias, Ritus & Antiquitates Orientalium perſequendas, dulci quadam vi abrepti ſunt, atque delapſi; ut *Golius*, *Pocockius*, *Relandus*, aliique Arabizantium principes.

Nullus interim dubito, quin ſi hujus præclariſſimæ linguæ clauſtra Rabbinis reſerata fuiſſent, primiſque Linguæ Hebrææ inſtauratoribus aditus ad eam facilis fuiſſet conceſſus, pleniorem longe, atque omnibus numeris abſolutiorem ejus cognitionem nobis reliquiſſent.

Atque ita mihi perſuaſum eſt, cum Magno Bocharto, animoque infixum hæret, hujuſce tandem linguæ ſubſidio & luce fulgidiſſima, Hebræam Linguam omnibus illis obſcuritatibus, cæciſque tenebris, quibuscum interpretibus colluctandum eſt, liberandam, atque ad ſummum claritatis faſtigium evehendam fore; Quod in antiquiſſimo ſimul & obſcuriſſimo Sacri Codicis monumento, quod ſummis ad hoc usque tempus ingeniis præcluſum fuit atque impervium, in Jobi inquam libro difficillimo, me palam propediem eſſe facturum, modo ut vita ſuppetat, ſpero confidoque.

Aliud initium ac fundamentum, quo collapſas Hebræorum ruinas excitare aggreſſi ſunt Linguæ Sanctæ cultores, atque ab interitu vindicare, in veteribus jactum eſt Verſionibus, quæ antiquitate ultima vene-

venerationem omnibus ac ſui reverentiam commovent: quarum Auctores quo propius afuerunt ab Hebraismi florentis ætate, atque ea attigerunt ſecula, quibus Res Judæorum nondum penitus oppreſſæ erant & extinctæ, eo uberiori Linguæ Sanctæ notitia abundaſſe, jure optimo credi poteſt.

Ad has ergo frequentes ſe conferunt interpretes, atque ab iis rebus ſuis dubus præſidium petunt, verborumque exquirunt ſignificationes.

Ampliſſimus hic ſe aperit diſſerendi campus, uberrima dicendi materies, per quam longe lateque exſpatiari mens & lingua, atque divagari poſſent: promiſſorum tamen haud immemor iis ſtandum exiſtimo; itaque quæ mihi de ſecundo hoc loco ſententia ſedeat, quibus hanc methodum vitiis affectam eſſe intellexerim, brevibus expromam.

Atque hic non poſſum, primo, non moleſte ferre, ac quodammodo indignari, quod non dubito, quin ut incongruum valde, atque a vera ratione abhorrens, animis etiam Veſtris & auribus accidat, inſcitia factum eſſe Judæorum, partim ingenerata genti ſuperſtitione, cœcoque impetu, quo ſua amplexari ſolent, oſculari, geſtare in oculis, ut ad illos maxima hoc in negotio delata fuerit auctoritas, ad quos quam minime eam deferri conveniebat.

Chaldæos dico interpretes, vel paraphraſtas verius, quos omnium minime ea tenuit cura, ea ſollicitos habuit cogitatio, ut ne alia graviſſima rationum momenta attingam, ut verba verbis exprimerent, vocumque religioſe retinerent ſignificationes, inque ſuam reponerent paraphraſin: ſed totum orationis complexum, eumque, quem ipſi imbiberant, ſenſum, ſolutiſſima quadam ac nullis legibus adſtricta ratione, infinita libertate, in ſuam transfuderunt dialectum; ac commentarii magis, ſuo in labore, quam verſionis uſum ſecuti ſunt.

Hoſce autem tales, quorum ea fuit ratio, id inſtitutum; quis idoneos agnoſcat Auctores? quis teſtes locupletes? ad radicum Hebraicarum, domeſticam & nativam vim, de qua anquirimus, non dico ſubodorandum, quod forte præſtare poſſent, ſed inveſtigandum, ſed ex latibulo & tenebris protrahendum, ſed luce clariſſima perfundendum, atque indubitata quadam ratione conſequendum.

Hac tamen præpoſtera inſtitêre via Judæorum Magiſtri omnes, qui in Sacro Textu offendentes, aut difficultate preſſi, ad hæc ſua Oracula quaſi, ſe conſultum retulerunt, atque ex harum paraphraſium (cæteras verſiones Antiquas, magis ad rem ſuam accommodatas, vel ignorantia præcludebat, vel ſupercilium Judaicum deſpicatui habere jube-

jubebat, & abnuere) ex horum igitur *Targumim*, luce crepera & ſubobſcura, verborum ignotorum aliquem ſaltem arripuerunt ſenſum & ſignificationem, atque in Lexica ſua vel Commentarios conjecerunt, quæ iuſto absque examine, quod laborem in talibus haud illibenter ſubterfugimus & declinamus, & quod meliora dare aut certiora non haberent, per Noſtrorum etiam Lexica & Commentarios omnes pervaſerunt, atque tantum ſibi vetuſtate roboris, tantum firmamenti aſſumſerunt, ut ſedibus ſuis moveri & exturbari poſſe non eſt quod magno opere confidamus.

Interim haud levi conjectura ductus, neque præcipiti abreptus judicio, clara voce, omnibus exaudientibus, confirmo atque aſſevero, quam plurimas, nemini non receptiſſimas notiones, de quibus cuiquam ne ſuboluit quidem unquam, injuſtas tenere poſſeſſiones, ac in aliena domicilia immigraſſe; quæ res pertenui primum indicio ac argumento patefacta & illuſtrata, poſt, aperto ſuſpicionis introitu, in intima cauſæ admiſſis, luce clarius meridiana comperta atque deprehenſa eſt: ad quod vincendum tam ab exemplis paratus & inſtructus ſum, ut id in oculis omnium (Auribus enim Veſtris, quibus ſecundis ac patientiſſimis utor, eam ad rem abuti non debeo) in oculis inquam omnium, atque in animis aliquando defixurum me eſſe, ſperare auſim.

Intelligo, Aud. Hum. me plurem, quam opinio tulerat, orationem abſumſiſſe, ut in Rabbinici hujus inſtituti arcem invaderem quaſi, eamque expugnarem, longiusque me eſſe provectum hac in cauſa, quam curriculi noſtri ſpatia ferre poſſe videntur.

Sed hoc compenſabo brevitate illius Orationis, quæ pertinet ad reliquum hunc locum, eaque quæ nobis de ceterarum verſionum, Græcæ cum primis momento ac pondere, in hoc negotio, diſceptanda forent, aliud in tempus rejiciemus, atque volente cum Bono Deo, data opera cum Eruditis Viris communicabimus.

Ad Tertium itaque, ab hoc curſu memet inhibens, rei Hebraicæ principium, quod jam dudum ad ſe vocat, & quaſi abſorbet orationem meam, contento ſtudio veniamus; de tertio inquiramus fonte & origine, unde Linguæ Sanctæ notitia profluxit, atque ad nos dimanavit; & quid hic requiram, quid deſiderem, quam vehementer hac ex parte res noſtræ laborent, paucis habetote.

Hæc ea eſt ratio, qua Hebraismi indagatores, intra Sacri Textus parietes ac fines ſeſe coërcentes, ex ipſo ejus ſinu quaſi & viſceribus, abditam ejus ac latitantem indolem eruere, atque in lucem retrahere poſſe

poſſe contendunt, ubi non aliena jam, & externa circumſpicientes ſubſidia, ſed domeſticis & inſitis Textui argumentis & indiciis adhærentes atque innixi, ex ipſa Oratione, ejusque ſcopo, vi ſerie & nexu, totoque adeo complexu & ſenſu, ſimilium denique contentione locorum, quæ cujusque verbi natura ſit, quod ingenium, quæ ſignificatio colligere atque efficere fatagunt.

Hunc Hebræa indagandi, atque in ſuis quaſi veſtigiis perſequendi modum, Alii ita cum ceteris illis conjunctum voluere, ut huic principem tamen concederent locum, atque ad alia, ſumma absque neceſſitate recurri debere negarent: Alii eo ſeſe abripi paſſi ſunt, ut omnes alias rationes, omnes alienas opes, exterminatas ex hoc ſtudio voluerint, atque huic unice viæ inſiſtendum eſſe, ſumma cum contentione pugnarint.

Aſt hoc profecto fuit, eo ſe demittere, unde exitus haud in facili ſit, hoc fuit, ut ait Ille, in dumeta correpere, atque miſerrimis ſeſe implicare anguſtiis, quod ſimili quodam illuſtri demonſtratum demus.

Tune mihi, ſi Livii tantum Hiſtoria, aut Divinæ illæ M. Tullii Orationes, ex Latinorum nobis monumentis ſuperarent, atque ex divitiſſima & graviſſima lingua, hæ tantum reliquiæ, commune, quo litteræ conflagrarunt, incendium evolaſſent; Tune mihi, inquam, aut cuiquam ſano perſuaderes? Ea Te repagula, quæ aditum ad earum intellectum obſepirent, ullo absque ſubſidio, repudiata omni aliena ope, perfracturum, atque ad omnem orationis, non ſenſum ſolum & ſententiam, ſed vim, ſed lumen & elegantiam eſſe eniſurum. Vel ſi hoc, & ſummi illi Scriptores, incredibili ſua ac plane ſingulari felicitate dicendi, in proclivi feciſſent, & Tu Tua induſtria & ſagacitate, eſſes usque quaque aſſecutus; Tune Te nativam ſermonis Latini indolem, verborum notationes, vocumque profundas ac penitus retruſas origines, penitus veſtigaſſe aut perveſtigare poſſe, gloriari & præ Te ferre auderes?

Et tamen, quod in Europæa nobisque cognata lingua, quod in finitima, ſenſibusque noſtris conjuncta oratione, nemo, niſi a ſanitate alienus, ſibi aſſumere auderet; id in lingua Orientali, in Lingua inquam Orientali, quæ toto a noſtris ſenſibus disjuncta eſt cœlo, quæ a noſtra dicendi conſuetudine immenſum quantum abhorret, quæque ne minima quidem cum ea ſocietate contingitur, Viri Docti ſibi arrogabunt?

Quorſum hæc? Eo Aud. Hum. non tantum ut oſtendam, quam vehementer eorum requiri poſſit Judicium, qui ex una ſola Sacri Textus lectio-

Digitized by Google

lectione & meditatione, omne illud lumen hauriri ac percipi poſſe dimicant, quod interpreti præpandi neceſſe eſt, ne præceps ac devius feratur: verum etiam ut ex ſimili hoc, tanquam e ſpeculo, eluceat, ad quem usque finem Virorum Doctorum, qui in hac palæſtra deſudarunt, laudabilis impetus conniti ac pervenire potuerit, ubi gradum ſiſtere ipſa Eos rei natura coëgerit; præcidam brevi; ut clareat, qua ex parte, Linguæ Hebrææ, ex tertio hoc fonte, lux affundi potuerit, atque etiam reapſe affuſa ſit, quid contra, tenebris adhuc denſaque caligine merſum, atque depreſſum jaceat, æternumque jacere neceſſe ſit, niſi externum, ac foris apportatum lumen, accendat, atque colluſtret.

Ea nempe hujus linguæ non minima, neque minimi etiam momenti pars, quæ in verborum verſatur originibus, quæ vocum ſpectat notationes & etyma, quæque veram & nativam, tam vocabulorum, quam locutionum, vim, ortum, ac progreſſum, ab incunabulis inde usque, primisque natalibus, repetit, atque in lucem vindicat.

Quod ne intemperantia quadam; aut libidine, noſtra venditandi, ac protrudendi, impulſi, aſſerere videamur, ſed ut ad Veſtram aequitatem, graviſſimis rationum ponderibus hanc in mentem pertractos nos eſſe conſtet; rem altius repetendum, atque ex intima linguarum indole diſputandum eſſe video.

Omnes, qui, quid humanitas ſit, quid litteræ, norunt, quique vel minimam tenuiſſimamque in iis operam poſuerunt, aut extremis tantum digitis eas attigerunt, ignorare non poſſunt, omnes linguas, eas præſertim, quæ per longos ſeculorum decurſus, per longinqua annorum ſpatia, obtinent, atque per ora hominum volvuntur, ingentes ſubire immutationes; non eas dico, quas victor invehit ſuperbus, qui cum Jugo in cervicibus collocato, linguæ etiam frena moderari poſtulat, atque ſermonem ipſum ſub ſuam quaſi ſubjungere vult ditionem; neque de iis etiam loquor, quas ex nimio cum exteris commercio, ſocietate, & conſuetudine, tanquam maculas aliquas fœdasque ſordes, ſenſim ſine ſenſu, omnes ſibi contrahunt linguæ; ſed de iis mihi ſermo eſt mutationibus, variationibus, alterationibus, inclinationibus, transformationibus, revolutionibusque, quas ipſe continuus parit uſus, quas longa procudit & propagat dies, quæque ex ipſa, ut ita dicam, ſcaturigine cujuscunque linguæ ebulliunt; quarum omnium aquæ, & manantes rivuli, id eſt, verba ſingula, dictionesque integræ, non ſecus atque in fluminibus animadvertere licet, multos per mæandros, ſinus, flexionesque, pe-

Digitized by Google

detentim a prima deflectunt origine, ac tam longe ſæpe vetuſtate dilabuntur & devolvuntur, ut fontis ſui memoriam deperdidiſſe, ac eluiſſe videantur. Quod quidem tantum abeſt ut depravatio aut corruptio linguæ debeat cenſeri; ut contra, ea demum perfectiſſima, atque elegantiſſima, jure audiat merito, quæ per maximas, hoc in genere, pertranſierit converſiones inflexionesque, dum modo puræ ſint, atque naturam originis referant; hinc enim flumen exſiſtit & lumen Orationis, hinc ſumma enitet facundia, dicendique reſplendet vis, gravitas, & majeſtas.

Quæ quum ita ſe habeant, fieri profecto non poteſt, quin ſeculis labentibus, infinita omnibus in linguis verba, aliud nunc oſtendant, aliud ante ſignificarint; aliud in fronte quaſi & in uſu promtum habeant, ac præ ſe ferant, aliud in ſinu clauſum & reconditum tegant; præſertim quum ita linguarum fere ratio comparata ſit, ut ſignificationes derivatæ & tranſſumtæ primitivam ſignificationem, creberrimo ſui uſu, obruant atque oblitterent, ac ſæpe ne veſtigia quidem originis ſuæ reliqua eſſe patiantur: quod ſi exemplis, ex Græcorum aut Romanorum lingua depromtis, adſtructum dare vellem, vererer, ne apud Viros, tam in luce Fori & Reipublicæ, quam in Literarum otio & umbra, eruditionis gloria & laude ſumme conſpicuos, graviſſime offenderem, ac nimis quam de Veſtro judicio A. H. diffidere viderer.

Quum itaque hoc linguarum omnium natura ipſa & ingenium ferat, cum hæc ex earum indole ſponte fluant ſua; quis neget, idem in Hebræa accidere debuiſſe? atque eo quidem magis, quod lingua hæc, ut antiquitate, ſic longinquitate etiam, & duratione, ceteras omnes facile prævertat, longoque poſt ſe relinquat intervallo, quippe quæ cum ipſis mundi primordiis nata, eique coæva, antediluvianisque celebrata temporibus, per immenſa deinceps ſeculorum ſpatia, ad ſeram prodita & propagata eſt poſteritatem, donec in captivitate Babylonica, ipſa cum urbe ac domicilio imperii, ſuis quaſi ſedibus eſt revulſa, atque in exilium deportata.

Quæ cum alta perpenſaverimus mente, fieri non poſſe facile judicabimus, ut hæ nobis reliquiæ, tam exiles, tam tenues, tam anguſtæ, ſeriſſimis, ut plurimum, temporibus literis conſignatæ, antiquam ac primævam radicum Hebraicarum ſiſtant atque offerant vim, & ingenium; neque ullus dubitationi relictus erit locus, quin in ingenti verborum, in ſacris occurrentium, copia, tranſſumtum, atque a prima ſtirpe deflexum, uſum dominari neceſſe ſit, ad quorum originem, atque

Digitized by Google

atque initia ultima, adſcendi non poſſit, niſi aliunde lux oboriatur.

Sit ergo Tibi ut aliquando ad id, quod propoſitum erat, deveniamus, ſit Tibi, inquam, tanta acies ingenii, ut per obſcuriſſima quæque penetres, tantæ tibi ſuppetant vires, ut locorum omnium difficultates eluctere, cuncta facillime fluant, atque animi ex ſententia, nusquam hæreas, nusquam offendas, nusquam prolabare, ubique recta collinees, & ſcopum tangas; quo quis eſt qui ſe pertendiſſe, prædicare audeat? ſed ſint iſta; nondum tamen veteris Hebraismi inſitam, aut innatam potius, indolem tenere Te, nondum veram & genuinam verborum naturam ac proprietatem eſſe complexum, nequaquam omne ejus ingenium exhauſiſſe, ea quæ a nobis diſputata ſunt, luculentiſſime declarant, quæ tum vera eſſe deſinent, cum judicatum fuerit meridie non lucere.

Nullus dubito A. H. quin omnes æqui rerum arbitri, quique non, tanquam ſaxis, ſic opinionibus adhæreſcunt ſuis, pulcre intelligent, aliena atque foris allata, in Vetuſto Linguæ ingenio veſtigando ac indagando, ope careri non poſſe, facemque aliunde præferri neceſſe eſſe, niſi ſempiternis obſcurari malimus tenebris, quæ patefacta, illuſtrata, atque oculis ſubjecta, tutiſſimum nobis aditum ad intima Scripturarum penetralia explicarent.

Hanc facem, literarum Arabicarum lumen accendere poſſe, conſtantiſſima Doctorum hominum tulit ſententia, at vero, in quo ingemuiſſe me meminiſtis, atque Sacrarum Litterarum vicem doluiſſe, perpaucorum ita tulit ratio & vitæ curſus, ut in hiſce conjunctim excolendis ac perdiſcendis, aliquam operam, curam, diligentiam, laborem, tempus denique ponerent; longe pauciorum, ut in hanc partem, totam mentem, omnesque adeo vires, transferrent & converterent.

Me vero quod attinet, quoad longiſſime reſpicere præterita poſſum, atque juventutis memoriam revocare ultimam, inde usque repetens, hæc mihi ratio exſtitit, hæc inſtitutio ſtudiorum, ut cum fonte atque origine omnis Divinæ Sapientiæ, Lingua nempe Hebræa, quam pleniſſimam Arabicæ, præ ceteris, linguæ notitiam mihi compararem, ſpei & cogitationis plenus, fore ut tandem aliquando haud pœnitendos laborum perciperem fructus, inque communem Eccleſiæ conferrem utilitatem.

Nec me fefellit, poſtquam enim immortali Generoſiſſimorum atque Illuſtrium Academiæ Lugduno-Batavæ Curatorum in me merito, (quibus me immenſum quiddam ac infinitum hoc nomine debere, gratus a-

gnoſco & prædico;) quatuor abhinc annis illa Orientis opima ſpolia, inæſtimabiles illæ atque opulentiſſimæ Gazæ; quibus Muſæ ſuperbiunt Batavæ, patere mihi juſſæ ſunt; totumque me in hiſce meis, a teneris, deliciis, per biennium, abdere atque involvere; totum in uberrimos ac abundantiſſimos Arabum fontes ingurgitare, poteſtas facta eſt; atque ex Veteribus hiſce & illibatis divitiis pleno ore haurire: tanta repente lux affulſit, tantum obortum eſt lumen, ut veram antiqui, ac primævi Hebræorum genii inveſtigandi atque e ſuis quaſi latebris eruendi rationem inveniſſe mihi videar; idque non tantum in iis vocibus, quas uno ore omnes difficultatum nodis adſtrictas eſſe fatentur; ut *Animalium nominibus;* in quibus Bocharti, feliciſſime verſata eſt opera, quam grata memoria omnes colent poſteri; neque etiam in radicibus tantum obſoletis & deperditis; aut vocibus rariori ſe uſu offerentibus, in quibus Hottingeri hæſit mens & cura: ſed in iis etiam verbis & radicibus, quarum longe tritiſſimus eſt uſus, notiſſima & conſtantiſſima ſignificatio, ad quarum ſtirpem ipſam atque ultimam originem, (nam deflexas a primo fonte notiones in Sacris fere obtinere, demonſtratum eſt) ſubſidio præclariſſimæ hujus linguæ perveniri poſſe, luculentiſſima, uti credo, exempla, quæ edere paro, declarabunt, ac pervincent.

Magno animo in extremam ingredior cauſam A. H. emerſit enim e vadis jam, ſcopuloſque prætervecta oratio eſt; atque haud difficilis mihi reliquus curſus oſtenditur. Etenim ad ea ventis, ſpero, ſecundis & ferentibus, delati ſumus principia & fundamenta, quæ fundamenta non eſſent, niſi urgens ad ea compuliſſet neceſſitas, aut ut, quod res eſt, dicam, niſi quidvis potius arripere maluiſſent interpretes, quam ingenuam ignorationis dare confeſſionem.

Itaque verbo rem expediemus, atque ſic ex fluctibus hiſce, & ſententiarum jactatione, in tranquillum pervehemur portum.

Duplex præter ea, quæ percenſuimus, ad vocum ignotiorum & quærendas & ponendas ſignificationes, uſitata eſt ratio, quarum altera, in quo pedem figat, habere videtur, altera incertis & vagis nititur conjectationibus, atque ſabulo eſt fluidior.

Obtinent hæ fere in ἅπαξ λεγομένοις, iiſque vocibus, quibus, ut loquuntur Rabbini, frater non eſt in ſacris, id eſt, quibus parem non invenias, ex quibus quum ſe ope Chaldaiſmi explicare non poſſunt, attendunt, quam radicem, ex iis radicibus quæ illuſtriores ſunt, & uſu frequenti claræ, obſcurior hæc ſono & litteris proxime attingat; quæ quum

quum aliqua ſimilitudinis ſpecie ſe obtulit, hujus naturam ex illius metiuntur, eandemque huic, quam illa poſſidet, aſſignant notionem. Ita Coccejus, רחם quod apud Jeremiam unico in loco eſt, ad רמם retulit. ישח apud Michæam ſemel lectum, non alia ratione *depreſſionem* dicere, conſtanter creditum eſt, quam quod a שחה ſono & literis non longe recederet; verbo denique לחם, binis in locis Proverbiorum ſedem tenenti, *contundendi* notio, invito Salomone, obtruſa eſt, quod cum הלם ſub easdem caderet radicales, & quæ ejus generis quam plurima alia ſuppeditant exempla.

Quod ubi hoc etiam ſubſidium deſit, neque quo ſe vertant habent, ad conjectandi recurritur & ariolandi infinitum campum, ubi alius alia, pro ingenio, ut fit, profert, atque ex intimo augurandi artificio ſua expromit; unde factum eſt ut pleriſque harum vocum, quatuor, quinque, ſex, plures allitæ fuerint ſignificationes, omnes veri ſpeciem præ ſe ferentes, quam ſortem vocabula עמין ſemel, & צמים bis in Jobo, כרכרים in Jeſaja, aliaque, quas heic dinumerare non eſt neceſſe, experta ſunt. Cum quibus omnibus præclarius forte actum fuiſſet, ſi tot interpretamentis fatigata, atque huc illuc diſtracta non eſſent, ſed, ut erant, pro haud intellectis in medio eſſent relicta, verendum enim eſt, ne tandem veritas inventa exulare debeat, atque inveteratis opinionibus opprimatur.

Dixiſſem, niſi me Veſtræ fulgor præſentiæ feriiſſet, Illuſtriſſimi Proceres, atque de officio commonuiſſet.

Ad Vos igitur aſſurgit, & ſumma cum reverentia Nominis Veſtri ſeſe mea convertit oratio, Nobiliſſimi ac Præpotentes Domini, qui hujus imperii clavem tenetis, qui gubernacula Reipublicæ tractatis & Academiæ.

Munificentiſſima Veſtra manus me ex tenebris extrahit, atque in hac honorum Veſtrorum luce, in hoc Celeberrimorum Virorum Collegio, in hoc clariſſimo Provinciæ Veſtræ ocello collocat.

Non ego lubenter, pro immortali illo Veſtro in me merito beneficioque, vili defungerer munere orationis, non poſſum tamen, quin coram ſplendidiſſima hac corona, quantas capere mens mea maximas poteſt, gratias Vobis agam, habeamque: atque ita, quod reliquum eſt, de me habetote; numen mihi Veſtrum, grave in omni vita ac ſanctum eſſe futurum. Faxit Deus ter Opt. Max., cujus vim ac numen hiſce in terris Vos tenetis, ut Veſtra dignitas, amplitudo, majeſtas, longa perennent ſecula, ut imperii Veſtri ſplendor omnibus gentibus luceat,

 at-

Digitized by Google

atque iiſdem quibus cœlum, cœlum hoc immenſum & infinitum, finibus terminetur.

Et Vos mihi compellandi eſtis, clariſſima Orbis Litterati lumina, Celeberrimi Profeſſores, quibuſcum Collegii neceſſitudine ſanctiore conjungi, ſummæ meæ deputo felicitati. Vos ad augenda ſtudia, ac propaganda, magnos natura finxit homines, atque excelſos: Veſtra mihi veſtigia dies noctesque ante oculos obverſabuntur, veſtigia non preſſa leviter, aut quæ ulla unquam delere & oblitterare poſſit oblivio, ſed fixa ad ſplendorem & memoriam nominis Veſtri ſempiternam. Hæc, longinquo licet intervallo, ſequentem, ad hæc anhelantem, omnesque tam animi, quam corporis vires intendentem, benevolentia complectimini Veſtra; a meque viciſſim omnia officii munera expectate.

Et veſtri me cura caritasque tenet, Florentiſſima Juventus, Veſtri præſertim, Cariſſima pectora, qui ad ſpem præcipitantis Eccleſiæ, in Divinæ Sapientiæ cultum incubuiſtis; Vos igitur mea etiam appellat oratio. Diſcite quæſo, me duce & auctore, ipſis e fontibus bibere; ſubvenite, quos generoſior agit Spiritus, Divinæ huic linguæ, cujus ſtudium jacere non poteſt, quin cuncta concidant neceſſe eſt. Ex hujus ſordidiſſimo neglectu, gravi & diuturna ordo noſter flagrat infamia; quæ non ex malevolorum exarſit voculis, ſed graviſſimo ſeverioris & boni cujusque judicio commota eſt; hanc extinguere, hanc magnifice frangere, atque a vobis veſtrisque ſtudiis repellere & refutare, omni cura & cogitatione contendite. Hic quid ego, Veſtras ad utilitates, efficere poſſim, malo in Veſtra expectatione relinquere, quam in mea Oratione ponere.

D I X I.

A L-

Digitized by Google

ALBERTI SCHULTENS

O R A T I O

P R I M A

D E

LINGUAE ARABICAE

ANTIQUISSIMA ORIGINE, INTIMA AC SORORIA CUM LINGUA HEBRAEA AFFINITATE, NULLISQUE SECULIS PRAEFLORATA PURITATE.

H A B I T A F R A N E Q U E R A E.

Quum Faſces Academicos iterum deponeret.

Kal. Juniis MDCCXXIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

ALBERTI SCHULTENS
ORATIO
PRIMA
DE
LINGUAE ARABICAE
ORIGINE, ANTIQUITATE, AC CONSERVATIONE.

Eſt in receſſu orbis terrarum ſeductiſſimo, Naturæque ipſius nutricio ſinu, Peninſula, quam dives atque indulgens Mater, e Cornu Copiæ, excellentiſſimis ſuis muneribus cumulavit. Palmetis illa late viret; Balſametis diſtincta relucet; opaciſſimis inumbratur ſaltibus, quorum arbores bis quotannis odoriferas illas guttas exſtillant, illas pretioſiſſimas lacrymas thuris ac myrrhæ, quæ auream meſſem cultoribus ſuis præſtare ſolent. Cinnamomum quoque, caſiam, ladanum, calamum aromaticum, aliasque nobiliſſimas ſpecies odorum, huic Patriæ aſſignavit Vetuſtas; quam Elyſii alicujus Horti ad inſtar nobis depinxere *Herodotus*, *Diodorus Siculus*, aliique præclari ſcriptores, cujus exhalationes, & vividiſſimi ſpiritus, inenarrabili ſuavitate imbuti, non tantum Beatae illius regionis colonos perpetua voluptate mulceant, ſed etiam

 præ-

præternavigantes adflent, incredibiliſque cum jucunditatis, tum admirationis, ſenſu perfundant.

Agnoſcitis omnes, ad lineamenta hæc, *Arabiæ Felicis* titulo decoratam Terram, quæ ad ſimilitudinem magnitudinemque ſimul *Italiæ*, *Europæ* ocelli, maribus incluſa ac circumfuſa, inter Rubrum Perſicumque ſinum procurrit, atque ad Oceanum Indicum adhuc *Edenis* ſpecioſiſſimo nomine præfulget, ubi Emporium toto orbe celeberrimum, *Aden*, pulchro omine terreſtris alicujus Paradiſi ingreſſum promittit, atque auſpicatur.

Non improbabitis ergo, A. H. ſi hanc thuris, myrrhæque, genitricem terram, hanc aromatum ſedem fragrantiſſimam, ἀποσπασμάτιον appellitem Viridarii veteris, quod naſcens vidit mundus, in quam Homericum illud quadret.

'Αλλὰ τόδ' 'Αμβροσίης ϗ Νέκταρος ἐστι ἀπορρὼξ.

Omnia tamen hæc decora præumbrat, obſcurat, delet, celſa quædam ac pervetuſta Arbor, in meditullium Beatæ hujus Regionis cum ipſa gente Arabum translata, atque inſerta, quæ Stirpis Paradiſiacæ jam non fugientem ſpeciem, ſed genuinam quodammodo faciem referat atque repræſentet.

Hujus admirandæ Arboris Hiſtoriam Naturalem, *Theophraſtis*, *Pliniiſque*, omnibus intactam, atque adeo præcluſam; quin in hac luce Literarum, omniſque curioſæ indagationis, necdum ſatis recluſam, ſi Vobis aperuero, ſub conſpectumque dare potuero, ecquid erit pretii?

Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?

Pandere mihi decretum eſt, A. H. ut quod parturio jam pariam, Voſque expectatione erectos, ac ſuſpenſos uno verbo abſolvam, pandere, inquam, mihi ſedet, *Linguæ Arabicæ*, præcelſæ illius Arboris, *Originem antiquiſſimam*, *intimam* ac *ſororiam cum Hebræa Lingua conſanguinitatem*, *nullaque temporum injuria præfloratam puritatem*, qua idem illud generoſum, vegetum, antiquum, adhucdum ſpirat, quod ortus primigenius, ac quodammodo Paradiſiacus, ei inſpiravit, penitiſſimiſque ejus radicibus inſeminavit.

Vos A. H. de materia haud injucunda forte dicturo adſpirate, magnum-

Digitized by Google

gnumque, ac incognitum ferme, mare curſuro, favoris veſtri aura ſuccurrite, ut navicula mea, per fluctus, per ſcopulos, tranquillum in portum invecta tandem reſpiret.

Ad *Linguæ Arabicæ* natales ex denſiſſima temporum caligine, ultimæque memoriæ vetuſtate eruendos, paucula mihi prælibanda eſſe ſentio de *Lingua Primæva*, ſive Antiquiſſima illa, quæ cum genere humano condita atque inſtituta fuit.

Hanc fuiſſe eandem, quam *Hebrææ* poſtea appellatio quaſi conſecravit, id nominis indeptam ab *Hebero*, *Abrahami*, *Abrahamidarumque*, per *Phalegum* proſeminatore, graviſſimis rationibus jam evictum autumo, quicquid in contrarium tendatur, atque adhuc novis quibusdam argumentis pervinci poſſe videtur.

Ea lingua princeps, qua primos noſtros parentes, qua orbem antediluvianum, qua novi quoque orbis inſtauratores, uſos fuiſſe ſupponimus, tum, quum unum Labium, una vigerent verba, haud dubie grandia ceperat incrementa, atque in diebus *Heberi* pleno alveo undabat.

Ita credere jubet longa illa ſeculorum ſeries, qua ante Diluvium, cum invaleſcente genere humano, invaleſcere, novasque identidem vires ſumere, ea debuit, priſcorum mortalium vegeto illo vivendi robore haud parum conferente, ad Linguæ nativam ubertatem, & in recenti fere memoria conſervandam, & magnis acceſſionibus locupletandam.

Profundæ materia diſquiſitionis, cum aliqua fortaſſe voluptate, tum mea, tum Veſtra, nos detinere poſſet: ſed in ſpiſſiſſima dicendorum ſylva, quicquid remoram objiceret, amputandum.

Ajo ergo, cum re, ac ratione, conjunctiſſimum eſſe, ut Veteris Orbis Linguam, quæ cum *Noachidis* denuo emerſit, ac caput extulit, ſtatuamus, magni ritu fluminis, ingentes aquas, ingentes radicalium, & derivatarum, vocum copias vexiſſe ante, quam ad Turrim Babylonicam in rivos, & canales, diſſiparetur.

Id profecto non negare poterunt illi, qui e *Lingua primæva*, tanquam e communi Fonte, profluxiſſe arbitrantur, quicquid poſtea linguarum orbem terrarum mundavit, minore vel majore ſub varietate, prout ſummo rerum humanarum Arbitro id viſum temperare.

Non illi quoque in dubium id revocarint, qui poſt diſperſionem *Noachidarum* ſatis diu veterem unitatem, ac communitatem, ſermonis re-

Digitized by Google

tentam diſputant, unde ſenſim ac pedetentim demum, longius longiusque divergentibus quaquaverſum familiis, illa tandem divergia linguarum exiſtere cœperint, quæ cum diverſis & diſtinctis regionum finibus, diverſum & diſtinctum habitum induerunt, in aliasque & alias continuo facies defluxerunt.

Hæc jam, ſive *confuſio Babylonica*, & unius *Linguæ primigeniæ* diſſipatio in varios fluxus, atque meatus, per miraculum, ut vulgatiſſima fert ſententia, ſive diſcordantium ædificatorum *diſperſio* tantum, quæ anſam præbuerit novarum origini dialectorum longo demum tempore poſt ſuccreſcentium, ſecundum calculos accuratiſſimos Chronologorum, figenda eſt in anno natali *Phalegi*, quum alterum a Diluvio ſeculum inchoaretur; quippe quem pater *Heberus* iſto *Diviſionis*, id ſonat *Phaleg*, vocabulo adfectum voluerit, quod *in diebus ipſius diviſa eſſet terra. In diebus ipſius*, id eſt, *ſub ipſius nativitate*, quia alias nihil præcipui, nihil diſtincti, eſſet in illa denominatione, quam ſpiritu prophetico inditam, ob caſum longe poſtea exiturum, ab omni ſpecie vere abhorret.

Hicce *Heberus* Antediluvianæ Linguæ legitimus hæres, ac poſſeſſor, ejusdemque ſub novo *Hebrææ* titulo propagator, per *Phalegum* filium, *Abrahami* atavum, in familiam ac gentem *Hebræorum*, alterum habuit filium natu minorem *Joctanum*, ſive, *Jectanum*, in lucem editum poſt *diſperſionem Babylonicam*, anno natali fratris majoris immiſſam, ſive in dias luminis oras prodierit ille *Jectanus* inſequente ſtatim anno *Centeſimo ſecundo*, ſive etiam plures interceſſerint, quod tacente ſacra Hiſtoria in medio relinquendum: quem *Jectanum*, in domo paterna, illibatum illum ſuccum ac ſanguinem *Primævæ Linguæ*, quam *Hebræam* nunc porro appellitare fas erit, combibiſſe, vernaculisque e fontibus hauſiſſe, ſtante ſuperiore ordine rerum, controverſiæ exemtum eſſe debet apud omnes illos, qui non limpidiſſima quæque conturbare geſtiunt.

Sic defluximus tandem ad id, quod *Cardinem* conſtituet Orationis noſtræ. Hic enim eſt ille *Jectanus*, ſive *Kehtanus*, quem & *Gentis*, & *Linguæ* ſuæ, antiquiſſimum conditorem concelebrant Arabes, quemque tradunt in interiora *Peninſulæ*, quæ Rubro, Perſico, Oceanoque, maribus, tanquam fidiſſimis Naturæ clauſtris, circumcingitur, perpetuum poſſeſſorem immigraſſe, atque illam *Felicis Arabiæ* titulo nobiliſſimam Orbis partem, ita ſibi ſuisque vindicaſſe, ut quicquid ibi di-

vitum

vitum Regionem, numeroſiſſima Viri poſteritas complerit, atque ſub *Jectanidarum* ſceptro, ab omni externo jugo intactum per tria millia annorum conſervarit; *Lingua* quoque *Jectanis* intacta, & nec exterorum contagionibus, nec exiliorum, ut ita dicam, convulſionibus, nec peregrinorum exercituum inundationibus, nec Dominorum, & Domitorum, ſuperborum novis legibus, ullam in partem adulterata atque corrupta.

Hanc Arabum traditionem, de *Jectano* Felicis Arabiæ patre ac proſatore, admirabiliter confirmat Coloniarum Catalogus, quem *Moſes* contexuit Cap. 10. *Geneſ.* ubi huic fratri *Phalegi* attribuit tredecim Filiorum fœcundiſſimam ſobolum, omnes celebrium gentium conditores, & quidem talium gentium, quæ in longo tractu terrarum junctis habitarint ſedibus, a *Meſa* ad *Sepharam* usque, id eſt, explanatore ſummo *Bochatto*, a *Muſa* ſinus *Arabici* emporio nobili, usque ad *Arabiæ Felicis* caput *Dſaphar*, *Saphar* etiam *Ptolemæo*, ubi ſedem regiam tenuere *Himjaritæ*, vel *Homeritæ*, ab *Himjar*, vel *Homeir*, filio *Sabæ*, ex proſaphia *Jectani*, ita vocitati, & tum hac, tum *Sabæorum* appellatione, percelebris in monumentis.

Non equidem diffiteor diſſenſionis aliquid reperiri circa illa nomina *Meſæ*, ac *Sapharæ*, *Jectanidarumque* adeo ſedes, quæ Rabbinorum nonnullis *Meccam* atque *Medinam* conſignare videntur, *Joſepho* aliisque in *Indiam* usque hos fines extendentibus. Sed profecto, ſi unquam quicquam certe ex tanta temporum, & memoriæ, antiquitate elici poteſt, pro explorato eſt habendum, tredecim *Jectani* filios in *Arabia Felice* conſediſſe.

Etenim *Primo*, nulla Regio *vicinior*, in quam immigrare hæc *Hebericæ* ſtirpis numeroſa ſoboles potuerit. *Secundo*, nulla *opportunior* ad tot Fratres, *Fratrum populum* dicere liceat, unis ſedibus excipiendos, quos eodem in tractu, junctimque, habitaſſe innuit *Moſes*. Nulla, *tertio*, Terra quaquaverſum oculos circumferenti occurret, quæ vel ſitu munitiſſimo, & maribus opportuniſſime cincto, vel ſinu feraciſſimo, tam potentor, cum allicere, tum retinere potuerit Colonos. *Quarto*, ipſi illi qui *Joctanum* aliovorſum ablegant, Filios tamen ejus *Hatzarmaveth*, & *Scheba*, pro *Arabiæ Felicis* ſeſſoribus agnoſcere coguntur: quo quidem ſolo argumento omnes *Jectanidas* in *Arabicam peninſulam* commigraſſe, ſupra omnem dubitationes aleam collocari videtur,

detur, quum *Moſes* tredecim illis Fratribus unas terras, unas, arctaque vicinitate connexas, manſiones aſſignet.

Cumulum, *quinto*, imponant evidentiſſima veſtigia, vel potius perpetua monumenta, *Jectanidarum*, quæ per totam hanc *Peninſulam Arabiæ* ſparſa ſunt, atque diſſeminata. *Hadramaüth* حضرموت, ſic *Arabes* ſonant חצרמות *Hatzarmaveth Hebræorum*, celeberrima etiamnum Regio thurifera, quam Ἀδραμῖται *Chatramotin* Veteres appellitarunt. *Saba* hodiedum ſplendida provincia in *Jemen*, a *Saba*, filio *Jesbah*, nepote *Jectani*, ſic dicta, ſecundum *Arabes*, quum *Moſes Sabam* filium faciat *Jectani:* qui quidem diſſenſus fidem *Arabum* in origine ſua ad *Jectanum* referenda magis adſtruere videtur, quam infirmare, quum ſic liquere poſſit eos non e ſacris noſtris Fontibus haſce ſuas traditiones eſſe ſuffuratos, ſed quod domeſtica fama, ac memoria, acceperant, nobis reliquiſſe.

Non prætermittendum præterea nomen antiquiſſimum *Sanaæ*, quæ Metropolis *Arabiæ Felicis*, fuiſſe *Uzal* ازال, referente Cl. *Golio* ad *Alfraganum* Geographum: atqui אוזל *Ouzal* in catalogo *Jectanidarum* ſextus nobis comparet apud *Moſen;* cujus filius *Sanaa* alteram illam appellationem peperiſſe proditur.

Nihil diſertius etiam, nihil expreſſius, quam *Baiſath Joctan* in provincia *Hisjaza*, ad territorium *Meccanum* pertinens, parvulum quidem illud, ſed tamen populoſum oppidulum, quod *Nubienſis* Geographus camporum, & fontium, amœnitate inclytum commemorat, ſeptem ſtationibus *Mecca* auſtralius, una autem ſtatione a mari Rubro diſtans.

Circumcido alia bene multa, quæ ex nominibus omnium *Jectanidarum* felici acumine elicuit *Bochartus*, & pro eruditionis ſuæ copia, ac luce, illuſtravit: quæ cuncta ne umbram quidem dubitationis relinquere videntur, quin *Jectani* poſteritas *Arabiam Felicem* occuparint, atque cum *Heberi* linguæ illuc ſeſe inſinuarint, ubi nec libertas illorum, nec patrii ſermonis puritas, unquam potuerit delibari.

Hoc ipſo autem, ut fit, non parum ſibi placentes hi *Peninſulani*, titulum عرب عاربة *Arabum vere Arabum*, ſive *genuinorum*, ſibi circumdare non dubitarunt, ut ſemet diſtinguerent a mixtis illis gentibus, quæ vel *Arabiam Petræam*, vel *Deſertam*, late repleverunt, ac pererrarunt; quin ab illis etiam novis Familiis, quæ per connubia in antiquam ipſorum ſtirpem inſerti fuerunt: nam ut poſteriores appellant

pellant متعربة *Arabizatos*, ſive *adſciticios*, *inſiticios*; ita priorem illam colluviem مستعربة vocitant, quaſi dicas *ſubditicios*, & *nomen* tantum *Arabum præferentes*; quo in numero cenſendos præſertim putem *Chuſæos*, *Chamo* oriundos, qui *Deſertæ* & *Petrææ Arabiæ* magnas aliquando lacinias tenuere; quamvis *Moſtarabum* nota deinceps potius adfectæ fuerint nationes *Africanæ*, quæ a *Saracenis* ſubjugatæ, cum religione linguam quoque *Arabum* induerunt.

Ecquid nunc cernitis, A. H. ecquid tenetis, tanquam ea, quæ oculis cerni, manibus teneri, ac palpari poſſunt, *Arabicam Linguam* ad hunc modum ex *Heberi* domo ortam, ſub frequentiſſimaque Colonia in *Arabiæ Felicis* reconditiſſimas ſedes deductam, atque immiſſam, eandem, jure natalium, portionem hæreditatis cernere potuiſſe, atque adeo debuiſſe, e *Lingua Primæva*, quam *Hebræorum* Natio crevit? & quicquid e copioſis Antediluviani ſermonis fontibus *Hebero*, per *Phalegum*, ad *Abramidas* defluxit, id per *Jectanum* ab eodem *Hebero* ad *Arabes* quoque defluxiſſe, atque transfuſum fuiſſe.

Vos ergo Judices ego atque Arbitros nunc velim, A. H. quo nomine *Linguam Arabicam*, ad originem, maternamve ejus ſtirpem, repræſentandam, adfici debere decernatis. Fertur vulgo *Filia Hebrææ*, & dives ejus propago: quo titulo & me ſæpiſſime uſum fuiſſe commemini. Accurationem tamen ſi amemus, *Soror* potius, & quidem *Gemella Soror*, nominanda eſſe videtur; ejusdem, atque *Hebrææ*, antiquitatis, quæ ex *Primæva* illa, & jam fluminis inſtar plena, *Lingua* Antediluviana, in venas ſuas receperit eundem ſuccum Radicalem, quo *Hebræa Soror* viguit, viruitque: ipſa viciſſim comparanda cum vetuſta, ac ramoſa, Arbore, quæ priſcis Radicibus nixa etiamnum, felicius adhuc vigeat, vireatque, & illam primigeniam ſuam indolem, illum nativum vigorem, illum florem quoque, ac honorem, opulentiſſimi in toto terrarum orbe ſermonis, ad noſtra usque tempora perferre ac conſervare valuerit.

Hac obſervatione, quam deducta hactenus ſeries ſponte miniſtrabat, occurrendum, in tranſitu, putavi, præjudicatæ iſti opinioni, qua *Lingua Arabica* adſpicitur ut longe recentior *Lingua*, & Gente, *Hebræorum*, quæ quidem ſit Dialectus & propago Matris Hebraicæ, ſed quæ de Materna puritate degenerarit, eodem fere modo, quo *Itala*, *Hiſpana*, *Gallica*, dialecti, e ſtirpe *Latina* ſuccreverunt, ſed & degenerarunt. Nihil alienius, nihil diſſimilius. Excuſabit tamen facile hunc

hunc publicum fere errorem, tum cæca illa nox temporum, quæ tenebras hac in parte oculis offundit: tum Linguæ Arabicæ primævus conſpectus, ac penetralia, tantis tenebris circumvallata, ut Maximi etiam in hoc ſtudio Virorum eas perrumpere non valuerint, nec magnam illam conſenſionem, conſpirationemque, quæ inter *Gemellas Sorores* intercedit, vel ipſi deprehendere, vel aliis demonſtratam dare. Quod quidem profecto nunquam ex ore emittere ſuſtinuiſſem, niſi cum iisdem adhuc tenebris mihi quoque, ultra viginti jam annos, colluctandum fuiſſet, necdum per omnia iisdem ſuperatis atque diſcuſſis; cujus rei rationes evidentiſſimas in *Opere de Defectibus hodiernis Ling. Hebr.* & jam aperire cœpi, & planius adhuc pleniusque expromam.

Si interim, ut ſuſceptum curſum perſequar, *Linguæ Hebrææ* nomine *Antediluvianam* illam Veterem intelligere placeat, utique illius *Filia* & *Hæres* cenſenda erit Arabica: ſin ſtrictius quis *Hebrææm* appellitet, quæ in *Hebræorum* fundata jam, & formata, gente obtinuit, *Sororium* ei gradum, *Sororiam* auctoritatem, ac dignitatem, tribuere nullus ambigo.

Hæc ipſa porro Conſanguinitas, qua a primis inde Natalibus hæ duæ Linguæ connexæ reperiuntur, poſtea renovata, & firmiore ſanctioreque adhuc nodo adſtricta fuit, per *Abrahamum*, vel potius Filium *Iſmaëlem*, cujus nomen non tantum mirifice ſemper coluere Arabes, ſed cujus etiam religione gloriati usque fuere, atque etiamnum gloriantur.

Hunc alterum Gentis ſuæ Conditorem, ac Parentem, Linguam quoque perpoliviſſe referunt, ad ſummumque nitorem elimaſſe, poſtquam per adfinitatem contractam cum *Jectanidis*, qui etiam *Hisjazam* ditione tenebant, ſub ſtirpe *Sjorhamidarum*, in Arabicum nomen adſcitus atque inſertus fuiſſet. Ubi ſingulari & plane mirabili fato iterum deprehendimus Hebræi patris geminam ſobolem, *Iſaacum*, qui *Iſraëlitarum* duodecim Tribubus patrii ſermonis hæreditatem tranſmiſit; *Iſmaëlemque*, qui cum duodecim item tribubus, ex ſe prognatis, eandem hæreditatem paternam in Arabiam immiſit, atque ſub titulo *Linguæ Iſmaëliticæ* non tantum nobilitavit, ſed etiam quodammodo dedicavit in provincia *Hisjaza*, quæ *Meccæ*, *Medinæque*, Civitatibus antiquiſſimis ſuperbit; ſic ut ab ea deſciſcere religio, vel & religione potentior, in talibus, ſuperſtitio, prohiberet.

Uti-

Utique princeps illa *Koreiſchitarum* Tribus, indubitata *Iſmaëlis* poſteritas, fida *Iſmaëlitici* ſermonis conſervatione cenſeri ſemper voluit, quemadmodum & *Caabæ*, ſive *Meccanæ Ædis*, hæreditariam ſibi *Cuſtodiam* arrogabat.

Iſtam *Caabam*, & Gentiliſmi olim in Arabia, & nunc Muhammedaniſmi per totum Orbem, Commune Sacrarium, ab *Iſmaële*, ipſoque adeo *Abrahamo* dedicatam referunt. Fabuloſum. Id tamen dubitari non poteſt, Memoriam ſimul & Linguam *Iſmaëlis* religioſo honore conſecratam, in ipſo Arabiæ totius centro, altiſſimas ibi, & nunquam intermorituras, radices agere debuiſſe, ſic ut ſpecioſe ſatis jactare potuerit Muhammedes, *Koreiſchita* & ipſe, atque per *Adnanum* ab *Iſmaële* ſtemma deducens, ſeſe *Iſmaëlitica Dialecto* Alcoranum exaraſſe: quem *Librum* ut pro Miraculo Eloquentiæ in cœlum laudibus vehunt Arabes, ita pro perfectiſſima Norma ſuæ Linguæ eundem obſervant.

Ex hoc ipſo autem majus nunc opus ſurgit, gravique in me mole recumbit, quod niſi ſolidis firmamentiis emuniverim, parum hactenus effeciſſe videri poſſim.

Evincendum videlicet, ut purum ac genuinum illum *Linguæ primævæ*, *Linguæ* etiam *Hebrææ*, genium, in principiis, & Originibus rerum ſuarum hauſit Arabia, ſic in longo ſeculorum decurſu, volubilique Linguarum inconſtantia, conſtantiſſime retinere; & ad *Muhammedis* usque tempora propagare potuiſſe: tunc enim id cepit firmitatis ac ſtabilimenti, quod nulla ſecula concutere deinceps quiverunt.

Id primo adſpectu fidem omnem ſupergreditur. Quæ enim Lingua non fluminis in morem longius longiusque a fonte deſcendens, ſenſim ſine ſenſu puritatem ſuam amittit? Quæ lingua non exterorum commerciis ſimul, ſimul contagiis ſic adficitur, ut a ſe ipſa diſſideat & deſciſcat? Quæ lingua non aliquando ſub jugum miſſa, novas a Victore accipit leges, vel novorum colonorum immigrationibus vitiatur? Quæ denique Lingua non nativis tandem ſedibus revulſa, in exiliumque expulſa, perit? aliis & gentibus & ſonis vacuum ſolum occupantibus.

Sic utique Samaritana ſtribiligo in Regnum Iſraëliticum invecta fuit. Sic Babylonica captivitas Hebrææ Linguæ fundamenta labefactavit, donec penitus conciderit, altero per Romanos ictu admoto. Sic Ro-

Digitized by Google

ma ipſa rerum Domina, ſic Græcia, cum Linguis florentiſſimis, ulti-
ma fata ſenſere.

Enimvero Syrtes agnoſco, & ſcopulos, unde cymbulæ noſtræ in medio curſu naufragium imminere videtur. Clavum tamen e manibus non dimitto; ſed medias cautes enavigans portum illæſus capere conabor.

Demonſtrabo *Linguam* tam felicibus auſpiciis in Arabiæ penetralia, abditosque receſſus, introductam, primo per *Jectanum Heberidam*, deinde per *Iſmaëlem Abramidam*, parum admodum a primigenia ſua ſtirpe deflectere potuiſſe, atque ad ſimilitudinem arboris generoſæ, generoſum comprehendiſſe agrum, in quo nativum ſemper vigorem ac colorem obtinere, ſeculaque omnia edurare, valuerit.

Hoc, grande forſan Paradoxum, ut adſtruam, præmittam id, quod in *Lingua Hebræa* uſu eveniſſe, communis agnoſcit ſententia.

Floruit illa, eodemque ferme in habitu perſeveravit, ultra tria millia annorum, antediluviana quoque ſecula computando, quo longiſſimo temporum tractu tam parum ſenſit mutationis, ut eandem ſub *Eſechiele* & *Jeremia* faciem præferat, quam ſub *Moſe* gerebat, quamque adeo inde a primordiis ſuis poſſidebat.

Quid cauſæ? Haud dubie quod rara cum exteris commercia coluerint Hebræi, & a ceteris fere populis ſecluſi vixerint. Accedebat Religio, & ſumma illa, qua gentis ſuæ Conditores, Patriarchas, proſequebantur, veneratio.

In Ægypti gravi, & longinqua, illa ſervitute, jam tum debuiſſet *Lingua* Iſraëlitarum degenerare, niſi ſeparata veluti, in Goſenis arvis, Reſpublica, Patriique nominis, & ſermonis, amor, eam conſervaſſet.

In terra Sancta deinceps externa ſæpe arma, externa ſubiit juga, nec tamen diuturna.

Ergo ſemper ſeſe e cladibus relevare, atque a contagione vindicare valuit, donec per calamitatem Babylonicam a fundamentis labare cœpit, ac tandem ultimam traxit ruinam.

Fingamus interim Terram Sanctam nunquam externis armis jugisque tentatam, nunquam peregrinis exercitibus inundatam, nunquam ſedibus convulſam atque emotam; Ecquis paradoxa ſonaret, qui cauſis magnarum mutationum remotis, *Hebræam Linguam* ad noſtra usque tempora ibi perdurare potuiſſe adſeveraret, in eadem ferme integritate,

co-

Digitized by Google

eodemque in vigore nativo, quem primigenia ſtirps atque origo ei inſeverat.

Planiſſume hac in conditione verſatur Lingua *Jectanidarum*, *Abramidarumque*, in *Arabiæ* ſinus interiores ſemel feliciter intromiſſa.

Senſit illa quidem ſuas quaſdam vices, atque novationes, circa corticem hærentes, nec quicquam de medulla delibantes.

Satis magna etiam detrimenta perſenſit, in vocabulis deperditis, Radicumque ſimul ac Ramorum haud exiguam fecit jacturam, quum *Alchalilo* Lexicographorum Patri ſi id accredimus, Vaſtiſſimo ambitu olim continuerit duodecies millies mille, trecenties quinquies mille, quadraginta duodecim voces.

Quod tamen de Veteri Opulentia ſupereſt, & ſupereſt *Oceanus*, ſupereſt *immenſa* quædam *ſylva* atque *materia*; id a primæva ſcaturigine non multum diffluxiſſe, neque ab indole illa ingenua degeneraviſſe, magnis rationum ponderibus atque momentis vinci poſſe videtur.

Ac primo quidem oculos conjici velim in admirabilem illum ſitum *Peninſulæ Arabicæ*, a reliquo orbe terrarum firmiſſimis clauſtris diſſociatæ, Naturæque ipſius manu, hinc maribus infidis, illinc omni fluctu mobilioribus arenis, ſic diſſeptæ, ut illa thuris myrrhæque beata mater, illa aromatum terra nutricia, tanquam ſecretiſſimus aliquis Hortus Edenis, ſeſe exteris omnibus inacceſſam, atque inviolabilem, merito glorietur: cujus profecto meditullium nec Veteribus unquam ſatis exploratum fuit, nec noſtris adeo ſeculis, quibus novi quoque orbes patuere, perluſtratum eſt, atque introſpectum.

Quicquid ibi Commerciorum & olim exercitum, & etiamnum exercetur, extimas tantum oras circumlambit, nec ad interiora unquam ſeſe penetrare potuit.

Ergo quæ ſemel ibi fidas, altaſque, radices egit Lingua primæva, Lingua antediluviana, ampliſſimoſque ramos fœcundo in ſolo explicuit, nulla ne aura quidem externæ contagionis adflari, nedum adulterari atque corrumpi potuit.

Hoc ipſum, ſecundo, evidentius adhuc omnium in oculis defiget mos conſtans *Arabum* illorum *Eudæmonum*, inde ab ultima memoria ipſis commendatus, ut quicquid peregrinorum, Indorum verbi gratia, aliorumve, ſedem inter ipſos figit, interiusve permeat, commerciorum cauſa, iis omnibus omni feminarum uſu, connubioque, interdicant, ut ita nihil peregrinitatis inter eos inoleſcat, generoſumque illum tum ſangui-

Digitized by Google

guinem, tum ſermonem, quo caput ſupra nubes tollunt, inficiat.

Tertio palmarium præbet argumentum perpetua illa, & nunquam interrupta *Tabbaorum*, ſive *Regum Jectanidarum*, ſucceſſio, quam Arabiæ Felicis monumenta, inde a primis Originibus, deducunt ad tempora fere *Muhammedis*, in cujus annum natalem incidit celebris illa expeditio *Abrabæ Al-Asbram* ſive *Cicatricoſi*, aut *fiſſo naſo præditi*, qui & صاحب الفيل *Dominus elephanti*, quod vægrandi vectus Elephanto, magno comitante exercitu, *Caabam Meccanam* ſuſceperat deſtruendam.

Hic *Abraba* tum tempeſtatis nomine *Alnasjoſcbi*, ſive *Neguſi*, id eſt *Æthiopum imperatoris*, Arabiam felicem procurabat, *Regno Homeritarum* paulo ante ab Habeſſinis extincto, quod ذو جدن *Dſu Sjadan*, ultimus ſtirpis *Jectanidarum* Chriſtianum ſub ſua ditione nomen ferro, flammaque, evaſtaret.

Hi ſunt illi *Homeritæ*, ab *Homeir*, filio *Saba*, ſic appellati, qui & *Sabæi* alias dicti, quorum ſub poſteriore illo titulo frequens eſt mentio in Sacris, tanquam *auro* & *aromatibus opulentorum*, quin imo quorum *Reginam*, *Belkis* vocant Arabes, *Salomonis ſama excitarit*, ad ſapientiam ejus *Arabicis* ſuis *ænigmatibus* explorandam: unde mihi, ut id in tranſitu ſubmoneam, haud leve naſcitur documentum, ad *Hebræi Arabicique ſermonis ſummam Convenientiam* demonſtrandam.

Eorundem & ſub *Sabæorum*, & ſub *Homeritarum*, nomine Hiſtoria meminit profana, tanquam gentis opulentæ ſimul & præpotentis: cui nullus unquam Victor Victricia late circumferens arma, ſervitutis jugum imprimere potuerit: invictis illis naturæ propugnaculis videlicet, quibus circumcincta eſt Jemanenſis Regio omnem peregrinam vim eludentibus.

Utique nec *Aſſyrii*, nec *Babylonii*, nec *Perſæ*, nec *Macedones*, nec ipſi adeo *Romani*, unquam huc penetrarunt, quantumvis ambitioſus ille *Magni Pompeji* animus arderet, Syria omni perdomita, Felices haſce ſedes ſubjugare, Romanumque imperium Oceano Indico terminare.

Luculentum hanc in rem eſt teſtimonium *Plinii* H. N. L. 6. *cap.* 28, ubi perluſtrata Arabiæ peninſula, addit, „ Romana arma ſolus in eam „ terram adhuc intulit *Ælius Gallus* ex equeſtri ordine. Nam C. „ *Cæſar*, *Auguſti* Filius, proſpexit tantum *Arabiam*. *Gallus* oppi„ da diruit, non nominata ab auctoribus, qui ante ſcripſerunt. Recenſet

cenſet deinde ſex, ſeptemve, ignobilia nomina, excepta *Mariaba*, urbe regia; itemque *Caripeta*, quo longiſſime proceſſerit. Cetera, interiorem ſitum ſpectantia, ait Gallum explorata retuliſſe. „ Numeroſiſſi„ mos eſſe *Homeritas*, *Minæis* fertiles agros palmetis, arbuſtisque. „ *Chatramotitas* armis præſtare. *Sabæos* ditiſſimos ſylvarum fertilitate „ odorifera &c. &c. &c.

Subnectit deinde, quod ſilentio præterire non poſſum, „ apud haſce „ gentes ſubſidere maxime opes *Romanorum*, *Parthorumque*, venden„ tes quidem quæ e maribus, ſylvisque, ſuis capiant, ſed nihil invicem „ redimentes.

Inæqualem cernitis conditionem commerciorum, *Arabiæque Felicis* Dominos nec *Romanæ* potentiæ hinc, nec *Parthicæ* illinc, faſces ſubmittere coactos, ſed utriusque potius imperii Spolia ad ſe convehentes.

Aliud adhuc documentum illuſtre præbet idem Naturalis Hiſtoriæ promus condus. L. XII. C. XIV. ubi Thuriferam Regionem ita deſcribit, ut nihil in toto orbe ſecluſius cogitari queat. „ Thura, in„ quit præter *Arabiam*, nullis; ac ne *Arabiæ* quidem univerſæ. In „ medio ejus fere ſunt *Atramitæ*, pagus *Sabæorum*. Caput regni „ *Sabota*, in monte excelſo, a quo octo manſionibus diſtat regio eo„ rum thurifera, *Saba* appellata, quod ſignificare *Græci* myſterium „ dicunt, undique *rupibus invia*, & a dextra *maris ſcopulis inacceſ„ ſa*. Attingunt *Minæi*, pagus alius, per quos thus evehitur uno „ tramite anguſto. Nec præterea Arabum alii thuris arborem vident; „ ac ne horum quidem omnes. Nec arboris ipſius quæ ſit facies con„ ſtat. Res in *Arabia* geſſimus, & *Romana* arma in magnam ejus „ partem penetravere: C. etiam *Cæſar Auguſti* Filius, inde gloriam „ petiit, nec tamen ab ullo, quod equidem ſciam, *Latino*, arborum „ etiam tradita eſt facies: *Græcorum* exempla variant.

Apparet profecto, ne oculos quidem Romanos, nedum vim ac arma, illuc penetrare potuiſſe, quum nullus *Latinorum* thuriferam arborem unquam adſpexerit.

Plenum quoque & grave teſtimonium *Diodori Siculi* L. 2. *Bibliotb.* p. m. 64. „ Gens *Arabum* libertatis perpetuo amans eſt, nec ullo „ pacto extraneum principem tolerat. Ideo nec *Perſarum*, nec *Ma„ cedonum* poſtea, Reges, quamvis potentiſſimi, nationem hanc ſubigere valuerunt. *Arabia* enim, quod partim deſerta ſit, partim a-

„ quis defecta, occultisque puteis, quos indigenæ tantum norunt, in-
„ tercepta, ab externis militum copiis non poteſt expugnari.

Rationem auditis ſane quam ſolidiſſimam, quæ ut ſemper invictam, ſemper intactam, illam Regionem præſtitit, ita etiamnum omnem externam potentiam cervicibus *Jemanenſium* depellit.

Aliud adhuc documentum ejuſdem *Diodori* proferendum mihi eſt, luceque aliqua ex Hiſtoria Arabica adficiendum, ut ad eam inde viciſſim haud pœnitendus fructus redibit. Is L. 3. *Bibl.* p. 126. *Sabæorum* viridaria circumluſtrans, & graphice pingens, ſubnectit, Βασιλέας δ᾽ ἐκ γένους ἔχουσι τοὺς Διαδεχομένους. Vertitur, *Reges ſucceſſione gentili imperant.* Non male, nec tamen per omnia bene, major enim vis & emphaſis reſidet penes τοὺς Διαδεχομένους, qui repræſentant & exprimunt titulum *Tobbaorum*, circumdari ſolitum Regibus *Sabæorum* e gente *Jectanidea* oriundis. *Tobbao* enim, تُبَّعٌ, διάδοχον, διαδεχόμενον, *ſucceſſorem* deſignat Arabice, a themate تبع *ſecutus eſt*, *ſucceſſit.* Jam vero diſertim teſtantur Philologi Arabum, *Tobbaorum* appellatione inſignitos tantum fuiſſe antiquos illos, & præpotentes, Reges, qui *Hadramaut*, *Saba*, & *Himjar* perpetua ſerie poſſederunt; id eſt *Jectanidas.* Inſtar omnium nobis nunc erit *Abulpharagius* in *Hiſtoria Dynaſtiarum.* „ Regnum *Arabum*, inquit, ante
„ *Muhammedem* fuit penes Tribus *Kebtan*, ſive *Jectan*, præcipuaque
„ Regum Familia apud *Himjarenſes*, Homeritas, *e quibus fuere* الملوك السادة الجبابرة المتتابعة id Cl. *Pocockius* reddidit, *Reges*, *Domini*, *Tyranni*, & *Tobbai;* in quatuor membra diſſecto eo, quod uno continenti filo fuerat enunciandum, *E quibus fuere Reges late Domini*, *late potentes*, *ſibi invicem longa ſerie ſuccedentes titulo Tobbaorum.*

Hi haud dubie ſunt Διαδεχόμενοι *Diodori*, & quidem ἐκ γένους, quia videlicet illa Regnatrix domus *Jectanidarum* habebatur ſacroſancta, haud ſecus ac *Muhammedis ſucceſſores* deinde titulo *Chaliphårum* conſecrati fuere.

Illuc pertinet, quod ibidem attexitur in *Bibliotb. Hiſtorica*, „ Eſſe
„ quidem eos abſolutiſſimos Dominos, qui nemini geſtorum rationem
„ reddere cogantur, ſed tamen captivos quodammodo attineri, quip-
„ pe quibus Regia, deliciis circumfluente, nunquam pedem efferre
„ liceat, veteri Oraculo lapidibus obruendum decernente, qui id face-
„ re ſuſtinuiſſet.

Se-

Sequuntur ibidem, quæ me ab hoc excurſu in viam reducent, *Sabæos* illos, quum per omnium ſeculorum memoriam propter diſtantiam locorum, τὸν ἐκτοπισμὸν, *terris exemtum ſitum* diceret *Plinius*, in nullius unquam Victoris poteſtatem devenerint, auro argentoque ἐπικλύζεσθαι, *inundari*, ac præſertim ἐν Σαγύαις, ubi Regia ipſis ſedes. Nodum nectit illud ἐν Σαγίαις, malletque Cl. *Rhodomannus* ἐν Σάβαις: ſed Σαγύαι vel Σαγγύαι exhibere videntur صنعاء اليمن *Sangao Jemanenſium* celebratiſſimam Metropolin, *Damaſco* magnitudine & magnificentia parem, *Uzal* veteri nomine dictam, a primo conditore *Jectani* filio, cujus filius traditur *Sangao*, qui alteri iſti appellationi anſam dederit.

Pergit porro *Diodorus*, „ Omnia ibi ſupra fidem ſumtuoſa: porticus domuum & templorum partim deauratas, partim argenteas, in capitellis effigies ſuſtinere. Laquearia, valvas, precioſis lapillis diſtingui. Incredibilem eſſe reliquam magnificentiam gentis, per longas ætates illibatam & illabefactam felicitatem obtinentis, & procul diſſitæ atque diſcluſæ ab omnibus, qui alienas opes avare inhiant. "

Si ergo, id quod nunc fidem ſuperare amplius non videbitur, ſub ſceptro *Jectanidarum*, antiquam ſemper libertatem & gloriam conſervavit ſecluſiſſimus hic terrarum angulus, per tria fere millia annorum; ſi ſaltem nullis peregrinis armis exercitibusque fuit peragratus; ſi nulli gentium domitori edomitus, ſub jugumque miſſus; multo minus ſedibus ſuis emotus, excuſſus, evolutus: quid quæſo aliud relinquitur ad concludendum, quam ceſſante omni cauſa degenerantis a ſua ſtirpe ſermonis, *Linguam Arabicam* integram intaminatamque perſeverare potuiſſe, quin imo debuiſſe.

Quod enim attinet ad invaſionem illam *Habeſſinorum*, qua ſeculo ſexto, paulo ante *Muhammedis* exortum, *Homeritarum* ſive *Sabæorum* imperium everſum fuit, ea ne minimum quidem hic momentum facere poteſt; tum quod *Æthiopes*, & ipſi *Jectanidarum* propago, *Arabice*, vel dicam *Hebraice*, loquerentur tunc tempeſtatis; tum quod per præſides ex Arabum natione creandos provinciam iſtam rexerint ad breve tempus: tum denique quod jugo mox excuſſo *Muhammedes* ipſe novæ potentiæ jecerit fundamenta, cum qua ad ſummum Majeſtatis faſtigium, ut gens, ſic lingua *Arabica* ſeſe extulit, atque potentiore adhuc vinculo Religionis florentiſſima Orbis imperia ita ſibi obſtrinxit, ut Arabice calle-

lere cultus Divini proram ſere conſtituerit & puppim, ejus Linguæ religioſiſſima reverentia omnibus *Muhammedanis* cum lacte matris inſtillata, ſic ut magna conſenſione ac conſpiratione acerrimorum ſtudiorum, undique terrarum ac gentium, concurſum ſit, ad *Linguæ Arabicæ* adyta ex vetuſtiſſimis monumentis reſeranda, omneſque ejus priſcas dotes, proprietates, divitias, clariſſima in luce collocandas.

Longo equidem ſermone detenti, & delaſſati, A. H. ſuſpiratis ad finem, ex oreque meo ſolenne illud *Dixi* anhelatis. Nec tamen *Dixi*. Eloquar an ſileam! Longe, longeque, ſpatioſior campus mihi reſtat emetiendus: Tres *externas* tantum *Cauſas* ſemet tuentis ſemper, nativoque in honore ſuſtinentis, Linguæ Arabicæ Vobis explicui; quum *interiores* mihi *Cauſæ* ac *Venæ*, indelibatæ illius integritatis, multo plures & uberiores adhuc ſcaturiant. Iis autem recluſis ac deductis, tum enimvero ſupereſt, quod vel omnibus illis Copiis quas promſi, & promam, mihi ademtis, eluſisve, ſolum, atque in ſolidum, omnem dubitationem poſſit profligare, mihique, vel potius *Veritati*, & *Luci* illi, quam Hebræa Lingua in bene multis deſiderat, victoriam deſponſare.

Contremuiſtis, credo, A. H. & gelidus manat per membra ſudor, quippe quibus longa adhuc tædia erunt devoranda, ſi quod comminor, exequar.

Sed aquulam vobis obſipabo; Veſtram mihi gratiam, ex qua totus excidi hiſce minaciis, quantocyus iterum redimam, communique voluptatis, quam Finis vobis adferet, ſenſu, reconciliabo. Ergo igitur, etiamſi nondum *Dixi*, ac forte ne ad dimidium quidem *Dixi*, tamen bona fide nunc dicam

D I X I.

A L-

Digitized by Google

ALBERTI SCHULTENS
O R A T I O
A L T E R A
D E
LINGUAE ARABICAE
ANTIQUISSIMA ORIGINE, INTIMA AC SORORIA CUM LINGUA HEBRAEA COGNATIONE, NULLISQUE SECULIS PRAEFLORATA PURITATE.
H A B I T A

A. D. 20. *Junii* A. MDCCXXXII.

Quum Ordinariam L. L. Orientalium profeſſionem in Illuſtri Batavorum Academia quæ Lugduni eſt, Auſpicaretur.

Digitized by Google

Digitized by Google

ORATIO
SECUNDA
DE
LINGUAE ARABICAE
ANTIQUISSIMA ORIGINE,
INTIMA CUM HEBRAEA LINGUA CONSANGUINITATE, NULLISQUE SECULIS PRAEFLORATA PURITATE.

I. *Academiæ hujus Rector Magnifice.*
II. *Perilluſtres ac Generoſi Academiæ Curatores, Patriæ Veſtræ Patres, & Sapientiſſima Columina.*
III. *Quique Illuſtriſſimo Collegio ab Actis es & Secretis Vir Nobiliſſime, Graviſſime.*
IV. *Celeberrima omnium Doctrinarum, Scientiarum, Artiumque ac Literarum Humaniorum Profeſſores, Orbis Literati magna Decora & Ornamenta.*
V. *Qui Tribunalis Academici Acta ac Secreta conſignas Vir Nobiliſſime, Spectatiſſime.*
VI. *Oraculorum Cæleſtium Interpretes facundiſſimi, plurimum Venerandi.*
VII. *Doctores quacunque Eruditionis Laurea Conſpicui, Commendabiles.*
VIII. *Muſis ſacrata Pectora, flos bonosque ad præclara quæque ſuccreſcentis juventutis.*
IX. *Cives, Hoſpites, ſuo quisque Ordine graduque ſpectabiles.*

INTER munera, quibus orbis Eous, a divite Natura auctus, ſuperbit, caput magnifice effert Nobilis illa, ac vere Princeps inter Arbores, *Palma Dactylifera:* ſive pulchritudinem, & ſpecioſiſſimum ſtirpis, comæque, decus; ſive vivaciſſimam ſeculorumque contemtricem longævitatem; ſive lætiſſimum lautiſſimumque florum, fructuumque, pro-

ventum, atque ut ſic dicam annonam; ſive denique incredibilem ad omne vitæ inſtrumentum, commodumque, opportunitatem lubeat contemplari.

Sexus præterea mirificum illud diſcrimen, quod omnibus, quæ terræ gremium fundit, fovetque, ſtirpibus ingeneratum eſſe, Tam dulcis, tam limpida, heſterni carminis Muſa deducebat, nulla in arbore cum manifeſtius, tum admirabilius, elucet.

Etenim ut alia ſtupenda generis maſculi, fæmineique, conjugaliſque adeo nexus, quo hæ arbores inter ſe conſociatæ ſunt, indicia atque documenta mittam, admirationem commoveat neceſſe eſt grande illud ac potens Naturæ Genitricis arcanum, quod niſi *Maſculæ Palmæ* floribus adflentur, pollineque eorum ſeminali conſpergantur, *Palmæ Fæmellæ*, omnis earum fœcunditas ſterileſcat, atque Dactylorum melligeni illi fœtus, quinta Nectaris parte imbuti, maturitatis exſortes, abortivo defluxu Matribus excidant, hiantemque colonum ludant.

Cum his Orientalis Soli Cœlique Alumnis; dulciſſimo inter ſe connubio devinctis, ſubit animum contendere, atque comparare, geminas, germanaſque, Orientis Linguas, quæ Muneris, quod in hac ſplendidiſſima panegyri capeſſo, proram conſtituunt atque puppim: *Hebræam* dico atque *Arabicam*.

Hæ multis magniſque nominibus principatum ſibi quendam inter Linguas vindicant, atque Palmarum ad inſtar caput exſertant.

Hebrææ, quæ ſalutaris Doctrinæ dulciſſimos copioſiſſimoſque fructus nobis profundit, *Palmæ Femellæ* ſimilitudinem circumdo.

Arabicæ vero imaginem adapto *Palmæ Maſculæ*, quippe cujus *flore* vegeto, ac *polline* fœcundo, adflata, atque adſperſa, *Hebræa* Mater, in ſpathiſque ſuis gravidata veluti, multo prægnantiores uberioreſque ſenſus, e ſacratiſſimo Verbo, Cultoribus ſuis reddet, fructuſque maturioris mellea dulcedine eoſdem commulcebit.

Scilicet tanta eſt harum Linguarum non vicinitas, non affinitas, ſed conſanguinitas, ſed Connubialis communitas, unitaſque, ut brachia ſibi mutuo tendant, opemque præſentiſſimam ferre geſtiant, quippe quæ iiſdem nixæ radicibus, ejuſdem Genii, ingeniique, participes, unius ſermonis geminam tantum conſtituant Dialectum, inter quas haud plus diſcriminis, ac divergii, intercedit, quam quod in corpore ſermonis *Græci* Dialectum *Atticam Jonicamque* diſcriminat.

Hoc certiſſimo principio ducti *Rabbini*, qui in Lingua patria ab oblivione revocanda deſudarunt, quam plurimis vocabulis intermor-

tuis,

tuis, beneficio Linguæ *Arabicæ*, Vitam reddiderunt, hoc eſt ſignificationes ipſis ſuas reſtituerunt.

E noſtris deinceps Viri principes, *Arabicæ* Literaturæ inſtrumento copioſius ſubornati, ſuccinctique, multo quoque efficaciorem curam, ac culturam, languenti in multis *Hebraicæ* Arbori admoverunt, atque novum quoddam robur, novum vigorem, honoremque, *ſtirpi*, *ramis*, *frondibus*, *fructibus*, univerſæque adeo *Materiæ*, qua ſe late explicat, atque diffundit, indiderunt.

Hæc methodus, quum reliqua fere adminicula exhauſta ſint, ac conſumta, quicquid adhuc ad Linguæ *Hebrææ* ſcientiam percolendam, perpoliendamque, deſideratur, & deſideratur profecto multum, largiter ſufficere, atque ſubminiſtrare, valet.

Ea ut omnibus quam commendatiſſima ſit, atque præſertim Literarum ſacrarum Studioſis ſeſe inſinuet, ad magna Magnorum Virorum veſtigia mecum perſequenda, præjudicatæ cuidam opinioni occurrendum eſſe video, quæ ut facillime obrepere potuit, ita vehementer irroboraſſe, nunc quidem, apud quam plurimos, videtur, *Dialectum Arabicam* & multo recentiorem eſſe *Hebrææ*, & multum a priſtina puritate deſciviſſe: ac proinde tantam cum auctoritatem, tum utilitatem, atque *influentiam*, per ſtirpis *Hebraicæ* venas medullasque dimanantem, immerito ei arrogari.

Hanc ſiniſtram ſuſpicionem, qua *Palma* noſtra *Arabica* prægravatur, niſi diſcutiat, indeque Victrix ſeſe emergat, fruſtra *Sorori* ſimul *Conjugique* ſuæ *ſpadices* porriget *Maſculo flore* turgentes, ditioremque ei meſſem pollicentes, ſi ſe vegetabili iſta aura *tangi*, *animari*, *uberari*, patiatur.

Eum in finem ante triennium in *Friſiorum* Illuſtri Academia adhuc verſans, *Oratiunculam* habui *de Linguæ Arabicæ Antiquiſſima Origine*, *intima ac ſororia cum Hebræorum Dialecto cognatione*, *nulliſque ſeculis præflorata puritate.*

In ea oſtenſum, *Hebero*, unde *Hebræis* & nomen ductum & genus, duos fuiſſe filios, majorem natu *Phalegum*, tempore ſciſſarum ad *Babelem* Linguarum in lucem editum; & minore natu *Joktanum*, poſt confuſionem demum iſtam procreatum: qui ambo in parentis *Heberi* ſinu, domoque, *Unam* haud dubie *Linguam* imbiberint, deinceps in *duas Dialectos* abituram, *Hebraicam alteram*, a *Phalego* tranſmiſſam ad *Abrahamum*, ejusque poſteritatem: *alteram Arabicam*, cum *Joktani* numeroſiſſima familia in *Arabiæ Felicis* ſedes ſecluſi-

ſimas immiſſam: ubi poſtquam ſemel radices egiſſet generoſiſſima hæcce *Palma*, nunquam degenerarit, ſed ad Tempora usque *Muhammedis* in integritate ſua perſeverare non potuerit ſolum, ſed & debuerit, *noviſque mox Religionis* ac *potentiæ Muhammedicæ firmamentis fulta* conſtanter *perſeveret.*

Illius illibatæ integritatis, ad *Muhammedis* usque exortum, tres attuli *Cauſas*, quas vocavi *Externas.*

Prima erat, exteris *inacceſſus* ille *ſitus peninſulæ Arabicæ*, ad cujus meditullium nec *commercia*, nec *connubia*, alienigenarum, unquam penetrarint, quibus Linguæ ſenſim ſine ſenſu contagionem trahunt.

Secunda, quod ſeductiſſimo in receſſu ſuo mei *Arabes Eudæmones* nullius præpotentis imperii Victricia ſenſerint arma, nec ſub jugum miſſi unquam a gentium domitoribus, multo minus ſedibus ſuis expulſi fuerint: quibus fatis ferme fundamenta quoque Linguarum labefactari, ac convelli, ſolent.

Tertia, quod a *Joctanidis* fundatum in *Arabiæ* centro Regnum, ejusdem Regnatricis Domus auſpiciis feliciſſimis ter millenos, circiter, annos edurarit, atque ſeculo demum ſexto Æræ Chriſtianæ, invaſione *Habeſſinorum* fuerit ſubverſum: quæ ſtabiliſſimæ opes conditorum gentis *Arabicæ*, ingens ſimul ſtabilimentum Linguæ eorum gentilitiæ præſtiterint.

Submonui tunc, *ſtabilitatis ejusdem*, *integritatisque intemeratæ*, omnem adulterationem a ſe aſpernantis, *interiores* quoque *Cauſas*, ac *Rationes*, compluſculas mihi præſto eſſe, quas commodiori occaſioni reſervandas cenſerem.

Ea nunc occaſio auſpicatiſſime mihi adfulſit, quum tale videatur hocce argumentum, ut ex media Literarum Orientalium profeſſione, quam ſolennitas hæcce mihi imponit, veluti efflorescat, neque omnino abhorreat ab auribus hujus Literatæ Coronæ: quas hac conditione vacivas, facilesque, mihi commodari velim A. H. ſi quæ dicenda habeo, breviſſimis ſpatiis decucurrero, potiusque aliquid ex meditatis amputaro, quam patientiæ Veſtræ gravis incubuero.

Inter Cauſas interiores mirabilis illius *Conſtantiæ*, qua *Dialectus Arabica*, ſui ſemper ſimilis, tempus cuncta vincens evicit, atque a primigenia ſua indole nunquam degeneravit, Principem locum occupat opinio, altiſſimis radicibus in *Arabum* mentibus defixa, *Linguam* ipſorum eſſe omnium *Antiquiſſimam*, ipſis Mundi natalibus æqualem, atque Humani generis progenitori divinitus infuſam. Eandem fuiſſe gentis *Hebrææ* gloriationem quis ignorat? Sunt

Digitized by Google

Sunt Capitalia in Orbe Literato ingenia, quibus Ridiculariam eſſe & imaginationem, & Litem, hancce viſum, quum ſecundum ipſorum ſententiam Lingua primæva toto, quod ajunt, Cœlo ab omnibus in univerſum Linguis diſcreparit, neque cum Dialecto vel *Hebræa*, vel *Arabica*, quicquam magis commune habuerit, quam vel *Græcus*, vel *Latius*, vel *Belgicus*, vel alius quicumque cognitus nobis, ſermo.

Id etiam ſi liberalis concederem, nihil argumento, quod ex opinione tantum *Arabibus* inſita, primoque cum lacte indita, nectam, derogaretur.

Securius tamen, fidentiusque, id aſſeverari video, quam ſolidis fundamentis conſtabiliri: quamque magis ad hanc quæſtionem commeditor, tam magis adducor ad credendum, iſtam Linguam *Autediluvianam*, a *Poſtdiluvianis* omnibus tanto opere, & *facie*, & *forma*, diſſidentem, atque ex toto deperditam, merum eſſe ſuaviludium, atque ingenioſis e cerebris, ut Jovis e capite Minervam, proſiluiſſe.

Calculum proinde receptiſſimæ adjiciens ſententiæ, ſtatuo, eandem ferme Linguam ante Diluvium tenuiſſe, quæ deinceps *Hebraicæ* nomen ab *Hebero*, ejus ad *Abrahamidas* propagatore, invenit.

Neque tamen *Hebræis*, in hac contentione de principatu Linguarum, Palmam ita in ſolidum adjudico, ut nulla Laureæ iſtius particula *Arabibus* relinquatur: nam quemadmodum ſupra jam inſinuatum, alioque ſermone copioſius declaratum eſt, *Dialectus Arabum* ex *Heberi* quoque domo profecta, atque per *Joctanum Arabiæ Felicis* conditorem propagata, ut *Hebraica* per *Phalegum*, eandem, jure Natalium, hæreditatis portionem cernere, atque adire, debuit e Lingua primæva, quam *Hebræi* adierunt: ita ut quicquid ex *Antediluviani Sermonis* fontibus defluxerit ab *Hebero* per *Phalegum* ad gentem *Hebraicam*, id ab eodem *Hebero* per *Joctanum* ad gentem *Arabicam* derivatum, atque transfuſum, fuerit.

Si itaque *Peninſulani* mei, *Arabiæ Felicis* ſeſſores, haud ex vano ſibi poſſeſſionem Linguæ primigeniæ obveniſſe gloriati fuere: quin imo ſi vel ex vano iſta opinatione ſemper fuere imbuti, quod mihi jam, argumenti hujus vim adſtricturo, perinde habetur: quilibet facile perſentiſcit, ingentia inde ſtudia exardeſcere debuiſſe genti, ſe ſuaque magnifice circumſpicienti, ad venerandum illud ac ſacroſanctum ipſis depoſitum, a *proſeminatoribus* pro flore delibatiſſimo humani eloquii commendatum, omni induſtria, diligentia, cura, religione cuſtodiendum, atque in Arce, tanquam lapſum Cœlo munus, Palladiumque, dedicandum.

Ex.

Ex hac Prima cauſa, Altera mihi ſubnaſcitur, haud minus gravis, ac validı, ſumma nempe ejuſdem Linguæ admiratio, qua eam *Arabes* ut Cœlo demiſſam, in Cœlum viciſſim evehunt, atque immenſum quantum ceteras Linguas antecellere prædicant: *ſive* copia ſpectetur & ubertas; *ſive* vis, nervus, robur; *ſive* flos honosque translatæ. ac luminibus diſtinctæ, Orationis, *ſive* grandiloquentia, pompa, majeſtas; *ſive* denique ſublime illud, & vibrans, quod fulminis ictu potentius ferit.

His dotibus, virtutibusque, Linguam ſuam, inſtar Solis, refulgere dictitant, ad cujus jubar præradians reliquæ omnes, velut ſidera minora, caput ſubducere cogantur.

Enimvero lubentiſſime patior, has glorias, jactantiasque, deflari, atque Philautiæ iſti imputari, qua infatuatæ ferme gentes, etiam ſapientiſſimæ, alias nationes, ut Barbaras, præ ſe abjiciunt.

Non etiam is ſum, qui Eloquentiæ Palmam *Græcis*, *Latinisque*, dereptam, *Arabum* Capiti imponere moliar.

Sed aſſeverare nullus reformido, quod ſi affluentiſſima illa, & inexhauſta, materia *Linguæ Arabicæ* contigiſſet *Græcis*, contigiſſet *Latinis*, benignius adhuc excellentibus illis Cultoribus fuiſſet reſponſura, atque illuſtriorem Eloquentiæ coronam iisdem circumdatura.

Scilicet, ut rivulos miſſos faciam, duo magni ſunt fontes, ex quibus ſummum decus, atque Regnum veluti, Eloquentiæ, ad aliquam Linguam gentemque, poteſt redundare.

Alter ſitus eſt in Vena exteriore verborum aptiſſimorum, quæ ſenſus animi ſui exprimere volenti copioſiſſime adfluant, & tanquam ex ſcaturigine exuberantiſſima ſubminiſtrentur.

Alter interiore manat Vena ingeniorum, quæ ſi & Naturæ, & Doctrina, & Artis, amiciſſima temperatura, potentiſſimaque conſenſione, fuerint fœcundata, atque animata, ad conceptas magna mente cogitationes verbis in omnem formam ſequacibus, ſententiisque ubertim ſcaturientibus, expromendas, tum enimvero effloreſcit illud decus, illud pondus, Orationis, cui ſceptrum, & Regale faſtigium, deferendum.

Jam vero uſu evenire deprehendimus, ut Lingua copioſiſſima ab ingeniis haud ſatis copioſis quandoque deſtituatur; atque ex adverſo ingenia uberrima a Lingua minus uberi fruſtrentur: de quo ipſo, quamquam invitiſſime id faciat, confitentem, deque patrii ſermonis anguſtiis, præ *Græcorum* ampliſſima copia, conquerentem Romanæ Eloquentiæ principem meminiſſe poteſtis A. H. Su-

Superantur ergo *Arabes* a *Græcis*, *Latiniſque*, illis omnia facundiæ Heroibus, & longo ſuperantur intervallo: non tamen a Lingua ſua deſtituti; ſed a ſemet ipſis; quin ne a ſemet ipſis quidem, nec *Naturalis* defectu *Venæ*; quum indoles genti inſit vivida, erecta, ardens, ad ſumma quæque adſpirans; ſed deſtituti a *Doctrinis*, *Artibusque*, quarum lumen ſerius *Arabiam* colluſtravit: quæ *Doctrinæ*, *Arteſque*, excellentiores ſi citius ipſis illuxiſſent, atque influxu ſuo felicem illam Linguæ copioſiſſimæ materiem vegetaſſent ſimul, ſimul caſtigaſſent, atque a nimia luxuria revocaſſent, profecto non ventoſas laudes ſuæ Linguæ arrogaſſe reperirentur, quum eam dotibus, virtutibusque, quas ſupra attigi, omnibus aliis præfulgere gloriantur.

Sane, ut uni nunc tantum opulentiæ, affluentiæque, inſiſtam pro ſpecimine, quamvis ultra dimidiam partem Radicalium Verborum, cum ſuis ſibi derivatis, ac propaginibus, deperditam eſſe, Critici ſubactiſſimi tradant, tamen id quod ſupereſt, *Oceani* cujuſdam, ingentes ac profundas aquas vehentis, proſpectum præbet: cujus ambitu negant a quoquam mortalium, vaſto pectore, citra Spiritus Prophetici adflatum, unquam comprehendi potuiſſe: qua inveterata gentis opinione callidiſſime rebus ſuis velificatus *Muhammedes*, Prophetæ ſibi titulum inde potiſſimum circumdedit; *Coranoque* ſuo fidem adſtruxit, quod Linguæ *Arabicæ* abditiſſimos theſauros ſibi referatos, ac Divinitus concreditos fuiſſe, ex flumine & lumine præpollentis ſui eloquii appareret.

Largior equidem, *concluſas ſufflatis follibus auras* imitari tales voculas jactabundas: eæ tamen ipſæ id, quod nunc unice intendo, mirum in modum illuſtrant, firmantque; Nullam ſcilicet vivere, Nullam vixiſſe gentem, cui Lingua patria tantum incuſſerit admirationis, ſacrique veluti horroris: quam pro cauſa efficaciſſima ſeſe ſuſtinentis, & usque ac usque nativum decus obtinentis Dialecti *Arabicæ*, peritos rerum Arbitros mecum ſcio agnituros.

Hinc anſam mihi porrigi ſentio, ad Tertium, ſemper vigeſcentis, priſcumque habitum conſtantiſſime ſervantis Linguæ hujus, fontem recludendum. Noſtri videlicet *Eudæmones*, pacatiſſimo, ac florentiſſimo, in Regno *Joctanidarum*, generoſiſſima ſua Palma ſuperbientes, in eo gloriæ ſuæ faſtigium collocarunt, ut eam inviolatam, atque a corruptelis, injuriisque temporum, intactam, ſibi ſuæque poſteritati præſtarent.

Ut hujus rationis pondus ac momentum percipiatur, vetuſtiſſima mihi replicanda memoria eſt, & priſca gentis ſtudia promenda, unde pateſcet, nullam, vel Eruditiſſimam, Linguam tanta cura excultam,

 tam

Digitized by Google

tam ſeduloque ab adulteratione defenſam fuiſſe.

Non gloriabantur, inquit *Aſſaphadius*, *antiquiſſimi Arabes*, *niſi Gladio*, *Hoſpite*, *Eloquentia*. Bellicoſiſſimi nempe, iidemque Hoſpitaliſſimi, tum demum Laudes ſuas cenſebant cumulatas, quum Sermonis patrii ſe Callentiſſimos probaſſent.

Abulpharagius in *Hiſt. Dynaſt. Arabum* mores ante *Muhammedaniſmum* brevi tabella pingens, ita nobis ſtudia eorum antiquiſſima delineavit. *Eruditio*, inquit, *Arabum*, *in qua ſeſe glorioſe jactabant*, *ſita erat in Linguæ patriæ peritia*, *& accuratiſſima inveſtigatione proprietatum Sermonis*, *cum Carminum Orationumque elaboratiſſima textura*. *Noti etiam illis erant ſiderum ortus occaſusque*, *& quam in pluviis*, *tempeſtatibusque*, *movendis*, *vim habeant*, *quantum quidem longa experientia aſſequi valuere: non autem methodo*, *per quam ſubtilior illa & vera ſcientia comparatur*. *Quod vero ad philoſophiæ doctrinam attinet*, *nihil admodum inde conceſſerat ipſis Deus*; *neque eos ad id genus ſtudiorum fecerat idoneos*.

Adjungatur hiſce, ex *Alsbareſtanio*, *Genealogiarum* gentis, *Hiſtoriarumque*, *fidelis cuſtodia*: itemque *Oneirocritice*, in ſomniorum ſatagens interpretatione.

Cernitis Eruditionis pomœria non ſane nimis ſpatioſa, neque, ullam in partem, cum ampliſſimo illo *Græciæ*, *Latiique*, omnium ſcientiarum Regno, comparanda.

Sed quanto minus altioribus diſciplinis, artibusque, avocabatur natio, Eruditæ Laudis appetentiſſima, tanto liberius, acriusque, incumbere, ſeque totam impendere, potuit in *Linguæ Patriæ* cultum, ad ejus delicias, divitiasque, ab oblivione vindicandas, ſplendidisque auctibus promovendas.

Patentiſſimus ſeſe Campus hic mihi aperiret, ad immortalia *Arabum* merita hac in parte perſequenda, demonſtrandumque, nullum in orbe terrarum oſtendi poſſe populum, ſive veterem, ſive recentiorem, in quo domeſtici ſermonis cultura, inde a primordiis, ultimaque rerum memoria, tanto ardore, tamque publico omnium concurſu, ſuſcepta, propagata, & ad ſeriſſimos Nepotes, tamquam pulcherrimum patrimonium, transdita fuerit: ſed curſum, in quem me diffuſiſſima hæc materia abriperet, refrænandum ſentio, contentus judiciis Veſtris ſagacibus hocce cauſæ meæ grande præſidium, ac firmamentum, procul proſpiciendum præbuiſſe A. H.

Deproperabo & reliqua, Quartumque non deſciſcentis a ſemet ipſa *Dia-*

Digitized by Google

Dialecti Arabicæ fundamentum expediam: in eo poſitum, quod quum aliæ gentes, *ſive* levitate, & inconſtantia, impulſæ, *ſive* gratia novitatis, varietatisque, illectæ, Vetera ferme ut rudia, ſcabra, rancida, abhorruerint, recentiorisque Limæ polituram ambitioſe captarint, *Peninſulani* noſtri *Jemanenſes*, a natura ad omnem gravitatem conformati, priſcorumque morum retinentiſſimi, Vetuſtum, antiquitate horridum, atque a *Romulis* ſibi ſuis, *Evandrisque* adeo, id eſt remotiſſimis tritavis, proſatoribusque, relictum dictionis genus adamarint, & quam fideliſſime recentare, ac repræſentare, allaborarint: pro adulterina moneta reprobantes quicquid non primævo illo charactere eſſet ſignatum.

Agnoſcetis iterum, A. H. locum ſane quam ſpatioſiſſimum, in quo exultare, ac triumphare, mea poſſet Oratio: ſed & hic memet ab impetu, quem dare paratus eram, revocare malim, vel cum aliquo actionis meæ intertrimento, quam malam Vos fatigando inire gratiam. Illud tantum verbulo ſuperaddam, ex hoc fonte eſſe derivandum, quod Lingua *Arabum*, incredibili ubertate aliarum victrix, viciſſim vincatur ab aliis, compoſitione ad unguem lævigata, atque expolita, atque, poſt tot ſecula, aſperi multum, indolatique, præferat, inſtar Roboris alicujus annoſiſſimi; vel dicam *Palmæ Vivaciſſimæ* potius, quæ quamvis tereti ſtirpis proceritate verticem attolat, ſuperbiſſimumque comæ honorem explicet, atque oſtentet, cortice tamen, vel caudice verius, impolito, veſtigiisque ac notis incrementorum, annorumque ſuorum, exaſperato, nonnihil dehoneſtatur: ea ipſa interim horrida ſcabritie in maximum commodum redundante, quod per eminulos illos ramorum veterum trunculos, tanquam per ſcanſiles gradûs, facultas ſuppeditetur in arborem celſiſſimam enitendi, jucundiſſimosque ejus fœtus decerpendi.

Hac comparatione defluere commodiſſime licet ad Quintum adminiculum, ſubſidiumque, Linguæ *Arabicæ*, in novationibus, corruptionibusque, quæ plerasque linguas impurare ſolent, reſpuendis, limpidaque primævæ ſuæ Venæ puritate retentanda.

Hoc ſitum eſt in accuratiſſima illa perveſtigatione, obſervationeque, proprietatum ſermonis, quam ſupra *Abulpharagius* Eruditionis in *Arabia* olim vigentis præcipuam, unicamque ferme, materiam effeciſſe adfirmabat.

Scilicet noſtri *Jemanenſes*, longo ſeculorum decurſu, ſeveriorum doctrinarum, curarumque, expertes, ſummum Literatæ gloriæ culmen collocabant in Originibus Verborum indagandis, Radicumque primigenia indole, ac poteſtate, ex tenebris eruenda, ut ad illam lu-

cem nativus Linguæ Genius ſemet intaminatum tueretur, atque ſplendoris, dignitatisque, caperet incrementa.

Hunc ſcopum ſibi præfixum habebant Poëtæ, habebant Oratores; quorum ut Divinus honos, ita maximus ſemper proventus in *Arabia* extitiſſe traditur; qui ad Gentis ſolenniores Panegyres, celebrioresque mercatus, confluere ſolebant, atque Orationibus, Carminibusque, de principatu ingenii, Literarumque, inter ſe decertare: in quibus gloriæ theatris illi admirationem, applauſumque, præcipuum auferebant, qui cum affluentia, potentiaque, Linguæ patriæ, antiquisſimam ejus indolem quam felicisſime expresſiſſent, atque fugientes Verborum proprietates, cum accesſione lucis ac gratiæ, recenti iterum memoriæ tradere, ac commendare, valuiſſent.

In *Græcia* Veteri, quum Ludorum ſolennium Celebritates florerent, prope majus, ac glorioſius, habitum fuit, *Olympiis* viciſſe, quam *Romæ* triumphali curru Capitolium ſcandiſſe, ut a *Cicerone* alicubi notatum: quo gloriæ ſtimulo, velut œſtro quodam, percuſſa univerſa Natio, in corporis, ingeniique etiam, certamina, acerrimis ſtudiis conſurrexit.

Sed nullus unquam *Olympionica* tantis laudibus in Cœlum vectus fuit, per oraque hominum volitavit, quantis *Oratores*, ac *Poëtæ*, in *Arabia* concelebrati dicam, an conſecrati fuere.

Hos *Gazophylacia* appellitabant, & *Æraria*, qui omnes theſauros Linguæ divitisſimæ capaci pectore clauſos cuſtodirent.

Hos *Cornua Copiæ*, quæ largo fluxu quicquid ad uſum, ornatumque, patrii ſermonis faceret, e beata, ac perenni, Vena profunderent.

Hos *Oracula* divinitus animata, atque inſtincta, ad florem, honoremque, excellentisſimi Eloquii quam integerrimum præſtandum: atque præclaris acceſſionibus locupletandum.

Ubi itaque in aliqua Tribu nobilitari cœpiſſet Orator, aut Poëta, in famamque ire, gratulatum concurrere vicinæ Tribus, epulas celebrare, tympana pulſare, nuptiali pompa omnia adornare, ac Felicitatem Tribus illius, lætas inter Choreas puerorum, mulierumque, decantare: Celſioribus adhuc Gloriæ Quadrigis impoſito illo Literatæ Laudis Heroë, quam quibus *Olympiorum* Victores mœnia patriarum ſuarum invehebantur.

Hæc omnia autem, quantam habeant vim, ad id, de quo diſſero, pervincendum, in omnium oculos, ſenſusque, me tacente, incurrit; ut vel ſola hæcce cauſa intemeratam, per ſecula, puritatem *Arabicæ Linguæ* potuerit vindicare, ejusque *Indolem nativam*, & *antiquiſſimam*, in recentiſſimo ſemper vigore conſervare. Quod

Quod ſi jam cunctis hiſce fidele miniſterium ſimul, ſimul firmamentum, ſcribendi non defuiſſe oſtendero, profecto complementum, ac cumulum haud pœnitendum, cauſæ hactenus deductæ, Sexto, & ultimo, loco, impoſuiſſe mihi videbor.

Divinum enim vero inventum,

Manſuram rudibus vocem ſignare figuris.

Hoc enim Orationi per ſe fluxæ, evanidæ, cumque aëre, quem verberat, dilabenti, ſtabilem perennitatem, atque, ut ſic dixerim, immortalitatem dedit. Hoc arctiſſimis cancellis a natura incluſam eandem eduxit in ampliſſima, nullisque finibus circumſcripta, ſpatia; ut ad remotiſſimam quoque poſteritatem ſeſe extendere valeret.

Orienti pulcherrimum illud munus, beneficiumque, deberi, uno ore, una agnoſcitur mente: unde *Cadmum* & *nomine*, & *origine*, *Orientalem*, eas in *Græciam* invexiſſe, etiam cirratam noſtram turbam, ſub ferula trepidantem, haud fallit.

Hic quum *Phœnicius* eſſet, *Phœnices* in magna gloria eſſe inventionis literarum annotatum *Plinio:* qui tamen arbitratur *Aſſyrios* potius iſtum honorem ſuo ſibi jure vindicare poſſe; vel & *Babylonios:* quippe qui *Epigene*, gravi inprimis auctore, nec non *Beroſo*, & *Critodemo*, teſtantibus, habuerint *Obſervationes ſiderum coctilibus laterculis inſcriptas* per longiſſimam annorum ſeriem, unde æternum literarum uſum apparere infert.

Per arduam quæſtionem, eandemque ſane quam curioſam, vela dare, eſſet a terra, & portu, quem jamjam tango, in vaſtiſſimum mare revehi.

Ad *Plinii* verba id tantum obſervare liceat, illos *Aſſyrios*, *Babyloniosve*, antiquiſſimos Literarum non inventores, ſed poſſeſſores, haud alios videri, quam *Noachidas*, qui poſt Diluvium *e montibus Ararat* in vicinas Regiones deſcenderunt, ac præſertim in Campeſtri *Babyloniæ* tractu obſervationibus Cœleſtibus ſeſe dediderunt. Cui etiam ſiderum Cœlique contemplationi adjutandæ Turrim quoque *Babylonicam* ex parte fuiſſe deſtinatam, a vero haud abhorret. Hinc porro grande hocce rerum humanarum adminiculum cum *Noachidis* diffuſum, propagatumque, eſſe per *Syriam*, *Phœniciam*, *Palæſtinam*, *Arabiam*, *Ægyptum*, non video qua ratione, aut ſpecie, in dubium poſſet revocari.

Eundem autem Literarum uſum, quidni & easdem notas, atque figuras? quas ab *Hebero* per *Phalegum* & *Abrahamum*, tanquam legitimum patrimonium, tenuit natio *Hebraica*; *Joctanidarum* quoque ab

Digitized by Google

eodem *Hebero* deſcendentem progeniem ſecum in *Arabiæ Felicis* penetrales illas ſedes intuliſſe, utique cum re ac ratione conjunctiſſimum eſt.

Saltem ſcribendi artificium, inde a Vetuſtiſſimis temporibus, ad *Arabes* quoque perveniſſe, teſtatur illud Venerandæ, canæque, Antiquitatis monumentum, Liber *Jobi*, quem longe ante *Moſem* vixiſſe, graviſſimis rationum momentis & evictum eſt a Viris Doctis, & ulterius adhuc ita pervinci poteſt, ut extra omnem aleam collocetur.

Hic *Arabs* cum *Arabibus* ſermones illos cædens, *Arabiæ* genium, mores, Linguam, ad vivum exprimentes, luculentiſſimum Literarum, jam tum inter *Arabes* vigentium, perhibet teſtimonium Cap. XIX. quum Verba ſua in Libro ſcripta, vel & in Saxo ſculpta, optat in omnium ſeculorum notitiam mitti, atque poſterorum in oculis, mentibusque, defigi.

Enimvero defixa extant illa, atque ad Innocentiæ, Virtutis, Fidei, immortalem gloriam conſignata, omnibus ſeculis admirationi ſunt, fuerunt, erunt.

Et cujus ſcriptoris, cujus tandem ſculptoris, docta artificeque manu?

Haud alia profecto quam invicti illius Athletæ, quem ex ingenti certamine triumphatorem, ut unus omnium optime potuit, ita etiam, impulſore Spiritu, hocce monumentum ære perennius exegiſſe, atque ſuomet ſtilo exaraſſe, nunquam, meo quidem judicio, dubitatum fuiſſet, ſi ad grandem illum Cothurnum, quo totus hicce Liber a Cap. III. ad finem XLI. eſt contextus, ſatis fuiſſet penetratum.

Eſt enim *Eloquentiæ Arabicæ*, per nubes, per aſtra, ſcandentis, ut ſpecimen eminentiſſimum, ita ſpeculum lucidiſſimum, quod non niſi ab homine *Arabe*, audaciſſimis Linguæ iſtius figuris innutrito, conſcribi potuiſſe. Hoc Commentarius, quem emittere meditor, ad ſingulos Verſiculos commonſtrabit: qua occaſione & id adſtruere conabor, non aliam tunc tempeſtatis fuiſſe Linguam *Jobi*, & *Amicorum*, quam ipſam illam, quæ nobis diſputationum inter ipſos reciprocatarum ſeriem, tanta tum opulentia, tum potentia, grandiſoni eloquii etiamnum in ſacro Codice exhibet legendam: diſcrepantem quidem illam paululum a facie *Linguæ Arabicæ*, ſed ita diſcrepantem, ut gemellæ Sororis lineamenta quam ſimillima recognoſcas, pendulusque hæreas, diverſamne eam, an planiſſime eandem, debeas pronunciare.

Cernitis A. H. primas tantum lineas ardui moliminis, quod Coronidem imponere debet ſuperioribus, quas pertexui, rationibus: unde quam longiſſimus ſane rerum ordo Vobis mecum exſudandus exoriretur, ſi ex Carceribus hiſce me laxatis effunderem habenis, atque in novum curriculum promicarem, quod ſe per omnia Literarum vel Veſtigia

ſtigia ac rudera deleta, vel monumenta viva & hodiedum exſtantia, quæ *Arabia* mihi ſuppeditare poſſet, longe lateque diffundit.

Sed Nos immenſum ſpatiis confecimus æquor:

Et jam tempus equûm fumantia ſolvere colla.

Quod tamen Officii Veſtræ fulgor præſentiæ mihi injungit, Perilluſtres Generoſique Viri, qui Rem Publicam, qui Rem Academicam ſplendidiſſime Curatis, id ſumma cum Reverentia Vobis a me exhiberi, ſub oculis Coronæ hujus frequentiſſimæ, haud, ſpero, dedignabimini.

Quam validis, quam arctis, quam potentibus, dicam vinculis me Vobis obſtrinxeritis, ut Vos optime noſtis, ſic ego intime perſentiſco.

Magnis cum curis conjuncta præmia, beneficia, ornamenta, ſummos, quos Vobis Honoratiſſimum Veſtrum Munus diſpenſandos credit, Honores, & Manu munifica, & prolixa Voluntate, & Judicio de me meisque ſtudiis favorabili, in me congeſſiſtis.

Scilicet cumulare voluiſtis, & tanquam Coronare, Veſtrum opus, hominemque qui non niſi per Vos, illuſtriſſimosque deceſſores Veſtros, ad *Literaturæ Orientalis* aliquam forte exiſtimationem inde a prima adoleſcentia ſenſim ac pedetentim ſuccrevit, donatum videlicet liberaliſſime libero ad Orientales Veſtros theſauros aditu, in ejusdem incomparabilis Gazæ quandam quaſi poſſeſſionem immittendum autumaſtis, illarumque Literarum Profeſſioni admovendum, quarum ſingulari ac pœne incredibili ſemper amore flagravit.

Hæc ut ſtringentiſſima mihi vincula injiciunt, ita ſtimulos incutiunt acerrimos, ad graviſſimam illam expectationis de me Veſtræ adverſariam dies noctesque ob oculos mihi ponendam, atque gemina in provincia laborioſa, quam humeris meis impoſuiſtis, ita allaborandum, ut ſi non fortisſimam, quam tenuitas mea non recipit, utique fideliſſimam operam, Vobis approbem.

Id ut a Vobis, Illuſtriſſimi Domini, pro vere grati, Vobisque devincti, pectoris pignore præſenti, ſolido, unico, reputatur; ita mihi immortalitatis inſtar cenſebitur, honores, favores, benigniſſime impertitos, laboribus indefeſſis, ſeque fatigatione ipſa recreantibus, ut ita dicam, & animantibus, quodammodo repenſaſſe.

Et Vos principes in Orbe Literato Viri, omnis ſapientiæ Divinæ Humanæque Lumina, omnis Eruditionis & Literaturæ Columina, Profeſſo-

ſores Celeberrimi: Ita de me habeatis, tum admirationi mihi fuiſſe ſemper immortalia Veſtra merita, magnasque, quibus utrumque polum implêſtis, laudes, tum æmulationi honeſtisſimæ easdem perpetuo fore, ut per ſplendida Veſtra veſtigia ad aliquam gloriæ Veſtræ particulam mihi liceat adſpirare: atque Veſtrum ad exemplum Spartam qua cohoneſtatus ſum ornare.

Hoc publicum ſacroſanctæ & inviolabilis ſocietatis Vinculum, ut mihi per neceſſitudinem honorificam Collegii Veſtri conſtat, atque ad præluſtris Academiæ decus pro virili amplificandum religioſiſſime conſtabit.

Sic privatum quoque officium, honorem, amorem, candorem meum a nemine Veſtrum unquam deſiderari patiar: atque tum demum me Votorum meorum ſummam adeptum arbitrabor, ſi omnium Veſtrum voluntates, omni genere obſervantiæ, mihi devinxero, Eisdemque ad ſuaviſſimam, integerrimamque, familiaritatem me inſinuaro.

Vos denique, florentiſſimi juvenes, in quos ſpes patriæ, ſpes Eccleſiæ recumbit: Macti eſtote virtute Veſtra quotquot a Magnorum Virorum ore mellifluo pendentes, omnium artium, ſcientiarum, doctrinarumque, uberrimum ſuccum avidis hauſtibus quotidie combibitis. Macti præſertim Vos, qui vivis ac perennibus e fontibus *Zionis*, ad Cœleſtium veritatum ubertatem, a ſummis Theologorum, rigari ſœcundarique amatis.

Vos ut etiam aliqua ex parte propior mea cura contingit: ita non poſſum non magnopere Vos cohortari, ut in excellentiſſimorum Verbi Divini interpretum Exemplum, tanquam in Speculum, mecum intuentes, pectora Veſtra tum *Latinis*, tum *Græcis*, tum *Orientalibus* quoque Literis, non per prima tantum elementa imbui, non leviter colorari, ſed penitus penitusque tingi, & ſaturari, geſtiatis.

Eſt interim quod læter, & non mihi, ſed Eccleſiæ, ſed Religioni, ſed Eruditioni, gratuler, Muſam *Hebraicam*, cum ſuis ſibi Sororibus, & Dialectis, Vobis arridere cœpiſſe, & ita ſeſe interiore quadam dulcedine commendaſſe, ut quam plurimi Veſtrum ad præclaram hoc in genere expectationem eniteant, excreſcant. Macti iterum Virtute Veſtra Præſtantiſſ. Juvenes; *Palmam* ego Vobis in medium depoſui, & quidem *Geminam*, unde geminata ad Vos laus, ſi fidelem iis culturam impertieritis, haud dubie redundabit.

D I X I.

I N-

I N D E X
LOCORUM SCRIPTURAE

Quæ ex nova noſtra verſione in lucem proferuntur.

G E N E S I S.

Cap. 4:5.6. נפלו פנים *cadunt vultus* i. e. *moerore languent.* Pag. 274

— 6: 6. *Et dolore conſtrictus fuit ad cor ſuum* ויתעצב אל לבו. 382

— 9: 19. Ex his univerſa terra *uterum excuſſit*, hoc eſt, *prolem fudit.* נפצה. 46.47.481

— 10: 18. Familiæ Canaanis *exundarunt*, *velut extra ripas diffuſæ.* נפצו. 56.487

— 15: 2. בן משק ביתי *filius pectinationis domus meæ.* i. e. *procurator.* 331.526

— 18: 23. Etiamne juſtum cum improbo *rades? erades, everres.* תספה. 167.518

— 19: 15. Ne *radaris* in urbis hujus iniquitate. תספה. 167.518

— 19: 17. Montana verſus elabere, ne *radaris.* תספה. 167.518

— 25: 18. Ante faciem fratrum ſuorum נפל *cecidit.* i. e. *ſedes fixit.* 273

— 30: 20. *Utrem* mihi meum optima *agitavit agitatione* Deus. זבדני זבד. 48.483

— 31: 34. Dixitque Rachel Patri, *ne ardor exiſtat in oculis Domini mei*, אל יחר בעיני ארני. 424.425

— 33: 14. Ego meo commodo *lotos potosque prominabo.* אתנהלה. 109.503

— 34: 13. *Et dolum ſtruxere, machinati ſunt.* וידברו. 227

— 45: 5. Ne doleatis & *ne ardor exiſtat in oculis veſtris.* ואל יחר בעיניכם 425

— 47: 17. Eos *abunde pavit explevitque* pane וינהלם. 108.503

— 49: 24. Et *veneno exaſperatis* ipſum jaculis appetivere. — At manſit *in perenni* arcus ejus, & brachia manuum ejus *agilia fuere.* באיתן. 118 119.506

E X O D U S.

Cap. 9: 9. Ulcus efflorescens *purulentiſſimis efferveſcentiis.* אבעבעות. 33

— 10: 2. Ut enarres — *Quid cladium edidero, quid ſanguinis hauſero*, in Ægyptiis. התעללתי. 94
Vel ex alia poteſtate verbi, *quid facinorum magnificorum patravero.* 103

— 14: 24. Et exercitum Ægyptiorum *contabefecit: pavore ſcil. & conſternatione.* ויהם. 66.490

— 14: 27. Rediit mare *ad ſuum perenne.* לאיתנו. 114

— 15: 13. Duxiſti populum tuum *Largiflua Tua Munificentia.* בחסדך. Potentia tua *copioſe rigatum ut paſtor egiſti* &c. נחלת. 107

Cap. 15: 16. גדל זרוע *lacerti compacti & toroſi, firmitudo intorta & robuſtior.* *Pag.* 402
— 21: 13. Et qui *ærugine non imbutus* לא צדה fatali caſu fecerit, ei ego deſtinabo aſylum. 357
— 23: 27. Terrorem meum præmittam tibi: & contabefaciam omnem populum. המתי. 67.490

LEVITICUS.

Cap. 4: 13. *Et ſi obſignata fuerit* res illa ab oculis cœtus. ונעלם. 390
— 19: 10. Vitem tuam non *ſecunda vice bauries*, id eſt, *racemabis*. תעולל. 100
— 20: 4. *Si obſignando obſignaverint* oculos ſuos ab homine illo, qui de ſemine ſuo immolarit Molocho, quo minus illum capitis damnent. אם העלם יעלימו. 388

NUMERI.

Cap. 5: 22. נפל ירך *cadit femur*, id eſt, *emarceſcit*. 274
— 6: 12. Dies priores *cadent*, id eſt, *non computabuntur*. יפלו. 275
— 10: 35. *Dilabantur*, diffluant, *aquarum inſtar*, inimici tui. יפוצו. 57
— 16: 26. Ne *radamini* in omnibus eorum peccatis. תספו. 167.518
— 20: 24. *Diſputando contentioſe reluctatus eſt Jehovæ, & os ejus ſacrum veluti ſtrinxit.* מרה את פי יהוה. 370
— 22: 29. Dixitque Bileam aſinæ ſuæ, eo quod *temet oblectaveris* in me. התעללת. 101
— 24: 21. Tua manſio *perennis* eſt, & nidum tuum in petra poſuiſti. איתן. 119
— 31: 5. *Et turgidi facti ſunt ex millibus Iſraëlitarum*, duodecim mille viri ad bellum accincti, וימסרו *animo vigoris bellici & zeli* pro cauſa Dei, *pleno tumuerunt, & turgeſcere inceperunt.* 354.534
— 31: 16. Illæ Midianitides fuerunt conſilio Bileami למסר מעל ביהוה *ad turgendum libidinoſam defectionem.* 353.534
— 32: 14. Ecce loco Patrum veſtrorum ſurrexiſtis progenies peccatrix: *Ut corradatis* amplius *ad æſtum naſi* Jehovæ adverſus Iſraëlem. לספות על חרון אף. 170.518
— 35: 20. Si odio eum impulerit, aut lapidem in eum jecerit בצריה *mala rubigine*, morietur. 357.536

DEUTERONOMIUM.

Cap. 2: 15. Manus Domini ſuper eos erat להמם מקרב המחנה *ad tabefaciendum eos e medio caſtrorum.* 67.490

Cap. 21: 4. Et deducent ſeniores vitulam illam, in *vallem perennibus aquis irriguam.* נחל איתן. *Pag.* 114—116. 506. 507

— 21: 18. *Filius retractator & ſtrictor*, ſive, *contentioſius & contumacius* juſſa paterna *detrectans.* בן סורר ומורה. 370

— 22: 1. Non videbis bovem aut ovem fratris tui palantes, *atque temet obſignabis ab iis.* והתעלכת מהם. 389

— 22: 14. Et impoſuit, injecit, ei *cavillamenta* ſermonum. A *carpendo* tracta metaphora *ſub vocabulo.* עלילות. 104. 496

— 24: 21. Quum vindemiabis vineam tuam non *ſecunda vice hauries* poſt vindemiam. תעלל. 100

— 28: 61. Etiam omnem flagellationem atterentem omnemque plagam, quæ non ſcripta eſt in libro legis hujus, *ſignabit Dominus ſuper te, donec extermineris.* יעלם יהוה עליך עד השמדך. 393. 395

— 28: 65. In gentibus illis haudquaquam *circumtremes;* hoc eſt, *Opulentia afflues:* per figuratam dictionem. תרגיע. 143

— 29: 18. Pax erit mihi, licet ex *ſecreto* cordis *inſtinctu*, שררות, ambulavero: *Propterea quod radendum eſt irriguum ſimul cum ſitienti.* למען ספות הרוה את הצמאה. 170. *& ſeqq.*

— 29: 21. Cernent plagas terræ hujus, ejusque *excoriationes*, תחלואים/ quas *excoriando imprimet* ei Dominus. חלה. 126

— 32: 22. Ignis *terebrando in naſum meum proſiluit cum impetu & vehementia.* קדחה באפי. 26. 27. 475

— 32: 23. *Corradam* ſuper eos mala, vel potius. *Radere faciam* ſuper eos mala. אספה. 169

— 32: 34. *Signatum in ſcriniis*, ſive, *theſauris meis.* התום באצרתי. 391

J O S U A.

Cap. 1: 18. Qui *obſtrigillaverit* os tuum, id eſt, *contentioſius reſtiterit & reluctatus ſit.* ימרה. 370

— 2: 9. *Cecidit* formido veſtrûm ſuper eos: inſtar *fulminis* quaſi. נפלה. 273

— 10: 10. *Et liquefecit eos* Jehova ante faciem Iſraëlis. ויהמם. 67. 490

— 23: 14. *Non cecidit* verbum ullum, id eſt, *non irritum fuit.* לא נפל. 272

J U D I C U M.

Cap. 2: 20. לא הפילו *non fecerunt cadere* a facinoribus & a via præfracta quicquam; id eſt, nil remiſerunt, ſed in audacia, & rebellione ſua, animoſe perſeverarunt. 273

— 3: 25. נפל מת *cadens mortuus*, pro eo, *qui ſtratus jam aliquamdiu jacuerat.* 273

CAP. 4: 15. Et contabefecit, liquefecit Jehova Siſeram & omnem exercitum ejus. ויהם. Pag. 67. 490
— 4: 22. נפל מת cadens mortuus, id eſt, ſtratus jacuit. 273
— 7: 12. נפלים cadentes in valle, id eſt, reclinati ad refectionem vel quietem. 273
— 7: 19. Venitque Gideon & centum viri, qui cum ipſo, in extrema caſtra media nocte, & clanxerunt buccinis, & excutiendo diffringere urceos, qui in manibus eorum. נפוץ. 51. 479
— 8: 2. Meliores ſunt carpturæ poſteriores Ephraimi, quam Vindemia Abi-Ezer. עוללות. Duplici poteſtate foetum vocabulum. 100
— 8: 10. הנפלים cadentes: id eſt, occiſi, in bello ſtrati. 273
— 12: 6. Et cecidit יפל, id eſt, occiſus eſt. 273
— 16: 7. Si vincirer ſeptem reſtibus virentibus, equidem attererer. חליתי. 125
— 19: 25. Prehendens Vir ille pellicem ſuam, produxit ad eos foras: & cognoverunt eam, in eaque aquatum deſcenderunt iterum iterumque totam noctem. יתעללו. 95. 96
— 20: 45. Fugientes —— iterum iterumque carpſerunt, hauſerunt. יעללו. 100. 497
— 20: 46. Omnes cadentes, id eſt, occiſi & ſtrati. נפלים. 273

RUTH.

CAP. 3: 18. Ut videam quomodo caſura res ſit, id eſt, quomodo eveniet &c. יפל הדבר. 272

I. SAMUELIS.

CAP. 1: 5. Hannæ dabat portionem unicam naribus præditam, id eſt, eminentem & ſuperbiorem. מנה אחת אפים. 424
— 1: 18. פנים abſolute, triſtem notat faciem. 20
— 3: 19. Verbum non cadet in terram, id eſt, non irritum erit. יפל ארצה. 272
— 5: 4. Dagon cadens ante arcam in terra: id eſt, jacens. נפל. 273
— 6: 6. Nonne poſtquam plurimas clades ediderat, plurimum ſanguinis hauſerat, in iis; &c. 94
Vel, ex alia poteſtate, magnifica patraverat. התעלל בהם. 103
— 7: 10. Et intonuit Jehova voce magna ſuper Philiſtæos, & liquefecit, contabefecit eos, & cæſi ſunt ante faciem Iſraëlis. ויהמם. 67. 490
— 12: 3. Cujus e manu ſumſi pretium, ut clauſos obſignarem ei oculos. ואעלים עיני בו. 388. 545
— 12: 25. Simul vos, ſimul Rex veſter, rademini. תספו. 168. 518

Cap. 13: 8. Populus ab illo *ſeſe diffudit*; pro, *dilapſus eſt*. יפץ. *Pag.* 488
— 13: 11. Quum viderem, quod *excuteret ſeſe* a me populus נפץ. 51. 481
— 14: 29. Et oculi ejus *micuerunt*, guſtato mellis favo. ותראנה. a rad. deperd. רוא, *ſplenduit acies* oculorum. رأى. 525
— 14: 34. *Effundamini* in populum, id eſt, *cito diſcurrite*. פוצו. 56. 488
— 14: 42. *Cadere facite* inter me & filium meum, id eſt, *jacite ſortem*. הפילו. 272
— 24: 12. Tu autem *ærugine imbutus es* erga animam meam, ad eam capiendam. צדה. 358
— 25: 3. Vir durus & *peſſime flagitioſus*. רע מעללים. 103
— 26: 10. In prælium deſcendet & *radetur*. נספה. 168. 518
— 27: 1. *Radar* aliquando per manum Saulis. אספה. 168
— 29: 3. *A die transfugii ejus*. מיום נפלו. 276
— 31: 4. Ne configant me, & *repetitis ictibus hauriant*. התעללו. 102
— 31: 8. Invenerunt Saulum & tres filios ejus *cadentes* in monte Gilboa, id eſt, *jacentes*. נפלים. 273

II. SAMUELIS.

Cap. 3: 27. Seduxit eum ad mediam portam, *ad machinandam necem ipſi, in illa ſecuritate*. לדבר אתו בשלי. 227
— 6: 7. על השל *propter incogitantiam*: verte potius, *præcipitantiam*, a שלל *raptim educere & extrahere*. 227
— 14: 14. Omnino moriemur & veluti aqua *cum ſonitu & ſtrepitu prætervecta ac in præceps delata*. הנגרים. 347
— 18: 8. Et prælium *longe lateque* per terram *efferbuerat*. נפוצת. 55. 487
— 22: 15. Emiſit tela ſua & *exundare fecit eos* cœlos ויפיצם. fulmina ſua jaculatus eſt, *& fecit eos tabeſcere*. ויהמם. 490

I. REGUM.

Cap. 5: 9. Servi mei comportabunt cedros ex Libano ad mare, easque ego ratibus deveham mari ad eum, quem mihi mittes locum: ibique locorum *ego eas excutiam*, tuque tolles, id eſt, *manu & periculo meo liberatas, in tuam transdam manum*. נפצתים. 46. 486
— 8: 56. Verbum *non cadet in terram*, id eſt, *irritum fiet*. לא יפל ארצה. 272
— 22: 8. Nemo ex vobis mea cauſa *atteritur, maceratur*. Inſigni figura. חלה. 125. 126
— 22: 17. Vidi univerſum Iſraëlem, *diffuſos* ad montes, ſicut grex cui nullus eſt paſtor. נפצים. 488

II. REGUM.

Cap. 3:19. *Cadere facietis* omnem arborem, *id eſt*, *gravi ictu ſternetis.* תפילו. *Pag.* 273

— 3:24. Et ſurrexerunt itaque Iſraëlitæ & Moabitas ſtraverunt fuſos fugatosque; *& retuſos in illa* ſtrage reddiderunt gladios, idque Moabitas ſternendo. ויבו בה והכות את מואב. 323. 325. 523

— 4:27. Jehova *obſignavit* hoc mihi, neque notum fecit. העלים. 390

— 4:28. Nonne dixi tibi, *ne me lactes*, *ne me ſecuro & liquido animo eſſe jubeas.* לא תשלה אתי. 220. 230

— 10: 3. Nullum omnino verbum *obſignatum fuit* Regi. נעלם. 390. 545

— 13:14. Et Eliſa *conflictari* cœpit *conflictatione*, qua in mortem *eſſes atterendus.* חלה את חליו למות. 126

— 14:26. Nam vidit Dominus adflictionem Iſraëlis admodum *ſtringentem.* מרה. 373

I. CHRONICORUM.

Cap. 4:40. Et invenerunt paſcuum *pingue* שמן; & regio illa erat *fidens*, *& opimitate eliquata gaudens.* שקטת ושלוה. 225

— 21:12. Elige tibi, aut tres annos famis, aut tres menſes quibus *radaris*, *raſus ſis*, ante hoſtes tuos, gladio hoſtili te aſſequente. נספה. 168

— 31:10. Et occubuit Joramus *Excoriationibus* malis, *peſſimis*, *atrociſſimis.* בתחלאים רעים. 126

II. CHRONICORUM.

Cap. 9: 2. Cui indicavit Salomo omnia verba ejus, & nullum omnino verbum *fuit obſignatum* Salomoni. נעלם. 390

— 15: 6. Et gens genti colliſa eſt: nam Dominus *contabeſecerat eos* omni anguſtia. הממם. 67. 490

— 16:11. Et Aſa in pedibus *cœpit excoriari*. id eſt, *podagra carnifice afflictari.* יחלא. 126

— 22:10. Et *machinata eſt necem* adverſus omne ſemen Regium. ותדבר. 227

— 28:15. Eosque veſtiverunt, calcearunt, cibarunt, potionarunt & unxerunt, *& ſic recreatos deduxerunt.* וינהלום. 108

— 29:11. *Ne conjiciamini*, vel, *conjiciatis vos in liquidam ſecuritatem.* אל תשלו. 226

— 32:22. Et ſervavit Dominus Hiskiam, incolasque Hieroſolymorum, e manu Senacheribi, omniumque hoſtium: *& tanquam Paſtor gregem, eos recreatos habuit, ac largo potu irrigatos, circumquaque.* וינהלם מסביב. 107. 108

ESRA.

E S R A.

Cap. 4: 22. *Error*, vel potius, *negligentia & incuria*, a *ſecuro & liquido animo, officii ſui negligente.* שלו pro שלות. *Pag.* 226

N E H E M I A.

Cap. 6: 17. Et *ceciderunt* valde in oculis ſuis, id eſt, *dejecti ſunt.* ויפלו. 273

E S T H E R.

Cap. 9: 24. *Ad contabefaciendum* & ad diſperdendum eos. להמם. 67. 490

J O B U S.

Cap. 3: 26. שלו *tranquillitas, quies.* 224
— 4: 21. Profecto Nihil, & quidem convulſum, eſt nervus eorum in ipſis; diſſolvuntur, *neque ſunt in ulla ſolida compactione.* ולא בחכמה. 407
— 6: 4. Sagittæ Omnipotentis in me *ſtant defixæ:* עמדי, quarum venenum *combibit, exhaurit, ſpiritum meum.* שתה רוחי. 90. 91
— 6: 9. בצע *abrumpere ante diem.* 221
— 6: 16. Quæ atrata ſunt a gelu, *ſuper eas obſignat ſeſe nix.* עלימו יתעלם שלג. 389. 545
— 6: 19. Circumſpiciunt *acri & micante acie oculorum.* הביטו. 153
— 7: 5. Induit caro mea putredinem, *& æſtuantem pulverem:* גוש עפר. Cutis mea *inhorruit, & Vulneribus hiat.* רגע וימאס. 146. 147. 512
— 7: 17. Quid eſt mortalis, *quod luctatorem cum eo agas, te intorquens & implicans cum eo?* כי תגדלנו. 404. 549
— 9: 7. *Obſignat* ſtellas pro, *abſcondit.* יחתם. 391
— 9: 27. Faciem meam *nubilam* mittam, *eamque ſerenabo, renidentem dabo.* ואבליגה. 20. 471
— 10: 8. Manus tuæ me *nervis & tendinibus artificioſe colligarunt.* עצבו. 388. 544
— 10: 20. Recedat a me, ut pauliſper *renideſcam, vultum nubilum differenem.* אבליגה. 22
— 11: 3. *Vir labroſus*, id eſt, *jactator.* איש שפתים. 422
— 11: 6. Et exponet tibi *ſignationes ſapientiæ.* id eſt, *abſtruſiſſima quæque & tanquam obſignatiſſima.* תעלמות חכמה. 390
— 12: 3. *Non cadens ego præ vobis*, id eſt, *non ſuccumbens.* לא נפל אנכי מכם. 273
— 12: 6. *Liquida proſperitate*, vel potius, *pingui, opima & defæcata re gaudent.* ישליו. 225

Digitized by Google

II. R E G U M.

Cap. 3: 19. *Cadere facietis* omnem arborem, *id eſt*, *gravi ictu ſternetis.* תפילו. Pag. 273
— 3: 24. Et ſurrexerunt itaque Iſraëlitæ & Moabitas ſtraverunt fuſos fugatosque; *& retuſos in illa* ſtrage reddiderunt gladios, idque Moabitas ſternendo. ויכו בה והכות את מואב. 323. 325. 523
— 4: 27. Jehova *obſignavit* hoc mihi, neque notum fecit. העלים. 390
— 4: 28. Nonne dixi tibi, *ne me lactes*, *ne me ſecuro & liquido animo eſſe jubeas.* לא תשלה אתי. 220. 230
— 10: 3. Nullum omnino verbum *obſignatum fuit* Regi. נעלם. 390. 545
— 13: 14. Et Eliſa *conflictari* cœpit *conflictatione*, qua in mortem *eſſet atterendus.* חלה את חליו למות. 126
— 14: 26. Nam vidit Dominus adflictionem Iſraëlis admodum *ſtringentem.* מרה. 373

I. CHRONICORUM.

Cap. 4: 40. Et invenerunt paſcuum *pingue* שמן; & regio illa erat *ſidens*, *& opimitate eliquata gaudens.* שקטת ושלוה. 225
— 21: 12. Elige tibi, aut tres annos famis, aut tres menſes quibus *radaris*, *raſus ſis*, ante hoſtes tuos, gladio hoſtili te aſſequente. נספה. 168
— 31: 10. Et occubuit Joramus *Excoriationibus* malis, *peſſimis*, *atrociſſimis.* בתחלאים רעים. 126

II. CHRONICORUM.

Cap. 9: 2. Cui indicavit Salomo omnia verba ejus, & nullum omnino verbum *fuit obſignatum* Salomoni. נעלם. 390
— 15: 6. Et gens genti colliſa eſt: nam Dominus *contabeſecerat eos* omni anguſtia. הממם. 67. 490
— 16: 11. Et Aſa in pedibus *cœpit excoriari.* id eſt, *podagra carnifice afflictari.* יחלא. 126
— 22: 10. Et *machinata eſt necem* adverſus omne ſemen Regium. ותדבר. 227
— 28: 15. Eosque veſtiverunt, calcearunt, cibarunt, potionarunt & unxerunt, *& ſic recreatos deduxerunt.* וינהלום. 108
— 29: 11. *Ne conjiciamini*, vel, *conjiciatis vos in liquidam ſecuritatem.* אל תשלו. 226
— 32: 22. Et ſervavit Dominus Hiſkiam, incolasque Hieroſolymorum, e manu Senacheribi, omniumque hoſtium: *& tanquam Paſtor gregem*, *eos recreatos habuit*, *ac largo potu irrigatos*, *circumquaque.* וינהלם מסביב. 107. 108

ESRA.

Digitized by Google

ESRA.

Cap. 4: 22. *Error*, vel potius, *negligentia & incuria*, a *ſecuro & liquido animo, efficii ſui negligente.* שלו pro שלות. *Pag.* 226

NEHEMIA.

Cap. 6: 17. Et *ceciderunt* valde in oculis ſuis, id eſt, *dejecti ſunt.* ויפלו. 273

ESTHER.

Cap. 9: 24. *Ad contabefaciendum* & ad diſperdendum eos. להמם. 67. 490

JOBUS.

Cap. 3: 26. שלו *tranquillitas, quies.* 224

— 4: 21. Profecto Nihil, & quidem convulſum, eſt nervus eorum in ipſis; diſſolvuntur, *neque ſunt in ulla ſolida compactione.* ולא בחכמה. 407

— 6: 4. Sagittæ Omnipotentis in me *ſtant defixæ:* עמדי, quarum venenum *combibit, exhaurit, ſpiritum meum.* שתה רוחי. 90. 91

— 6: 9. בצע *abrumpere ante diem.* 221

— 6: 16. Quæ atrata ſunt a gelu, *ſuper eas obſignat ſeſe nix.* עלימו יתעלם שלג. 389. 545

— 6: 19. Circumſpiciunt *acri & micante acie oculorum.* הביטו. 153

— 7: 5. Induit caro mea putredinem, *& æſtuantem pulverem:* גוש עפר. Cutis mea *inhorruit, & Vulneribus hiat.* רגע וימאס. 146. 147. 512

— 7: 17. Quid eſt mortalis, *quod luctatorem cum eo agas, te intorquens & implicans cum eo?* כי תגדלנו. 404. 549

— 9: 7. *Obſignat* ſtellas pro, *abſcondit.* יחתם. 391

— 9: 27. Faciem meam *nubilam* mittam, *eamque ſerenabo, renidentem dabo.* ואבליגה. 20. 471

— 10: 8. Manus tuæ me *nervis & tendinibus artificioſe colligarunt:* עצבו. 383. 544

— 10: 20. Recedat a me, ut pauliſper *renideſcam, vultum nubilum differenem.* אבליגה. 22

— 11: 3. *Vir labroſus*, id eſt, *jactator.* איש שפתים. 422

— 11: 6. Et exponet tibi *ſignationes ſapientiæ.* id eſt, *abſtruſiſſima quæque & tanquam obſignatiſſima.* תעלמות חכמה. 390

— 12: 3. *Non cadens ego præ vobis*, id eſt, *non ſuccumbens.* לא נפל אנכי מכם. 273

— 12: 6. *Liquida proſperitate*, vel potius, *pingui, opima & defæcata re gaudent.* ישליו. 225

Cap.

Cap. 12: 19. Qui principes traducit exſpoliatos, & *perennes*, id eſt, *opulentos*, *copioſos*, *beatos*, *omnibus fortunis circumfluentes*, ſubvertit. איתנים. *Pag.* 117. 118
— 16: 12. Arripuit cervicem meam, & *diffregit me violentius*. יפצפצני a rad. פצץ. 55. 486
— 16: 15. Centonem conſui ſuper cutim meam: & *hauſtus ſum* in pulvere *cornu meum*. עללתי קרני. 94
— 19: 26. Et poſt cutim meam, *exederint*, & *pertuſam exſuxerint medullitus machinam hanc* נקפו זאת. Nempe *vermes*; attamen ex carne mea adſpiciam Deum. 158
— 20: 5. Gaudium hypocritæ ad *vibramen*. רגע. 148
— 20: 28. *Torrente æſtu raptæ & avectæ*. נגרות. 347
— 21: 23. שליו *liquide defæcatus* totus ille. 225
— 21: 24. *Loca rigua, ubi cameli ejus, gregesque paſti ac poti procumbunt*, lacte uberant. עטיניו. 110
Et medullis oſſa ejus irrigua ſunt ומוח עצמתיו ישקה. 117
— 23: 2. Etiam hodie *ſtrictio querelæ & lamentationis meæ exiſtit*, id eſt, *plaga ſtringens & ruens, quæ ore querelas & oculis lacrymas, exprimit*; & plaga mea ſuper gemitum meum gravis eſt. מרי שיחי. 375
— 24: 16. Interdiu *ſeſe obſignant*. חתמו. 391. 395
— 26: 12. Robore ſuo *convibrat*, *inhorreſcere facit*, mare. רגע. 145. 512
— 27: 8. *Ruptis ſecundis ejiciet animam ejus Deus*. כי ישל אלוה נפשו. 221. 231
— 28: 11. *Signationem educit in lucem*. תעלמה יוציא אור 390
— 29: 20. Gloria mea recens *mecum ſtabat*, עמדי. Et arcus meus in manu mea *revireſcebat*. תחליף. 119
— 29: 24. Et ſerenitatem vultus mei non *facient cadere*. יפילון. 274
— 31: 18. *Intortus fuit viribus*, id eſt, *adolevit & crevit me*, pro *mecum*. גדלני כאב. 405
— 33: 6. E luto *compreſſione vellicante decerptus ſum* & ego. קרצתי. 201
— 33: 19. Multitudo oſſium ejus *perennis*: vel, *perennium*. איתן. 117
— 34: 17. *An naſum oſor juſtitiæ religabit?* id eſt, *Viſne mihi illum tuum naſum ferocem refrenare, quo adverſus jura juſtiſſimi Judicis inſurgis*. האף שונא משפט יחבש. 422
— 35: 5. Cœlos *vibrante acie* contemplator. הבט וראה. 152
— 36: 13. Loripedes cordis, Hypocritæ *ponunt naſum*, id eſt, *non ſubmittunt ſe caſtigationibus Dei, ſed inſolenter ei obmurmurant*. ישימו אף. 422
— 36: 16. Inſtigavit te *ex ore anguſtiæ*. מפי צר, *in latitudinem* רחב, ſub qua nihil coarctati: & ubi miſſus menſæ tuæ plenus opimitate. 462
— 37: 7. Manum omnis hominis *obſignat*, pro, *includit & ab opere arcet*. יחתם. 391

Digitized by Google

Cap. 38: 2. Quis eſt ille *obtenebrator conſilii*, idque verbis ſcientia vacuis? מחשך עצה. *Pag.* 391
— 40: 6. *Exundare fac æſtus, efferveſcentias naſi tui.* הפץ עברות אפך. 56.487
— 41: 14. *Procidua carnis*, id eſt, *laxiores & molliores partes quæ propendent & cadunt quaſi.* מפלי בשר. 275
— 42: 3. Quis eſt ille, *qui ſignat* conſilium impenetrabile, ac nulla cognitione pervium. מעלים. 391

P S A L M I.

Ps. 2: 9. *Quaties, excuties eos* ſicut vas figuli. תנפצם. 51.53.480
— 5: 10. *Vacuitas in ore ejus recti.* אין בפיהו נכונה. 596
— 6: 7. In *lavacrum* lecti mei *immergor* ſingulis noctibus. אשחה 98
— 9: 21. Appone ipſis Jehova *novaculam.* מורא, non ut plurimi *timorem.* 165.372
— 10: 1. Quare ſtas procul? *obſignas*, atque ita ſubducis *temet temporibus arctiſſimis.* תעלים לעתות בצרה. 388
— 12: 7. Argentum conflatum *iterum, tertio, ſæpius exhauſta terra:* ſeptiesque defæcatum. בעליל לארץ. 104
— 14: 1. Abominanda faciunt *molimina ſua temeraria.* עלילה. 103
— 16: 4. *Multiplicabuntur dolores eorum*, qui verſus alium feſtinant, *id eſt*, urentia illa vincula, *quæ Deus injiceret* ſcortatrici nationi ad furiatum ejus impetum refrenandum. ירבו עצבותם. 384
— 16: 6. Funiculi cecidere mihi in amœnis: *naſus hæreditatis lectiſſimæ ſpecioſus eſt mihi* vel *ſuper me.* אף נחלת שפרה עלי. 423.556
— 17: 9. Propter improbos, qui me vaſtant; & inimicos, *qui cum flatu ſuper me tundunt.* בנפש יקיפו עלי. 157
— 18: 13. A coruſco fulgure coram eo nubes ejus *intumuere, efferbuere.* עברו. 58.59
— 18: 15. Et miſit tela ſua, *fecitque eos*, cœlos, *exundare:* ויפיצם, ac fulmina jaculatus eſt, *eosque colliquefecit.* ויהמם. 57.58.487.490
— 21: 4. Duces me, mihique *ſiti levandæ largos hauſtus procurabis.* Vel ſic: Duces me *largiter paſtum potumque.* תנהלני. 107
— 22: 17. Nam circumdederunt me canes: Cœtus maleficorum *violenter pertuderunt mihi, Leonis ad inſtar*, manus pedesque meos. הקיפוני כארי. 157.158
— 22: 18. *Vibrant intuentur me*, id eſt, *fulminante acie me contuentur.* יביטו יראו. 152
— 23: 2. Ad aquas *gregibus irriguis & recubantibus cinctas potum me ducit.* על מי מנוחות ינהלני. 106.500
— 23: 3. Ducit me *in orbitis juſtitiæ:* proprie, *in orbitis recti & rigidi tenoris.* במעגלי צדק. 416.554

Digitized by Google

I N D E X

Ps. 26: 4. Non ſedeo cum ſociennibus vanitatis, neque ad *ſignatos*, id eſt, *notis publicis affectos*, intro familiariter. נעלמים. *Pag.* 395

— 27: 9. *Ne reclinare facias in naſum* ſervum tuum: id eſt, *ne ignominia obruas & dejecto in terram naſo proſligatum des.* אל תט באף. 423

— 30: 2. Extollam te laudibus Jehova, quoniam *extuliſti me ſitula reciprocata*, atque hoſtes mihi haud lætos reddidiſti דליתני. 433. 434

— 34: 6. Ad eum *vibrantem aciem intenderunt*, & *lumine perfuſi*, *gaudioque diffuſi ſunt.* הביטו ונהרו. 153

— 35: 19. Odio habentes me, gratis *vellicando comprimunt ocellum.* יקרצו עין. 204

— 35: 20. Non enim pacem loquuntur: ſed ſuper *terræ concuſſiones* ſtructos dolos meditantur. רגעי ארץ. 144

— 39: 14. Abſcede a me, ut *renideſcam*, *vultum diſſerenem.* ואבליגה. 82

— 40: 15. Qui quærunt animam meam, *ad radendum eam.* לספותה. 168

— 44: 14. Ponis nos opprobrium vicinis noſtris *ſubſannationem & ludibrium* circumſitis noſtris. לעג וקלס. 546

— 44: 22. *Signationes cordis*, pro, *occultiſſimis & in profundo cordis occluſis* atque *obſignatis* veluti *meditationibus.* תעלמות לב. 390

— 45: 5. Et majeſtate illa tua felix victorque invehitor ſuper verbo veritatis, & *reſponde rigorem vigoremque juſtiſſimum*; atque doceat tua tibi dextra res terribiles. וענה צדק. 415

— 45: 6. Populi ſub te *cadent.* יפלו. 275

— 48: 15. Deducet nos *ſignate*, *ſignatura paſtoritia notatos*, *diſtinctos.* עלמות. 396

— 50: 11. Complector omnes montium volucres: & *quod in agro emicat*, penes me eſt. זיז שדי. 140

— 55: 2. Auribus percipe deprecationem meam, *neque temet obſignes a ſtridulo tinnitu meo audiendo.* ואל תתעלם מתחנתי. 389

— 55: 22. *Glabra ſunt butyracea oris ejus.* חלקו מחמאות פיו. 225

— 56: 6. *Verba mea torquent*, & *veluti fidiculis exprimunt inde*, *quicquid lubet præter mentem meam.* דברי יעצבו. 382

— 56: 8. *In naſum* populos *deturba* o Deus! id eſt, *omni dedecore eos obrutos proſterne.* באף הורד. 423

— 58: 6. *Coagmentans coagmentationes* magicas *compactiſſime.* חובר חברים מחכם. 408

— 63: 4. Labia mea *plauſu te commulcebunt*, *omnique bonore verborum vehent atque extollent.* ישבחונך. 366

— 65: 8. *Permulcens* fragorem marium. משביח. 366

— 68: 22. Profecto *repetitis hauſtibus cruentabit & profundiſſime ſauciabit* Deus caput inimicorum ſuorum; verticem comatum: *gladio in altis vulneribus commoto ac converſo quaſi*, *prout aliquis ſitulam commovet inter antlandum.* ימחץ. 348

Ps.

Ps. 73: 12. *Inde ab ævo omni opimitate circumfluentes.* שלוי עולם. *Pag.* 225
— 73: 19. *Raduntur*, conſumuntur *præ nebulis.* ספו. Metaph. *a turbine radente, & verrente.* 173
— 74: 15. Tu exareſcere feciſti flumina *perennia.* איתן. 114. 116
— 75: 9. Calix eſt in manu Domini, plenus turbidiſſimæ & venenatæ potionis, & *ebullire inde fecit emicatione ſanguinis* &c. ויגר מזה. 346
— 77: 3. *Manus mea*, id eſt, *plaga mihi inflicta, bulliebat* nulla intercapedine ſingultandi. ידי נגרה. 346. 533.
— 77: 12. Concelebrabo *exantlata* Numini molimina. מעללי. 103
— 77: 13. De moliminibus *tibi exantlatis* meditabor. עלילותיך. 103
— 78: 17. Perrexerunt autem peccare adverſus eum, *ad obſtrigillandum* altiſſimo in deſerto. למרות. 371
— 80: 14. Suffodit eam aper e ſylva: & *quod in agro emicat* depaſcit eam. זיז שדי. 140
— 89: 10. Tu imperas elationi maris: quum tollit fluctus ſuos: *tu permulces eos.* אתה תשבחם. 366
— 90: 6. Ad auroram floret & revireſcit: ad veſperam *ſe excoquit & areſcit.* ימולל ויבש. 203. 204
— 90: 8. *Signata noſtra*, id eſt, *occultiſſima peccata.* עלומנו. 390. 545
—103: 3. Qui *conſuit* omnes *excoriationes tuas.* רפא לתחלואיכי. 126
—104: 32. Qui *adnictat* terræ, & contremiſcit. Id eſt, *nictanti fulmine ſtringit eam.* מביט. 152. 515
—105: 22. Ad ligandum, freno ſcilicet moderaminis ſui, principes pro lubitu; ſenioresque *ſubſtricto* velut *mento capiſtrandos.* יחכם. 409
—105: 28. Nec *dubitando, cavillandove, nec detrectando reſtiterunt* mandatis ejus. מרו. 370
—106: 33. *Obſtrigillarunt* Spiritum ejus, המרו, *& continua ſua cavillatione dubitatione, infidelitate ac pervicacia* מרי, impulerunt ad aliquid temere labris ſuis effutiendum. 371
—106: 47. Ad concelebrandum nomen tuum ſanctum, *ad commulcendum nosmet ipſos in tua laudatione*, hoc eſt, *ad nosmet ipſos beatos & glorioſos prædicandos, dum te celebramus.* להשתבח בתהלתך. 366
—107: 11. *Obſtrigillarunt* dicta Dei, id eſt, *contentioſius reſtiterunt* dictis Dei. המרו. 371
—117: 1. Celebrate Jehovam omnes gentes, *plauſu publico permulcete eum.* שבחוהו. 366
—119: 18. Velo exue oculos meos, & *micante acie deſpiciam.* אביטה. 153
—119: 21. Qui *incurioſi ſunt* præceptorum tuorum. אשתליו. 226
—119:136. Rivos aquarum *intrant lavaturi* oculi mei. ירדו. 98
—122: 7. *Opimitas defæcata eſt* in palatiis tuis. שלוה. 225
—137: 9. Beatus, qui apprehenderit, *& excuſſerit* parvulos tuos ad petram. נפץ. 51. 52

Ps. 141: 4. Ne inclinari ſinas cor meum in rem nequam: *Ad facinora* improbiſſime *haurienda.* להתעולל עלילות. Pag. 103. 104
— 144: 6. Vibra fulmen, *& fac exundare eos, cœlos:* jaculare tela *& fac ut contabeſcant, cœli* nempe. תפיצם ותהמם. 59. 62. 487
— 147: 12. *Publicis plauſibus permulce* Jehovam, Jeruſalem! concelebra Deum tuum o Tzion! שבחי. 366

P R O V E R B I A.

Cap. 5: 16. Foras fontes tni *exuberabunt, diffluent.* יפוצו. 56. 487
— 6: 13. *Vellicans* oculis ſuis, id eſt, *nictans, nutans.* קורץ. 202. 203
— 7: 9. *Pupilla noctis*, pro, *meditullio ac centro tenebrarum.* אישון לילה. 426
— 10: 10. *Vellicatim ocellum comprimens*, vel *ocello nictante vellicans.* קרץ עין. 204. 205. 383
— 10: 23. Luſus eſt ſtulto patrare ſcelus, *refrenatio* autem adeſt viro intelligenti. חכמה. 409
— 12: 19. Usque dum *nictem, oculum vibrem*, ſubſiſtit lingua falſiloqua. ארגיעה. 147
— 13: 15. Bona intelligentia, *ſe facilem præbet & flexilem:* יתן חן, At via contumacium *perennis.* איתן inflexibilem ſervat & perennem rigorem. Sic Græcus nonnemo *αἰώνιον.* 120
— 13: 20. Ambulans *cum ſolide compactis, compingetur ſolidiſſime;* חכמים יחכם. At ſocius ſtultorum *conteretur, male peribit.* ירוע. 408
— 13: 23. Novellare pauperum *effert* uberem proventum: At ipſa *ſubſtantia raditur* defectu judicii. יש נספה. 168
— 16: 27. *Ignis percutiens.* אש צרבת. 272
— 16: 30. *Vellicat labia ſua*, id eſt, *crebro commordet.* קרץ שפתיו. 205
— 17: 1. *Melius fruſtulum ſiccum cum tranquillitate liquida*, quam domus plena victimarum cum contentione. טוב פת הרבה ושלוה בה. 224
— 17: 14. Antequam *ad reſtrictos dentes veniatur*, litem omitte. התגלע. 337. coll. 349. 528
— 18: 1. In omnem ſoliditatem *dentes ſtringit.* יתגלע. 349. 528
— 19: 15. Pigritia *cadere facit ſoporem.* מפיל תרדמה. 273
— 20: 3. Gloria eſt viro manere ſine rixa; omnis autem ſtolidus *reſtrictos nudat dentes.* יתגלע. 349. 528
— 20: 20. Ejus lucerna extinguetur *in pupilla tenebrarum*, id eſt, in meditullio tenebrarum. באישון חשך. 426
— 23: 35. Percuſſerunt me, *nec fui excoriatus.* בל חליתי. 128
— 25: 12. Monile & *polimentum.* חלי. 131
— 28: 18. Ambulans integer, *laxitate omni augebitur*, & intortus viarum cadet in unum: *nempe* malorum. יושע. 461

Cap.

CAP. 28: 27. Qui dat pauperi nullus egebit, & *obſignans oculos ſuos*, maledictionibus opplebitur. מעלים עיניו. *Pag.* 388

— 29: 11. Omnem ſpiritum ſuum exire ſinit e lumbis, *id eſt*, iræ frena laxat, at ſapiens retro *remulcet eum.* ישבחנה. 366

— 30: 19. Via viri *in virgine ſignata.* בעלמה. 393

— 30: 34. *Preſſio narium.* מיץ אפים. eſt, *ſanna rugoſa*, *nariumve corrugatio.* 27

ECCLESIASTES.

CAP. 3: 11. Omnia Deus fecit pulchra ſuo tempore, etiam *ſignatam conditionem cordi indidit & impreſſit* Deus, ne homo aſſequatur opus, quod Deus fecit, a capite ad calcem usque. העלם נתן בלבם. 392

— 7: 16. Ne ſis *rigidus* multum. צדיק. 416. 556

— 12: 14. Omne opus adducet Deus in judicium, *quantumvis omne ſit ſignatum*, qua bonum, qua malum על כל נעלם. 390

CANTICUM.

CAP. 1: 3. *Virgines ſignatæ* te diligunt. עלמות. 393

— 7: 2. Ambitus femorum tuorum ſicut *polimenta vaginarum regalium.* חלאים. 130. 131

ESAJAS.

CAP. 1: 2. Filios *nervis compegi & corroboravi & in proceram extuli ſtaturam.* גדלתי ורוממתי 402

— 1: 5. Omne caput eſt *in excoriationem*: & omne cor *intus computruit.* לחלי דוי. 129

— 1: 15. Et quum manus vos veſtras expanditis, *obſigno oculos meos a vobis.* אעלים עיני מכם. 388

— 3: 4. Dedi pueros principes eorum, & *impotentiſſime dominantur in eos.* תעלולים. 100. 101

— 3: 8. *Molimina eorum præcipiti libidine exhauſta* adverſus Dominum, ad oculos gloriæ ejus *urendos*, *obſtrigillandos.* מעלליהם למרות. 103. 371

— 3: 12. Populi mei exactores, *impotenter exhauriunt.* מעולל. 101

— 3: 15. Quid vobis, quod conteratis populum meum? & facies pauperum *commolatis?* תטחנו. 436

— 3: 24. Pro cinctu, *capitis & cerebri diſcuſſio.* נקפה. 156. 517

— 5: 30. Et infremet, *Leo Romanus*, die illo ſuper ea *præda ſua*, ut infremit mare: & *vibranti oculo fulminabit* terram: & ecce tenebræ; anguſtia; lumenque extinctum *fluminibus ſanguinis.* 153. 154

Cap. 7: 14. Ecce *Virgo ſignata* concipit & parit filium. העלמה. *Pag.* 393
— 7: 19. In omnibus ſenticetis, & in omnibus *Locis irriguis.* נהללים. 109. 110. 503
— 7: 20. Die illo attondebit Dominus novacula mercenaria, per transfluviales, per Regem Aſſyriæ, Caput, & Pubem, atque ipſa etiam Barba *radetur.* תספה. 165. 517
— 9: 7. Verbum miſit Dominus in Jacobum, & *cecidit* in Iſraëlem, inſtar *fulminis* quaſi. ונפל. 273
— 10: 17. Erit Israëlis lux in ignem, ejusque Sanctus in flammam, inflammabitque & conſumet *Vepretum & ſenticetum* Aſſyrii exercitus uno die. שיתו ושמירו. 432
— 10: 18. Ab anima ad carnem usque abſumet & erit, ut quum contabeſcit *fruſtum carnis in igne crepitans micansque.* נסס. 67. 68
— 10: 34. Ecce Dominus detruncat ramum violenter, & celſi ſtatura ſuccidentur; altique dejicientur: *& diſcuſſis cacuminibus contundet* perplexa ſylvæ ferro. נקף. 155. 156
— 11: 12. Expulſi Israëlis, & *excuſſæ oves* Judæ. נפצות. 51
— 13: 3. *Heroës ſuperbe feroces & exultabundi ob victorias.* גברי עליזי גאותי. 328
— 13: 15. Omnis *exſuctus* confodietur & omnis *raſus* cadet gladio נמצא תספה pag. 165. 167. 517. vel alia adhuc verſione. Omnis *ecce deprenſus* confodietur, & omnis *ecce corraſus* gladio occumbet. 167
— 15: 3. Totus ejulat *& deſcendit in fletum, lavaturus* veluti. ירד בבכי. 98
— 16: 8. Vitis Sibmæa, cujus generoſæ propagines *conſauciarunt* Dominos gentium. הלמו. 128. Sic ante nos *Coccejus. Vitringa. &c.*
— 17: 6. Et relinquetur in eo, *quod altera vice bauriri poſſit; ut quum diffracto cacumine excutitur* olea. עללות כנקף זית. 100. 155
— 17: 11. In die *plagæ multa cum excoriatione inflictæ.* נחלה. 129
— 18: 4. Deſidam, *& furtivo lumine micabo* in ſede mea. אביטה. 152
— 20: 5. Conſternati & perplexi ſunt ob Cuſch *reſpectum ſuum.* Ex indole vocabuli, *quo micantem aciem* evibrabant. מבט. 153
— 20: 6. Ecce ſic habet *reſpectus noſter.* proprie, *quo vibrantem intendebamus aciem.* מבט. 153
— 21: 12. *Si efferveſcitis, tumetis, tumete:* & ultro citroque diſcurſate. אם תבעיון בעיו. 34. 35. 38
— 22: 8. *Et retegetur velum* Judææ, id eſt, *extremam miſeriam & ignominiam experietur* Judæa. ויגל את מסך. 427
— 23: 4. Non *firmos eduxi* juvenes, non *proceras educavi* virgines. גדלתי רוממתי. 403
— 24: 1. Ecce Dominus evacuat terram *lagenæ inſtar bombos edentis*: alliſamque capite ſiſtit *ut aquarum ritu diffluere faciat* incolas ejus. בוקק והפיץ. 57

Cap.

— 24: 13. Sic erit in medio terræ, inter populos, *ut quum diffracto ſparſoque cacumine excutitur olea, ut quum iterum iterumque exhauriuntur vineæ* poſt peractam vindemiam. כנקף זית כעללות. 155. coll. 100
— 26: 19. Et terra *cadere faciet* mortuos, id eſt, *partu enitetur.* תפיל. 274
— 27: 9. Quum ponet omnes lapides altaris, ut lapides fornacis calcariæ *excuſſos.* מנפצות. 51
— 28: 1. *Percuſſi, ſauciati a vino.* הלומי יין. 128
— 28: 12. Hic eſt locus *ubi recubatur ad aquas*, & hæc eſt *ſedes omni affluentia circumtremens*, id eſt, *circumfulgens.* מנוחה ומרגעה. 143
— 28: 28. Nec rotam plauſtri ſui *tabefacit*, id eſt, *nimis fervide agitat.* Vel ex aliorum mente. Nec rota plauſtri ſui *tabefacit*, id eſt, *penitus atterit.* המם. 69. 491
— 29: 1. Heus Ariël, Ariël, mihi es, Civitas in qua ſedit David *radite* anno ſuper anno: feſtas *capitibus diſcuſſis mactent* victimas. Vel intranſitive, ſolennes victimæ *diſcuſſis capitibus procumbant.* Poſterius reſpondet ינקפו חָג. p. 158. 159. Prius *radite* exprimit. ספו. 169
— 29: 10. *Clauſit* oculos veſtros, proprie *firmavit.* יעצם. 205
— 30: 1. Væ filiis refractariis —— qui *texunt texturam*, ſed non ſpiritu meo: ut peccatum ſuper peccatum *radant.* ספות. 170. 518
— 30: 13. Parietina lapſabunda & *ulceribus* quaſi *intumeſcens.* נבעה. 34
— 30: 26. Curavit *profundam cruentationem plagæ ejus, qua ſanguis exantlatur.* מחץ מכה. 348
— 30: 30. Et exaudiri fecit Dominus tonitru Majeſtatis ſuæ & deſcenſum brachii ſui oſtentavit; *fulmina reducto torta brachio; cum æſtu venenato naſi* בזעף אף id eſt, *vento peſtifero*, & flamma ignis conſumente: *Tremor, Excuſſio*, aderat, & imber & lapis grandinis. נפץ. 50
— 33: 3. A voce fremitus aufugerunt gentes; a celſitudine tua *excuſſæ ſunt nationes.* נפצו גוים. 51. 481
— 33: 4. *Secundum tondere, pectinare locuſtarum, diſcurſator in illo* ſcil. ſpolio, *tondebit.* כמשק גבים שקק בו. 333. ſeq.
— 33: 15. *Claudens* oculos ſuos, proprie *firmans.* עצם. 205
— 34: 5. Nam inebriatus eſt in cœlis gladius meus; ecce ſuper Edomitas *aquatum deſcendit.* תרד. 91. 93
— 34: 14. Ibi *circumtremet* ſtrix, & inveniet ſibi recubitorium. הרגיעה. id eſt, *deliciis circumfluet.* 137. 512
— 38: 1. Et conflictatus eſt Hiskias *malo excoriante* ad mortem. חלה. 126
— 38: 14. *Situlas* in altum *reciprocate* oculi mei: Domine opprimor &c. דלו למרום. 98

Cap.

Cap. 40: 11. Lactantes *largis hauſtibus recreabit.* ינהל. *Pag.* 107
— 42: 18. Surdi audite & cæci *vibrate* ad videndum: hoc eſt, *micantem aciem exerite.* הביטו. 152.153
— 49: 10. Miſerator eorum ducet eos, & ad ſcatebras aquarum *largis eos hauſtibus recreabit.* ינהלם. 107.500
— 49: 24. An capietur a potente captura? Et an *captiva turba Rigidi* liberabitur? שבי צדיק. 413.555
— 50: 11. Ecce omnes vos *ignem extundentes*, malleolisque cingentes; *diſpereatis ignis veſtri vapore*, malleolisque quos ſuccendiſtis. קדחי אש לכו באור אשכם. 38.41.475
— 51: 4. Lex a me prodibit, & judicium meum in lumen gentium *faciam emicare, vibrare.* ארגיע. 135.512
— 51: 15. *Convibrans* mare, ut fluctus ejus infremant. רגע. 145
— 51: 18. Non eſt ei, *qui hauſtulum præbeat* &c. מנהל. id eſt, *vel minima conſolatione refocillet.* 107
— 53: 10. Et Jehova volens *lubensque*, *attritionem ejus præſtitit excoriantem.* דכאו החלי. 127
— 54: 6. Mulier *conſtricta* ſpiritu. עצובת. 381
— 54: 12. Portas tuas ponam in *lapides ſcintillantes.* אבני אקדח. 41
— 58: 7. Quum videris nudum, utique conveſties illum, neque a tua ipſius carne *temet obſignabis.* תתעלם. 389
— 59: 3. *Omnibus nervis veſtris, exactores agitis. Rigidiſſime & nervis* quod dicitur, *intentis exactiones exercetis.* כל עצביכם תנגשו. 383
— 63: 10. *Obſtrigillarunt & ſua indomita contumacia male uſſerunt* Spiritum S. ejus. מרו ולצבו. 372.381
— 64: 1. Ut quum *emicat ignis fomitum*, igne aquæ rebulliant. כקדח אש המסים. 30.32.33.475
— 66: 4. Etiam ego eligam eorum *plagas iterum iterumque ſanguinem hauſturas.* תעלולים. 94.95
— 66: 11. Ut ſugatis & ſatiemini ex ubere conſolationum ejus: & *ſorbilletis* תמצו, ac deliciemini ex *tremulo ſplendore* gloriæ ejus. זיז. ſeu phraſi Arabica, *ex circumtremente ejus opulentia.* 140

J E R E M I A S.

Cap. 2: 17. Bibere aquas Nili & Euphratis, figurato ſermone poſitum eſt pro, *cum Niloticis Euphratenſibusque Diis adulterio miſceri.* 96
— 2: 23. Dromas velox *texens* vias ſuas. משרכת. 96
— 2: 25. Cohibe pedem tuum *ne diſcalceatus nudetur*, & guttur tuum *ne ſitiat.* Turpis libidinis honeſtum velamentum. 96
— 3: 12. *Non faciam, ut cadat facies mea in vos*, id eſt, *non exhibebo me vobis triſtem & offenſum.* לא אפיל פני בכם. 274

Cap.

Digitized by Google

Cap. 4:17. *Strinxit eum*, pro, *reluctatus eſt ei.* אתי מרתה. *Pag.* 370
— 5:15. Gens *perennis* illa, gens antiquiſſima. איתן. 120
— 6: 9. *Etiam atque etiam racemabunt* reliquias Iſraëlis, ut vitem. עולל יעוללו. 100
— 6:16. Invenite *abundantiam circumtrementem* pro animabus veſtris. מרגוע. Vel, *ſedem deliciis circumtrementem.* 142
— 7:20. Holocauſta veſtra *corradite* ſuper ſacrificia veſtra. ספו. 170.518
— 8:18. O tu, quæ me mœrore oppreſſam *renidere jubes & vultum ſerenare.* מבליגיתי. 22.473
— 9:17. Oculi noſtri *in lacrimas deſcendunt*, velut *aquatum euntes.* תרדנה דמעה. 97
— 10:19. Væ mihi ſuper contritione mea: plaga mea *excoriando inuſta eſt.* נחלה. 129
— 11: 3. Necibus *excoriationum* enecabuntur. תחלואים. 126
— 12: 4. Animalia & volucria *raſa ſunt.* ספתה. 168
— 13:14. *Et excutiam* eos unum ad alterum, *inſtar lagenarum.* 51. coll. 53
— 13:16. Flebit anima mea lacrimis ubertim euntibus; atque adeo oculus meus in lacrimas *aquatum deſcendet.* תרד. 97
— 14:17. Oculi mei in lacrimas *aquatum deſcendant* dies noctesque; ne conſileſcant. תרדנה. 97
— 14:17. Contritione valida contrita eſt filia populi mei; *plaga atrociſſime excoriando inuſta.* מכה נחלה מאר. 129
— 14:18. Ecce *excoriationes famis.* תחלואי רעב. 126
— 15:14. Ignis *in naſum meum proſiluit*, *irritatus eſt*, ſuper vos deflagrabit. Metaphora *a ſcintillis excuſſis.* קדחה באפי. 26. 27
— 17: 4. Ignis *in naſum meum proſiluit* &c. קדחה באפי. 26.27.423.475
— 22:21. *Fortunæ opimiores*, quæ pariunt cum ſecuritatem, tum faſtum. שלות. 226
— 22:28. *An nervus ſpretus & excuſſus*, eſt vir ille Chonia? An vas haud quaquam deſiderabile? העצב נבזה נפוץ. 51.384
— 23:29. Sicut malleus *diffringit petram.* יפצץ סלע. 486
— 30:12. Deſperatiſſima eſt contritio tua; plaga tua *excoriationibus inuſta eſt.* נחלה. 129
— 31: 2. Invenit gratiam in deſerto populus ſuperſtitum a gladio, *Eunte ad circumtremere ſuum Iſraële.* הלוך להרגיעו. id eſt, quum Iſraël *omni opulentia circumtremens* deſertum peragraret. 141.142
— 31:35. *Convibrans* mare, ut fluctus ejus infremant. רגע. 145
— 32:19. Magnus conſilio, & amplus *moliminibus exantlandis.* העליליה. 103
— 36: 7. *Cadere fecit deprecationem ſuam* coram Rege, id eſt, *ſubmiſſe & efficaciter ſimul rogavit.* הפיל תחנתו. 276
— 37:20. *Cadat* nunc deprecatio mea coram te; alio adſpectu, pro *admittatur, acceptetur.* תפל. 275

Digitized by Google

Cap. 38: 19. Ne tradant me in manum Chaldæorum, iique *in me libidinem ſuam expleant.* התעללו בי. *ſemet identidem ex me oblectando.* Pag. 101. 102
— 46: 20. *Morſus vellicans æſtri a ſeptentrione venit, venit.* קרץ מצפון בא בא. 206
— 47: 6. Heus gladie Domini, usque quo non *conſidis*, תשקטי: *recolligitor in vaginam tuam, diffulmina* & conſileſce. הרגעי. 136. 137. 512
— 48: 12. Ecce dies veniunt, quibus immitto in Moabum *Transfuſores, qui transfundent eum.* צעים וצעהו & vaſa ejus evacuabunt, & lagenas ejus *excutient.* ינפצו. 51
— 49: 9. Si vindemiatores ſuperveniſſent tibi, nonne reliquum feciſſent tibi, *quod ſecunda vice hauriri poſſet.* עללות. 100
— 49: 19. Ecce ut leo adſcendit ab elatione Jordanis ad manſionem, *amœnam ſedem, perennitatis.* נוה איתן. 119
— Ibid. Nam *evibrare eum faciam* & procurrere; id eſt, *vibrantis inſtar fulminis immittam.* ארגיעה אריצנו. 135
— 49: 25. Quomodo ut nihil deſerta eſt urbs celebratiſſima, civitas משושי *hilaritatis mihi.* 328
— 49: 31. *Gens liquida gaudens opimitate*, ſedens ſecuriſſime. גוי שליו. 226
— 50: 34. *Ut intremiſcere faciat* terram & inhorreſcere &c. למען הרגיע. 143
— 50: 44. *Amœna manſio perennitatis.* נוה איתן. 119
— Ibid. Nam *evibrare eum faciam* & procurrere, id eſt, *fulmineo curſu immittam.* ארגיעה אריצנו. 135
— 51: 14. Devoravit nos Nebucadnezar, *liquefecit nos.* המסנו. 490
— 51: 20. *Excuſſor* tu mihi, aries bellicus; & *excutiam* per te gentes &c. &c. נפצתי. 51. 480
— 51: 34. Devoravit me, *contabefecit me* &c. הממני. 68
— Ibid. *In latrinam expulit me.* הדיחני. 68
— 51: 39. Quum incaluerunt, compotationes ipſis apponam, *ut exultent* & dormiant ſomnum æternum, nec unquam evigilent. יעלזו. Ex ambiguo. 252

T H R E N I.

Cap. 1: 11. Vide Domine, & *micato*, id eſt, *aciem vibrantem admovete.* הביטה. 152
— 1: 12. *Micate* & videte, num ſit dolor ut dolor meus, quo *hauſit mihi* Dominus &c. עולל לי. 89. 90. 496
— 1: 16. Oculus meus *deſcendit in aquas lavaturus.* יורדה מים. 97
— 1: 22. *Hauri ipſis quemadmodum mibi hauſiſti.* עולל מו כאשר עוללת לי. 93. 496

— 2: 6. *Spuma naſi*, & ſummus Iræ fervor. זעם אף. 422
— 2:20. *Vibrante acie* introſpice, Domine, *cui hunc in modum hauſeris*. למי עללת כה. 94.496
— 3: 5. Circumvallavit me, *diſcuſſitque caput: & feſſus procumbo*. יקף ראש ותלאה. 156.157.517
— 3:47. *Rivos aquarum intrat* lavaturus oculus meus. פלגי מים תרד. 98
— 3:49. Oculus meus *bulliendo ſcaturit* נגרה, nec conticeſcit; *eo quod interſtitia nulla ſint mulgendi*. מאין הפגות. 98.99.346.533
— 3:51. Oculus meus animam *emulget* meam. עוללה. 97.98.99.496
— 3:56. Ne *obſignes* aurem tuam ſuſpirio meo clamorique. תעלם. 388

E Z E C H I E L.

Cap. 5: 6. Et *obſtrigillavit* judicia mea ad impietatem, id eſt, ſtatuta & jura mea *cavillans*, projecit ſeſe ad impietatem. ותמר. 371
— 16: 4. Quod ad natalia tua attinet, quo die in lucem edita es, umbilicus tuus non reſectus eſt, & aquis non es abluta *ad terſionem mihi*. למשעי. 322. coll. 328.525
— 16:31. Non exſtitiſti ut meretrix, *faciendo vomere mercedem*. לקלס אתנן. 399.400.547
— 16:49. *Tranquillitas ſedationis liquidiſſimæ*. שלות השקט. 224
— 20:35. Adducam vos *in vigorem ac virorem lætum fœderis renovandi ac veluti turgentis jam, & gemmas ſuas trudere parantis*. במסרת הברית. 354
— 21: 3. *Percuſſi ſunt* omnes vultus ab igne conſumente. נצרבו. 272
— 22:26. Sacerdotes violant legem meam &c. &c. & oculos ſuos a Sabbathis meis reſpiciendis & honorandis *obſignarunt*. העלימו. 388
— 23:42. Vocem multitudinis *tranquillæ*, id eſt, *felicis*, שלו. ut recte Coccejus. 226
— 31: 4. Aquæ cedrum iſtam *adoleſcere fecerunt*, abyſſus eam *in altum eduxit*. גדלוהו רוממתהו. 403
— 39: 9. Cremabunt & *incendent arma* Gogi & Magogi והשיקו בנשק. 335

D A N I E L.

Cap. 3: 8. *Sycophantas eorum egerunt*; vel *Sycophantati ſunt*. אכלו קרציהון. 202
— 3:14. *An ærugine*, o viri, Deos meos non adoratis? הצדא. 358
— 8:24. *In opimitate liquidiſſima* conſtitutus perdet multos. בשלוה. 226
— 11:21. Venit *in tranquillitate*, & occupavit regnum per blanditias. בשלוה. 225

 Cap.

Cap. 11: 24. *In tranquillitate*, etiam in pinguia provinciæ veniet. בשלות. *Pag.* 225
— 12: 7. Quumque finem habebit *excutere manum* populi ſancti, &c. id eſt, *Repudium*. נפץ יד. 46.482

H O S E A S.

Cap. 2: 13. Ornavitque ſe moniſi ac *polimento ſuo*. חליתה. 131
— 7: 5. Die Regis noſtri *excoriare fecerunt æſtum e vino* החלו חמת מיין. id eſt, *ſe invicem vino depoſuerunt ſaucios & velut excoriatos*. 127. 128
— 8: 7. *Raſorem turbinem* metent. סופה *a* ספה. 169
— 14: 1. *Quia incredulum dubitatorem*, vel *contumacem* juſſorum divinorum *detrectatorem te præbuiſti*. כי מרתה באלהיה. 370

A M O S.

Cap. 3: 15. Et peribunt domus eburneæ, ædesque magnificæ *radentur*. ספו. 173
— 5: 9. *Qui renidet, vultum ſerenat, clade in potentem invecta*. המבליג. vel potius, *Qui deſubito effulgere facit vaſtationem ſuper potentem*. המבליג שד על עז. 22.473
— 5: 24. Et evolvet ſe —— tanquam *perennis & uberi, & inexhauſta vena decurrens fluvius*, Juſtitia. נחל איתן. 114

O B A D J A.

Vers: 5. Si vindemiatores ſupervenirent tibi, nonne relinquerent *Quod ſecunda vice hauriri poſſet?* עללות. 100
Vers: 6. Ut perveſtigati ſunt Eſavidæ? ut *efferbuerunt, ebullierunt*, occulta eorum? נבעו. 34

M I C H A S.

Cap. 1: 4. Liqueſcent montes ſub eo: valles diffindentur, ut cera ante ignem, *ut aquæ magno ſonitu & ſtrepitu in præceps delabentes, ac veluti rebullientes & efferveſcentes inter præcipitandum*. כמים מגרים במורד. 347
— 1: 6. Lapides ejus *cum ſonitu & ſtrepitu faciam exæſtuare* in vallem. הגרתי. 347
— 6: 2. Audite montes contentionem Domini: & *vos perennia*: vos fundamenta terræ. האיתנים. 118
— 6: 13. *Percuſſionem tui faciam excoriantem*. החליתי הכותך. 127

Cap.

NAHUM.

Cap. 1: 3. Jehovæ via eſt *in vento radente ſimul & urente, &c.* בסופה ובסערה. 169
— 1:10. *Ad ſpinas usque perplexi.* id eſt, *ſpineti inſtar horrentes & aculeis formidabiles.* עד סירים סבוכים. 431
— 1:11. Prout integri ſunt, itemque ampli, ſic etiam *attondebuntur.* נגזו. 165
— 3: 5. Ecce te invaſurus ſum, ſatur Dominus, *& retegam lacinias tibi tuas in* faciem, & monſtrabo gentibus nuditatem tuam, regnisque ignominiam tuam. וגליתי שוליך. 429
— 3:11. Etiam tu inebriaberis *eris ſignata.* תהי נעלמה. 395
— 3:12. Non eſt hebetatio, mitigatio, fracturæ tuæ: plaga tua *excoriando inuſta eſt.* נחלה. 128. 129

HABACUC.

Cap. 1:10. In Reges ipſe *devomit* יתקלס. 400
— 2:16. *Convomitio ignominiæ.* קיקלון. 547
— 3: 6. Salire fecit gentes, & *violenter diffracti ſunt* montes æternitatis. יתפצצו. 486

ZEPHANJAS.

Cap. 2: 9. *Carminatio urticæ*, id eſt, locus ubi ſenticetum carminat & lacerat. ממשק. 331. 526
— 3: 6. *Ærugine*, id eſt, *ſideratione & vaſtitate percutientur urbes eorum*; ſive, *ad rubiginem redactæ ſunt urbes eorum.* נצדו עריהם. 357. 536

ZACHARIAS.

Cap. 1:17. Adhuc civitates meæ *exuberabunt* præ bonis rebus. תפוצנה. 55. 487
— 7: 7. Quum Hieroſolyma *floreret opimitate tranquilla.* ישבת ושלוה. 225

FINIS.

INDICULUS
RADICUM HEBRAICARUM,

Quarum deperdita & obliterata ſignificatio ex Arabum fontibus reponitur.

איתן *vid. infra ſub radicalibus* יתן.

בלג *Fulſit. Reſulſit.* figurate, *Reniduit*, *vultu reluxit diſſerenato.* in Hiphhil. הבליג *Fecit Refulgere*, *Fecit Renideſcere.* Hanc Radicem enucleatam, & hallucinationibus exemtam exhibet *Caput Primum Part. Prior. Orig. Pag.* 14. *& ſeq.*

גדל Proprie *firmiter torqueri*, *intorqueri*, improprie *Magnum fieri*, *grandeſcere*, *creſcere* &c. Pihh. *ſemet intorquere* &c. pro *graviter luctari.* 401. *& ſeq.*

גלע *Reſtrinxit & nudavit dentes more canino*, uſurpari amat in obſcœnis & impudentibus verbis ad quæ in alea, compotatione, lite, provolatur. In Hithpahhel *caninum in morem ringi*, *irritari.* 337. *& ſeq. coll.* 349

חמם *Liqueſecit* adipem. *Contabefecit. In Tabem dedit.* Metaphorice, *Expavefecit*, *Conſternavit*, *profligavit*, *anxietate & mœrore conſumſit.* Hoc fuſius adſtructum dat *Caput Quintum Part. Prior. Orig.* 57. *& ſeq.*

זבד Ἅπαξ λεγόμενον. *Utrem lactis movit & concuſſit parandi eliciendique butyri ergo.* Inſigni figura traductum ad *uterum partu concuſſum.* 48. *& ſeq.*

חכם Proprie *firmiter ſolideque fecit aliquid, ſolide compactus fuit*; improprie *Sapiens fuit* &c. 460. *& ſeq.*

חלא Radix obſoleta, quæ originem dedit vocabulo חלאה *Ærugo extrita*, *terendo evocata.* 122. *&* 125

חלה *Attritus fuit.* Dein *conflictatus fuit* morbo & omni genere malorum: denique, *flagellis ictibusque excoriatus fuit.* Evincitur hoc per *Caput Nonum Part. Prior. Orig.* 121. *& ſeq.*

חלח *Teri* pro *poliri* proſeminavit חלי & חליה *polimentum.* 130. 131

יתן *Perennis fuit. Jugi & inexhauſta fluxit vena.* Inde איתן in metaphora *præpinguis*, *copioſus*, *opulentus*, omni *felicitate circumfluens*, *vena nunquam intermoriente*, & alia figura, *perennis* pro *rigido*, *inflexibili*, *antiquum* illud ſuum *æviter obtinente.* Hæc omnia *Caput Octavum Part. Prior. Orig.* continet. 148. *& ſeq.*

מחץ *Hauſit*, *conturbato vehementius vado & ſitula huc illuc jactata*: ad *graviſſima vulnera* cum *fœda cruentatione* transfertur; ut Ἀντλεῖν & *Antlare.* 341. *coll.* 347. 484. *&* 529

מסר *Turſit*, *Tumuit*, Græcorum ὀργᾷν. 350. *&* 534

מרח *Strinxit*, *Perſtrinxit*, *Præſtrinxit* &c. inde manavit *ſtringendo preſſit*, item *ſtringente ſcutica percuſſit.* Item *obſtitit & diſputando contendit.* 369. *& ſeq.*

INDICULUS RADICUM HEBRAICARUM.

משע *Mulcere tergendo*, vel *blanda manu pertergere*. Radix *Hebr.* reſtituenda. 326. *& ſeq.* 525

משק *Pexuit*, *carminavit*, inde grandi metaphora, *laceravit*, *diſcerpſit*. 328. *& ſeq.* 526

נבה *Retuſus fuit*, *res quæ ob elationem protuberat*, *Tuberavit gladius*, *non amplius ſecans.* 324. *coll.* 523

נבט *Micuit*, *vibravit*; *tremulo & coruſco motu præditus fuit.* Inde הביט in Hiphhil. *Vibrantem aciem contendit exeruitque.* Hæc *Caput Undecimum Part. Prior. Orig.* continet. 148. *& ſeq.*

נגר *Bullivit & quidem cum ſonitu & ſingultu. Bulliendo efferbuit olla*, *nimioque bullitu aquam ſuperfudit.* ſplendide transfertur. 342. *& ſeq.*

נהל *Primo hauſtu diluit* & depulit *ſitim.* Inde in Pihhel, *Aquatum ducere* pecus *& recreare ſiti. levata.* Laxius etiam, *ſuſtentare & ubertim reficere* pane. Tralate, *bonarum rerum affluentia beare*, nec non *conſolari & refocillare.* Hæc *Caput Septimum Part. Prior. Orig.* proſequitur. 105. *& ſeq.*

נפץ *Excuſſit* tranſitive, & intranſitive *Excuſſus fuit.* Hinc *Excuſſit manum*, *Excuſſit uterum*, *Excuſſit vaſa*, &c. In *Capite Tertio Part. Prior. Orig.* 42. *& ſeq.*

נקף *Caput diffregit cum cerebri ſparſione.* Ut *Capite Duodecimo Part. Prior. Orig.* probatur. 154. *& ſeq.*

ספה *Radere*, *eradere*, *verrendo diſperdere & conſumere.* Item *corradere & coacervare.* Hæc *Caput Decimum Tertium Part. Prior. Orig.* exhibet. 161. *& ſeq.*

עלל *Prima ſiti levata*, *repetito eam hauſtu extinguere.* Metaphorice *repetitis ictibus haurire.* Item *Libidinis ſitim impotentius explere.* Iterum *ad plenum exhaurire racemando*, *carpendo*, *emulgendo*, *expilando.* Aliter *Haurire identidem* pro *ſemet oblectare.* Nec non pro *ardua patrare & exantlare.* *Caput Sextum Part. Prior. Orig.* hiſce impenditur. 69. *& ſeq.*

עלם Proprie & primario *Signare*, *ſigno impreſſo notare.* Hinc metaphorice *abſcondere*, quæ enim *condimus* ea fere *ſignamus* vel *ſigillo impreſſo claudimus.* 384. *& ſeq.*

עצב *Firmiter vinxit*, *arctiusve ſtrinxit.* 379. *& ſeq.*

פוץ *Abundavit*, *Exuberavit*, Extra ripas *Efferbuit.* *Diffuſus*, *Dilapſus*, *Diſperſus eſt.* Hæc *Caput Quartum Part. Prior. Orig.* 54. *& ſeq.*

פצץ Radix Hebræis poſtliminio reſtituenda. *Fregit cum diſſipatione.* Iidem in *Capite Quarto Part. Prior. Orig.* 54. *& ſeq.*

צרה *Rubiginoſus fuit*: eleganter translatum ad *odium*, *malignitatem*: itemque grandi figura ad *ſquallidam vaſtitatem* &c. 356. *& ſeq.*

צרק. In Origine *Recto-rigidus fuit*: unde ſecundario, *juſtus*, *verus fuit.* 410. *& ſeq.*

קרח *Extundi*, *Emicare*, *Exſilire*, *de ſcintillis* ex ſilice aliave materia *provocatis.* Nec non tranſitive, *ſcintillas laceſſivit*, *& irritavit.* Hæc *Caput Secundum Part. Prior. Orig.* tractat. 23. *& ſeq.*

קלם Proprie *vomere*, *convomere.* Metaph. *contumelioſe illudere.* 396. *& ſeq.*

קרץ

Digitized by Google

קרץ *Compreſſis digitis vellicavit*, inde *nictare* oculis. Hæc *Caput Secundum Part. Poſter. Orig.* evincit. 198. *& ſeq.*

רגע *Tremuit*, *vibravit*, *circumtremuit*, proprie *lumen*, *fulmen*. Inde *Tremulum micuit & vibravit oculus*. Nec non *coruſco ac fulmineo impetu ferri*. In Kal *vibravit*, *convibravit*, ſeu *inhorreſcere fecit* mare, terram &c. הרגיע in Hiphhil *circumtremuit* & ſplendide affluxit *opulentia*, ut & *fecit circumtremere opibus*; id eſt, *ſplendide & magnifice circumfluere*; Quæ *Caput Decimum Part. Prior. Orig.* ſiſtit. 132. *& ſeq.*

שבח *Mulcere*, *permulcere*, *& leni manu tactuve contrectare*. Hinc uſum ſecundarium diffundit partim *ad honorificentiſſimam laudationem*, partim *ad blandam ſedationem*. 384. *& ſeq.*

שלח *Liquavit*, *eliquavit*, hinc eleganter *ad liquidam & defæcatam tranquillitatem* tralatum, etiam pro *demulcere*, *ſuaviter illudere* &c. Hæc in *Capite Tertio Part. Poſter. Orig.* exhibentur. 218. *& ſeq.*

F I N I S.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

VOCUM ET LOCUTIONUM

HEBRAICARUM,

Quibus lucis nonnihil opera noſtra acceſſit.

א.

אבני אקדח *Lapides igniculati*, ſeu *ignibus & ſcintillis radiantes.* *Pag.* 41

אבעבעות *Purulentiæ effervеſcentes.* 33

אברה הסידה *penna pietaticultrix*; eleganter de *Ciconia.* 595

איתן vide ſub יתן.

אכל קרצא Phraſis Aramæa, proprie *comeſor cruſtuli*, id eſt, *paraſitus*, *ſycophanta*, vel, *comeſor vellicantis roſionis.* 202

אם *Mater*, forte pro *materno ſolo.* 572

אמלל *Lento igne coctum*, *excoctum*, *ſucco exhauſtum eſſe.* Dein *languere*, *debilem eſſe.* 203

אנף *In naſo affici* proprie, improprie *iraſci.* Ut *Stomachari* a *Stomacho.* Et μυκτηρίζειν ἀπὸ τοῦ μυκτῆρος. 26

אף *Naſus*, figurate, *ira*, *indignatio*, *faſtidium* ſeſe *fumante*, vel *ſuſpenſo naſo* exerens. 26. 418

אפים *Nares*, improprie itidem pro *affectu indignationis*, *faſtidii*, *irriſionis*, quo *nares corrugantur.* Horatius: *Ad hæc ego* Naribus *uti formido.* 27

אסף *Collegit*, *mæſtus*, *indignatus*, *iratus fuit*, a *collecto & ſubducto vultus lumine.* 270

אקדח Forma comparativa & ſuperlativa radicis קדח *ſcintillis micuit*, unde in precioſis lapidibus eſt *radiantior*, *radiantiſſimus.* 41

ארך אפים *Longus nares.* Hoc eſt, *Qui frena iræ ponere poteſt.* 26

ב.

בלג *nitere*, *renidere*, *renideſcere*, metaph. *recreari*, *refocillari.* 471

בעה *Efferbuit*, *Rebullivit* olla. Intranſitivum. Metaphorice *Rebullivit* & *Efferbuit purulentis eruptionibus* caro. Hinc audaciuſcule *Efferbuit* & *in-*

intumuit rimis biantibus paries. Alia figura, *Rebullivit*, & ſuo ſe tumore prodidit, atque erupit, *conſilium in occulto coctum*. Denique *Rebullivit*, *Efferbuit*, *Intumuit*, æſtu irarum vel curarum, animus. 38. *ſeq.*
בצע *Abrumpere vitam* alicujus ante diem. 221
בקק *Evacuavit* lagenam *multo cum bombo & ſtrepitu.* 57

ג.

גרל *Firmiter torqueri*, *intorqueri*. Vide in ſuperiore Indice. *Pag.* 401. *ſeq.* & 549
גרילים *Fila intorta.* Forma Pahil. 549
מגרל *Turris*, *Arx firmior.* 549. 550
גרש *Æſtus*, *æſtuatio*, *fluctuatio ferviſcens.* 146
גרש עפר *Æſtus pulveris* poëtice pro *ſordibus multo fluctu æſtuque efferveſcentibus.* 146
גלמוד *Durus ſilex* figurate pro *ſolitudine*, *ſterilitate.* 565

ד.

דבר *Struere*, *longa ſerie nectere:* hinc *ſtruere verba*, id eſt, *loqui*, *dicere*. Etiam abſolute pro *ſtruere dolum*, *machinationem.* 227
דלה *Situlis aquare*, *haurire.* 98
דלו עיני *Situlas reciprocate oculi mei.* Gemmula Orationis. 98

ה.

החלי דכאו *Excoriantem præſtitit attritionem ejus.* Elegans formula. 127
החלה הכותו *Excoriantem præſtitit percuſſionem ejus.* ibid.
החלה חמת *Excoriantem præſtitit æſtum vini.* 128
הלך *Ire* pro *perire.* 41
הלך לאטו *Ire ad lenem ſuſurrum ſuum.* pro eo quod eſt, *ire lenius & ſuo commodo.* 142
הלך להרגיש *Ivit ad circumtremere ſuum* fluvius. Id eſt, *pleno fluxit turgitque alveo.* Figurate de homine, *opulentia omni ſplendide circumfluxit.* ibid.
המם *Liqueſieri*, *tabeſieri.* Grandi figura, pro *terreſieri*, *fugari.* &c. 488. *ſeq.*
המסים *Arida virgulta. Cremia.* 31. 32
הפגות *Interſtitia mulgendi*, *intercapedines quibus mulgendi præbita pauſa*, *lac in ubera denuo confluit.* 98. 99

ז.

זבל & זבר Alliteratione ſuavi ſtructa. 48
זבר *Agitate utrem lactis.* Honeſte transfertur. 48 & 483

זהב *Aurum*, male petitur ab Arab. ذهب præſtrictos *habuit ab intuitu auri oculos.* Pag. 263
זיז שדי *Quod in agris micat, vibrat, perſultat.* Id eſt *læta & exultans* animalium *ſoboles.* 140
זיקות & זקים *Malleoli. Laqueoli picei*, tralate *materia ſeditionum, belli.* 40
זמם *Alligavit* jumentum currumve ad curſum ſuſcipiendum. Hinc זמה *ſcelus, aggreſſio audax facinoris.* 410
זפת *Pix*, non eſt a زفت *pice illivit.* 263
זעף אף *Æſtus venenatus naſi.* 50

ח.

חבש *Ligare, alligare, obligare.* Metaph *frenare.* 590
חגים *Feſtæ victimæ*, figurate pro *ſolennibus piaculis* iræ divinæ. 163
חדל *Ceſſare a moleſtia.* 577
לא תחדל *Non flacceſcet*, pro *vegetus eſt*: per λιτότητα. ibid.
חסם *Capiſtrare, refrenare.* Hinc *capiſtrare naſum*, eſt *iram refrenare.* 593
חלה & חלא *Teri*, τρίβεσθαι: hinc *infirmari, ægretare* &c. 508
חלה פנים *Attrivit faciem* alicujus, pro *fatigavit & obtudit orando.* Vel alio ex fonte, pro *frequentavit, ſtudioſius adiit & compellavit.* 130. 509
חלאה *Tritura æris.* 509
חלי *Plaga atterens & excorians.* ibid.
חלי & חליה *Polimina, polimenta* &c. a *terendo* ducta, pro *monilibus* &c. ibid.
חלק *Glabrum fecit, polivit, exaſciavit*: ſecundario *creavit.* 268
חלקלקות *Glabra* & quaſi *butyracea verba*, pro *blanditiis.* 225
חמוקים *Ambitus, ſuggeſtus, ordines artificioſe ſtructi, tornatique.* 131
חנף *Hypocrita*, in origine *Loripes, Claudicator.* 571
חפף *Fricando polire, tergere, mundare* &c. 590
חוף *Litus*, a *frictu attrituve.* ibid.
חפה *Thalamus*, a *nitore polito* &c. ibid.
חסד *Succi vigoriſque ubertas.* Inde *Largiflua munificentia.* Et alio rivulo, *Pietas ſucci vigoris, viroriſque plena.* 107
חפר *Fodere*, uſu ſignato. 576
חרה אף *Exarſit Naſus.* 26
חרף *Strinxit*: Secundario in Kal & Pihh. *Opprobrio affecit, perſtrinxit* &c. 587
חרף *Autumnus & Autumnitas.* ibid.

ט.

טבחתי *Mactatio mea*, pro *carnibus* &c. 589
טחות a טחה *Jactus vagi.* 595

י.

יחף *Diſcalceavit.* *Pag.* 513
ילך *Ire* pro *perire.* 40
יצא *Exire* pro *emicare*, *efflorefcere.* 568
יצוק *Fuſum fuſile* a יצק. 586
ירד בכי *Deſcendit fletum*, elliptice pro *in fletum;* floſculus orationis. 98
ירד בבכי *Deſcendit in fletum:* venuſta formula, pro *Lavaturus* veluti *lacrimis ſe ſuis merſit.* 98
ירד דמעה *Deſcendit lacrimas:* pro *in lacrimas aquatum & lavatum ivit.* 97
ירד מים *Deſcendit aquas.* Idem. 98
ירד פלגי מים *Deſcendit rivos aquarum.* Idem. ibid.
ירושלים *Hieroſolyma.* Forte ex ירוש & שלה *Hæreditaria poſſeſſio liquidæ tranquillitatis.* 232
יש *Subſtantia*, *Habentia*, *ipſa Opulentia.* 168
ישע *Spatioſus*, *laxus*, *amplus fuit.* Speciatim, *gradu polluit ſpatioſo.* Hæc proprietas radicis in Kal tralate primo, *Amplitudine polluit divitiarum.* Secundo, *Amplitudine potentiæ.* Tertio, *Amplitudine ſcientiæ.* Quarto, *Amplitudine felicitatis*, *beatitudinis & gloriæ.* Hinc נושע Zach. 9. Rex *ampliſſima hac* & numeroſiſſima *ſalute prædicus.* הושיע *in omnem hanc amplitudinem* ex inopia, anguſtia, caligine & miſeria, *eduxit.* 8. *ſeq.* & 455. *ſeq.*
ישע & ישועה *Laxitas.* Hinc pro *omni ſalute*, *felicitate*, *abundantia* &c. 460
יתן *Perenni vena fluere.* Inde איתן forma ſuperlat: *jugi fluxu prædicus.* 505

כ.

כדור pro כהדור Compoſ. ex tribus; longe diverſum a כִידור 578
כהן Recte a *Coccejo appropinquandi* notione auctum. 228
כון *Firmus fuit*, apud Arabes pro *exiſtentia* cujusvis rei uſurpatur. 268
כחש *Mendacium meum*, paſſive pro *mendacio adverſus me effutito.* 579
כיד *Excuſſio ſcintillarum:* inde *dolus*, *fraus*, *pernicies.* 578
כלח a Radice deperdita כלח *dentes deſtringere.* 568. 588
כנע *Contractis ex ariditate digitis torpuit.* 519
כתר *Coronare mihi pauca.* &c. 594

ל.

לא *Non:* ſæpe ſubſtant: τὸ μηδὲν. 575. 583
לוע *Æſtu interiore uri.* 568
ליש *Leo:* non ab Arab. لِيث *retulit leonem*, quod ſecundarium.
לקח *Cepit*, *accepit*, ſpeciatim in *conceptu palmæ.* 575

מ.

Digitized by Google

מ.

מורה *Stringens.* a מרה *ſtrinxit.* Unde מורה *Novacula* nomen duxit, & מרי *obſtrigillatio, contentioſa & ſtringens reluctatio.* *Pag.* 371. 595
מאם *Suppuratum fuit ulcus.* in Niphh. נמאם *multo vulnere* aut *ulcere tumuit & biavit.* 146
מחץ *Jactavit urnam ſitulamve* in puteo: ad *graviſſima vulnera* cum *fœda cruentatione* transfertur: ut Ἀντλεῖν & *Antlare.* 341. 484. 529
מיץ אפים *Preſſio, contractio, corrugatio narium. Rugoſa Sanna.* 27
מי מנוחות *Aquæ ad quas in genua procumbitur a gregibus paſtis potisque.* 106
מנוחה *Locus ubi greges recubant.* 143
מסס Eandem induit notionem ac המם, *liqueſcere, contabeſcere.* 67
מסר *Turſit, tumuit.* Ejus geminus uſus &c. 534
מצץ *Sugendo bibere, lentius ſorbillare.* 140
מרה, *Strinxit, perſtrinxit, uſſit* incuſſo flagello, inde ſecundario uſu *refragari, rebellare* &c. ut *obſtrigillare.* 103. 370. 544
מורה *Novacula a ſtringendo.* 372. 544
מרר ורב *Veneno exaſperatis jaculis appetivit.* 118
מטע *Terſit.* Radix Hebr. reſtituenda. 326. *ſeq.* & 525
מישק *Pexuit, carminavit;* inde grandi metaph. *laceravit, diſcerpſit.* 328. 526

נ.

נבה *Retuſus fuit* &c. Radix reſtituenda. 523
נבט vel יבט *Tremulum micuit*, eleganter de *acie oculorum.* Hinc הביט *intenta & vibranti acie intueri*, ἀτενίζειν. 514
נגר *Bullivit* &c. ſplendide transfertur. 342. 532
נהל *Bibere primo hauſtu* &c. in Pihh. tranſitive *aquatum ducere* &c. 509
נהללים *Loca rigua & fontibus perennia.* Figurate *fortunæ affluentiores.* 109
ניא *Crudus fuit.* 592
תנואה *Cruditas;* de *animo exacerbato* &c. ibid.
נמצא pro נמצה *Exſuctus*, pulcra figura auctum. 167
נסס *Fruſtum carnis in igne ſaliens micansque.* 67
נפל *Cadere*, varii uſus. 272
נפץ *Quatere, Excutere.* 477
נפש *Flatus, faſtus, elatus inflatusque Spiritus.* 157
נקט *Dirumpere, diſſilire* cum *fragore:* ſecundario translatum ad *tædium gravius.* 573
נקף *Tundere, contundere, gravi ictu perfringere caput* &c. 516
נשך *Momordit*, ad *fœnerationem* traductum. 210
נוקפים *Victimarii*, proprie *Capitum diſcuſſores*, Thalmudicis. 159

ס.

סערה *Ventus uſtor. Turbo* peſtifero æſtu gravidus. *Pag.* 169
ספה *Radere.* Aliquando *eradere*, id eſt, *diſperdere.* Aliquando *corradere*, id eſt, *addere*, *adjungere* &c. 517
סופה *Ventus Raſor. Turbo* cuncta violentius *radens verrensque.* 169

ע.

עברות אף *Æſtus*, *tumores*, *efferveſcentiæ naſi.* 56
עוילים *Clientes egentiſſimi.* 581
עטין *Locus riguus ubi poti procumbunt cameli.* Figurate poſitum, pro *ampliſſimarum opum fortunarumque ſede.* 110
עטינים *Incubatoria*, loca *fotionis*, ubi Cameli molliter *procumbunt* &c. a Rad. deperd. עטן *fovere* unde & Thalmud. 504
מעטן *Vas*, cupa olivarum. 504
עלץ & עלז *Exultare.* Arab. علز & علص *ægrotare*, ex Orig. ſuaviſſime concinunt. 250
עלל *Repetitis vicibus haurire*, *bibere* &c. Varie traductum. 496
עולל *Lactens*, *lac matris hauriens parvulus*, *infans.* 497
עלם *Signavit*, *obſignavit.* 387. 545
עלם *Adoleſcens*, proprie cui *illibatus* adhuc *bonos virginitatis.* 392. 546
עלמה *Virgo*, *puella*, *adoleſcentula ſignata.* 392. 546
עולם *Æternitas*, quaſi dicas, ſignatam *durationem*, *conditionem.* ibid.
עלומים *Adoleſcentia*, proprie *ſtatus obſignatus.* 546
התעלם in Hithpahh. aſſumtus uſus cothurnatus, in flumine עֲלוּמָיו *adoleſcentiari.* 545
עמד *Penes.* Amplectitur vim *ſtandi*, quam binis in locis expreſſimus. *pag.* 119. *Gloria mea recens* עמדי *Mecum perſtabat.* Et, *Sagittæ Omnipotentis* עמדי *in me ſtant defixæ.* 90
עמיר *Merges* a עמר *Merſit*, *oneravit.* 269
עצה *Firmus*, *durus fuit*: hinc ſecundario *Chald.* עצא *Contradixit*, *obſtitit* &c. & Æthiop. ዐጸወ *concluſit* januam. 205
עצה *Orrhopygium*, *Coccyx*, *Spondylium.* 206
עץ *Lignum*, ex eadem Rad. ibid.
עצם proprie *firmare*, hinc *claudere*, Gall. *fermer.* 205
עשן אף *Fumavit Naſus.* 26

פ.

פוץ & פיץ *Diffluere*, *diffundi*: metaph. *diſſipari*, *diſpergi.* 486
פחז *Levem*, *agilem*, *expeditum eſſe.* 118
פצץ *Diffringere* cum *diſſultu partium.* Verbum ὀνοματοπεποιημένον. 486

צ.

צרה *Rubiginoſus fuit:* eleganter translatum ad *odium*, *malignitatem:* itemque grandi figura ad *ſquallidam vaſtitatem* &c. *Pag.* 536
צדק in Origine *Recto—rigidus fuit:* unde ſecundario *juſtus* &c. 410. *ſeq.* 551
צוה *Juſſit*, *mandavit.* Proprie *injunxit.* Arab. وصي per *metathesin.* 513
צלם *Obſcuritas.* 269
צמים *Nodus plexus.* 580
צעה *Inclinavit & transfudit vas.* Figurate *ſedibus ejecit.* 51
צרב *Icit*, *percuſſit*, in Origine. Hinc *icit ignis*, id eſt, *uſſit:* Unde אש צרבת *ignis percutiens.* 270

ק.

קרח Thalmudicis *nimio ſale conditum eſſe* unde valeat & alio ſignificatu, *Germinavit.* Alio denique *Terebravit*, *terebrando ignem elicuit.* 42
קרחת *Malum Terebrans*, *erodens*, *&* *interiore æſtu abſumens.* 41
קהל *Squalluit*, origo ignota. 270
קוט *Scindi*, *rumpi*, *dirumpi moleſtia.* 573
קיץ *Æſtas*, male ab Arab. قاظ *æſtatem egit* derivatur. 263
קלס *Vomere*, Metaph. *contumelioſe illudere.* 546
קצר אפים *Brevis nares.* *Præceps in iram*, *iræ impotens.* 26
קרץ *Compreſſis digitis vellicavit:* inde *nictare* oculis. 201
קרץ *Morſus vellicans* œſtri. 208
קריץ & fem. קריצא vel קריצתא *Aurora*, *ortus ſolis:* a *pungendo* apud Chald. 212
קרץ Uſu Thalmud. *Vellicantibus digitis preſſit jugulum:* vel & *jugulum incidit.* 208
מקרצות *Orbiculi*, *fruſta maſſæ farinaceæ.* ibid.

ר.

ראה forte pro רוה *Ebrius:* ſed concinnius. *Spectator.* 574
רגע *Vibravit*, *coruſcavit tremulo motu.* 510. *ſeqq.*
רוא *Splenduit acies oculorum*, *micuit* &c. 525
רוח *Reſpirium.* 570
ריב In Origine ſignat *conturbationem & concuſſionem* ex injecto ſcrupulo oriundam. 224
ריר חלמות *Saliva ſomnolentiæ.* 569
רשף Minus conſiderate a Cl. Hotting. ex *Arabiſmo* illuſtratum. 263
שער In Origine, *irrequietus*, *irrequieto motu jactatus.* 566

ש.

שאנן & שלאנן *Eliquata tranquillitate abundare* a Rad. אנן. *Pag.* 233. *ſeq.* 566
שבח *Mulcere*, inde ſecundario uſu *compeſcere*, *ſedare:* item *laudare*, *laudibus permulcere.* 539
שבר *Fregit.* 270
שבוי *Phænomenon.* 595
שלה apud Paraphraſtas pro שגה & שגג *in errorem induxit* &c. 226
שלו pao שלות *Error*, *negligentia*, *incuria:* a *liquido & ſecuro nimio.* 226
שלוה *Liquida tranquillitas*, pro *fortunis Regalibus.* 225
Speciatim de *inſolentia* ex *opima fortuna* proveniente. 226
בשלי Forte de *improviſo* ex uſu Aram.
מן שליא & מן תחת שליא *De ſub tranquillitate liquida*, *cum nihil metuitur* &c. 227
שליה ſem. a שלי vel שלה *fœtus ſecundis adhuc adhærens.* 219. 221
שלים in ירושלים terminatio pluralis vetus a שלה ut שמים *cœli*, a שמה. 232
שילה *Schilo.* Forte ab hac Rad. *Eliquator*, id eſt, *Tranquillator.* 231
שלו *Coturnix*, ab *opimo & pingui:* ab eadem forte Rad. ibid.
שלל *Raptim educere*, *extrahere:* inde forte vocula. 227
של *Præcipitantia.* ibid.
שמח Proprie *enodis fuit.* Inde *lætus:* item *liberalis* &c. 269
שער Ejus diverſi ſignificatus quomodo ordinandi. 269
שקט *Conſidere*, *deſidere.* 137
שרירות הלב *Intimum ſecretum cordis.* 173

ת.

תחלוא *Quicquid* plagarum atterit & *Excoriat.* Vel potius; *ipſe ille ſtatus corporis excoriati.* 126
תלאה *Laſſitudo.* Abruptius illatum, pro *laſſor*, *fatiſco*, *procumbo.* 157
תפל *Salivans*, *ſputans*, proprie: ſecundario *inſulſum*, *jejunum*, *futile.* 569
תפלה *Sputatio.* 585

F I N I S.

INDEX RADICUM,

Vocum, & Phraſium Arabicarum, quæ explicantur & illuſtrantur.

ا

ابلج Conjug. 4. verbi بلج *Fecit fulgere.* Metaphorice *clarum* & *maniſeſtum reddidit*, nec non *mœrore levavit.* *pag.* 19, 20
ابلج Comparativa & ſuperlativa forma ejusdem radicis, ſummum gradum exprimens *fulgidi*, & in metaph. *evidentis*, nec non *læti*, *renidentis*, *exporrecti vultu.* 20
اخلق ديباجته *Attrivit ſericum ſuum*, id eſt, *genas ſericeas & teneras; perfricuit*, *perfrictam ſumſit frontem.* 129, 130
اسف *Mœruit*, *cum ſollicitudine dolorem aut iram concepit.* 259. 270
الم *Doluit*, proprie *conſtrictus fuit.* 270
انف *Naſus.* Vide diverſas vocis hujus figuras. 418. *ſeqq.*
بحر *Mare*, alias يم, ſic dictum quaſi *fiſſio.* 269
برق *Fulſit. Fulguravit;* metaphorice in *oculo vibrante.* 135
بلج *Fulſit* ſol, aurora. *Reniduit*, *riſitque*, os, tralate. 20. 471
بليج *Refulgens. Renidens.* 91
بن *Duravit*, *perſeveravit*, unde menda e Polyglottis eluitur, بنت قوسه *perſeveravit arcus ejus*, &c. 119
بغا Ultima *je*, diverſis ſignificationibus luxurians apud Golium, ad unam *efferveſcendi* revocatur, unde ceteræ omnes dimanarunt; ſic ut, 1. *Exorbitavit*, *deflexit a vero & juſto*, figurate & graviter ſit quaſi *efferbuit & divagatus eſt extra ripas* officii. 2. *Inſolens fuit*, *inſultavit violentius*, itidem fluxerit a *tumore* in omnem injuriam *efferveſcente.* 3. *Vehementer pluit* cœlum, valeat ex origine *Efferbuit* & fluminis ritu *exundavit.* 4. *Intumuit ſanieque ſorduit* vulnus ulcusve, exhibeat *purulentiam efferveſcentem.* 5. *Alacer agiliſque ſuit* equus, & in genere, *celeriter inceſſit & feſtinavit*, proprie ſit, *Efferbuit*, & *ſuperfundenti* ſe *æſtu* currendi extulit & admiſit. 6. *Petiit*, *expetiit*, *quæſivit*, hauſtum ſit ab *æſtu* ſolicitudinis ac curarum, quo *animus efferveſcit*, & anxie anquirit. 33

4

Digitized by Google

ت

تحلي *Pellis læſio & affectio, qua radendo & excoriando perfora-tur.* 123
تعلة *Sermones & fabulæ quibus ſe invicem lactant & demulcent con-fabulantes.* Ab hauriendo ducta figura. 102

ج

جاش مرجلي *Bullit, æſtuat ahenum meum,* pro *animus ira efferve-ſcit.* 37
جاشت الي النفس *Ebullit,* ollæ inſtar, *contra me anima,* in *metu* & *curarum æſtu.* ibid.
جاشت القدور الغوالي *Æſtuant ollæ bullientes,* in *curſu effuſo* & *ef-ferveſcente veluti.* 38
جياش *Rebulliens, Æſtuabundus* equus. Qui *ſuperfundenti ſemel æſtu* inter currendum *fervet ferturque.* ibid.
جدل In origine eſt *firmiter torquere & plectere funiculum.* 401. 549
جديل *E loris plexum quid pilisve.* 402
ساعد اجدل *Lacertus, brachium firmius intortum,* & *compactum,* qualis eſt *Athletæ* videlicet, & *fortiſſimi bellatoris.* ibid.
جلع Exhibet *reſtrictionem dentium caninam,* quæ ſpeciatim uſurpari amat in *obſcœnis* & *impudentibus verbis.* 349
جهن *Appropinquavit, propius acceſſit.* 228

ح

حاص *Conſuere, arctare oculos.* 270
حزق In *Origine* notat *compactionem firmius revinctam.* 402
حكم In *Origine* ſignat *firmitatem* πυκινῶς ἀρηρυῖαν, *aptiſſime nexam, compactam, ſolidam, durabilem.* 406
حفي *Diſcalceatus fuit.* 513
حفول الضرع *Confluxus uberis,* ſive *ubera mammarum lactis plena,* figurate in *opum affluentia.* 111
حلا ult. *Hamzata. Trivit, attrivit;* ſpeciatim *lapidem,* vel *ferrum,* usque dum *rubigo* & *collyrium* eliciatur. 122. 509
حلات الجلد *Trivi, Raſi, Decorticavi* pellem, cutim, cubitum, alia. 123
حلي الاديم *Tritum eſt corium,* id eſt, *ſub cultro radente corruptum & perforatum.* ibid.

حليت

حليت شفتي *Tritum eſt labium meum*, id eſt, *puſtulis & tuberculis excoriatum.* ibid.
حلاته بالسوط *Trivi ipſum flagello*, pro *Excoriavi & percuſſi.* ibid.
حلاته بالسيف *Trivi ipſum gladio*, pro *Percuſſi & confeci.* ibid.
حلات الابل عن الماء *Trivi camelos ab aqua*, id eſt, *Attrito flagellis dorſo abegi.* 124
حلاته ماية درهم *Trivi ipſi centum drachmas*, pro *donavi;* forte quod *digitis* in numerando *terantur:* vel, quod nunc tempori in mentem eſt, *tritas*, *politas*, & *nitide refulgentes* exhibui. ibid.
Confer حلي *polimentum.*
حلاته *Trivi eum*, pro *humi* ſtravi, *obtrivi.* ibid.
حلاتها *Trivi eam*, pro *ſubegi*, *compreſſi.* ibid.
حلات حالية عن كوعها *Decorticavit* aliquid *comtula a cubito ſuo.* Proverbium. 123
حلاتك حلاء غير مردود *Trivi tibi collyrium nunquam repudiatæ.* Proverbium. 122
حلب *Mulſit.* Figurate *pluviam elicuit* ventus. 63
Vide دمى & مري
حلي Ult. *Ic. Mu..dus muliebris*, a *politura* & *tritura*, qua prænitet. 130
Vide حلا ult. *Eliph.*
حلية *Externa forma*, *deſcriptioque* viri apud Golium, proprie *politura*, *lævigata facies*, & *circumcæſura.* 131
حلية *Politura*, *nitor* Orationis. ibid.
حلية *Polimenta & ornamenta*, quibus regales vaginæ præfulgent. 130
حلي الزمان *Polimentum ſeculi*, id eſt, *lumen & ornamentum*, de Viro illuſtri. 131

خ

خاض Ejusdem notionis atque مخض 348
خرط القتاد *Decorticatio tragacanthæ*, arboris aculeatæ; hac formula indicari ſolet proverbialiter *maxima* & *inſuperabilis ferme difficultas.* 432
خلق *Glabrum fecit*, *polivit*, *exaſciavit;* & ſecundario *creavit.* 268
خلقة *Lævigata facies*, *politura*, *circumcæſura* corporis. 131

د

ديباج *Sericum*, pro *frontis ingenuæ teneritudine & honeſto pudore.* 129

ديباجة *Genæ ſericeæ* & *teneræ.* 129, 130
دولة *Fortunæ felicior ſtatus* & *curſus.* 433
درّ *Largiter lactis emiſit* Camelus, tralate, *largiter humoris pluvii* cœlum. 63
لله درّك *Per Deum, illum lactis fluxum!* formula ſolennis, in eo qui *Eloquentia* aliisque rebus præpollet. 110, 111
درّ درّه *Copioſe fluxit lac ejus*, pro *bonis rebus abundavit.* 111

ذ

ذهب *Præſtrictos habuit ex intuitu auri oculos.* 263
ذيل *Lacinia. Cauda veſtis. Syrma.* 429, 430

ر

رجع Proprie *Vibravit.* 511
رحي *Mola.* Vide figuras. 434, 435
رعج *Tremulo motu agitatus fuit.* 133
رعج البرق *Tremuit, circumtremuit* fulgur. 134
رعج ماله *Circumtremuerunt opes ejus*, id eſt, *ſplendide affluxerunt.* ibid.
رعج عدده *Circumtremuit apparatus ejus*, pro *magnifice copioſus fuit.* 133
رعج الوادي *Circumtremuit alveus*, id eſt, *tremulis & vibrantibus undis circumfluxit.* 133, 134
ارعجه الله *Fecit eum circumtremere Deum*, id eſt, *ſplendida affluentia & opulentia beavit.* 134
ركد القوم *In ſummo* felicitatis *culmine* fuit populus. 114
ركود *In ſummo* Perennitatis *culmine ſtans. vigensque.* De *Camelo* ناقة ركود *Quæ inexhauſto pollet ubere.* De *ſcutella* قصعة ركود *Quæ bonis rebus jugiter affluit & exuberat.* De *valle* ناصفة ركود *Omni copia & ubertate florens.* 114

ز

زبد *Zebed*, *Spuma* aquæ, cameli, argenti &c. 49
زبده تغرم *Diffiſſa eſt ſpuma ejus*, id eſt, *ira ejus diſcuſſa eſt.* ibid.
زبد اللبن *Zubd*, *Spuma lactis* ſeu *butyrum.* ibid.
زبد الحديث *Butyrum ſermonis.* figurata locutio. ibid.
زبد الحديث *Spuma ſermonis.* alia figura. ibid.

زبدته

Digitized by Google

زبدت سقاها *Utrem ſuum concuſſit ad butyrum eliciendum* mulier. 49. 484. figurate *parturivit*, *enixa eſt*.
زبد القطن In 2. Conj. *Spumare fecit Goſſypium*, id eſt, *carminavit*. 49
زبد الشدق *Spumavit rictus.* proprie, & improprie de *ira* ac *rabie*. ibid.
تزبد شدق فلان *Deſpumavit rictus* illius. ibid.
تزبد اليمين *Deſpumavit jusjurandum*, id eſt, *temerarius & præceps fuit* ad illud ſuſcipiendum. Minus rite Golius *properanter petivit*. ibid.
زبدت الرجل *Levi dono aliquem donavi*, a *ſpuma* tenui & evanida tractum. ibid.
زفت *Pice illivit.* 263
زند *Igniarium* Arabum. *Lignum quod attritu & rotatu ſuo cum* altero *ligno*, *cujus in cavitatem inſeritur*, *ignem gignit*. 29
زندة *Inferius* illud *lignum*, quod a *ſuperiori* terebratur. ibid.
زنادي ورت *Fomites qui ignem conceperunt.* Figura eſt multis ſenſibus læta, apud *Golium* exponitur, *Res meæ feliciter ſucceſſerunt*. Confer formulam, *Quum Marcb ignem non concipit ſub Afar*, in ſummis rerum anguſtiis, & calamitatibus. ibid.
زند واري *Fomes ignem edens.* Eſt *ingenium benignum*, & *ad ſcintillas* judicii *ſpargendas* facile. 39
Cetera vide ſub قدح
يعتلث الزناد *Non diſcernit* Seligitve *fomites: Confuſus eſt in fomitibus legendis*, neſciens igni emittendo idonei ſint, nec ne. Figurate pro لم يتخير منكحه *Promiſcuo & vulgivago uſus eſt congreſſu*; apud *Golium* in rad. علث
زنده كبا *Fomes ejus feſellit.* Id eſt, *non micuit ſcintilla* ingenii, liberalitatis, munificentiæ, &c. *inficetior*, aut *illiberalior deprehenſus eſt*. 39
زنده كبل *Fomes*, igniarium, *ejus torpuit*. Emblema *Triparci*, & *avari*. Hebræis כילי ab eadem radice, eademque forte origine. Golius ſub كال.

س

سبح In Origine convenit cum سبخ. 364
سبخ Proprie *Permulſit*, & *leni manu tactuve contrectavit*. 359
تسبخ الحر *Deferbuit æſtus*, *calor remiſit*, prop. *remulſus*, *permulſus eſt*. 363

 سحل

سحل *Trivit, lævigavit, confricuit.* 591
سفي *Raſit, radendo everrit,* ut سفى & سفن. 162
سفت الريح التراب *Radit terram ventus,* pro *pulverem verrit vebitque.* ibid.
سافية *Radens,* vel *Raſor,* ſupple *ventus,* turbo. ibid.
سوافي الرياح *Radentes ventorum,* conſtructio plena. ibid.
سافيا *Ventus Raſor.* ibid.
سفا *Omne illud quod turbo radit verritque.* ibid.
سفي *Raſit,* pro *celerrime perſtrinxit iter,* qua eundo, qua volando. ibid.
اسفي Comparativum. *Vehementius radens,* tralate *rapidus* & *velox.* in fœminino سفواء & سفياء unde بغلة سفواء *Mulus vehementiſſime Radens.* 163
اسفي بة Conjug. 4. *Raſuram in eo exercuit,* allegorice pro *vexavit,* & *ſtrictim attondit* doctis dolis. 164
سفاء *Raſor, attonſor,* pro *obtrectatore,* & *maledico.* ibid.
اسفي 4. Conj. *Raſit,* pro *perdidit, radendo delevit.* ibid.
سلا Ult. *vaw* & *je,* proprie *Liquavit, eliquavit.* 222
سلا السمن *Liquavit butyrum;* & quidem *depurandi* ergo. ibid.
سلوي *Mel.* 219
سلوة *Affluentia omnium rerum.* ibid.
السلا *Membrana tenuis fœtus pecudum involvens.* ibid.
سمح *Beneficus, liberalis, facilis, Clemens fuit.* 258
سعر *Accendit* bellum, occaſionem *præbuit* ei ac *poteſtatem* ad malum. 258.269

ش

شبر *Spithamis dimenſus fuit. Donavit.* 259.270
شاس *Limis intueri præ ſuperbia vel ira.* 270
شاط Med. *Je,* in *butyro, oleove,* eſt *excoqui ita ut aduratur:* in *olla ſic aduri ut particula rei coctæ adhæreſcat.* 260
شطن *Procul abſuit.* ibid.
شوكة *Spina, ſpinetum.* 431

ص

صدا Ult. *Vaw* & *Je* atque *Eliph,* teritur in *rubigine ferri* aut *æris.* 356.536
صدى الحديد *Ferrum rubiginem contraxit.* ibid.
برية صادية *Deſertum rubiginoſum,* pro *aqua penitus deſtitutum.* 357

صدق

صدق Nativam vim habet in *rigore inflexibili.* 410. ſeqq. & 551

صفا Ult. *Waw*, in 4. Conj: *Inclinavit* vas ad evergendum liquorem tralate, *imminuit* alicujus *jus*, felicitatem; & figura altiore, de *ſede* in *ſedem* deportavit & *transfudit.* 51

صفر وطبه *Evacuatus eſt uter ejus*, in eo qui *moritur.* 52, 53

ض

ضرب *Icit*, *percuſſit.* 271

ضرب الله مثلا *Percuſſit Deus adagium*, pro *narravit* & *clare propoſuit.* 271

ضرب الدهر ضربانه *Percuſſit fortuna illum ſuum*, pro *fatale quid dedit.* 271

ضربنا علي اذانهم *Icimus ſuper aures eorum*, pro, *fecimus eos ſtertere.* 272

ضرب البوق *Icit buccinam*, pro *inflavit.* ibid.

ط

طحن *Moluit*, *commoluit;* uſurpatur in *perdendo* & *conterendo.* 439

ع

عصب Primariam vim in *ſtringendo* habet. 379. ſeqq.

عص *Dura*, *firma*, *valida fuit* radix. 205

عصي Ult. *Je* & *Waw*, in 8*va* ſpec. exponitur *induruit* os dactyli, quaſi frangenti *contumax fuit;* ait Cl. *Golius;* mihi contrario ordine, *contumelia*, *rebellio*, *inobedientia*, a *duro* ſubnata videtur. 205, 206

عصا *Fuſtis*, *baculus.* 206

عصعص *Orrhopygium. Coccyx. Spondylum.* 206

عطن Proprie *Fovit.* 504

علز *Ægritudine adfectus*, & *jactatus fuit.* 250. 270

علم Proprie *Signo impreſſo notavit.* 387

علم Eſt *nota fronti*, vel *femori*, vel alteri *membro* addita qua pecudes dignoſcuntur. 396

علل *Iterata hauriendi actio. Hauſtus potusve repetitus.* 78, 79, 80

سقاه علل بعد نهل *Largiſſime ipſi præbuit haurire.* 78

عل Tranſitive, *Hauriendum dedit ſecunda vice*, *poſt priorem hauſtum.* Nec non intranſitive, *ſecunda vice hauſit.* ibid.

عل

Digitized by Google

عل الضارب المضروب *Hauſit percuſſor ſecunda vice percuſſum*, pro *ictibus eum repetiit & exhauſit.* 78, 79, 80, 81
عل سيفي *Hauſit ſecunda vice gladius meus.* 82
علت قناتي *Hauſerunt ſecunda vice haſtæ meæ.* ibid.
عله المرض *Hauſit eum identidem morbus.* 87
عام الزمان *Hauſit eum tempus*, dies, fatum. Mortibus familiam exhauſit. Seneca Tragicus. *Quos Hauſit, quos peremit, quos leto dedit, fatum dieſque.* 87
علة *Morbus*, ab *Hauriendo* corpore ſic dictus. ibid.
Etymon quod ipſos Arabes fefellit. ibid.
عليل *Debilis, cauſarius, morbis hauſtus.* Unde in 4 Conj. اعل *debilitavit, morbis affecit*, & in 8. Conj. اعتل *iiſdem hauſtus eſt.* 78, 79. 87
معلول & معل participia ejuſdem notionis.
علات الزمان *Clades haurientes temporis.* Calamitates & infortunia. 88
عل من الامراة *Hauſit iterum iterumque ex Femina*, pro *libidinis ſitim explevit* plus vice ſimplici. Speciatim *aliam primæ ſuperinduxit uxorem.* 80
علل Conj. 2. cujus actio eſt تعليل *iterato hauſit*, nec non, *ſecunda vice carpſit legitque* fructus. 78
معلل Particip. Conj. 2. *Qui iteratis hauſtibus bibit. Qui ſecunda vice carpit & exhaurit* Vindemiam. Item *Collector & exactor tributi.* 80, 81. 86
اعتله Conjug. 8. *Iterum iterumque carpſit Eum.* pro vellicavit, vexavit, laceravit calumniis. 78. 86
اعتل عليه *Carpſit iterum iterumque ſuper eo.* Idem. 86
علة *Cauſa, calumnia, prætextus.* Hebraice עלילת דברים. علل Conj. 2. poteſtatis tranſitivæ. *Secunda vice bauriendam præbuit, delinivit, lactavit.* 80
علله بطعام *Delinivit, lactavit eum edulio*, dulcive cruſtulo. ibid.
تعلل بالامر *Negotio aliquo delinitus & lactatus eſt.* Conjug. 5. ibid.
تعللوا بالحديث *Semet lactarunt confabulatione.* 102
تعلة *Mutua confabulatio*, qua invicem nos lactamus & demulcemus. ibid.
علل Conj. 2. tranſitiv. *delinivit, oblectavit*, pro *occupatum tenuit & diſtraxit.* 80. 88
علالة *Res qua quis divertitur, diſtrahitur, occupatur, lactatur.* ibid.
علة *Occupatio.* ibid.

علالة

Digitized by Google

علالة *Quod ſecunda vice mulgetur*, poſt aliquantum intervalli. Nec non, *Reliquiæ lactis aliarumve rerum*, quæ denuo confluunt, & *plus vice ſimplici hauriri* poſſunt. 78. 80. 85
علالة الدمع *Reliquiæ lacrymarum*, quæ denuo confluxerunt, & *identidem emulgentur* atque *exbauriuntur*. 85. 99
علالة الجري *Reliquiæ curſus equini*, quum denuo vires collegit, *quas novo identidem impetu exbauriat*. 78. 80. 85, 86
تعالل Conj. 6. *perennem* Curſoris equi *vigorem exhauſit*. 85
عالل Conj. 3. *Mulſit*, *emulſit*, *exbauſit* cujuscunque rei *reliquias denuo confluentes*. 99
عالت الابل Conj. 3. Intranſitive ſumta. *Ad extremas usque reliquias emulgentur cameli*. 98
عورة *Nuditas pudenda*. 430
عين *Oculus*. Vide ſolennes Orientalium formulas. 425, 426

غ

غمز Duplici ſignificatione pollet *Innuendi* & *diffamandi*. 202

ف

فواق *Quod binas mulgendi actiones intercedit ſpatium*. 99
فيقة *Lac illud, quod emulctis uberibus denuo confluit*. ibid.
فرج Tum *maris* tum potiſſimum *feminæ pudenda*, nec non *confinia nuda & aperta hoſti*. 431
فض *Fregit cum diſſipatione*. 54. 486
فض الله فاه *Fregit os ejus Deus*. Solennis locutio. 54
فضض من لعنة الله *Particula diffracta ex maledictione Dei*. Id eſt, *progenitura*, *ſemen maledictum*. ibid.
فض ختم سره *Diffregit ſigillum ſecreti ejus*. ibid.
فاضة Partic. præſ. 1 Conj. fœmin. *Infortunium*, quaſi dicas, *malum frangens diſſipanſque*. ibid.
فاض Med. *je*. *Exuberavit. Exundavit*. Metaphorice. *Largus*, *liberalis*, *munificus fuit*. 55. 486
فاض صدره بالسر *Exundavit pectus ejus ſecreto*. 55
فاض الامر *Exundavit* & in famam *dimanavit* negotium. 56
فاض *Exundavit*, in curſum effuſus fuit. ibid.

ق

قاظ *Æſtatem exegit*, *aeſtiva habuit* in aliquo loco. 263

قدح بالزند *Terebravit in Fomite. Lignorum mutuo attritu ſcintillas elicuit & exterebravit.* 28

قدحت النار *Exterebravi ignem.* 28, 29

قدحت في نسبه *Terebravi in ſtirpe ejus*, pro *obtrectavi eum*, *& maledictis laceſſivi ac confodi.* 28

قدح الدود في الاسنان *Terebravit vermis in dentibus.* ibid.

قادح *Dentis* vel *arboris eroſio*, proprie *malum* vel *peſtis terebrans.* ibid.

قادحة *Vermiculus terebrans* in arbore, vel dente. ibid.

قدح زند فتنة *Terebravit fomitem* & materiam *ſeditionis* ac *diſcordiæ.* Gravis & venuſta figura. 39

قدح الشر *Terebravit malum* pro *tritu* velut fomitum *irritavit*, & ad *ſcintillas ſpargendas* laceſſivit. 28

قدح زناد الحرب *Terebravit fomites belli*, id eſt, *ſcintillas* & *ſemina bellorum terebrando*, & callida conſilia verſando, *elicuit*. p. 40. Similiter dixeris قدح زند الغضب *Terebravit fomitem iræ*, pro eo quod eſt, *iræ ſcintillas & ſemina elicuit & irritavit.* Et قدح النار بانفه *ignem in Naſum ejus exterebravit*, *& irritando ſcintillas provocavit.* Hoc ad verbum eſt קָרְחָה אֵשׁ בְּאַפִּי. Et intranſitive, *ignis in Naſo ejus irritatus & exterebratus eſt*, quam pulcherrimam imaginem *Terebrandi* in locis illis, ubi formula hæc occurrit, probe teneri velim.

قدح الزند *Terebravit fomitem* ingenii, ad bonas vel malas artes inde eliciendas, alia figura perelegans. 38

قادح لا يوري *Terebrans* fomitem *nec tamen ſcintillans eliciens*, in eo cui arida eſt & maligna ingenii vena. 29. 39

قدحوا زناد المباحثة *Terebrarunt fomites diſceptationis.* Hoc eſt, ultro citroque ſe acuerunt, & *ingenii ſcintillas* inter ſe *elicuerunt.* 39

قحم *Ingreſſus eſt aquam profundiorem. Intravit gurgitem.* Metaphorice *ardua ſubiit & patravit.* 103

مقحام *Qui rerum moles & gurgites intrepidus*, vel *temerarius* etiam, *ſubit*. pluraliter مقاحيم. ibid.

قرص In Origine *compreſſis digitis vellicavit.* 200

قرص العجين *Vellicavit maſſam ſubactam* piſtor, hoc eſt, *concerpſit eam in orbiculos*, ad panes inde formandos. 201

Digitized by Google

قارصة Abſolute eſt. *Maledictum, convicium, dictum vellicans.* 202
قرص البراغيث لسعها *Vellicatio pulicum* eſt *eorundem punctio.* 208
قرض In Origine ſua idem plana eſt cum قرص. 209
قرض رباطه *Incidit vinculum ſuum*, pro, *mortuus fuit*, vel *morti imminuit.* 209. 211
الفار تقرض الثوب *Mus rodit veſtem.* 209
قرض الشعر *Panxit carmen*, quaſi *ſecuit*, *incidit*, ipſumque *carmen* قريض dictum, quaſi *ſectum*, *inciſum.* ibid.
قرض *Quod ſœnerato datur: Æs alienum;* a *mordendo rodendove* ſic appellatum. ibid.
مقراض *Forfex*, ab incidendo & reſecando. 211
قرز In Origine convenit cum قرص & قرض. ibid.
قلس *Vomuit*, *convomuit*, ejuſdem fere notionis cum قاء, niſi quod poſterius hoc, & natura & uſu ſit gravius. 397. 546
قهل *Exaruit* cutis. *Ingratus fuit* in benefactorem. 259. 270

م

مخض *Agitavit*, butyri cogendi ergo, *utrem lactis.* Figurate *parturivit*, *partus doloribus concuſſus fuit uterus.* 49. 347. 484
مخض زبد الحديث *Agitavit* concuſſo velut utre *butyrum ſermonis.* 49
مخض الدلو *Situlam immerſit & in puteo huc illuc agitavit aquam hauſturus.* 347. 531
مخض البير *Puteum agitavit & vehementius commovit huc illuc jactata ſua ſitula.* 347
مرجل *Olla*, figura *bellorum.* p. 36. Sic סיר Jer. I. 13. 37
مراجلنا تغلي *Olla noſtræ rebulliunt.* Id eſt, *Bellum grave movemus.* 36
مرجلهم جاش *Olla eorum æſtuavit*, pro *in bellum commoti ſunt.* ibid.
مرجلي جاش *Olla mea æſtuat*, pro *ira exæſtuo.* 37
مرخ *Marcb* Arbor cujus *lignum tritum* alio *ligno*, cui عفار *Afar* nomen, benigne *ſcintillas reddit.* 29
مرخ لم يوري تحت عفار *Marcb ignem non reddit ſub Afar.* Proverbialis locutio, de ſummis rerum anguſtiis & tenebris. ibid.
مري Ubera *ſtrinxit* mulgendi ergo. Metaphorice *pluviam elicuit* ventus. 63. 369
مرى فلانا ماية سوطا *Illum centies flagello verberavit*, ad verbum, *ſtrinxit illum centum ſcuticas.* 369 372. 375

مش *Maceravit aqua.* 61
مشع In Origine *Terſit*, *blanda manu perterſit.* 326. 525
مشع القصعة *Terſit paropſidem*, pro *Edendo penitus evacuavit.* 326
مشع الغنم *Pecus terſit*, pro, *mulſit.* 327
مشع البول *Minxit*, proprie, *lotium mulſit.* ibid.
مشعه بالحبل *Mulſit*, *terſit illum fune*, pro *verberavit.* ibid.
مشق Proprie *pexuit.* 329
مشق الاكل *Comeſtio lenta leniſque*, quaſi dicas *oppectere cibum.* 330
مشق الحلب *Pectinatio in mulgendo*, eſt *paucitas lactis*; a *raritate pectinis* anſa ſumta. ibid.
ماشق *Seſe invicem lacerare conviciis* ac quaſi *depectere.* ibid.
تمشق الغصن *Ramus arboris pectinatus eſt*, pro *cortice ſpoliatus fuit.* 335
مشر In Origine idem plane eſt atque Latinorum *Turgere*, Græcorumque ὀργᾶν. 350. 534
امشرت الارض *Terra turget in herbas.* 351
امشرت الشجرة *Arbor turget in folia & germina.* ibid.
تمشير Int. in 2. Conjug. proprie valet *vehementius turgere.* 353
مضحك *Locus oris*, *quo ridetur*, vel *locus dentium inter renidendum nudari ſolitus.* Deinde *os.* Vocabulum a Lexicographis neglectum. 21
مل *Cineribus calidis* aut *prunis ſuppoſuit coquendum panem.* 203
ماج *Undavit.* Divitiis abundavit, opulentia circumfluxit. 141

ن

نبا Ult. *Vaw* & *Je*, propriam ſedem obtinet in *gladio retuſo ictibus.* 324
نبا السيف عن الضربة *Retuſus fuit gladius cædendo*, in Origine tantundem eſt ac, *veluti convexus & gibboſus factus gladius reſiluit.* 325
نبا البصر عن الشي *Retuſa* reſiluit *acies* oculi *a re aliqua*, id eſt, *hebetatus fuit defecitve viſus.* 325
نبا السهم عن الهدف *Reſiluit ſagitta a ſcopo*, pro *ſcopum non attigit.* ibid.
نبا جنبه عن الفراش *Reſiluit latus ejus a ſtrato*; id eſt, *incommodius* illud *ſenſit*, ac propterea reliquit. 325
نابي & نبي *Locus gibboſus ac convexus.* ibid.
نباوة & بنوة *Pars terræ gibboſior & convexior.* ibid.

نبض *Tremulam micuit* chorda, arcus, vena, fulmen. 514
نغر Proprie *bulliendo efferbuit* olla, *nimioque bullitu aquam ſuperfu-dit.* 345. 532
نغض *Quaſſavit, concuſſit.* 44
نغضته الحمي *Concuſſit eum febris.* 45
نغضت الشي *Excuſſi rem*, veſtem, arborem, alia innumera. 44
نغض القران *Excuſſit Alcoranum.* Diligenter verſavit & evolvit. ibid.
نغض المكان *Excuſſit locum*, pertentavit & exploravit. 45
نغضة *Excuſſores*, Exploratores. ibid.
نغضت المراة كرشها *Uterum ſuum Excuſſit Mulier.* partum edidit. 44 47
نغضت الابل *Excuſſerunt cameli* abſolute pro *fœtum effuderunt.* 47
نغوض *Crebro excutiens* mulier, fœcunda. 44 481
نغض اليد *Excuſſit manum*, amicitiam renunciavit, repudium miſit. 45, 46. 482
انغض القوم *Excuſſit populus vaſa ſua*, id eſt, *omnis commeatus ab-ſumtus eſt.* 45
نقف *Diffregit caput, cum cerebri diſcuſſione.* 154
نقفت الحنظل *Diffregi colocynthidem ſic ut grana nudarentur.* 155
ناقفت الرجل Conj 3. *Caput illi*, impacto clavo, *diſcuſſi ſic ut cere-bro diſpergeret viam.* ibid.
نقاف *Actio* iſta mutuo *caput & cerebrum diſcutiendi.* Unde prover-bium اليوم قحاف وغدا نقاف *Hodie pocula, cras capitis & ce-rebri diſcuſſio.* 155, 156
نقف الحمر *Infracto & diſcuſſo* velut *capite jugulavit vinum.* 155
نقاف *Capitis* & *cerebri diſcuſſor.* Epitheton Poëticum latronis tru-culenti. ibid.
نقيف *Exeſus teredine*, & a vermibus ſic pertuſus ut cerebrum ac me-dulla fuerit exhauſta. 158
نهل *Primus hauſtus, potuſve* aquantis, bibentis. 105, 106 500
نهلت الابل *Primo hauſtu ſitim diluerunt cameli.* 105
انهل الابل 4. Conj. *primo hauſtu potos habuit camelos.* ibid.
ناهلة *Ultro citroque commeans ad aquationem.* ibid.
منهل *Aquationis locus in paſcuis*, quo greges commeant. Item *man-ſio irrigua* viatorum in diſerto. ibid.
ناهل *Rigatus & ſiti levatus.* ريان *Primo* ſcilicet *hauſtu*, qui cum ſæpiuſcule haud ſatis recreet, aniam præbuit notioni *ſitis*, ut *ſitien-tem* quoque idem hoc vocabulum nonnunquam exprimat. 106

نهل منه الاسل الناهل Hemiſtichium Veteris poëtæ complectens utrumque ſignificatum. *Hauriunt ex eo haſtæ ſitientes.* 105
نواهل القنا *Sitientes haſtarum.* Proprie quæ poſt primam aquationem adhuc alteram, de qua dictum, expetunt. 84
نهلت الصعدة *Sitim* primo hauſtu *ſedarunt haſtæ.* 83
انهل الصعدة *Aquatum duxit haſtas.* Vel *haſtas habuit primo hauſtu potas.* ibid.
نهلت القناة وعلت *Haſtæ primo & ſecundo hauſtu potarunt.* In *multo ſanguine hauſto atque effuſo.* 82
نهل الزمان وعل *Fortuna primo & ſecundo hauſtu hauſit*, exhauſit, & leto dedit. ibid.
نهل سيفي وعل *Primo & ſecundo hauſtu hauſit Gladius meus.* Ad plenum ſe cædibus exſatiavit. ibid.
نهل منها وعل *Primo & ſecundo hauſtu* libidinis ſitim *reſtinxit* ex femina compreſſa. 80

ه

هلك *Periit.* Hanc notionem tam frequentes admiſere, ut *eundi* primariam illam, quæ eſt in הלך deleverit. 41
هم *Liquavit. Liquefecit. Redegit ad tabem* vi ignis. 61.490
هم الشحم *Liquavit adipem.* 61
هم السحاب *Liquavit*, *colliqueſecit nubes* ventus. 62
همه المرض *Colliqueſecit*, & *tabe diſſolvit eum morbus.* 64
هم *Tabuit*, pro *ſenio confectus eſt.*
هم *Caducus* & vietus ſenex. proprie *tabidus.* Et plenius شيخ هم. 64
همه الامر *Tabefecit eum* negotium, pro *ſolicitum habuit & anxium.* ibid.
هم بالامر *Intabuit negotio ;* pro *ſolicite apud animum verſavit negotium.* ibid.
هموم In *nube*, *pluviam effundens*, & *tabe quadam liqueſcens.* 62
هموم In *puteo*, *largo humore fluens* & velut *liqueſcens.* 63
هميم *Pluvia tenuior*, & *lenibus* quaſi *guttulis liqueſcens.* 62
هميمة Idem. Lucretii *Tabes nimborum.* ibid.
همش *Strepitavit*, de *rebus aridis* inter ſe *commixtis.* Metaphorice *garrulus fuit*, *nugas blateravit.* 32

و

وبص البرق *Micuit*, leniter reſplenduit, *fulmen.* 149

وبص

وبصّ الجرو *Micuit catulus*, pro *oculos aperuit primulum deſpiciens.* 149
وبصت الارض *Micuit terra*, pro *multo germine* & *flore reſplenduit.* ibid.
اوبصت الارض 4. Conj. Idem. Vel potius, *Micare fecit terra*, flores nempe & germina. ibid.
اوبصت النار *Micuit ignis*, vel tranſitive, *micare fecit ignis* flammam, *primulum reluxit.* ibid.
وبص اللون *Micuit color*, refulſit. ibid.
وابصة سمع *Micans auditu*, auribus pruriens & nimium credulus. ibid.
وبص *Micans*, id eſt *alacer*, in equo aliusque. ibid.
وبص لي بيسير *Micare mihi fecit leviculum quid*, id eſt, *donavit.* ibid.
وتن الماء *Perennis fuit aqua*, nunquam intermoriente fluxit vena. 112, 113. 505
وتين *Vena cordis*, a *perennitate.* 112
اوتنه *Perennem* cordis *venam ei læſit*, id eſt, *ictu letali eum confecit.* ibid.
واتن *Perenne*, in omni eo *quod durat ac permanet.* ibid.
استوتن المال *Perenne fuit pecus*, pro *pingue fuit & opimum.* ibid.
مواتنة *Perennatio*, pro *aſſiduitate* & *perſeverantia rigidiore.* 113
ورد *Deſcendit*, abſolute pro *aquatum ivit.* 91
ورده بسيف *Deſcendit in eum gladio*, id eſt, *multo ſanguine hauſto velut aquatum ivit.* 92
ورد حوض الموت *Aquatum deſcendit in lacum mortis.* 93
ورد *Aquatum deſcendit*, velamentum rei turpiculæ. 95, 96
ورد البكا *Aquatum deſcendit in fletum*, venuſta formula. 97
وسع In Origine deſignat خلاف الضيق *contrarium anguſtiæ*; id eſt *laxitatem* & *amplitudinem.* 9. 462
وصي *Præcepit*, *mandavit*; proprie *injunxit.* 513

F I N I S.

INDEX

Digitized by Google

I N D E X

EXHIBENS VOCES

LATINAS ET GRAECAS,

Quarum Origini lux affunditur.

A.

Accendo a candere. 476
Adteger qui adtingitur, a vet. *tago.* 457
Ærugo pectoris, pro *malignitate* &c. 536, 537
Æruginе tinctus verſus. 358
Æruginoſus animus, partim pro *maligno*, partim pro *avaro* & *ſordido* dicitur. 356
Ampectere crura fuſtilus. 329
'Αντλεῖν & ἐξαντλεῖν ad ardua negotia transferri amat. 498
'Αντλεῖσθαι *baurlri*, i. e. *graviter vulnerari.* 531
Apiſci & comp. *adipiſci*, proprie *necti* ab *apo*, *apor*, *apiſcor.* 217
Aptus proprie *nexus*, aliquando iſtam vim retinet. ibid.
Aptum, *ingenium*, *apta manus.* 472
'Αφύσσειν *baurire*, pro *graviter vulnerare.* 531
Aſſerere a *ſerendo* ductum. 456
Attondere pro *vaſtare.* 330
Attonſum arvum. 336

B.

Bibit haſta *cruorem.* 83
Bibunt tela præmiſſa *cruorem.* ibid.
Bibebat longum *amorem.* 90
Bibit veſtis *peſtem.* 91
Bibit lana repetita *colores.* ibid.

C.

Cadere: rariores aliquot uſus hujus verbi recenſentur. 272
Callere artes. i. e. *pulchre ſcire.* 215
Callere in arte & *callere arte.* ibid.
Cando & *Candeo Candor Candidus*, proprie *Albeſco cum ſplendore.* 476
Carpi ad pœnam pro *excerpi.* 72
Carpi cœco *igni*, pro *concerpi*, *diſcruciari* lentius. ibid.
Carpit me *ſcrupulus.* ibid.
Carpuntur præcordia. ibid.
Carpit medullas *ignis* edax. ibid.
Carpere dulcia, auras, oſcula, ſomnos, quietem &c. ibid.
Carpere iter, rura, volatum, fugæ compendia &c. ibid.
Carpere hyemem. ibid.

Carpere

Carpere ordinem rei. 72
Carpere digitis chordas. ibid.
Carpere dente maledico. ibid.
Carpere agmen hoſtile. ibid.
Cogitare quaſi *coagitare.* 551
Confutare dolores, i. e. *ſedare*, *reprimere.* A *futum* quod eſt *vaſculum coquinarium*, quo *frigida* ſuffunditur ollæ efferveſcenti. 217
Conſerere proprie *connectere.* 404
Conſumere campum fuga. 76
Convaleſcere a *valere* productum. 470
Cruda conſilia, i. e. *male cocta*, *immatura.* 592
Crudeſcere, i. e. *irritari: incrudeſcit*, *recrudeſcit ira.* ibid.
Cura ἀπὸ τῆς κύρας, quod cor *attondeat.* 65

D.

Defæcari ad *tranquillitatem* transfertur, unde *animus defæcatus.* 224
Deſerere ſtipitem i. e. *deſtituere* in agro. Hinc *deſerere* pro *deſtituere*; & *derelinquere.* 456
Depexum dare. 324
Difficilis; non facilis; utrumque a *facio.* 470
Dilabi pro *diſpergi*, a *lapſu.* 487
Diffundi pro *diſpergi*, a *fuſione.* ibid.

E.

Emicare in Martem. 150
Eripere pro *ſervare*, notio ſecund. a *rapiendo.* 456
Exantlare ſanguinem, labores, negotia, molimina, ut Metaph. in *exhaurire.* 498
Excutere pacem orbi. 482
Excutit equus *ſeſſorem.* ibid.
Excutere vincula, *jugum* &c. ibid.
Excute intelligentiam tuam. ibid.
Excutere ſtudia de manibus, partum e viſceribus. ibid.
Excuſſit mihi dentes. ibid.
Excutere verborum jactationem. ibid.
Excutere aculeos orationis. ibid.
Excutit pavor membra. ibid.
Excuti avita ſede. ibid.
Exilire æque ad *metum*, *dolorem*, quam ad *lætitiam*, extenditûr. 251
Exiluit curia. ibid.
Exiluerunt principes & apud Cic. pro *dolore*, *ira*, *commoti* fuere. ibid.
Exultare de *pavore.* ibid.
Exultantia doloris. ibid.

F.

Facilis a *faciendo.* 470

Fervidæ rotæ, i. e. *celeriter motæ.* 492
Flatus remittere. 157
Flatus & *ſuperbia.* ibid.
Fulmineum perſtrinxit *iter.* 136
Fulmineus curſus, impetus &c. ibid.
Fulmineus dens, rictus &c. ibid.
Fulmineus leo. ibid.
Fulmen, *Fulminare*, *Diffulminare* in bello. 136
Fundere hoſtes.
Fundi, *diffundi*, *effundi*, pro *diſpergi.* 487
Futare in Orig. eſt *reprimere*, *ſedare* vas fervens, a *futum*, (vas coquinarium) inde ſecundario uſu.
Refutare valet *redarguere.*
Refutare adverſarium *bello.*
Refutare, pro *rejicere*, *repellere*, *repudiare*, *abnuere.* 217

H.

Haurit corda *pavor.* 66
Haurit latus apertum. ibid.
Haurit ſol igneus medium orbem. ibid.
Haurire oculis. ibid.
Hauriri aquis, fluctibus, vortice, ibid.
Hauſit flamma, incendium &c. ibid.
Haurire patrias opes. ibid.
Haurire pericula, labores. 76
Haurire vaſtum iter. ibid.
Haurit arenas ungula. ibid.
Haurire animo expugnationes, populationes, raptus &c. ibid.
Haurire prædas, ſanguinem, voluptates. ibid.
Haurire voraci ingluvie. ibid,
Hauriri fœnoris ingluvie. ibid.
Hauriri immenſo fœnore. ibid.
Hauriuntur diductis terris urbes. ibid.
Hauſtæ urbes. ibid.
Haurit ignis pectus. ibid.
Haurit genas pariter pallorque ruborque. ibid & 77
Haurit ſitis ignea campos. 77
Hauſit malum totas medullas. ibid.
Hauſtas vires refovere. ibid.
Haurire pectore inſano *ſcelera.* ibid.
Hauſtus medullis *Annibal.* ibid.
Hauſit, peremit, leto dedit, *dies.* 82
Haurire telis clauſos. 90
Haurit pedes peditem. ibid.
Hauſi animas inexpletis cædibus. ibid.

Hor-

Digitized by Google

Horror niger inficit terga maris. 90
Horror cæruleus maris. ibid.
Horreſcit turbida nimbis tempeſtas. ibid.

I.

Implicare acies. 404
Implicari, in complexum venire. 403, 404
Incendo V. in *Candeo.* 476
Incolumis. 456
Inhorreſcit mare. 144
Inhorruit unda tenebris. ibid.
Intabeſcere, uſu rariore pro *rapidiſſimo motu ferri.* 492
Integer in Orig. *intactus*, *inviolatus*, a vet. *Tago:* inde ſecundario multi uſus. 457
Integri fontes. ibid.
Integrum vas. ibid.
Integræ virgines. ibid.
Integra ac recens *pulchritudo.* ibid.
Integerrimi pace *populi.* ibid.
Integer ager. ibid.
Integra gloria. ibid.
Interire. proprie ondergaen. Hinc præter notiſſimum ilium, rariores nonnulli uſus indicantur. 464
Ἰὸς *Ærugo.* Metaph. *invidia*, *malignitas animi* &c.
Ire, pro *perire.* 41

K.

Κείρειν pro ἀπλήστως ἐσθίειν. 330, 335
Κείρειν κτήματα. ibid.

L.

Libare & carpere floſculos. 73
Libare oſcula ab ore. 76
Libare, *Delibare* novum honorem. 73
Libat, *Delibat* haſta, gladius, telum, fulmen. ibid.
Libare criſtas, humeros &c. ibid.
Libatur terra, corpus &c. 74
Libare, *delibare* bene ſtipatam domum dicitur *mors.* ibid.
Libare, *delibare* pacem animi. 75
Libare, *delibare* Dei numen. ibid.
Libare ſumma rerum faſtigia. ibid.
Libare aris cruores; laticum honorem. ibid.
Libare ſepulcrum cruore. ibid.
Libare thura, dapes &c, ibid.
Λιπαρὴς *pinguis*, i. e. *beatus*, *dives.* 225

Liquere & *liquidus*, Metaph. ad *tranquillitatem* & *ſecuritatem* transferuntur. 223
Liquidus & *tranquillus* animus. *Liquida* puraque voluptas. ibid.
Liquidus, *liquidiuſculus*, i. e. *ſedatus*, *non turbatus*. 224
Liqueſcere, uſu rariore pro *rapidiſſimo impetu ferri*. 492

M.

Mactare in Orig. *magis auctare*, vel *augere*, *mola ſalſa*: uſu ſacrificali: inde latius ſeſe exſerit. 215.466
Mactare etiam *macte dicere*. 215,216
Mactare victimam, in Orig. eſt dicere, *macta* eſto hac *mola ſalſa*. ibid.
Mactare diis victimas, & *deos victimis*. ibid.
Mactare quem infortunio. ibid.
Mactare magno malo. ibid.
Mactus vel *macte eſto vino inferio*: formula ſacrificalis. Hinc translatum.
Mactus vel *macte* eſto *virtute tua*. ibid.
Micat fulgur, flamma, ignis, ſtella &c. 149
Micat ſævo fulgore clipeus. ibid.
Micant gladii, tela, haſtæ. ibid.
Micat ſaguntos igne. ibid.
Micat ardor ex oculis. 150
Micat tremulo conatu manus præciſa. ibid.
Micantem demetere *dextram*. ibid.
Micat aſſiduo pulſu *cor*. ibid.
Micant tremulo rigore *artus*. ibid.
Micat vulnere cruor. ibid.
Micans ardore animi vultus. ibid.
Micant ſemina, germina, herbæ. ibid.
Momentum quaſi *movimentum*. 134
Monile a *monendo* dictum. 131
Mulcere plectro labores. 361
Mulcere turbata pectora. ibid.
Mulcere carmine puellas. 362
Mulcere triſtia ſomno. ibid.
Mulcere animum ſolamine. 363
Mulcere longo inſomnia penſo. ibid.

N.

Nares corrugare. 419
Naſus Atticus. ibid.
Naſus pro ira, faſtidio, irriſione. 26
Naſo cadat ira. ibid.
Naſus fumans urſi. ibid.
Naſo adunco ſuſpendere. ibid.
In *Naſum* concire bilem. ibid.

Nictare, *abnictare*, *adnictare*, verba antiqua. 135
Nictantia fulgura. 134
Nitere, primariam ſedem tenet in *corpore:* inde latius diffunditur. 472
Νῦς πυκνός. 407

Ξ.

Ξαίνειν *carminare:* grandi Metaph. *lacerare*, laniare &c. καταξαίνεσθαι ſpeciatim de iis, qui urticis diſcerpuntur. 526
Ξαίνειν πληγάς *plagas incutere.* 329
Ξαίνεσθαι μάστιξι *carminari*, *carpi*, *pecti flagellis.* ibid.
Ξαίνει apud Heſych. inter alia valet δέρει ἱμάντι *loro ſcindit atque excoriat.* ibid.

O.

Obſtringillare vel *obſtrigillare*, contentioſius adverſari. 370
Οἰδεῖν & οἰδαίνειν de *animo* in arma *turgente.* 352
Ὀργᾷν proprie *Turgere*, *tendi ſucco.* Inde grandes metaphoræ ductæ. Ejuſdem Originis ὀργὴ partim pro *ira*, partim pro *indole.* 351. 535

P.

Παςὰς *Thalamus* ἀπὸ τῦ πάσσειν *conſpergere* pro *variegare.* 591
Plaudere natatu *aquas.* 364
Pectere pugnis, pro *propere & probe diverberare.* 329
Pectere terram. 333
Pectinatus brachia. 333
Pectinare agros, pro *polire*, & *pectine ruſtico nitidare.* ibid.
Perdere in Orig. *per-dare.* 464
Perire in Orig. *per-ire.* ibid.
Πίπτειν *cadere.* Elegantiores quidam hujus thematis uſus recenſentur. 274
Πίων οἶκος *pinguis*, i. e. *beata*, *dives.* 225
Polire caput, pro *comere*, *pectere*, *pectinare.* 333
Polire carmina, *picturas*, & *dædala ſigna*, *navigia*, *agriculturas.* ibid.
Πραΰνειν κύματα *Mitigare fluctus.* 541
Πραΰνειν δυπήματα βροντῶν *Mitigare ſtrepitus tonitruorum.* ibid.
Prodere in Orig. *pro-dare.* 464
Proni anni apud Hor. ſunt anni *volventes*, *labentes.* 216
Potura belli infandos cruores *haſta.* 83
Putare primario *ſecare*, *reſecare:* ſecundario ad *animi rationes* translatum. 466

Q.

Quatere Pro *frangere.* 480
Quaſſum vas: uſitatius *Quaſſatum.* ibid.
Quaſſi animi. ibid.
Quaſſatæ rates. ibid.

Quaſſata, *conquaſſata Reſp.* 480

R.

Radit iter liquidum. 163
Radere littera. ibid.
Rapere campum volatu. 76
Refocillare, a *focillo*, quod a *foveo* & *focus*: vel a *faucibus*, ut fuerit, *fauces molli lana fovere.* 470
Reſignare pro *claudere*, *condere.* 388
Rigor & *rigidus* duplicem habet adſpectum, modo *durum*, modo *rectum*, modo utrumque. 411. ſeq.
Rigor auri, ferri, lapidum, frigoris. 411
Rigida coma, caligo, natio, cervix. 411,412
Rigidi ſervator honeſti. 412
Rigor juſtitiæ ac *veritatis.* 413
Rubigo eleganti Metaph. pro *inveterata animi malitia.* 537
Rubiginoſis dentibus rodere. 356

S.

Satiata ſanguinis *haſta.* 73
Satiata ferinæ cædis dextra. 83
Satiari cruore hoſtis ad noctem. ibid.
Saturare dextras ſanguine. ibid.
Serenum eſſe. Metaph. de *animo.* 472
Servo, Originem ducit a Gr. *ἐρύω trabo.* 456
Signare lagenas, ſcrinium. 387
Signare humum longo limite. 394
Signare ſulco mœnia. ibid.
Signare comas liquido auro. ibid.
Signata virgo, i. *integra*, *inviolata viro.* 392
Singultantem ſanguine truncum relinquere, i. e. *cum ſingultu*, *& ſonitu interrupto æſtuantem*, *& rivos cruoris ejectantem.* 345
Sitit cruorem haſta. 83
Sitientia pila cruores. 84
Sitiens cædis arcus. ibid.
Σκαίρειν *Tripudiare*, *ſaltitare*, & σκαρθμὸς *tripudiatio*; transferuntur etiam in malum. 251
Σκαρθμοὶ ϛόλυ. ibid.
Σκαρθμοὶ, σκαιρισμοὶ, λακτισμοί. ibid.
Σκιρτᾶν ab Euripid. ad *metum* & *dolorem* traductum. ibid.
Σφαδάζειν in Comm. lingua valet *Exultare* gaudio: Attice vero *ægre ferre*, &c. ibid.
Stringere. Vide varium verbi hujus uſum. 373, 384

T.

Tabuere ſeculis congeſtæ nives. 61

Tabeſcit calore glacies. 26
Tabifici radii ſolis. ibid.
Tabida nix. ibid.
Tabes fluens nivis liqueſcentis. ibid.
Tabeſcens igni *cera*, ſolis icta calore nubes. ibid.
Tabes nimborum, pro *humore pluvio.* ibid.
Taminare deſcendit a vet. *Tago*, quod eſt *Tango:* unde *Tagimen*, *Tamen: Taminare*, multum *tangere*, *attrectare*, *contrectare;* hinc *attaminare*, *contaminare*, &c 316
Θαλαμος *Thalamus*, ἀπὸ τοῦ θάλλειν *virere*, *nitere.* 581
Tondere pro *carpere*, *depaſcere.* 335
Tondet ales arida fæcundum jecur. ibid
Tondentur tenero viridantia gramina morſu. ibid.
Tondere auro uſque ad vivam cutem. 164
Tondere, *attondere* doctis dolis. ibid.
Tondere, *attondere* ſtrictim, aut per pectinem. ibid.
In Tonſtrina eſſe. ibid,
Tremere & *tremiſcere* pro *tremulum reſplendere.* 138
Tremiſcens ſuper cervice ferrum. ibid.
Tremiſcunt abrupta fulgura. ibid.
Tremit capiti caſſis aerea. ibid.
Tremit orbe coruſco domus. ibid.
Tremit, *circumtremit* æther ſignis. ibid.
Tremit pelago umbra. ibid.
Tremit ignea fuco purpura. ibid.
Trementi viſu conluſtrat campos. 139
Tremunt ſtellantia lumina. ibid.
Tremit horrore pontus. ibid.
Tremula cærulea infuſo reſplendent phœbo. ibid.
Tremulo tempeſtas *impete* fulget. 138
Tremulum vibrans liquorem. 140
Tremor flammeus lunæ errat in armis. 137
Tremor pro terræ motu. 143
Tremit, *intremit* tellus concuſſa. ibid.
Terere & *conterere* forum. 130
Terens alta Capitolia currus. ibid.
Terere & conterere manum oſculis. ibid.
Tumere in arma. 134
Tumet bellum, ſeditio, tumultus, quum in eo eſt, ut *malum gliſcens*, *erumpat.* 352
Tumet mens, i. e. ὀργᾷ, οἰδαίνεται. ibid.
Turgere in bellum. 534
Turſit venerem. ibid.
Turgent jam læto in palmite gemmæ. 351
Tur-

Turgent lactentia in viridi ſtipula frumenta. ibid.
Turgidi ſunt *inflati, ſuperbi, pompa & oſtentatione utentes.* 352
Tutari. 456
Tutus. ibid.
Tueor. 456

V.

Verrunt æquora venti. 163
Verrunt venti imperatorem claſſis ſuper æquora. ibid.
Vexare limina potentiorum. 130
Vibrari in undam. 139
Vibrare tremulum liquorem. 140
Vibrabant flamina veſtes. 139
Vibrans lacinia. ibid.
Vibrantes fluctus. ibid.
Vibrat rabies arcana cavernas. 144
Vibratis radicibus verti. ibid.
Vibrantur viſcera. 147
Vibrant nervi. ibid.
Vibrare labia, lumbos. 135
Vibrant, *convibrant* terram venti. 144
Vindicare. 456
Vomere rivos ſanguinis, cruores. 399
Vomere aurea dona. ibid.
Vomere ignem, ſpumas. ibid.
Vomit fax radios. ibid.

X.

Χρίειν *ungere*, uſu Tragico, pro κεντρίζειν *pungere.* 207

Z.

Ζέον τραῦμα *bulliens vulnus.* 533

ERRATA.

p. 16. l. 12. pro העלינ lege הלעינ
p. 23. l. 2. pro תפתה l. תפתח
p. 46. l. 20. pro *manus popali* l. *manus ſancti populi.*
p. 64. l. 34. pro نس l. نص
p. 78. l. 28. pro النمرة l. الثمرة
l. 34. pro وتولهم l. وقولهم
pro علاقة l. علاتة
p. 79. l. 4. pro نغية l. بغية
p. 80. l. 24. pro نغبض l. انقبض
p. 92. l. 26. pro كلاع l. كلاء
pro مثوخم l. متوخم
p. 100. l. 41. pro לוללים l. עוללים
p. 122. l. 33. pro باخذ l. حتي ياخذ
p. 132. l. 10, pro *monumentum* l. *momentum*
p. 148. l. 26. pro במן l. בטן
p. 149. l. 15. pro و l. وابص
p. 151. l. 25. pro اومض l. اومض البرق
p. 219. l. 8. pro شرب l. اشرب
pro سليث l. سلبت

Digitized by Google

Digitized by Google

005639799

Digitized by Google

KONSERVIERT DURCH
ÖSTERREICHISCHE FLORENZHILFE
WIEN 1967

Digitized by Google